CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

I

EPISTOLA AD ROMANOS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLAS

AUCTORE

RUDOLPHO CORNELY S. I.

I

EPISTOLA AD ROMANOS

Cum approbatione Superiorum



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1896

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITTERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

LUDOVICUS MARTIN

Praepositus Generalis Societatis Iesu

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Epistolas S. Pauli,* **auctore** P. RUDOLPHO CORNELY S. I., Vol. I. *Epistola ad Romanos,* **aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.**

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, die 4 Decembris an. 1895.

L. S. LUDOV. MARTIN S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 4 Martii 1896.

† FRANCISCUS, CARDINALIS RICHARD

Archiepiscopus Parisiensis.

EPISTOLA AD ROMANOS

PROLEGOMENA.

---

1. — *De romanae ecclesiae initiis*[1].

1. — S. Scripturae de prima ecclesiae romanae origine nihil nobis tradunt; quando enim S. Paulus epistolam quam commentaturi sumus ad Romanos scripsit, eorum ecclesia a multis iam annis erat constituta (15,23) et in toto orbe celeberrima atque notissima (1,8; 15,14; 16,19). Patrum autem unanimi traditione, *quis eius fuerit fundator et quo anno sit fundata,* manifesto compertum habemus.

Praeeuntibus enim duobus Apostolorum discipulis, *S. Clemente Rom.* et *S. Ignatio Ant.*, quorum prior Petrum et Paulum Romae martyrium subiisse (1 Cor. 5), alter eosdem Romanis Evangelium tradidisse (ad Rom. 4) satis perspicue asserunt, aliqui ex gravissimis exeuntis saec. 2. testibus, *S. Dionysius Cor.* (cfr Euseb. H. E. II. 25), *S. Irenaeus Lugd.* (c. haer. III. 1,1; 3,2), *Caius* presbyter romanus (cfr Euseb. l. c.), *Tertullianus* (c. Marc. IV. 5; de praescr. 32. 36; Scorp. 15), eosdem Apostolorum principes ecclesiam romanam *fundasse* disertis verbis dicunt. Quae testimonia, quum eorum auctores florentissimam ecclesiam iam diu ante Pauli adventum Romae exstitisse non ignorarent, eo sensu intelligenda esse patet, ut Petrum agrum romanum seminasse, Paulum eundem rigasse, utrumque sanguine suo effuso eum fecundasse, Deum autem incrementum dedisse significent.

S. Petrus igitur vere ac proprie fundator ecclesiae romanae iuxta eos appellari meretur; quam sententiam alii eiusdem aetatis scriptores, qui de solo loquuntur Petro, confirmant, sive uti *S. Papias Hierap.*, unus

1. Cfr meam *Introduct. special.* in libr. sacr. Novi Test. p. 458 sqq. (*Compend. Introd.* in U. T. libr. sacr. Ed. 3. p. 553 sq.).

ex Apostolorum discipulis (cfr Euseb. H. E. II. 15; III. 39), et *Clemens Alex.* (Adumbr. in 1 Petr. *M.* 9,732; cfr Euseb. H. E. II. 15; IV. 14) Marcum iuxta *romanam Petri* praedicationem Evangelium suum scripsisse referunt, sive uti *S. Cyprianus* (ad Antonian. ep. 52,8; ad Cornel. ep. 55,14 etc. *M.* 3,772. 818), *Firmilianus* Cappadox (ad Cypr. epist., inter opp. S. Cypr. ep. 75,17. *M.* 3,1169), *S. Hippolytus* (vel quisquis est auctor Parvi Labyrinthi contra Artemonitas cfr Euseb. H. E. V. 28) aliique romanam sedem *cathedram Petri* vocant seriemque romanorum episcoporum a S. Petro exordiuntur.

Iuniorum Patrum testimonia praetermittere licet, siquidem eos omnes, quum orientales tum occidentales, eandem sententiam tenuisse nemo negat. Illud tamen ad totam traditionis patristicae gravitatem auctoritatemque intelligendam diligenter consideretur oportet, primis duobus aerae christianae saeculis soli Petro fundationem « ecclesiae principalis, a qua unitas sacerdotalis exorta est » (*S. Cypr.* ad Cornel. ep. 55,14) et « ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem ecclesiam » (*S. Iren.* c. haer. III. 3,2), unanimiter esse attributam, immo etiam ante saec. 2. finem universas orbis ecclesias easque dissitissimas, quarum testimonia nobis sunt conservata, asiaticas (cfr *S. Ign.*, *S. Pap.*, *Firmil.*), aegyptiacas (cfr *Clem. Alex.*), africanas (cfr *Tert.*, *S. Cypr.*), gallicas (cfr *S. Iren.*) cum Romanis ipsis (cfr *S. Clem. Rom.*, *Cai.*, *S. Hippol.*) originem romanae ecclesiae ad S. Petrum, fundamentum et caput Ecclesiae universae, retulisse. Eiusmodi enim consensus in admittendo facto historico, de quo omnibus ecclesiis constare non tantum debuit, sed etiam, quia de re omnibus patente ac tunc satis recente agebatur, facile potuit, nisi pro certo et invicto argumento accipitur, de omni fide historica actum est.

2. — Unus tamen medio saec. 4. invenitur scriptor ecclesiasticus, qui a reliquis omnibus discedens Romanis per Iudaeos quosdam Romam incolentes, qui alibi fidem receperant, Evangelium traditum esse neque ullum Apostolum ante Paulum Romam venisse aut ad romanae ecclesiae fundationem quidquam contulisse satis aperte docet (cfr *Ambrosiastri* Comment. in ep. ad Rom. Prol.; inter opp. S. Ambros. *M.* 17,45 sq. [1]). Cum eo autem moderni acatholici vix non omnes et

1. Commentariorum, qui Ambrosiatri nomine citari solent, auctor a plerisque habetur Hilarius quidam, qui tempore S. Damasi diaconus ecclesiae romanae fuit (cfr *Introd. gener.* in libr. sacr. U. T. Ed. 2. p. 654). Unde acatholici nonnulli eius opinionem pro genuina traditione Romanorum de suae ecclesiae origine habent omniumque aliorum Patrum testimoniis praeferunt (cfr *F. Godet* Comment. sur l'épître aux Romains. Ed. 2. Paris 1883. I. p. 86 sq.; *eiusdem* Introd. au Nouv. Test. I. Neuchatel 1893. p. 434; *H. Oltramare* Com-

paucissimi quoque catholici (*I. G. Herbst* Ueber den Aufenthalt des Ap. Petrus in Rom. Tüb. Quartalschr. 1820 p. 567 sqq.; *Adalb. Maier* Comment. zum Römerbr. Freiburg 1847 p. 6 sqq.; *I. L. Hug* Einl. ins Neue Test. Ed. 4. 1857. II. p. 60 sqq.) consentiunt; atque id unum pauci illi catholici cum nonnullis acath. concedunt, versus vitae suae finem Petrum Romam venisse ibique martyrium esse passum. Verum argumenta, quibus antiquam traditionem convellere novamque suam opinionem stabilire conantur, infirma sunt[1].

Prima quidem Evangelii semina per advenas quosdam romanos, qui Ierosolymis in pentecostes festo primae S. Petro praedicationi interfuerant (*Act.* 2,10) aut etiam alibi fidem receperant, Romam esse allata negare nolumus atque fieri quoque potuisse fatemur, ut iam tunc inter Iudaeos urbem incolentes Evangelium asseclas nonnullos invenerit. Attamen Paulus non tantum, ubi Romanorum fidem in universo orbe celebrari dicit (1,8; 16,19) eorumque scientiam christianam laudat

ment. sur l'ép. aux Rom. Genève 1881. I. p. 84 etc). Attamen non animadvertunt, Ambrosiastrum nequaquam traditionem quandam referre, sed erronea sua epistolae nostrae interpretatione ad erroneam suam coniecturam de ecclesiae romanae origine esse adductum. Romanos enim, quorum fidei et scientiae Paulus magnificam laudem tribuit (1,8; 15,14. 16,19.), nondum veros Christianos fuisse sibi persuasit; eos « fidem Christi quidem recepisse, sed ritu iudaico, in verbis potius quam in sensu; nondum enim expositum illis fuisse mysterium crucis Christi ». Procul dubio, si haec a. 58. fuisset conditio fidelium romanorum, omnino dicendum esset, eo usque neque Petrum neque alium Apostolum Romae docuisse; prorsus aliam autem eorum conditionem fuisse, legentibus epistolam nostram patet.

1. Quaestionis de S. Petro, ecclesiae romanae fundatore et primo episcopo, tractatio completa neque huius loci neque nostri muneris est; ad historiam enim ecclesiasticam pertinet. Quare brevi testimoniorum patristicorum enumeratione praecipuarumque obiectionum, quae contra antiquam traditionem proponuntur, refutatione contenti uberiorem expositionem historicis relinquimus. Adversarii auctoritatem Patrum eludere conantur asserentes, eos antiqua quadam sed fabulosa narratione de Simone Mago tempore Claudii et Neronis per Petrum Romae expugnato in errorem esse inductos. Revera iuniores Patres, uti *Eus.* et *Hier.*, Petrum « ad expugnandum Simonem Magum a. 2. Claudii Romam venisse » scribunt; sed aliter antiquiores. *S. Iust. M.* enim, qui primus de Simonis itinere romano loquitur (Apol. I. 26.56; Apol. II. 15; c. Tryph. 120), de Petri itinere tacet; *S. Papias* autem, *S. Dion. Cor.*, *Caius*, *Clem. Alex.* etc. de Simone Mago nihil omnino habent, atque *S. Iren.* et *Tert.* quoque, quamvis de Simone multa tradant, de eo tamen tacent, ubi Petrum et Paulum romanam ecclesiam fundasse referunt. Immerito igitur Patrum traditio a fabula illa, quam *Ps. Clemens R.* in Recognitionibus etc. excoluit, dependere dicitur.

Ceterum nonnulla recentiora catholicorum opera indicasse iuverit, quae de his similibusque obiectionibus accuratius agunt aut quaestionem de romano Petri episcopatu uberius tractant: *Fr. Windischmann* Vindiciae petrinae. Ratisbonae 1836; *I. v. Döllinger* Christenthum u. Kirche. Regensburg 1860. p. 95 sqq. 313 sqq.; *Seb. Sanguineti* S. I. De sede romana B. Petri. Romae 1867; *L. I. Hundhausen* Das erste Pontificalschreiben des Apostelfürsten Petrus. Mainz 1873. p. 16 sqq.; Em. Card. *I. Hergenröther* Kirchengeschichte. Ed. 3. Freiburg 1883. I. p. 108 sqq.: *Lecler* De romano S. Petri episcopatu. Lovanii 1888; *Wilh. Esser* Des h. Petrus Aufenthalt, Episcopat, Tod in Rom. Breslau 1889; *I. Felten* Die Apostelgeschichte übersetzt und erklärt. Freiburg 1892. p. 240 sqq.; *Ioh. Schmid* Petrus in Rom oder novae vindiciae petrinae. Luzern 1892.

(15,14), sed maxime, ubi semetipsum, non obstante diuturno suo desiderio, Romam ideo nondum venisse insinuat, quia super alienum fundamentum aedificare noluisset (15,18-24), de eiusmodi dispersis fidelibus evidenter non loquitur, quos etiam Corinthi et Ephesi (*Act.* 18,1 sqq.; 19,1 sqq.) aliisque probabiliter multis in civitatibus repererat, sed de iusta ecclesia per unum ex Apostolis fundata et constituta.

Ac profecto quis sibi persuaserit Apostolos, qui quum Samariae per Philippum diaconum multos ad fidem adductos esse audissent, Petrum et Ioannem miserunt, ut ecclesiae illi fundandae praeessent, atque iterum Barnabam Antiochiam ablegarunt, ut primae ethnicorum ecclesiae curam gereret (*Act.* 8,14 sqq.; 11,20 sqq.), in capite imperii romani neophytos, qui ibi crediderant, sibimet ipsis solis reliquisse idque per multos annos? A priore ergo, ut ita dicamus, verisimile est, unum ex Apostolis, quamprimum fides per Palaestinam vicinasque regiones radices egerat, Romam esse profectum, ut illos neophytos accuratius institueret donisque S. Spiritus ditaret atque simul Iudaeis, qui inde a Pompeii aetate frequentissimi Romam confluxerant, eorumque proselytis[1] bonum nuntium de Messiae adventu afferret. Id autem, quod a priore verisimile esse diximus, re factum esse Patrum testimoniis extra dubitationem ponitur. *Orosio* enim teste (Hist. VII. 6) « *exordio regni Claudii* (qui ab a. 41. ad a. 54. imperium tenuit) Petrus, Apostolus Domini nostri Iesu Christi, Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit potentissimisque virtutibus comprobavit; atque exinde Christiani Romae esse coeperunt ». Accuratius autem *S. Hieronymus* (de vir. illustr. 1) eum « *secundo Claudii imperatoris anno* (i. e. a. 42.) Romam perrexisse ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuisse » scribit[2]. Haud diu igitur post Cornelii centurionis, primi ethnici, baptisma (c. a. 39.) atque eodem forte anno, quo Paulus a Barnaba arcessitus Antiochiae inter ethnicos laborare coepit, Petrus romanam ecclesiam fundavit regendamque suscepit (cfr

1. Quantus Iudaeorum numerus iam Augusti aetate Romam incoluerit, ex eo apparet, quod iudaicae cuidam legationi post Herodis *M.* mortem in urbem advenienti sese octo millia Iudaeorum romanorum adiunxerint (cfr *Fl. Ios.* Antiqu. iud. XVII. 11,1). Tiberii tempore, qui quatuor millia romanorum Iudaeorum in Sardiniam deportari iussit (cfr *Tacit.* Annal. II. 85), eorum numerus ad sexaginta millia auctus esse dicitur, qui separatam urbis regionem trans Tiberim occupabant atque sex vel septem synagogas habebant. Multos quoque proselytos (portae) Romae fuisse, ex *Fl. Ios.* Antiqu. iud. XVIII. 3,5; *Iuvenal.* Sat. 14, 96 sqq. etc. colligitur.

2. *Eusebium Caes.* quum in Hist. eccl. tum in Chron. cum hisce plane consentire, *I. Felten* (l. c. p. 242 sq.) bene ostendit. Minus tamen nobis probatur, quod *Act.* 12,17 (« abiit in alium locum ») ad primum Petri iter romanum cum haud paucis referat; nam omnia quae *Act.* 11,30-12,25 narrantur de eleemosynis per Barnabam et Saulum Ierosolyma missis et de persecutione Apostolorum per Herodem Agrippam I. mota, ad a. 44. pertinere censemus (cfr *Introd. spec.* in ll. Novi Test. p. 341, 362; *Compend. Introd.* Ed. 3. p. 523).

Indicul. chronolog. aetatis apostolicae in *Compend. Introd.* Ed. 2. p. 650; Ed. 3. p. 671).

3. — Neque tamen Petrum Romae domicilium suum ita fixisse Patres significant, ut eius portas non amplius sit egressus; simili potius modo, quo Paulus duobus tribusve annis postea Antiochiam, Petrus Romam centrum apostolicarum suarum expeditionum elegit. Regimine enim ecclesiae romanae suscepto impeditus non est, quominus apostolico suo munere fungens, uti antea, terras peragraret aut ad novas ecclesias aliis in civitatibus terrisque fundandas aut ad ecclesias iam fundatas visitandas. Quapropter Patrum traditioni, quam sequimur, contraria non sunt, quae contra eam velut argumenta certa ab adversariis identidem repeti solent. Omnino enim cum eis consentimus, Petrum a. 44. Ierosolymis ab Herode Agrippa I. in vincula esse coniectum (*Act.* 12,1 sqq.) eumque etiam a. 51. Ierosolymis concilio apostolico interfuisse (*Act.* 15,1 sqq.; *Gal.* 2,1 sqq.) ac brevi postea cum Paulo Antiochiae versatum esse (*Gal.* 2,11 sqq.); sed quomodo inde colligant, eum inter a. 39. et 44. et iterum inter a. 44. et 51. quietum Ierosolymis sedisse neque Romam venire potuisse, aut quo cum iure omnia Petri itinera in Actibus, qui etiam eius iter antiochenum silentio praetereunt, narrata esse aut narrari debuisse supponant, plane non intelligimus. Neque plus valet alterum eorum argumentum ex paulinarum epistolarum silentio desumtum; obiicientes enim Paulum neque in epistola a. 58. vel 59. ad Romanos missa Petro salutem dicere, neque in epistolis a. 62-64. Romae ad Philippenses, Ephesios, Colossenses, Philemonem datis salutationes Petri illis ecclesiis transmittere, Petrum ergo usque ad a. 64. Romam non venisse, aeque arbitrarie atque erronee supponunt, Apostolorum principi, postquam Romam pervenit ibique cathedram suam posuit, urbem relinquere longioresque ac diuturniores expeditiones apostolicas suscipere non amplius licuisse. Quodsi demum addunt, Paulum hanc epistolam, si romanam ecclesiam a Petro fundatam esse scivisset, scripturum non fuisse, quia super alienum fundamentum aedificare nollet (15,20), respondemus Paulum hac epistola, uti infra diligentius ostendemus, dumtaxat iter suum romanum praeparare voluisse, eumque iter illud sibi proposuisse, non ut Romae manens super fundamentum iam positum aedificaret, sed ut « *praeteriens* Romanos videret et ab illis in Hispaniam deduceretur, postquam illis primum ex parte fruitus esset » (15,24). Numquid Paulus, si in itineribus suis ierosolymitanis per Phoeniciae, Palaestinae, Syriae civitates transiens iudaeochristianas ecclesias illarum regionum a se non fundatas praedicationibus in fide confirmavit, super alienum

fundamentum aedificavit aut conventionem in concilio cum Petro, Iacobo et Ioanne factam (*Gal.* 2,9) laesit?

4. — Praeter fundatoris, S. Petri, nomen fundationisque tempus, a 42., vix quidquam certi de romanae ecclesiae primordiis nobis est traditum; quae *prima eius conditio* seu quis primus eius status fuerit, solis coniecturis magis minusve probabilibus consequi possumus. Iamvero a. 42. multi quidem iam ethnici Antiochiae fidem receperant; nihilominus Petrum Romae ab initio inter solos contribules suos munere apostolico functum esse dicamus oportet. Nam novem circiter annis postea in concilio apostolico sibi circumcisionis praecipue apostolatum vindicat ac similiter Paulus eum usque ad illud tempus inter Iudaeos potissimum laborasse insinuat (*Gal.* 2,7 sqq.). Attamen Romae quoque, uti fere ubique illo tempore, magnus erat numerus proselytorum iudaicorum (i. e. ethnicorum, qui licet circumcidi nollent ritus tamen legales quosdam observabant ideoque in synagogas admittebantur), atque ex eis multos una cum Iudaeis multis sese Evangelio subiecisse veri simillimum est, quoniam ubique proselytos ipsis Iudaeis propensiores ad Evangelium recipiendum fuisse ex Actibus constat. Minus vero probabile censemus, Petrum ante concilium ethnicis, qui non erant proselyti, Romae praedicasse, quamvis ei per Cornelium centurionem aditus ad illos procul dubio pateret; etenim in concilio de Cornelio tantum eiusque familia a se in Ecclesiam receptis loquitur (*Act.* 15,7 sqq.). Itaque usque ad a. 51. romana ecclesia, quum solis Iudaeis proselytisque baptizatis constaret, iudaeochristiana fuisse recte asseritur.

Illo autem anno teste *Suetonio* (Claud. 25) Claudius « Iudaeos impulsore *Chresto* assidue tumultuantes Roma expulit »[1]; unde ab eo tempore conditionem compositionemque romanae ecclesiae immutatam esse plerique merito tenent. Praeprimis enim dubium non est, quin Suetonius de tumultibus inter Iudaeos ob Christi Evangelium exortis loquatur, siquidem Romanos nomen *Christi* sibi ignotum frequenter, una litera mutata, in nomen eo tempore satis frequens *Chresti* (Χρηστὸς i. q. utilis, bonus) transformasse *Tertull.* (Apologet. 3) et *Lactant.* (Divin. institut. IV. 7) diserte testantur. Crescente ergo Iudaeorum fidelium numero (magno quippe cum fructu Petrum praedicasse, ex Pauli verbis *Gal.* 2,8 apparet) infideles eorum contribules Romae simili modo, quo circa idem tempus Antiochiae Pisid. et Iconii et Lystris (*Act.* 13.

1. Iuxta *Oros.* (H. VII. 6) Claudius *nono* imperii sui anno (i. e. a. 49.) decretum illud fecit; probabilior tamen sententia tenet, illud non nisi a. 51. prodiisse (cfr *Introd. spec.* in lib. sacr. Novi Test. p. 343)

14), tumultus excitarunt, quibus Claudius permotus est, ut primum religiosos eorum coetus interdiceret (*Dio Cass. LX.* 6) ac deinde omnes urbem relinquere iuberet. Utrum vero Christiani quoque « velut cognatae religionis homines » decreto illo expulsi sint necne, *Orosius* quidem « discerni non posse » arbitratur (l. c.); verum id omnino affirmandum videtur, quoniam primis illis temporibus Iudaeochristiani a fratribus suis infidelibus sese nondum separaverant, sed cum eis synagogas frequentabant, ad templum ierosolymitanum peregrinabantur etc. (*Act.* 21,15 sqq.).

Quapropter Romae sola illa ecclesiae pars remanebat, quae ex proselytis erat collecta, quippe qui quum genere Iudaei non essent decreto Claudii non comprehendebantur. Quorum numerus auctus est, quando Petrus, qui probabiliter iam primis excitatis tumultibus urbem reliquerat, finito concilio apostolico reversus est totamque suam curam ac diligentiam, quum Iudaei non amplius adessent, ethnicis convertendis impendere coepit. Hinc post a. 51. Romae quasi nova exorta est ecclesia eaque ethnicochristiana, quae solis proselytis ethnicisque conversis constans, ritibus iudaicis neglectis, communem vivendi formam eodem modo, quo ecclesiae a Paulo fundatae, tenebat. Clarum enim est S. Petrum, qui Ierosolymis Ethnicochristianorum libertatem a Lege defenderat et Antiochiae cum eis « gentiliter » vixerat (*Act.* 15,7 sqq.; *Gal.* 2,15), Romanis ad fidem adductis iugum Legis imponere noluisse, quod ipsi Iudaei portare non potuerant. Immo ab eo ne ipsum quidem concilii decretum libertatem gentium conversarum aliquatenus restringens, quippe quod solas Syriae Ciliciaeque ac similes ecclesias medios inter Iudaeos fundatas spectaret (cfr *Comment.* in 1 Cor. p. 218 sq.), Romae promulgatum esse, dissensio de idolothytorum usu satis docet, quae Romae eodem fere tempore, quo Corinthi, exorta est (14,1 sqq.; cfr 1 *Cor.* 8,1 sqq.). Novae porro huic ecclesiae praeter neophytos ex ecclesiis a Paulo fundatis in urbem advenientes etiam Iudaeochristiani post Claudii mortem revertentes sese aggregarunt, neque tamen ethnicochristianam eius rationem indolemque mutarunt. Tanta potius exinde facta est Christianorum et Iudaeorum infidelium separatio, ut decem annis post (a. 62.), Paulo adveniente, « primis Iudaeorum » id unum « de hac secta (Christianorum) notum esset, quod ubique ei contradiceretur » (*Act.* 28,22).

5. — Cum his, quae ex historicis apostolicae aetatis rationibus collegimus, epistola nostra plane consonat. Longe maiorem enim ecclesiae cui scribitur partem ex gentibus venisse clare docet, quamvis plerique, qui in eius fine salutantur (16,3 sqq.), Iudaeochristiani fuisse videan-

tur et interdum ad iudaicos neophytos sermo dirigatur (4,1 sqq.; 7, 1 sqq.). Namque universam ecclesiam romanam, acsi solis gentibus conversis constet, Paulus et in inscriptione et in tota epistola alloquitur et ad gentium apostolatum suum appellat, ut audaciam quasi excuset, qua ad eam scribat eamque exhortetur (1,5 sq. 13; 6,17 sqq.; 11,12 sq.; 15,14 sq.). Porro quum fidem Romanorum, quae in toto orbe celebretur, scientiamque, qua repleti sint, laudet (1,8; 15,14; 16,19), eos et cum illa doctrina plane consentire insinuat, quam ipse de Lege per Christi mortem abolita docuit, et cum illa vivendi ratione, quam in ecclesiis a se fundatis observari voluit. Eadem quoque fide fraternaque dilectione Iudaeochristianos cum ethnicis conversis unitos Romae vixisse nequedum iudaizantes pseudapostolos perversas suas doctrinas illa in ecclesia sparsisse, iuremerito ex toto epistolae, quum nullibi eas impugnet, tenore concludimus; in epilogo tantum (16,17 sqq.) quasi transiens eos exhortatur, ut a falsis illis doctoribus, si Romam adventuri sint, sibi sedulo caveant.

2. — *De epistolae ad Romanos origine et indole*[1].

1. — *Quo tempore* et *quo in loco* epistola sit scripta, certis ex indiciis colligere nobis licet. Paulus enim sese eam scripsisse significat, quum in eo esset, ut eleemosynas a Macedoniae et Achaiae fidelibus collectas pauperibus ierosolymitanis deferret (15,25 sqq.); atqui nullum est dubium, quin de illis eleemosynis loquatur, quas Corinthiis in utraque sua epistola, Macedonum exemplo proposito, colligendas praeceperat quasque se ipsum Ierosolyma perlaturum esse promiserat (cfr 1 *Cor.* 16,1-4; 2 *Cor.* 8,1-9,15). In fine igitur tertiae suae expeditionis apostolicae eam exaravit, quando nimirum, uti habet S. Lucas, « transita Macedonia et Achaia Ierosolyma ire voluit dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre » (*Act.* 19,21). Iter hoc quintum ierosolymitanum, in quo se magna pericula Ierosolymis subiturum esse non ignoravit (15,30. 31 cfr. *Act.* 20,3; 22 sq.; 21,4. 11), Epheso circa festa paschalia a. 58. ingressus primum per Macedoniam Corinthum petiit, ubi versus finem a. 58. adveniens tres menses peregit. Navigaturo deinde in Syriam Iudaei insidias struxerunt, quibus eadem via, qua venerat, per Macedoniam reverti coactus est; Corintho igitur brevi ante pascha 59. profectus festum ipsum Philippis celebravit, indeque Troadem transvectus iter per oram maritimam Asiae con-

1. Cfr *Introd. spec.* in libr. sacr. Novi Test. p. 475 sq.; 460 sqq. (*Compend. Introd.* in U. T. libr. sacr. Ed. 3. p. 554 sq.).

tinuavit et circa festum pentecostes a. 59. Ierosolyma advenit (*Act.* 20, 1-21,15). Corinthi autem, ergo exeunte a. 58. aut ineunte a. 59., eum epistolam scripsisse communior et verisimilior sententia tenet; etenim in fine « Phoeben sororem, diaconissam ecclesiae quae est in Cenchreis » (i. e. in Corinthi portu ad orientem spectante) Romanis commendat atque Caii, corinthii sui hospitis, salutes adscribit (16,1. 23; cfr 1 *Cor.* 1,14). Corinthum etiam plurimarum codicum subscriptiones nominant; immerito autem antiquiores quidam Latini (*H Car. Thom. Lyr.* etc.), ut *Glossae ord.* quae epistolam Athenis scriptam esse asserit, opinionem cum communiore conciliarent, eam Athenis inchoatam et Corinthi terminatam esse coniecerunt; nam Glossae, quum antiquiore testimonio non confirmetur, tanta non est auctoritas, ut propter eam Patrum traditio, quae epistolae consonat, sit relinquenda aut mutanda. Satis quoque supervacaneo neque minus temere recens quidam acath. (*Weiss* Einl. ins N. T. Berlin 1889. p. 226) eam non Corinthi sed Cenchreis (i. e. in Corinthi portu et suburbio) scriptam esse suspicatur, quia Phoebe fuerit cenchreensis ecclesiae diaconissa et Paulus se *nunc* in Ierusalem proficisci dicat (15,25), iter ergo iam ingressus sit!

2. — Quantus autem modernorum fere omnium consensus est de loco et tempore, quo scripta est epistola, tantus eorum est dissensus *de causa, quae Apostolum ad eam scribendam impulerit, et de consilio, quod in ea scribenda persecutus sit.* Ultimis decenniis potissimum acatholici hanc quaestionem agitarunt, sed parvo cum fructu, siquidem suis sexaginta fere solutionibus magis minusve diversis, quas hucusque excogitarunt[1], eam obscurarunt potius quam illustrarunt. Quas omnes recensere et diiudicare operae pretium non est, quia epistolae intelligendae non inserviunt; paucas tantum ex praecipuis indicabimus ad eas maxime attendentes, quae antiquitus iam sunt propositae, ut quid probabilius sit tenendum clarius appareat. Inter Patres quippe hac de quaestione iam non conveniebat, quum latini ipsam romanae ecclesiae conditionem Paulo causam scribendi praebuisse tenerent, graeci vero eiusmodi causam extraneam non agnoscerent atque latini ipsi quoque in ea definienda inter se non convenirent.

Primus ex latinis epistolae nostrae interpretibus, *Ambrosiaster,*

1. Cfr *Godet* Introduct. I. p. 445 sq. : « L'exposé du travail critique sur ce point (l'occasion et le but de l'épître) est toute une histoire. On peut compter une soixantaine d'auteurs qui ont exprimé des opinions motivées sur cette question et dont les solutions diffèrent, au moins par quelque nuance ». Plerasque idem auctor ibidem p. 446-468 et fusius in suo Comment. sur l'ép. aux Rom. Ed. 2. I, p. 109-146 in varias classes distribuit singulasque breviter examinat.

fideles romanos, quia a Iudaeis quibusdam conversis fidem recepissent, ab initio Legem simul observasse censet, « advenientibus autem quibusdam, qui recte crediderant, quaestiones factas esse, utrum carnem edere liceret annon, et utrum spes quae in Christo est sufficeret ad salutem, an etiam Lex esset observanda »; ad quas lites componendas Apostolum in hac epistola « omni industria id agere, ut a Lege Romanos avertat et in sola fide Christi illos constituat et quasi contra Legem Evangelium vindicet, non destruens Legem sed praeferens christianismum »[1]. *S. Augustinus* (expos. inch. 1) autem, qui romanorum fidelium maiorem numerum ex ethnicis venisse recte tenet, epistolam ad iudaizantium errorem impugnandum Iudaeochristianosque cum Ethnicochristianis conciliandos scriptam esse arbitratur. « Coeperant enim, inquit, nonnulli qui ex Iudaeis crediderant, tumultuari adversus gentes et maxime adversus Apostolum Paulum, quod incircumcisos et Legis veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam, praedicans eis ut in Christum crederent, nullo imposito carnalis circumcisionis iugo. Sed tanta moderatione invicem utrosque conciliat, ut nec Iudaeos superbire permittat tamquam de meritis operum Legis, nec gentes merito fidei adversus Iudaeos inflari, quod ipsi receperint Christum, quem illi crucifixerant. Tamquam enim pro ipso Domino legatione fungens utrumque populum tam ex Iudaeis quam ex gentibus connectit in Christo per vinculum gratiae, utrisque auferens omnem superbiam meritorum et iustificandos utrosque per disciplinam humilitatis associans ». Haec S. Augustini sententia, quacum fere consentiunt *S. Hier.* (Comm. in ep. ad Gal. 5,2) et *Primas.* (Comment. in ep. ad Rom. Praef.), in *Glossam ord.* transiit, iuxta quam Paulus « pro altercatione scribit Romanis confutans modo Iudaeos modo gentiles, docens eos humiliari, ut omnia attribuant gratiae Dei, quia Iudaei salutem generi suo, gentiles autem suo ingenio et naturae attribuebant ». Unde factum est, ut antiquiores quoque interpretes latini

1. Ambrosiastri opinionem de ecclesiae romanae origine atque de epistolae nostrae occasione et fine *Haymo* recepit. Ab eadem autem haud multum discedit Neotubingianorum antesignanus *F. C. Baur* (Der Apostel Paulus. Ed. 2. I. p. 343 sqq.), qui ecclesiam romanam, quam totam fere Iudaeis conversis constitisse et ebionitico quodam spiritu imbutam fuisse sibi persuadet, epistolam nostram provocasse contendit, quia Pauli praedicatione privilegia sua nationalia primatumque suum, ad quem propter abrahamiticum suum sanguinem ius haberent, destrui putassent. Ad eandem opinionem integra fere schola neotubingiana inclinat et cum ea multi alii rationalistae; sed refutatione opinio ista non indiget, quia ex epistola nostra satis clare elucet, ecclesiam romanam eo tempore, quo Paulus ad eam literas dedit, neque iudaicae originis neque iudaicis praeiudiciis imbutam fuisse. Iuxta Baur romani neophyti putassent, non licere ethnicos ad evangelicam fidem adducere, nisi postquam iam totus Israel in Ecclesiam esset ingressus; sed ubinam in tota antiquitate vestigium huius erroris invenitur?

(cfr *Abael. Herv. Lomb. H Car. Lyr.* etc.) et multi iuniores moderni-que (cfr *Est. Lap. Nat. Picon. Calm.* etc., *Hug, Beel. Lamy, Danko* etc.) similiter occasionem huius epistolae scribendae natam esse putent « ex contentione, quae Romae inter iudaicos et ethnicos neophytos suborta erat de meritis et iustificatione, dum scilicet utrique suis meritis gratiam Evangelii arrogarent » (*Est.*); « etenim quum in illa epistola fere totus sit Apostolus in docendo iustificationem esse gratuitum donum Dei, cur hoc potius quam aliud argumentum tractasset, nisi certa relatione compertum haberet, Romanos in hac potissimum re institutione indigere? » (*Beel.*).

3. — Verum haec sententia haud levibus difficultatibus premitur. Praeprimis enim in tota epistola nihil invenitur, ex quo infelicem romanae ecclesiae conditionem Paulo occasionem causamve scribendi praebuisse legitime colligatur. Immo vero quoniam ecclesiae illius quaenam eo tempore fuerit conditio, ex sola nostra epistola innotescit, omnino potius dicendum est, romanos fideles, quorum fidem scientiamque non minus quam omnimodam virtutem Paulus laudibus celebrat, sine causa tam perversae funestaeque doctrinae ac tam gravis dissidii dissensionisque incusari. Quomodo Apostolus apertos errores et schismata impugnet, epistolae ad Corinthios et Galatas ostendunt; in nostra autem ne umbra quidem vel species contentionis pugnaeque contra Christianos romanos reperitur; quae enim polemica sunt, ea contra ethnicos Iudaeosque, qui nondum crediderant, dici manifestum est. Leve autem monitum, quod in epilogo legitur (16,17. 18), de errore iam propagato non loquitur, sed attentos reddere vult neophytos, ut a iudaizantibus, qui forte sint adventuri, sibi caveant; atque dissensus de idolothytis, qui ultimo in epistolae loco impugnatur (14,1-15,13), neque schisma provocaverat neque tanti erat momenti, ut totius huius epistolae scribendae causa esse potuerit. Porro epistola non eo tantum tendit, ut iustificationem gratuitum esse Dei donum doceat, sed eius thema multo latius patet, quum Evangelium virtutem Dei esse in salutem omni credenti Iudaeo primum et Graeco ostendat (1,16). Neque id agit Paulus, ut Iudaeochristianos et Ethnicochristianos inter se conciliet, verum ut evangelicam fidem Iudaeis non minus quam ethnicis unicam viam esse demonstret, qua utrique cum Deo ipso concilientur. Deinde si doctrinam ecclesiae a se non fundatae corrigere aut ei aliquid addere voluisset, Apostolus super alienum fundamentum aedificasset, id quod se facere voluisse aut velle diserte negat (15,20). Demum si Romani gravi quodam errore aut infesto quodam schismate epistolam provocassent, hanc causam aperte indicare non timuisset

neque sese apud eos de epistola ipsa eiusque argumento excusasset[1] (15,15 sqq.; cfr 1,13 sqq.).

Erronea igitur est eorum sententia, qui ex romanae ecclesiae conditione originem huius epistolae derivare et explicare conati eam potissimum scriptam esse arbitrantur ad perversam quandam Romanorum doctrinam impugnandam vel ad gravem quandam eorum dissensionem componendam. Multo minus autem nonnullorum modernorum acatholicorum opiniones probari possunt, qui polemico fini apologeticum substituentes Paulum id maxime intendisse volunt, ut suam doctrinam suamque apostolicam dignitatem contra iudaizantes vindicaret (*Sabatier* L'apôtre Paul p. 216), vel ut se Evangelium ne in nobilissima quidem civitate erubescere demonstraret (*Hofmann* Der Brief Pauli an die Röm. Einl.); plane absurde alii sibi persuadent, eum hac epistola sibi ipsi quasi rationem reddere voluisse doctrinae, quam ultimis annis in sua pugna contra iudaizantes clarius semper perspexisset, accuratius excoluisset meliusque defendere didicisset (*Weiss* Einl. p. 235 sq. Krit. exeg. Handb. p. 35 sq.). Quibus similibusque opinionibus, utpote arbitrariis omnique fundamento carentibus, praetermissis cum *Chrys.* (in Rom. Argum. 2) aliisque Graecis Paulo non aliam nisi quam ipse indicat, scribendi causam fuisse tenemus; Romanis nimirum proximum suum adventum annuntiare eundemque expositione doctrinae suae praeparare voluit.

4. — Intime scilicet persuasum ei erat, sese « propter gratiam, quam a Deo acceperat, ut esset minister Iesu Christi *in gentibus* » et « propter apostolatum quem acceperat ut obedientiae fidei subiiceret *omnes gentes* », omnibus factum esse debitorem; quare promptus paratusque erat etiam iis qui Romae erant evangelizare (1,5. 14 sq.; 15,16). Itaque postquam per quatuordecim fere annos Syriam, Asiam Min., Macedoniam Graeciamque peragrans « ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum » Evangelium Christi ita propagavit, ut iam amplius illis in regionibus locum non inveniret, in quo apostolico suo munere fungens fundamentum poneret (15,18-23), novum vastissimumque laborum campum sibi in extremo Occidente elegerat atque praeprimis Hispaniam iugo Christi subiicere sibi proposuerat. Hispanicum autem iter idoneam ei praebuit opportunitatem satisfaciendi desiderio,

1. Bene *Reithmayr* (Comment. zum Br. an die Röm. Einl. p. 21) : « Dass die Römer weder direct noch indirect ihm Anlass zum Schreiben gegeben, dafür haben wir seine eigene Erklärung, indem er, in Ermanglung von äussern einleitenden Motiven *der* Art, sich gedrungen sieht, sich über Inhalt und Form seines Schreibens zu entschuldigen und dieses selbst mit seiner universellem Mission für die Heiden zu rechtfertigen ».

quod a multis annis iam foverat, sed aliis distentus laboribus implere nondum potuerat; ecclesiam quippe romanam, cuius fides in universo imperio celebrabatur, invisere desideravit, ut ipse quoque romanis fidelibus « aliquid impertiret gratiae spiritualis ad eos confirmandos, ut nimirum per communem fidem, eorum ac suam, sese invicem corroborarent » et in divino servitio promoverent (15,24; 1,11. 12). Doctrinam ergo, quam a S. Petro eiusque discipulis acceperant, cum sua ipsius praedicatione plane consentire neque quidquam eis deesse persuasum habuit, quod sua institutione suppleri deberet; quapropter etiam praeteriens tantum eos videre sibi proposuit, non ut eos novam doctrinam doceret, sed ut in accepta doctrina eos confirmans societate eorum frueretur et ab eis quodammodo commendatus in Hispaniam deduceretur (15,24). Quoniam vero diu Romae manere noluit, eis iam ante suum adventum, ut brevis sua inter eos commoratio uberiorem produceret fructum, tamquam specimen quoddam praedicationis suae praecipua Evangelii sui capita et imprimis doctrinam illam exponendam duxit, quam de iustificationis per fidem evangelicam obtinendae gratuitate et universalitate ultimis annis ubique fere contra iudaizantes defenderat. Sicuti ergo romanum eius iter, ita etiam haec epistola, qua illud praeparat, proxime persuasioni eius debetur de amplitudine muneris sibi commissi, quo omnibus omnino gentibus, Graecis et Barbaris ac proinde Romanis quoque, debitor factus eos omni qua potest ratione in assequenda salute adiuvare quasi cogitur; quare etiam muneris amplitudine audaciam explicat et excusat, qua eis scripsit illaque, quae a suis doctoribus iam didicerant, in memoriam revocavit (15,15).

5. — Fini porro Pauli, ut pro apostolico suo munere Romanos in doctrina accepta confirmet, omnino *argumentum* congruit, quod sibi in hac epistola tractandum sumsit. Priore enim in loco eis fidei evangelicae, cui se subiecerant, omnimodam necessitatem multiplicemque utilitatem ad salutem assequendam diligentissime explanat et demonstrat, ac deinde brevi quadam praecipuorum officiorum christianorum expositione eos exhortatur, ut vitam fidei suae conformem agant. Omnes quippe interpretes praeter *exordium* (1,1-15) longioremque *epilogum* (15,14-16,27) duas epistolae partes distinguunt, quarum *prior dogmatica*, ut S. Thomae verbis utamur, « ostendit virtutem evangelicae gratiae » (1,16-11,36), *altera paraenetica* « exhortatur ad exsecutionem operum huius gratiae » (12,1-15,13).

Ad priorem solam partem respiciens *S. Augustinus* (inch. expos. 1) hac ratione argumentum describit : « In epistola, quam Paulus scripsit ad Romanos, quantum ex eius textu intelligi potest, quaestionem habet

talem : utrum Iudaeis solis Evangelium Domini nostri Iesu Christi venerit propter merita operum Legis, an vero nullis operum meritis praecedentibus, omnibus gentibus venerit iustificatio fidei, quae est in Christo Iesu, ut non, quia iusti erant, homines crederent, sed credendo iustificati deinde iuste vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit, *omnibus* venisse gratiam Evangelii D. N. Iesu Christi, quod propterea et gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitiae redditum est, sed *gratuito donatum* ». Revera Apostolus iustificationem, quae est per fidem in Christum, gratuitam omnibusque hominibus, Iudaeis et Graecis sine distinctione destinatam esse demonstrat; arctior tamen haec est argumenti descriptio accuratiusque Paulus ipse illud definit, quum pro thesi dogmatici sui tractatus statuit : « Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco; iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem » (1,16. 17), i. e. Evangelium, et quidem solum, ad veram iustitiam ac proinde ad salutem omnibus iis, sive Iudaei sint sive gentiles, qui illud fidei obedientia recipiunt, conferendam divina virtute efficax est, ita tamen ut praecipuum quoddam ius Iudaeis competat. Quam thesin tribus sectionibus omni ex parte explanat ac probat.

Ante omnia enim Evangelio eique soli virtutem salvandi omnes competere ex eo demonstrat, quod omnes, qui fide evangelica sint destituti, Iudaei non minus quam ethnici, peccato obnoxii sint, omnibus vero credentibus, sive ethnicis sive Iudaeis, iustitia quae ad salutem ducit gratis conferatur (1,18-4,25). Deinde quanta sit divina Evangelii virtus ostendit quatuor enumeratis fructibus, quos iustitia quae ex fide est secum afferat; qui enim ex fide sunt iustificati, pacem cum Deo habent et spem gloriae, immunes sunt a peccati servitute, soluti quoque a Legis iugo, et tamquam adoptivi filii Dei verum ius habent ad aeternam vitam (5,1-8,39). Demum thesin suam a Iudaeorum, qui plerique eo tempore increduli erant, obiectionibus vindicaturus relationem Evangelii, quod divinam suam efficaciam in omnes credentes exserat, ad promissiones Iudaeis olim divinitus datas explanat; praesentem nimirum Iudaeorum exclusionem a salute cum divinis promissionibus non pugnare, sed eorum ipsorum culpae attribuendam esse, ac praeterea ideo tantum a Deo permitti docet, ut eius fidelitas, misericordia sapientiaque infinita manifestentur (9,1-11,36).

Longe quidem maiorem gravioremque epistolae partem tractatus hic dogmaticus de iustitia omnibus per Christum acquisita credentibusque omnibus gratis conferenda constituit; neque tamen pro mera appendice habenda est altera pars paraenetica. Namque cum priore arctissime cohaeret eiusque quasi est complementum, quatenus homi-

nem ad iustitiam salutemque pervenire non posse ostendit, nisi *viva* fide, quae per caritatem operatur, vitam suam totam ad evangelicorum praeceptorum normam dirigat. Quapropter Apostolus officiis quibusdam vitae religiosae, privatae civilisque propositis imaginem hominis vere christiani delineans omnia praecepta uno caritatis praecepto quodam modo contineri et expleri docet (12,1-13,14); atque dissensione quadam tunc temporis de idolothytorum usu exorta utitur, ut quantam Christi Evangelium postulet caritatem fraternam ostendat; neophytos enim ad Christi exemplum non sua quaerere sed suis commodis, ut promoveant proximi salutem, renuntiare iubet (14,1-15,13).

6. — Quoniam in commentario structuram compositionemque totius epistolae singularumque eius partium atque nexum quoque, quo sententiae inter se colligantur, diligenter investigare et accurate explicare studuimus, uberiorem dispositionem hic adscribere opus non est[1]; brevi tamen conspectu praecipuas, quas indicavimus, sectiones proponere non erit supervacaneum.

Exordium (1, 1-15) praeter longiorem inscriptionem, qua Paulus rationes, cur Romanis scribat, satis iam innuit (1, 1-7), gratiarum actionem exhibet, qua Romanorum fidem laudans suamque erga eos bonam voluntatem manifestans sibi benevolentiam eorum conciliat (1, 8-15).

Pars dogmatica (1,16-11,36) est *de iustificationis gratia omnibus et solis credentibus in Christum oblata.* Exorditur autem Apostolus pro thesi statuens, fidem evangelicam, quae ipsa sit gratuitum Dei donum, hominibus unicam esse iustitiae salutisque viam, sed omnibus quoque, Iudaeis et Graecis, sine distinctione apertam (1,16,17). Hanc autem thesin

in prima sectione (1,18-4; 24) duplici argumento *demonstrat,*

1. *negativa argumentatione* ostendens, sine fide Christi nullam esse iustitiam aut salutem, siquidem et ethnici et ipsi Iudaei irae divinae sint obnoxii (1, 18-3, 20),
2. *positiva argumentatione* explanans, iustitiam per fidem in Christum gratis ab omnibus obtineri (3,21-4,25);

in altera sectione (5,1-8,39) fructibus proprietatibusque iustitiae, quae ex fide est, descriptis *commendat,* quum ii, qui ex fide sunt iustificati,

1. cum Deo iam sint reconciliati ac pace gloriaeque aeternae spe fruantur (5,1-21),
2. immunes sint a peccati servitute (6,1-23),
3. liberati quoque a dominatu Legis (7,1-25),

1. Satis amplam epistolae analysin exhibuimus in *Introd. spec.* in libr. sacr. Novi Test. p. 464-475 et in *Analys.* libr. sacr. N. T. p. 73-88. — Aliorum quorumdam dispositiones indicavimus in *Introd. spec.* p. 463 sq.

4. ac demum, utpote in Christo renati, adoptivi filii Dei heredesque sint aeternae gloriae (8,1-39);

in tertia sectione (9,1-11,36) a Iudaeorum infidelium obiectionibus *vindicat* ostendens,

1. praesentem infidelis Israelis exclusionem non adversari divinis promissionibus olim populo datis (9,1-29),
2. sua quippe ipsorum culpa a salute promissa, quam gentiles credentes obtinent, multos excludi, quia eandem fidei viam ingredi nolint (9,30-10,21),
3. praesentem autem exclusionem, quae ad totum populum se non extendat, iuxta Dei consilium saluti populi ipsius inservire et, quum finem sit habitura, fidelitatem, sapientiam misericordiamque divinam esse manifestaturam (11,1-36).

Pars paraenetica (12,1-15,13) exhibet *monita moralia,* quibus quid doctrina tradita a fidelibus postulet, exponitur; viva enim sit fides oportet, quae ad salutem ducit. Itaque nonnulla tantum attingens Apostolus

in priore sectione (12,1-13,14) de officiis quibusdam, quae ad communem Christianorum perfectionem pertinent, ita agit, ut omnia praecepto caritatis contineri et impleri doceat;

in altera sectione (14,1-15, 13) autem eos maxime qui in fide profecerunt, exhortatur, ut ad Christi exemplum suis commodis renuntiantes salutem infirmiorum suorum fratrum promoveant.

Epilogus (15,14-16,27) tribus quasi membris constat; primum enim S. Paulus uberius, quam in exordio, de sua relatione ad Romanos agit (15,14-33), deinde multas salutationes addit (16,1-24), demum magnifica doxologia totam espitolam terminat (16,25-27).

3. — *De epistolae ad Romanos authentia et integritate*[1].

1. — Epistola nostra, quum nomen *Pauli, servi Iesu Christi, vocati Apostoli* (1,1), in fronte gerat, ipsa suum auctorem prodit eiusque testimonium tota antiquitas confirmat. Ante saec. 2. finem quidem addito auctoris nomine non citatur, id quod de aliis quoque plerisque Novi Test. libris sacris obtinet; at primis iam temporibus cognita erat et pro auctoritate adhibebatur. Haud immerito multi S. Iacobum iam sua epistola errores quosdam, qui ex perversa nostrae epistolae interpretatione exorti erant, impugnasse censent (cfr *Introd. spec.* in N. T. p. 604 sqq.) atque probabile est, etiam S. Petrum eam in suis epistolis ante oculos habuisse (l. c. p. 627 sq.). Sed his praetermissis pauca tantum Patrum testimonia afferimus. Saec. 1. exeunte *S. Clemens*

1. Cfr *Introd. spec.* p. 476; *Compend. Introd.* p. 575 sq.

Rom. (1 Cor. 35) in sua peccatorum, quae Christianis vitanda sint, enumeratione epistolam nostram evidenter sequitur (1,29 sqq.) saepiusque alibi ad eam alludit (cfr *Funk* Patres apost. I. p. 569); haud diu postea *S. Ignatius M.* (ad Smyrn. 1 cfr *Rom.* 1,3; ad Eph. 15 cfr *Rom.* 2,21) et *S. Polycarpus* (ad Philipp. 6 cfr *Rom.* 14,10. 12) eam eadem ratione adhibent; medio saec. 2. autem *S. Theophilus Ant.* (ad Autol. III. 14 cfr *Rom.* 13,7. 8) et *S. Iustinus M.* (c. Tryph. 23 cfr *Rom.* 4,10. 11) eius verba quaedam velut divina usurpant, et circa idem tempus martyres viennenses sese verbis Pauli (8,18) in persecutione confortarunt (cfr *Euseb.* H. E. V. 1). Postquam deinde c. a. 170. *fragmentum murat.* epistolam ad Rom. diserte inter paulinas recensuit (cfr *Introd. gener.* in omnes U. T. libr. Ed. 2 p. 180 sqq.), Patres saec. 2. exeuntis, *S. Irenaeus, Clemens Alex., Tertullianus* etc. tam frequenter eam, Pauli nomine addito, pro divina auctoritate allegant, ut eorum testimonia afferre plane sit superfluum. Addere tamen liceat, toto saec. 2. haereticos quoque, *Basilidem* (cfr Philosoph. VII. 25), *Valentinum* (cfr S. Iren. c. haer. I. 3) eiusque discipulos *Ptolemaeum* (cfr S. Iren. ep. ad Flor. 6), *Heracleonem* (cfr Philos. VI. 35), *Theodotum* (cfr Clem. Alex. Excerpta 52) epistola nostra, velut apostolica et divina auctoritate, ad errores suos stabiliendos abusos esse atque *Marcionem* (cfr Tertull. c. Marc. V. 13. 14; S. Epiph. haer. 42) eam, utique truncatam, in suo canone habuisse et Paulo auctori diserte attribuisse.

Ne unum quidem ex tota antiquitate afferri potest testimonium, quo epistolae ad Rom. authentia aut impugnetur aut addubitetur; nam Ebionaei eam a Paulo esse scriptam non negarunt, sed ipsum « Apostolum Paulum repudiarunt, apostatam eum Legis dicentes » (*S. Iren.* c. haer. I. 26,2). Hinc etiam sequentibus saeculis ab omnibus quum catholicis tum acatholicis semper pro genuino Pauli opere habita est, usque dum praeeunte Anglo, *Evanson* (The dissonance of the four Evangelists. Ipswich 1792. p. 259), nostro saeculo complures acath., omnibus historicis testimoniis non tam neglectis quam despectis, ob solas quas sibi fingunt internas rationes eam Paulo abiudicare et pro apocrypho foetu saec. 2. venditare coeperunt. Primus eam una cum reliquis omnibus paulinis reiecit Germanus, *Bruno Bauer* (Kritik der paulin. Briefe. Leipzig 1852. III. p. 47 sqq.; Christus und die Caesaren. 1877. p. 372 sqq.), quem deinde tres Batavi secuti sunt, *A. Pierson* et *S. A. Naber* (Verisimilia. Laceram conditionem Novi Test. exemplis illustrarunt et ab origine repetierunt A. P. et S. A. N. Amstelodami 1886), atque *A. D. Lomann* (Quaestiones paulinae. Theol. Tijdschr. Leyden 1882. 1883. 1886), uti etiam Helvetus, *Rud. Steck*, professor bernen-

sis (Der Galaterbrief nach seiner Echtheit untersucht. Berlin 1888). Priores cunctas epistolas paulinas variis ex fragmentis conflatas esse volunt, quae inter Iudaeos « pneumaticos » exorta postea a Paulo quodam episcopo saec. 2. in variarum epistolarum formam sint redacta; Steck autem epistolam ad Rom. una cum epp. ad Cor. et Gal. graecis quibusdam philosophis christianis deberi existimat, qui ineunte saec. 2. iudaizantem ecclesiam palaestinensem impugnaverint. Quibus addi potest quartus Batavus, *Dan. Voelter* (Die Composition der vier paulinischen Hauptbriefe. Tübingen 1890. p. 8-88), qui totam quidem nostram epistolam non reiicit, sed ex variis eius partibus, longe plerisque repudiatis, novam sibi ipse componit epistolam ad Rom. hoc ordine dispositam : 1,1 a. 7. 5. 6. 8-17 ; 5,1-6,23 (eiectis tamen 5,13. 14. 20; 6,14. 15); 12,1-13,14 ; 15,14-32; 16,21-23. Hac quippe ratione non tantum epistolam, quae iustam mensuram excedat, ad eam reducere, sed omnes quoque difficultates evitare sagacissimus vir vult, quae in longiore inveniantur (l. c. p. 44 sqq.). Eiusmodi insaniis refutandis immorari operae pretium profecto non est; ex commentario nostro satis apparebit, epistolam difficilem quidem esse, sed nullibi apto nexu carere aut violenta interpretatione indigere. Omnia enim non tantum aptissime sunt disposita et inter se arcte cohaerent, sed conditioni quoque quum Apostoli, a quo scribitur, tum ecclesiae, cui scribitur, et tempori, quo scribitur, perfectissime congruunt (cfr quae de his adversariis diximus in *Comment.* in epp. 2. ad Cor. et ad Gal. p. 370 sq.).

2. — Multo frequentius, quam paulina origo, integritas epistolae nostrae impugnatur, atque pauci tantum hodie interpretes acatholici supersunt, qui eam totam a Paulo scriptam aut saltem ad Romanos destinatam concedant. Praetermittere possumus paucorum coniecturas (*Weisse* Philosoph. Dogmatik. Leipzig 1855. I. p. 146 sqq. et Beiträge zur Kritik der paulin. Briefe. 1867. p. 46 sqq.; *Michelsen* Krit. onderzoek naar den oudsten tekst van Paulus brief aan de Romeinen. Theol. Tijdschr. 1886. 1887), qui quaecumque eis non placent reiicientes et vix unam sententiam intactam relinquentes simili modo, quo Voelter, ad arbitrium suum novam quandam sibi epistolam effingunt. At duo ultima capita a quamplurimis hodie aut tota vel partim S. Paulo abiudicantur aut saltem ad nostram epistolam pertinere negantur.

Teste *Origene* (Comment. in Rom. X. 43) iam saec. 2. medio Marcion ultima illa capita de hac epistola penitus abstulit, atque hodie codices quoque quidam graeci exstant, qui doxologiam finalem (16,25-27), quam Marcion reiecit, post 14,23 ponentes duo cpp. 15. et 16. a reli-

qua epistola quodam modo separant. Quamvis autem a Marcione plerosque Novi Test. libros cum toto Vetere Test. reiectos paucosque illos, quos in suum canonem receperat, arbitrarie dissectos truncatosque esse antiqui Patres (*S. Iren., Tertull., Orig., S. Epiph.* etc.) testentur et ne unus quidem inveniatur codex antiquus aut antiquus interpres, qui ultima duo capita non exhibeat vel interpretetur, nihilominus rationalistae hinc potissimum ansam sumserunt ad illa impugnanda et ad rationes internas conquirendas, quibus debilissimum suum fundamentum historicum solidarent ac stabilirent. In commentario quidem, quid praecipuae eorum rationes internae valeant, examinabimus, sed pauca hoc loco iam de hac quaestione addenda censemus, ut historicus eius habeatur conspectus.

Marcion duo illa capita ideo potissimum desecuisse recte creditur, quia Iudaeis faverent ac proinde suum errorem de Veteris Testamenti pugna cum Novo destruerent; ob similem porro rationem Neotubingiani, *F. C. Baur* (Der Apostel Paulus. Ed. 2. I. p. 393 sqq.) eiusque discipuli, *Schwegler* (Nachapost. Zeitalter II. p. 123 sqq.), *Zeller* (Die Apostelgesch. p. 488), *Lucht* (Ueber die beiden letzten Kapitel des Römerbr. 1871) aliique eadem repudiant. Etenim illa cum reliqua epistola pugnare sibi persuadent, quia id unum eorum auctor agat, ut Iudaeochristianos sibi conciliet, quos prior epistolae pars vehementer impugnet; ne vero unico hoc argumento niti videantur, alias quasdam ratiunculas addunt : ea, quae 15,1-13 dicantur, nihil esse nisi verbosiorem repetitionem eorum, quae antea iam melius sint dicta; excusationem, quae 15,15 legatur, Apostolo esse indignam; inepte 15,23 asseri, Paulum in Oriente locum praedicandi non amplius habuisse etc. At tota haec obiectio ex Neotubingianorum errore fundamentali de Petrinorum et Paulinorum oppositione in primitiva Ecclesia et de Paulo infenso omnium Iudaeochristianorum adversario procedit; quare si sibi constare voluissent, Neotubingiani non tantum duo illa capita, sed cum Voelter etiam ex priore parte omnes illas sententias eiicere debuissent, in quibus Paulus privilegia Iudaeorum agnoscit amoremque erga contribules suos tenerrimum profitetur (1,16; 3,1 sq.; 9,1-5; 10, 1-11,31 etc.). Quid ratiunculae aliae valeant, quae ornamenti causa additae videntur, in commentario examinabimus. Ceterum similes sententias statuerunt *Volkmar* (Römerbr. 1875. p. 55 sq. 69 sq. etc.), qui omnia praeter 15,33; 16,1. 2. 21-24 partim Romae partim in Oriente conficta dicit, *Straatman*, qui solos *vv.* 15,8. 15. 16. 23. 25-29 a Paulo scriptos sed a redactore quodam retractatos esse putat, *Scholten* (Theol. Tijdsch. 1876. p. 1 sqq.), cui genuinam paulinae epistolae clausulam soli *vv.* 16,1. 2. 21-24 constituunt.

3. — Sed hae similesque opiniones vix non obsoletae iam sunt, atque plerique alii acath. paulinam capitum illorum (praesertim cp. 15) originem agnoscunt, sed de eorum ad nostram epistolam relatione litigant. Secundum *Semler* (De dupl. appendice ep. ad Rom. Halae 1767) cp. 16. est catalogus presbyterorum variarum ecclesiarum, quibus exemplar epistolae nostrae tradi debuerit, et cp. 15. est epistola quaedam his solis presbyteris destinata; secundum *Paulusium* (De orig. ep. ad Rom. Ienae 1801) cp. 15. est epistola solis fortibus in fide destinata et cp. 16. schedula quaedam Phoebae tradita, ut recordaretur, quosnam in suo itinere nomine Pauli salutare deberet; secundum *Griesbach* (Opusc. ed. Gabler. Ienae 1825. II. p. 63 sq.) variis fragmentis nescio unde sumtis utrumque caput conflatum est, et secundum *Eichhorn* (Einleitung III. p. 232 sqq.), qui eandem eorum originem admittit, pericope 16,1-20 non Romanis sed Corinthiis erat destinata; secundum *Schenkel* (Bibellexicon V. p. 114 sqq.) cp. 15. est appendix quaedam finitae epistolae postmodo a Paulo addita et cp. 16. epistola commendaticia, quam Phoebe in itinere primum Ephesiis ac postea aliis fidelibus, quos invisit, exhibere debuit; secundum *Renan* (S. Paul. Paris 1869. Introd. p. LXV sq. LXXII sqq. etc.) epistola nostra est encyclica, cuius priorem partem (cpp. 1-11) Apostolus quatuor saltem ecclesiis ita scripserit, ut varia exemplaria variis clausulis distingueret; exemplari enim Romanorum solum cp. 15., Ephesiorum autem exemplari cpp. 12.-14. et 16,1-20, exemplari deinde Thessalonicensium item cpp. 12.-14. et 16,21-24, ac tandem ignotae cuiusdam exclesiae exemplari iterum cpp. 12.-14. et 16,25-27 addita fuisse, omnes autem has clausulas ab ecclesia romana in suum exemplar receptas esse arbitratur.

Eiusmodi arbitrarias coniecturas ne inter ipsos quidem acath. a quoquam esse comprobatas facile intelligitur, atque hodie inter eos convenit, cp. 15. ad nostram epistolam pertinere, maiorem autem minoremve cp. 16. partem ex deperdita quadam ep. ad Ephesios in nostram esse transumtam. Num vero 16,1-23 (*Weizsäcker*), an 16,1-20 (*Reuss, Weiss* etc.), an 16,3-20 (*Ew. Mang. Ristchl* etc.), an 16,1-16 et 20-23 (*Holsten*), an 16,1-6 et 17-20 (*Lipsius*), an 16,1-16 (*Krenkel*), an 16, 3-16 (*Kuencker*), an 16,1-15 (*Laur. Hitzig*) deperditae illi epistolae attribui deberent, hucusque non definierunt. Praecipuae autem rationes, quibus « critici » nituntur, satis leves sunt; monent enim, quatuor adesse clausulas (15,33; 16,20; 16,24; 16,25-27), quas omnes eidem epistolae Paulum addidisse verisimile non sit; atque multo minus fieri potuisse arbitrantur, ut Apostolus tot personas, quot suo nomine salutari iubeat, Romae eo tempore iam cognitas haberet. De his obiectionibus in commentario disseremus; hoc loco adnotasse sufficit,

« criticos » coniecturarum, quas ad suum quisque arbitrium sibi finxit, multitudine et varietate evidentissime demonstrare, internis solis rationibus nihil effici, sed historica documenta esse interroganda, ut de loci cuiusdam authentia statuatur. Iamvero omnes omnino codices graeci, omnes antiquae versiones, omnes interpretes patristicae aetatis duo illa capita velut genuinam epistolae S. Pauli ad Romanos partem considerant, atque id unum iuxta eorum testimonium in quaestionem venire potest, utrum doxologia finalis (16,25-27) in suo loco sit relinquenda an post 14,23 ponenda; de hac autem quaestione etiam in commentario agemus eamque et genuinam esse et illum in Vulgata nostra locum occupare ostendemus, quem Paulus ei in fine epistolae suae assignavit.

4. — *De subsidiis criticis et exegeticis in commentario adhibitis*[1].

1. — Eodem modo, quo in prioribus nostris commentariis, in epistola ad Romanos interpretanda proxime Vulgatam nostram latinam secuti sumus, ita tamen ut ad primigeniam lectionem graecam diligenter attendentes genuinam S. Pauli sententiam quam accuratissime assequi conati simus. Quam methodum etiam S. Pontifex *Leo XIII.* praeclaris suis literis encyclicis *de studiis Scripturae sacrae* nuper commendavit, quum velut primum interpretationis praeceptum statueret : « Interpres, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam, quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda est ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime autem codicum primogeniorum. Quamvis enim ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum est, *inspectio praecedentis linguae,* suasore Augustino (de doctr. christ. III. 4), proficiet. Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit *commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur, exponere* (S. Hier. ad Pammach. ep. 48,17) ». Quae verba hic afferre voluimus, ut et iis responderemus, qui mirati sunt, quod in epistolis ad Cor. et ad Gal. interpretandis primum locum graeco textui

1. Cfr quae de hisce diximus in *Comment.* in priorem ep. ad Corinth. Parisiis 1890. p. 9 sqq., et in *Comment.* in epp. ad Corinth. alteram et ad Gal. 1892. p. 10 sq. 371 sqq.

negaverimus, et iis, qui nos Vulgatae auctoritatem nimio graeci textus usu elevasse conquesti sunt. Uti enim illic, ita etiam hic mediam viam tenere studuimus, quam SS. Patrum quoque auctoritate nixus S. Pontifex genuinam esse docet.

Itaque singulis iterum pericopis una cum Vulgata primigenium textum praemisimus; et Vulgatam quidem ex editione taurinensi (H. Marietti 1851), quam decretum S. Indic. Congregationis die 26. Junii 1856. datum et a S. P. Pio IX. approbatum « ad leges a Clemente PP. VIII. latas perfectissime esse exactam » et « ceteris editionibus post Clementem PP. VIII. evulgatis praestare » declaravit, accurate describendam curavimus; graecum vero textum ex antiquissimo et optimo, qui superstes est, codice vaticano (B) iuxta editionem a Val. Loch curatam (Rastisbonae 1862) desumsimus, iis praetermissis, quae editor ad textum complendum inseruit. Criticas quoque rursus subiecimus annotationes ex *Const. Tischendorfii* apparatu critico (Novum Test. graece. Ed. 8. mai. Lipsiae 1872) selectas, quibus reliquorum codicum graecorum antiquarumque versionum varietates praecipuae innotescerent [1]. Quamquam enim pleraeque satis leves sunt neque universum epistolae sensum mutant, nonnullae tamen sententiis argumentisque paulinis intelligendis et explicandis haud parum inserviunt. Attamen ut ad diiudicandam textus clementini auctoritatem securius adhibeantur, codicum versionumque aetatem hic indicare non erit inutile, notis simul additis, quibus in criticis commentariis designari solent.

Ex UNCIALIBUS CODICIBUS saeculo 10. antiquioribus *undecim* totam aut paene totam epistolam ad Rom. exhibent; inter eos antiquitate et auctoritate eminet *vaticanus* (B) saec. 4. exaratus, cuius textum transcripsimus, eique vicinus est *sinaiticus* (א) eodem saec. 4. exortus; sequuntur duo, qui saec. 5. attribuuntur, *alexandrinus* (A) et *Ephraem rescriptus* (C), cuius tamen non nisi magna fragmenta legi possunt. Quatuor quoque exstant graecolatini, qui bini consentiunt; nam *claromontani* (D) saec. 6. conscripti apographum satis vitiosum est *sangermanensis* (E), qui saec. 9. attribuitur; atque *augiensis* seu *cantabrigiensis* (F), cui prior nostrae epistolae pars (1, 1-3, 19) deest, una cum *boerneriano* (G) exeunte saec. 9. ex eodem archetypo, qui saec. 4. exortus creditur, sunt descripti. Tres reliqui, *mosquensis* (K), *angelicus* (L), *porphyrianus* (P), item saec. 9. scripti esse dicuntur; in suo textu autem cum plerisque MINUSCULIS consentiunt, quorum quidem plus trecenti supersunt, sed qui paene omnes iuniorem illam textus recensionem exhibent, quae utpote in regno byzantino vulgata vocatur *byzantina*. Ex paucis

1. Alias quoque editiones criticas consuluimus *Car. Lachmann* (Berolini 1842-1850), *S. P. Tregelles* (London 1857-79), *Westcott Hort* (London 1881-1882). — De graecis codicibus fusius disseruimus in *Introd. gener.* in omnes U. T. libr. Ed. 2 p. 317 sqq.; de antiquae versionis latinae seu *Italae* indole et editionibus *ibid.* p. 386 sqq.; de *Vulgatae* romanis correctionibus auctoritate Sixti V. (*Vulg Sixt.*) et Clementis VIII (*Vulg Clem.*) editis *ibid.* p. 481 sqq.; de reliquis antiquis versionibus *ibid.* p. 391 sqq. (*Compend. Introd.* Ed. 3. p. 73 sqq. 102 sqq. 90 ssq. 115 sqq.).

minusculis illa graeci Testamenti forma desumta est, quae in editionibus quamplurimis inde a saec. 16. repetita nomine *textus recepti* profertur.

Inter VERSIONES ANTIQUAS prima est *vetus latina* seu *Itala* (*It.*), quae saec. 2. exorta, exeunte autem saec. 4. a S. Hieronymo retractata, nunc *Vulgatam* nostram (*Vulg.*) constituit. Antiqua versio solis fere Patrum testimoniis nobis cognita est, Vulgatae autem codices antiquiores ac meliores sunt *fuldensis* saec. 6. (*Fuld.*) *amiatinus* saec. 7. vel 8. (*Am.*), *toletanus* saec. 8. (*Tol.*), *demidovianus* saec. 9. (*Demid.*), *harleiensis* saec. 9 (*Harl.*); minoris auctoritatis sunt innumeri illi, qui media aetate descripti fere omnes parisiensem textum exhibent (cfr *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2. p. 452 sqq.; *Compend. Introd.* Ed. 3 p. 109).

Eodem saec. 2. exorta est versio *syriaca* vel Peschito (*Syr.*), cuius codices accuratius nondum sunt examinati; quare si eius editiones typis impressae inter se non consentiunt, solo adscripto (codd.) varias eius lectiones distinguere possumus. — *Copticae* saec. 3. adornatae videntur, pro dialectorum aegyptiacarum autem varietate tres distinguuntur : *memphitica* (seu bachirica), *sahidica* (seu thebaica), *bashmurica* (seu fajumica), quae si inter se consentiunt, communi nomine (*Copt.*), si dissentiunt suo quaeque nomine indicantur; animadvertatur tamen opportet, sahidicae et bashmuricae, quum integrae nondum satis sint cognitae, paucas tantum lectiones varias afferri, ita ut nomine (*Copt.*) plerumque sola lectio memphitica designetur. — *Aethiopica* (*Aeth.*) et *Gothica* (*Goth.*), cuius non nisi fragmenta supersunt, saeculo 4. vel 5., *armeniaca* (*Arm.*) saec. 5. medio originem suam debent minorisque sunt auctoritatis.

2. — Inde a primis fidei saeculis non tantum innumerabiles paene commentarii in S. Pauli epistolas ac praesertim nostram ad Romanos compositi sunt [1], sed ad eas intelligendas praeclarissimi quoque Patres et theologi aliis suis operibus theologicis plurimum contulerunt, ita ut subsidiorum exegeticorum non tam penuria quam abundantia laboremus. Quapropter quum omnia adhibere non possemus, eam nobis ineundam esse viam duximus, ut singularum aetatum praecipuos quosdam interpretes, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, semper consuleremus eisque, ubi opus videbatur, alios interdum adderemus. Hac quippe ratione id nos obtenturos esse speravimus, ut traditionali interpretatione accuratius cognita illas explicationes efficacius tueremur, quae quum sint consensu fere unanimi et continuo traditae, genuinam Pauli cogitationem ac sententiam referre iure censentur, atque simul inter dissentientes opiniones eam facilius assequeremur, quae velut

1. Praecipuos commentarios in epp. S. Pauli editos enumeravimus in *Introd. gener.* in libr. sacr. Novi Test. p. 579-587 (*Compend. Introd.* p. 582 sq.); cfr etiam quae de exegeticis subsidiis diximus in *Comment*, in ep. priorem ad Corinth. p. 10 sqq. et in *Comment.* in epp. ad Cor. alteram et ad Gal. p. 10 sq. 371 sq.

verae proxima reliquis videtur anteponenda. Quod vero ex Patrum et antiquiorum commentatorum operibus etiam nonnullas interpretationes attulerimus, quae obsoletis iure merito accensentur neque ab ullo amplius interprete tenentur aut teneri possunt, id nemo mirabitur, qui satis multas ex eis olim in tractatus theologicos et asceticos transisse atque hodie quoque interdum in argumentationibus et exhortationibus usurpari aut tacite supponi meminerit; quare quid valeant, haud inutile est paucis indicare.

Haec igitur opera exegetica in hoc commentario componendo a nobis adhibita sunt:

1.) ex PATRIBUS GRAECIS: ORIGENIS (*Orig.*) Commentariorum in ep. ad Rom. libri decem, interprete *Rufino* (*Migne* Patrol. graecae tom. 14); primigenius huius operis textus interiit, Rufinus autem pro more suo in sua translatione satis arbitrarie alia omisit, alia addidit, alia mutavit, ita ut multis in locis, quae Origenis fuerit explicatio, difficile discernatur; S. IOANNIS CHRYSOSTOMI (*Chrys.*) homiliae in ep. ad Rom. triginta duae (*M.* 60); THEODORETI CYR. (*Theod.*) Commentarius (*M.* 82); quibus addidimus homiliarum Chrys. epitomatorum opera, nimirum *Oecumenii Tric.* (*Oec.*) commentarium (*M.* 118), *Theophylacti Bulg.* (*Theoph.*) explanationem (*M.* 124), *Euthymii Zigab.* (*Euth.*) ἑρμηνεία εἰς τὰς ιδ' ἐπιστολὰς τοῦ ἀποστόλου Παύλου (Ἀθήναις 1887), et interdum *S. Ioan. Damasceni* (*Dam.*) locos selectos in epp. S. Pauli (*M.* 95). Diligenter quoque consuluimus fragmenta, quae supersunt, *S. Cyrilli Alex.* (*Cyr A.*) explanationis in ep. ad Rom. (*M.* 74), et *Theodori Mopsuesteni* (*Mopsu.*) commentariorum in ep. ad Rom. (*M.* 65), uti aliorum graecorum Patrum interpretationes in *Catenis graecis.* (ed. I. A Cramer. Oxonii 1844. IV.) conservatas.

2.) ex PATRIBUS LATINIS: (*Ambrosiastri* (*A*[ter]) commentarius in epp. Pauli, inter S. Ambrosii opera receptus eiusque nomine antiquitus frequenter allatus (*Migne* Patrol. latin. tom. 17); *Pelagii* (*Pel.*) vel saltem Pelagiani cuiusdam commentarius, qui olim S. Hieronymo erronee attribuebatur (*M.* 30); S. AUGUSTINI epistolae ad Rom. inchoata expositio (exp. inch.), quae solam inscriptionem explicat, et eiusdem expositio quarumdam (scil. octoginta quatuor) propositionum ex ep. ad Rom. (expos. *n.* 1. 2 etc.); *Primasii Adrum.* (*Prim.*) commentaria (*M.* 68), *Sedulii Scoti* (*Sed.*) collectanea (*M.* 103). Quibus *Walafr. Strabonis* Glossam ordinariam (*Gl. ord.*) et *Anselmi Laud.* Glossam interlinearem (*Gl. int.*), utpote ex Patrum operibus excerptas, aliquoties adiunximus.

Multo plura autem, quam in duobus opusculis exegeticis laudatis, *S. Augustinus* in operibus suis dogmaticis de nostra epistola tradit, quae suis in locis accurate recensebimus, ita ut eum praeclarioribus nostrae epistolae interpretibus adnumerandum esse appareat. Similiter alii quoque Patres graeci et latini, data occasione, in tractatibus suis multos locos interpretati sunt; quae pleraque pro viribus conferre studuimus.

3.) ex INTERPRETIBUS SAEC. 9.-15. : *Haymonis Halberstad.* (*Haym.*) expositio (*M.* 117); *Petri Abaelardi* (*Abael.*) commentariorum libri quinque (*M.* 178); *Hervei Burdigalensis* (*Herv.*) expositio (*M.* 181), olim S. Anselmo attributa eiusque nomine frequenter allegata; *Petri Lombardi* (*Lomb.*) collectanea (*M.* 192); S. THOMAE AQUINATIS (*Thom.*) commentarius, qui inter insigniora omnium aetatum opera exegetica non ultimum locum obtinet; *Nicolai Lyrani* (*Lyr.*) Postilla, quae saepe ex S. Thomae commentario fere est excerpta; *Dionysii Carthusiani* (*Dion.*) commentaria, quae etiam arcte S. Thomam sequuntur.

4.) ex INTERPRETIBUS SAEC. 16.-18. : *Thomae de Vio Card.* CAIETANI (*Cai.*) literalis expositio (Romae 1529); *Ioan. Gagnaei* (*Gagn.*) brevissima scholia (Parisiis 1543); *Dominicus Soto* comment. in ep. ad Rom. (Antwerpiae 1530), *Alphonsi Salmeronis* (*Salm.*) disputationes in ep. ad Rom. (Operum tom. 13. Matriti 1598-1602); *Card.* FRANCISCI TOLETI (*Tol.*) in ep. ad Rom. commentarii et annotationes (Romae 1602); BENEDICTI IUSTINIANI (*Iust.*) explanationes (Lugduni 1612); GULIELMI ESTII (*Est.*) commentarius (Duaci 1614); *Cornelii a Lapide* (*Lap.*) commentarius (Antwerpiae 1616); *Bernardini a Piconio* (*Pic.*) triplex expositio (Parisiis 1703); *Natalis Alexandri* (*Nat.*) commentarius literalis (Neapoli 1741). Praeterea ex totius S. Scripturae scholiastis aliquoties consuluimus *Em. Sa* annotationes (Antwerpiae 1598), *Ioannis Marianae* (*Mar.*) scholia (Matriti 1624), *Steph. Menochii* (*Men.*) brevem explicationem (Coloniae 1630), *Iacobi Tirini* (*Tir.*) commentarium (Antwerpiae 1632), *Augustini Calmet* (*Calm.*) commentarios (Parisiis 1707 sqq.).

5.) Ex HUIUS SAECULI INTERPRETIBUS : *Herm. Klee* Commentar über das Seudschr. an die Römer (Mainz 1830); FR. XAV. REITHMAYR (*Reithm.*) Commentar zum Br. an die Römer. (Regensburg 1847); *Adalbert Maier* (*Mai.*) Comment. über den Br. an die Röm. (Freiburg 1847); IOAN THEODOR. BEELEN (*Beel.*) Comment. in. ep. ad Rom. (Lovanii 1854). *John M Evilly* (*M Ev.*) An exposition of the Epistles of St. Paul (Dublin 1856; Ed. 3. 1875); *Aug. Bisping* (*Bisp.*) Erklärung des Br. an die Röm. (Münster 1853. Ed. 2. 1859); *Val. Loch* et *Wilh. Reischl* (*LR*) Die heil. Schriften des N. T. (II. Regensburg 1864. Ed. 3. 1885); *Benedict Weinhart* (*Weinh.*) Das Neue Test. (München 1865); *P. Drach* (*Dr.*) Épîtres de S. Paul (Paris 1874); *Ios. Agus* (*Ag.*) Epistola B. Pauli ad Romanos (Ratisbonae 1888); *Aloys Schaefer* (*Sch.*) Die Bücher des N. T. erklärt. III. (Münster 1891).

Ad philologica subsidia quod attinet, prae ceteris adhibuimus *Ioan. Theod. Beelen*, profess. lovan., Grammaticam graecitatis Novi Test. Lovanii 1857 (*Beel.* Gramm.), una cum acatholicorum professorum *G. Ben. Winer* Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms. Ed. 7. cur. *G. Lünemann*. Leipzig 1867 (*Win.* Gramm.) et *Alex. Buttmann* Grammatik des neutestamentl. Sprachgebrauches Berlin 1859 (*Buttm.* Gramm.), uti etiam *C. L. W. Grimm* Lexicon graeco-latinum in libros Novi Test. Ed. 3. Lipsiae 1888 (*Gr.* Lex.) et *H. Cremer* Wörterbuck der neutestam. Graecitaet. 4. Ed. Gotha 1886 (*Crem.* Lex.).

Praeterea commentarios quoque nonnullos ACATHOLICORUM contulimus, ne quid neglexisse videremur, et quidem aliquoties *I. Chr. Wolfii* curas philolog. et crit. in

S. Pauli epistolas (Basileae 1741), *I. I. Wetstenii* (*Wetst.*) Novum Testam. II. (Amstelaedami 1752), *I. Alb. Bengel* (*Beng.*) Gnomonem Novi Test. (Ed. 3. Tubingae 1763); frequentius *C. F. A. Fritzsche* (*Fr.*) Pauli ad Rom. epistola cum commentariis perpetuis (3 voll. Halis Sax. 1836-1843), *H. A. W. Meyer* krit. exeg. Handb. über den Br. an die Röm. 7. Aufl. umgearbeitet von *B. Weiss* (Göttingen 1886; cfr de hoc opere *Introd. gener.* in omnes N. T. libr. sacr. Ed. 2. 1894. p. 761), *H. Oltramare* (*Oltr.*) Comment. sur l'ép. aux Romains (2 voll. Genève 1881. 82), *Siegfr. Goebel* (*Goeb.*) Der Brief. an die Römer (Gotha 1887), *F. Godet* (*God.*) Comment. sur l'ép. aux Rom. (2 voll. Ed. 2. Paris 1883-1890); rarius *L. I. Rückert* (*Rück.*) Comment. über den Br. an die Röm. (2 voll. Ed. 2. Leipzig 1839), *I. P. Lange* Der Br. Pauli an die Röm. (Ed. 3. Bielefeld 1880), *Chr. E. Luthardt* (*Lut.*) Der Brief Pauli an die Röm. (in Kurzgef. Komment. zu den hl. Schr. II. 3. Nördlingen 1887), *R. A. Lipsius* Hand-Comment. zum N. T. II, 2 (Freiburg 1891). Ex iisdem aliorum acatholicorum, quorum nomina interdum attulimus, sententias opinionesque desumsimus; alia autem opera suis in locis accurate indicavimus.

De reliquo in acatholicis operibus adhibendis ante oculos semper habuimus sapientissima S. Pontificis *Leonis XIII.* verba : « Licet heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis [1], incorruptum sacrarum Literarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt » [2].

1. S. Pontifex citat *Clem. Alex.* Strom. VII, 16; *Orig.* de princ. IV. 8; in Levit. hom. 4,8; *Tertull.* de praescr. 15 sqq.; *S. Hilar.* in Matth. 13,1.

2. *S. P. Leonis* XIII. Literae encycl. (*Providentissimus Deus*) de studiis S. Script. 21; cfr *S. Gregor. M.* Moral. XX. 9 (al. 11).

COMMENTARIUS.

EXORDIUM EPISTOLAE (1,1-15).

Duobus membris exordia epistolarum paulinarum constare solent; inscriptioni enim Apostolus sententias nonnullas plerumque subiungit, quibus Deo de beneficiis ecclesiae, cui scribit, collatis gratias agens animos lectorum ad institutionem exhortationemque suam recipiendam disponat (cfr 1 *Cor.* 1,1-9; 2 *Cor.* 1,1-10; *Phil.* 1,1-11; *Col.* 1,1-8; 1 *Thess.* 1,1-10; 2 *Thess.* 1,1-10; 2 *Tim.* 1,1-5; *Philem.* 1,1-7). Quem morem ad Romanos quoque, quibus incognitus eousque fuerat, scribens ita sequitur, ut in longiore *inscriptione* (1,1-7) rationem simul explicet, cur ad eos literas has dare sibi liceat, et brevi *gratiarum actione* praemissa bonam suam erga eos voluntatem fusius manifestet (1,8-15).

1. — *Inscriptio* (1,1-7).

1,1 ***Paulus, servus Iesu Christi, vocatus***
apostolus, segregatus in evangelium Dei,
2. ***quod ante promiserat per prophetas suos***
in scripturis sanctis, **3.** ***de Filio suo, qui***
factus est ei ex semine David secundum
carnem, **4.** ***qui praedestinatus est Filius***
Dei in virtute secundum spiritum sanctifi-
cationis ex resurrectione mortuorum Iesu
Christi Domini nostri : **5.** ***per quem acce-***
pimus gratiam et apostolatum ad obedien-
dum fidei in omnibus gentibus pro nomine
eius, **6.** ***in quibus estis et vos vocati Iesu***
Christi : **7.** ***omnibus qui sunt Romae, di-***
lectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et
pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu
Christo.

1,1. Παῦλος δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ, κλη-
τὸς ἀπόστολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον
Θεοῦ, 2. ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφη-
τῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις 3. περὶ
τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρμα-
τος Δαυεὶδ κατὰ σάρκα, 4. τοῦ ὁρισθέντος
υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης
ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ
κυρίου ἡμῶν, 5. δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν
καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσιν
τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, 6. ἐν
οἷς ἐστὲ καὶ ὑμεῖς κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ,
7. πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς
Θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη
ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ
Χριστοῦ [1].

1. **VV. LL.** — **1.** **δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ** (servus Christi Iesu, i. e. servus Messiae, qui est Iesus) solus **B** cum duobus optimis ***Vulg.*** codd. (***Fuld. Amiat.***), nonnullis PP. latinis (***A***[ter,] ***S. Aug.*** c. Fortun. Man. 1,19; ***S. Ambr.*** de fide V. 118 etc.) et *Arm.*; sed

Sollemnissima inscriptio, quae a reliquis tantum non omnibus multum discrepat, iis quibus epistola scribitur est accommodata. Apostolus enim, quum romanam ecclesiam neque immediate, uti plerasque quibus literas dedit, neque per suos discipulos mediate, uti colossensem, fundasset atque plerisque eius membris esset ignotus, ad fidelium admirationem prohibendam statim a principio ratione sui apostolatus explicata eos edocendos censuit, cur tanta cum auctoritate eis loqui non dubitaret (cfr 15,15 sq.). Itaque apostolico suo munere indicato (*v.* 1) evangelicae praedicationis sibi commissae excellentiam gravitatemque ex divina illius origine (*v.* 2) et ex sublimi illius argumento (3. 4) commendat apostolatumque suum ad omnes gentes, ac proin etiam ad Romanos, pertinere monet (5. 6); inscriptionem autem terminat consueto more iis, quibus scribit, nominatis solitaque gratiae pacisque precatione addita (*v.* 7).

Nostrae vicina est longior sollemniorque epistolae ad Titum inscriptio, in qua ob haud dissimilem finem neque dissimili modo primum inscriptionis membrum (designatio scribentis) dignitate muneris apostolici

textus rec. : δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ (*servus Iesu Christi*, i. e. servus Iesu, qui est Messias) cum reliquis testibus. *Tisch. Treg.* etc. priorem lectionem sine sufficiente, ut videtur, ratione praeferunt. — 3. γενομένου (facti, *Vulg. : qui factus est*) est communis et certa lectio; paucissimi minusc. : γεννωμένου (nati), qua de lectione *S. Aug.* c. Faust. XI. 4 : « in quibusdam latinis exemplaribus non legitur *factus* sed *natus ex semine David*, quum graeca *factus* habeant; unde non ad verbum, sed ad sententiam transferre voluit dicendo *natus* latinus interpres ». De eadem lectionis differentia et de errore, qui in lectione γεννωμένου (qui *nascitur*) latet, cfr *Comm.* in Gal. 4,4 p. 525 not. 1. — Pronomen *ei*, quod graeci codd. aliaeque verss. non habent, cum bonis *Vulg.* codd. (*Fuld.* etc.) etiam antiquiores PP. latini omittunt (*S. Iren. int.* c. haer. III. 22,1; *Tert.* c. Prax. 27; *S. Hilar.* de Trinit. VII. 24; *S. Aug.* c. Faust. XI. 4 etc.). — 4. τοῦ ὁρισθέντος (definiti, i. e. declarati, vel constituti) est communis lectio graeca, quam Syrus quoque expressit (qui cognitus est) et aliqui Latini sequuntur : *Tert.* (l. c. qui *definitus est* Filius Dei), *S. Hilar.* (l. c. qui *destinatus* est). De latina lectione *praedestinatus* adnotat *Rufin.* (cfr. *Orig.* Comm. i. h. l.) : « quamvis in latinis exemplaribus *praedestinatus* soleat inveniri, tamen secundum quod interpretationis veritas habet, *destinatus* scriptum est, non *praedestinatus* »; *S. Hier.* autem (in Eph. 1,5) adnotat : « differentiam graeci sermonis προορισθέντος et ὁρισθέντος latinus sermo non explicat ». Ceterum lectionem προορισθέντος, quam hodierna Vulgata supponit, inter Graecos habuerunt *S. Iren.* (c. haer. III. 16,5; 22,1 dummodo antiquo eius interpreti fides plena debeatur), *Marcellus*, qui ideo ab *Euseb.* (c. Marcel. I. 2. M. 24,737) depravatae Scripturae accusatur, et *S. Epiph.* haer. 54,6. De utraque lectione cfr *Comment.* — 7. πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ (*omnibus qui sunt Romae*) est communis et certa lectio; solus G cum sua versione latina praetermittit vocabula ἐν Ῥώμῃ (Romae); simili modo in inscriptione epistolae ad Ephes. verba ἐν Ἐφέσῳ (*Ephesi*) a nonnullis testibus praetermittuntur. — ἀγαπητοῖς Θεοῦ (*dilectis Dei*) quoque est communis et certa lectio, pro qua minus bene G cum duobus optimis *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.*) : ἐν ἀγάπῃ Θεοῦ (in caritate Dei); vocabula plane praetermittit E.

explanata amplificatur (*Tit.* 1,1-3); namque epistola illa Tito, quamvis ei soli esset inscripta, velut publicum quoddam testimonium fuit, quo magnis in difficultatibus positus missionem auctoritatemque a Paulo acceptam coram cretensibus fidelibus, quibus erat ignotus, et haereticis, qui eum audire nolebant, probaret ac defenderet. Plane autem differt epistolae ad Galatas inscriptio, quamvis longitudine ac sollemnitate sit similis; in ea enim subiectum accuratiore divinae originis apostolatus descriptione haud multum amplificatur (*Gal.* 1,1), tertium vero membrum (gratiae precatio) fuse exponitur assertione redemtionis nostrae per Christum factae, quam a iudaizantibus, quum per Legem iustitiam quaerant, negari ac destrui epistola ipsa docet (cfr ad *Gal.* 1,1-5).

Ab apostolica igitur sua dignitate non defendenda, id quod in ep. ad Gal. facere debuerat, sed indicanda exorditur : 1. *Paulus, servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* Ex antiquo more, uti *Phot.* (cfr *Oec.*) ad *Act.* 23,26 appellans iam monuit, nomen suum (*Paulus*) primo in loco ponit; illud autem in omnibus epistolis adhibet, quod iuxta *S. Hier.* (in Philem. 1) « ad praedicationem gentium missus a primo Ecclesiae spolio, proconsule Sergio Paulo, velut victoriae suae trophaea retulerat » et quo inde a prima illa inter ethnicos expeditione apostolica non minus inter Iudaeochristianos (*Act.* 15,25; 2 *Petr.* 3,15) quam inter gentes conversas semper nominabatur. In reliquis inscriptionibus (exceptis 1,2 *Thess.*) nomini suo solum *Apostoli* vel *servi Iesu Christi* titulum adiungit, in hac autem munus suum (tribus appellationibus accuratius definit a generaliore (*servus Iesu Christi*) exorsus. Cum *Chrys.* Graeci tres servitutis modos (ratione creationis, fidei, muneris) distinguunt, qui omnes Paulo conveniant, sed quisnam ex his nostro in loco maxime sit intelligendus non inquirunt. Latini vero duos distinguere solent; sicut enim in V. T. nomine עֶבֶד יְהוָה (δοῦλος Κυρίου *servus Domini*) et illi appellantur, qui praeceptorum divinorum ac praecipue Legis mosaicae observatione se Domino subiectos esse profitentur (i. q. cultor Domini *Ps.* 104,6; 134,1 etc.), et illi, qui ad divinum aliquod mandatum exsequendum electi specialiore modo Domino sunt subiecti (i. q. minister Domini, uti Moyses *Deut.* 34,5 etc., prophetae *Am.* 3,7 etc., alii), ita etiam in N. T. nomen δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ (*servus Iesu Christi*) et omnibus Christianis attribuitur, qui fide et baptismo ex satanae dominio egressi Christo sese subiecerunt (*Eph.* 6,6 etc.), et illis, qui muneribus a Christo sibi collatis fungentes eminentiore modo ei tamquam domino suo serviunt (2 *Tim.* 2,24; *Gal.* 1,10; *Col.* 4,12 etc.). Cum antiquioribus Latinis (cfr

A^{ter} *Pel.* etc., *Thom. Lyr.* etc.) iuniores quoque nonnulli priorem sensum hoc in loco praeferunt : « servum Iesu Christi, inquit *Tol.*, sese vocat utpote fidem christianam profitentem, ac si diceret : nomine Paulus, professione Christianus sum; hoc maxime ideo dicit, ut se a Lege illa vetere exutum et Iudaismum, cuius prius erat acerrimus defensor, reliquisse Christumque se amplexum esse significet ». At « propter ministerium verbi, in quo serviebat Christo Domino » (*Est.*), potissimum appellationem illam esse usurpatam, moderni fere omnes censent, idque recte, uti videtur; siquidem interdum Paulus ipse (*Phil.* 1,1) et alii Apostoli (*Iac.* 1,1; *Iud.* 1) hoc solo titulo sese in epistolarum inscriptionibus designant, in quibus sine ullo dubio auctoritatem suam asserere volunt.

Neque vero hac specialiore admissa significatione tautologia exoritur, id quod *Tol.* insinuat nonnullique acath. (*Fr. Rück.* etc.) obiiciunt; nam secunda appellatio *vocatus Apostolus* (κλητὸς ἀπόστολος) idem, quod prior, nequaquam valet, sed eam explicat accuratiusque determinat. Ministerii quippe ratione etiam adiutores Apostolorum appellabantur *servi Christi* (Timotheus *Phil.* 1,1, Epaphras *Col.* 4,12 et 1,7, alii); ab his igitur ut sese distinguat, Paulus altero membro ministerium sibi commissum idem illud esse docet, quo Duodecim fungebantur, quos Dominus in terris agens praeordinatos resurrectionis suae testes elegerat Evangeliumque suum in universo mundo annuntiare iusserat (*Act.* 10,41 sq.; *Matth.* 28,18 etc.). Quibus sese parem esse clarius significat, quum non nude *Apostolum*, quippe quod nomen et ipsum latiorem significationem admittat, sed *vocatum Apostolum* sese dicit (cfr ad 1 *Cor.* 1,1), sollemniore formula eam apostolatus sui originem insinuans, quam contra adversarios suos iudaizantes alibi diserte sibi vindicare debuerat (cfr ad *Gal.* 1,1 : « Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis »). Quemadmodum Duodecim ad apostolatum proprie dictum a Domino ante eius ascensionem immediate vocati et praeparati et missi sunt, ita Paulus quoque immediata glorificati Domini vocatione constitutus est Apostolus praedecessoribus suis omni ratione par et aequalis : immediatus, uti illi, testis resurrectionis Christi, quem resuscitatum oculis suis viderat (1 *Cor.* 9,1; 15,8), immediate ab ipso Domino Evangelium, quod evangelizavit, didicerat (*Gal.* 1,12 sqq.) praedicandique Evangelii missionem acceperat (*Act.* 26,16 sqq.; 22,21 etc.). Haud recte *Aug.* adiectivum *vocatus* ad prius membrum trahit (*servus Iesu Christi vocatus*) Paulique ingressum in Ecclesiam indicatum videt; neque rectius *Syr.* adiectivum illud pro substantivo habet, ita ut quatuor membra adsint (servus Iesu Christi,

vocatus i. e. vir christianus, Apostolus, segregatus in Evangelium); eum enim, quem secuti sumus, verborum nexum esse admittendum ex 1 *Cor.* 1,1 clare apparet.

Muneris porro divinitus accepti quasi definitionem Paulus tertio in membro addit : *segregatus in Evangelium Dei, quod* etc. (ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, ὃ κτλ. [1]). De eius conversione ad fidem (« segregatus a grege synagogae » *Aug. Gl. int.;* « segregatus per conversionem ab infidelibus » *Thom.* [1] etc.) haec verba non recte explicari, eorum nexus cum praecedentibus satis iam docet. Cum S. Irenaei interprete, qui vertit : « *praedestinatus* in Evangelium Dei » (*S. Iren.* c. haer. III. 16,5) et *Chrys.* interpretes graeci consilium Dei aeternum, quo Paulus ad munus apostolicum electus est, hac locutione indicari volunt (*Theoph. Euth.* etc.); latini vero plerique de revelatione, qua S. Spiritus eodem verbo ἀφορίζειν usus Saulum et Barnabam ad missionem inter gentes segregari iussit (*Act.* 13,2), sermonem esse censent (*Pel. Sed.* etc., *Herv. Thom.* [2] *Lyr.* etc., *Cai. Tol. Est. Iust.* etc., *M Ev. Ag.* etc.). De praedestinatione autem non agi, verbum ἀφορίζειν docet, quod cum προορίζειν (8,29. 30; 1 *Cor.* 2,7 etc.) confundere non licet, et altera explicatio arctior est. Cum nonnullis ergo modernis (*Reith. Sch.* etc. — *God.* etc.) rectius dicemus, Paulum omnibus illis divinis beneficiis naturalibus et supranaturalibus, quibus ad gentium apostolatum praeparatus et idoneus factus est, a reliquis hominibus, et certo quodam modo etiam ab aliis Apostolis, segregatum esse (cfr ad *Gal.* 1,15, ubi verba « qui me segregavit [ἀφώρισεν] ab utero matris meae » eundem sensum habent). Neque tamen in participio *segregatus* praecipua vis huius membri est sita, sed in indicatione finis, in quem est segregatus : *in Evangelium Dei;* huius enim finis descriptione Paulus ostendere vult, se officii sui terminos non egredi, quando Romanis, licet eis facie sit ignotus, tam gravem epistolam pro auctoritate scribat. Nomine *Evangelii* hoc in loco non tam ipsa doctrina evangelica, quam eius annuntiatio, uti saepe (cfr *v.* 9. 16; 15,16; 2 *Cor.* 2,12; 1 *Thess.* 1,5 etc.), aptius intelligitur. « Evangelium, inquit *Theod.* nominis rationem simul explicans, praedicationem (τὸ κήρυγμα) appellat, utpote quae multorum bonorum largitionem promittat; annuntiat (εὐαγγελίζεται) enim Dei reconciliationem, cladem diaboli, peccatorum remissionem, mortis destructionem, resurrectionem mortuorum, aeternam vitam ».

1. Unicus hic est Novi Test. locus, in quo vocabulum εὐαγγέλιον, quamvis de vero Christi Evangelio intelligendum sit, articulo careat. Procul dubio Paulus eum omisit, quia verum Evangelium intelligendum esse sequente sententia relativa accuratius docere voluit. Minus placet aliorum sententia, qui nomen εὐαγγέλιον simili modo, quo νόμος, quod vocabulum, si de Lege mosaica usurpatur, saepe articulo caret, velut nomen proprium tractari censent.

Genetivo *Dei* autem praedicationis argumentum, acsi Evangelium Dei significet evangelicam doctrinam de Deo (*Chrys.* etc.), non significatur, siquidem eius argumentum esse Christum statim (*v.* 3) additur, sed primus eius auctor indicatur. Divinam nimirum praedicationis, ad quam est electus, ac proin muneris apostolici, quo fungitur, originem Paulus asserere vult. Pro Christo quidem legatione fungitur eius rem gerens ac vicem explens, Dei autem legatus est, qui in eo posuit verbum reconciliationis et per eum exhortatur ac docet (cfr ad 2 *Cor.* 5, 19. 20); velut legatus igitur, qui ad divina mandata hominibus annuntianda est constitutus, Romanis scribit.

Maiorem autem epistolae suae conciliaturus auctoritatem muneris sui, vel si mavis praedicationis suae, divinam originem divina eius promissione commemorata confirmat (*v.* 2) eiusdemque sublimi eius argumento summatim proposito (3. 4) singularem gravitatem commendat[1]. Segregatum enim sese dicit in Evangelium Dei, 2. *quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis* 3. *de Filio suo* etc.[2]. Quamvis argumentum Evangelii (Christi adventum, res gestas, mortem, resurrectionem, vicariam satisfactionem etc.) per Veteris Test. prophetas praedictum esse nemo neget Christianus, errant tamen, qui ex hox *v.* 2. colligunt, nomine *Evangelii Dei* (*v.* 1) doctrinam evangelicam esse designatam; nam praedicatio ipsa quoque Evangelii per prophetas est promissa, ac Paulus in hac nostra epistola (10,12 sqq.), allegatis Isaiae, Davidis, Moysis testimoniis (*Is.* 52,7; 53,1; 65,1; *Ps.* 18,5; *Deut.* 32,21), quibus si opus fuisset alia multa addere potuisset, eam ita esse promissam demonstrat, ut omnibus, gentibus non minus quam Iudaeis, futura sit communis. Hanc vero promissionem non eo fine

1. Bene *Thom.*: « Descripta persona scribentis commendatur negotium ei commissum, sc. *Evangelium* [evangelica praedicatio], cuius in praemissis duplex commendatio posita est; quarum una pertinet ad utilitatem, quam habet ex materia quaeque significatur ipso *Evangelii* nomine, ex quo datur intelligi, quod in eo bona annuntientur, alia vero ex parte auctoris, quae expressa est in eo, quod dictum est *Dei*. Utramque ergo commendationem Apostolus prosequitur, prima quidem illam, quae est ex parte auctoris (*v.* 2), secundo illam, quae est ex parte materiae (*v.* 3 sq.).

2. *Vulgata Clem.* interpunctione sua, quum vocabula *de Filio suo* ab immediate praecedentibus commate posito separet, illa cum ultimis *v.* 1. vocabulis (*in Evangelium Dei*) coniungere voluisse videtur (Evangelium Dei de Filio suo) ita ut *v.* 2. parenthetice sit insertus. Quem nexum multi quidem iuniores sequuntur, sed haud satis recte. Etenim ut praetermittamus, nec substantivum εὐαγγέλιον nec verbum εὐαγγελίζεσθαι usquam in Novo Test. cum praepositione περί construi (quamvis id per se fieri posse non negemus), nulla est ratio, cur dura parenthesi admissa nexum naturalem, quem Patres secuti sunt (*Chrys. Theod.* etc., *Aug. Ater* etc.) et moderni plerique tenent, relinquamus. Nam aptissime cum verbo immediate praecedente (*promiserat*) vocabula illa connectuntur : evangelicam praedicationem promiserat de Filio suo, quatenus Evangelium promissum annuntiare et docere debebat Christi adventum et res gestas. Ceterum sensus non mutatur, sive hunc sive illum nexum sequeris, atque lis est de sola grammatica constructione.

commemorat, ut « contra Iudaeos maxime » « novitatis invidiam depellat seque non novarum rerum praedicatorem esse ostendat » (*Tol.* cfr *Chrys. Theod.*, quibuscum iuniores plerique consentiunt); neque enim contra Iudaeos hoc in loco disputat neque contra iudaizantes veritatem praedicationis vindicat, sed romanis Christianis scribit, quibus, quum plerique essent ethnici conversi, doctrinae aut praedicationis novitas per se non potuit creare difficultatem. Licet igitur ex his verbis consensus revelationis per prophetas annuntiatae cum praedicatione evangelica rectissime colligatur, ad hunc consensum tamen asserendum non sunt addita; sed divinis praedicationis evangelicae promissionibus commemoratis Paulus, uti iam diximus, divinam muneris, ad quod est segregatus, originem comprobat auctoritatemque demonstrat. Idem quippe Deus est, qui olim per prophetas suos evangelicam praedicationem promisit et nunc legatis suis missis promissionem implet; idem, qui olim per os prophetarum suorum soli populo Israel locutus est (*Luc.* 1,70) et nunc per os Apostolorum suorum omnibus populis laeta annuntiat; quantae quoque dignitatis praedicatio illa est, quam Deus non semel aut per unum sed repetitis vicibus *per prophetas suos* promitti ac *sacris in Scripturis* consignari voluit, et quanta dignitas eorum, quibus divina haec praedicatio commissa est[1]!

Nomen *prophetarum* latiore sensu sumi, ut omnes sacros auctores designet, in quorum libris promissiones Dei consignatae sunt, plerique recte tenent, quum Apostolus ipse (10,12 sqq.) ad promissiones has probandas etiam Moysis ac Davidis verbis utatur. *Dei* autem prophetas (per prophetas *suos*) eos appellans Dei interpretes eos fuisse significat[2], qui non propria voluntate sed Spiritu S. inspirati promissiones attulerint (2 *Petr.* 1,20), quum idem Deus, qui novissime diebus istis nobis locutus est in Filio, multifariam multisque modis olim patribus locutus sit in prophetis (*Hebr.* 1,1. 2). Quam divinam promissionum auctoritatem ut confirmet, eas *in Scripturis sanctis* (ἐν γραφαῖς ἁγίαις [3]) consignatas esse addit; namque sanctae quodam modo

1. Cfr *Chrys.* : « Tu vero mihi consideres velim, quanto antea tempore haec praedicta fuerint; nam quum Deus magna quaedam facturus est, ea multo antea tempore praenuntiat aures praeparans ad illa accipienda ». Revera S. Paulus adhibito decomposito προεπαγγέλλεσθαι (*antea promittere*, quod tautologiam quandam includit, quum omnis promissio impletionem praecedat) videtur urgere voluisse, Deum ab antiquissimis iam temporibus hanc praedicationem promisisse. Verbum istud non adhibet nisi hoc in loco et 2 *Cor.* 9,5, ubi simili modo antiquam esse promissionem indicare vult.

2. Cfr meam *Introd. spec.* in libr. sacr. Vet. Test. II, p. 267 sqq. (*Compend. Introd.* Ed. 3. p. 363).

3. Interrogantibus, cur γραφαὶ ἅγιαι hoc in loco articulo careat, recte respondetur, Apostolum non tam integram collectionem librorum, quibus ob divinam inspirationem summa auctoritas competit, quam singulos illos collectionis libros designare voluisse, in quibus

quidem Scripturae vocari possunt, quia sancta, puram nimirum doctrinam revelatam, continent atque veritate, quam docent, lectorem sanctificant (cfr *Thom.*); proprio tamen sensu sanctae sunt, quia non hominem sed Deum ipsum habent auctorem (cfr *Conc. Vatic.* sess. 3. Constit. de fide cp. 2). Simili modo alibi eas vocat τὰ ἱερὰ γράμματα (*sacras literas*), ut utilitatem explicet, quam ob divinam suam inspirationem habent; eas enim ad salutem instruere et ad docendum etc. utiles esse ex eo colligi vult, quod sint θεόπνευστοι (2 *Tim.* 3,15. 16).

A divina origine ad sublime argumentum praedicationis evangelicae transit, ut eam summae dignitatis ac gravitatis esse clarius appareat; praedicationem enim Deus promiserat 3. *de Filio suo, qui factus est* (*ei*) *ex semine David secundum carnem,* 4. *qui praedestinatus* (lege : *definitus* cfr *VV. LL.*, i. e. aut : *constitutus* cfr *Act.* 10,12 aut *declaratus* cfr *Chrys.*) *est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis* (ἁγιωσύνης melius : *sanctitatis* cfr 1 *Thess.* 3,13) *ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.*

Priusquam sententiam explicemus, iuverit adnotasse, pro ultimo genetivo (*Iesu Christi Domini nostri*) ablativum esse legendum. Namque genetivus, quem graecus quoque textus exhibet (Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν), praecedenti περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ (de Filio suo) velut appositio accedit, ita ut a praepositione περί regatur ac latino ablativo reddi debeat: *de Filio suo... Iesu Christo Domino nostro.* Antiquiores quidem et iuniores plerique interpretes cum PP. latinis ac graecis genetivum illum ab immediate praecedentibus vocabulis ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν (*ex resurrectione mortuorum*) dependere volunt, in accuratiore autem verborum constructione inter se dissentiunt. Alii enim cum *Chrys.* eum ad prius substantivum (ἀνάστασεως) trahunt explicantque : « ex Iesu Christi resurrectione a mortuis »; at ἀνάστασις νεκρῶν (resurrectio mortuorum) nusquam est idem, quod ἀνάστασίς τινος ἐκ νεκρῶν (resurrectio a mortuis), arbitrarie autem moderni quoque nonnulli praepositionem ἐκ supplendam dicunt; ad eum sensum, quem *Chrys.* vult, exprimendum Paulus scripsisset, sicut Petrus aut : ἐξ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν (1 *Petr.* 1,3) aut simpliciter ἐξ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ (1 *Petr.* 3,21; cfr *Phil.* 3,10; *Act.* 1,22; 2,31; 4,33 etc.). Alii cum *Orig.* et *Aug.* genetivum ad alterum substantivum (νεκρῶν *mortuorum*) trahunt atque Paulum de sola iustorum (« mortuorum qui sunt Christi ») resurrectione loqui putant; sed si hic esset sensus, articulus ante νεκρῶν deesse vix posset, ac Paulus potius dixisset : τῶν νεκρῶν ἐν Χριστῷ (1 *Thess.* 4,15 « mortuorum qui *in* Christo sunt) aut : τῶν κοιμηθέντων ἐν Χριστῷ (1 *Cor.* 15,18 « qui dormierunt in Christo »; cfr ad 1 *Cor.* 11,30). Alii demum genetivum cum tota expressione ita connectunt, ut per Christum mortuos resuscitari significetur : « ex resurrec-

promissiones praedicationis evangelicae continentur. Tota autem vis expressionis inest epitheto ἁγίαις (*sanctis*).

tione mortuorum, cuius causa efficiens est Christus » (cfr *A[ter] Thom.*); sed hic sensus, quamvis per se haud improbabilis sit, constructioni non congruit, quia ἀνάστασις a profanis quidem scriptoribus interdum, sed nusquam in Novo Test. sensu activo et transitivo (i. q. ἔγερσις resuscitatio) adhibetur, neque proinde duplicem genetivum (alterum subiecti, alterum obiecti) admittit. Quare cum *Cai. Est.* etc. moderni fere omnes (*Reith. Mai. Beel. Bisp. LR. Sch.*) alteram constructionem indicatam iure praeferunt et ablativum (*Iesu Christo Domino nostro*) legere malunt.

Completum evangelicae praedicationis argumentum est Filius Dei, qui forma servi accepta sese humiliavit, factus obediens usque ad mortem, sed exaltatus est a Patre, et primogenitus ex mortuis nunc est in gloria Dei Patris, Iesus Christus Dominus noster (cfr *Phil.* 2,5 sqq.). Hunc Dei Filium secundum duplicem suum statum, humiliationis (*v.* 3) et exaltationis (*v.* 4) Paulus describit, ut eum in fine sententiae illo nomine designet, quo suprema eius dignitas praedicatur. Sed singula videamus. Praedicationem Deus promiserat *de Filio suo* (περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ), atque iure *Tol.* ad articulum graecum nos attendere iubet, qui « Filium Dei unicum ipsi aequalem et consubstantialem indicet ». Re enim vera articulo non minus clare, quam similibus locutionibus ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ Υἱὸν πέμψας (8,3 Deus *suum ipsius* Filium mittens), τοῦ ἰδίου Υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο (8,32 *proprio* Filio non pepercit) Apostolus ab omnibus aliis, qui creationis aut muneris aut adoptionis ratione improprie filii Dei appellantur, eum ita distinguit, ut solus « *unigenitus* Filius qui est in sinu Patris » (*Ioan.* 1,18) intelligi possit.

Contra quae, Socinianorum opinione adoptata, multi moderni *acath.* asserunt, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ esse nudam Messiae appellationem omni emphasi destitutam et inter Iudaeos usitatam, quae ex *Ps.* 2,7 et 2 *Reg.* 7,14 desumta Messiam tamquam vicarium quidem Dei theocraticumque regem designet, altiorem autem ac vere divinam naturam ei non adscribat[1] (cfr *Gr.* Lexic., *Fr. de W.* etc.). Quae assertio falsa est; licet enim a fidelibus, qui divinam Redemtoris nostri naturam profitentur, nomina *Christus* (Messias) et *Filius Dei* promiscue usurpentur,

1. Quomodo ex duobus locis allegatis nomen *Filii Dei* tamquam appellatio muneris cuiusdam messianici manare potuerit, nemo prudens intelliget. Namque verba *Ps.* 2. (qui directe est messianicus ac de solo futuro Messia agit) : *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, significare nequeunt : « vicarius meus es tu; ego te hodie constitui regem theocraticum »; nam nusquam in Scripturis aut apud homines, qui ita loqui volunt ut ab aliis intelligantur, *gignere* est idem quod *regem constituere* nec *Filius* idem quod *vicarius* patris. Neque Dei verbis (2 *Reg.* 7, 14), quae sensu proximo et literali de Salomone, sensu typico de Iesu Christo (*Hebr.* 1,5) sunt dicta, ullo modo designatur collatio regiae potestatis vicariae, sed filiatio divina, quae in Salomone utique, pro typi ratione, fuit inferioris ordinis ac mere adoptiva, in Christo autem, pro antitypi ratione, sublimioris ordinis est ac vere naturalis.

Iudaeis tamen incredulis, qui carnalem quandam Messiae velut potentissimi reipublicae suae restauratoris ac regis ideam sibi finxerant, appellationem *Filii Dei* ad suum Messiam designandum usitatam fuisse nullo testimonio, neque scripturistico neque profano, demonstratur[1]. Quam vero notionem Paulus, qui in omnibus suis epistolis divinitatem Iesu Christi diserte docet (*cfr* ad 9,5), appellationi *Filii Dei* (τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ) attribuat, ex duobus potissimum locis apparet (*Col.* 1,13-17; *Hebr.* 1,2. 3), in quibus eum non tantum « imaginem Dei invisibilis », « splendorem gloriae ac figuram substantiae Dei » appellat, sed etiam « omnia per ipsum et in ipsum (εἰς αὐτόν, minus accurate *Vulg.* : in ipso) esse creata » asserit, « ipsum ante omnia (πρὸ πάντων *Vulg.* : ante omnes) esse et omnia in ipso constare », eum « omnia portare verbo virtutis suae » etc. Quibus omnibus, dummodo vocabulis genuinus suus sensus relinquatur, Filium Dei esse personam vere ac proprie divinam procul dubio docetur, atque omnes explicationes modernorum rationalistarum, qui nomine hoc dumtaxat maiorem ethicam Iesu perfectionem, aut intimiorem eius cum Deo familiaritatem, aut etiam nescio quam sublimiorem naturam a Deo proximam (neque tamen divinam) indicari volunt, funditus evertuntur.

Ceterum etiam nostro in loco se illo nomine divinam personam significare, Paulus verbis proxime sequentibus, quibus statum humiliationis eius innuit, satis docet : *qui factus est ex semine David secundum carnem* (significantius ex graeco : de Filio suo *facto ex semine David secundum carnem*). Nam « addendo *secundum carnem*, inquit *Aug.*, servavit divinitati dignitatem suam », atque clarius *Theod.* : « Additio locutionis *secundum carnem* innuit eum Dei et Patris vere esse Filium *secundum divinitatem;* neque enim in iis, qui id sunt solum, quod esse conspiciuntur, invenitur illud *secundum carnem*... hoc autem in loco, quoniam Deus Verbum incarnatus (ὁ ἐνανθρωπήσας Θεὸς Λόγος) non solum homo est, sed etiam Deus aeternus (Θεὸς προαιώνιος i. q. ὁ πρὸ τῶν αἰώνων), B. Apostolus, quum seminis David meminisset, necessario addidit *secundum carnem,* ut aperte nos doceret, quomodo quidem Dei Filius sit, nomen autem filii Davidis acceperit ». Duas revera naturas Paulus distinguit, unam quae Filio Dei per se competit, divinam, alte-

1. Erudite ac plene *Card. Franzelin* (de Verbo incarnato. Ed. 2. Romae 1874, p. 16 sqq.) hanc thesin explicat et probat : « In universis Scripturis praeter unum *Filium Dei,* qui est Iesus Christus, nullam personam singularem ac definitam ex propria sacrorum scriptorum sententia appellari Filium Dei, ni fortasse ratione typi, quem gerat ipsius Christi [uti 2 *Reg.* 7,14]; falsum quoque esse, nomen *Filii Dei* aetate Christi fuisse vulgatissimum, quo tamquam proprio, non secus ac nomine *filii David,* Messiam designare consueverint etiam illi qui non alium Christum exspectarent, quam regni iudaici potentissimum restauratorem eumque merum hominem ».

ram quam assumsit, humanam, at unam solam personam eamque divinam agnoscit, quum Filius Dei assumta carne factus sit ex semine David, ita ut idem, qui Filius Dei ab aeterno erat, in plenitudine temporis factus ex muliere (*Gal.* 4,4), quam *ex semine David* fuisse Pauli discipulus satis clare insinuat[1] et *Aug.* (de cons. Evang. II. 2,4) ex nostro loco iure colligit, filius David esse coeperit. Neque enim secundum divinitatem, sed *secundum carnem* (κατὰ σάρκα) *factus est*, i. e. secundum humanam naturam.

Nam vox σάρξ, quae proprio sensu solas molliores corporis partes ab ossibus (*Luc.* 24,39 etc.) et a sanguine (*Matth.* 16,17 etc.) distinctas significat, synecdochice interdum quidem humanum[2] corpus ab anima separatum (*Act.* 2,26. 31), frequentius integram naturam humanam totumque hominem vivum designat (*Matth.* 24,22 etc.), aliquoties eius imbecillitatem fragilitatemque (*Eccli.* 16,17; *Matth.* 24,22 sq.), saepius eius inclinationem ad malum (cfr *Comment.* in 1 *Cor.* p. 69) connotans. In formula demum κατὰ σάρκα aut de humanae naturae origine (4,1; 9,3. 5; 1 *Cor.* 10,18; *Gal.* 4,23. 29; *Col.* 3,22) usurpatur aut hominem ad terrestria vel ad malum inclinari significat (8,1. 4. 5. 12. 13; 1 *Cor.* 1,26; 2 *Cor.* 1,17; 5,16; 10,2. 3; 11,18). Qua ultima notione, uti per se patet, seclusa sensum originis naturaeque humanae hic voci esse tribuendum, communis est sententia quum Patrum contra Appollinaristas disputantium tum omnium interpretum, paucis exceptis rationalistis. Quibus mirantibus, quod Paulus ad integrae naturae humanae originem significandam solius carnis meminerit, recte respondetur idem quod Patres ad *Ioan.* 1,18 observarunt, « more suo Scripturam, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuisse » (*S. Aug.* de gratia Novi Test. ep. 140,12; cfr de octog. trib. quaest. 80,2), et « alio modo Dei erga nos caritatem clarius manifestari non potuisse, quam carnis mentione facta, quandoquidem propter nos usque ad id, quod in homine inferius est, descendit; carnem enim animo viliorem esse a nullo prudente negari » (*S. Gregor. Naz.* ad Cledon. ep. 101. *M.* 37,189). Simili igitur modo, quo Ioannes (1,18), Paulus brevissima sententia totum incarnationis mysterium complectitur multiplicesque haereticorum (Docetarum, Valentinianorum, Arianorum, Apollinaristarum, Nestorianorum, Eutychianorum aliorumque si qui sunt) errores in antecessum convellit (cfr *Thom.*).

1. Cfr *Luc.* 1, 32-35, « dabit illi Dominus Deus *sedem David patris eius* »; « quomodo fiet istud, quoniam *virum non cognosco?* »

2. Dico *humanum*, quia σάρξ in Novo Test. semper relate ad hominem adhibetur; excipe 1 *Cor.* 15,39 et *Apoc.* 19,18, quibus in locis proprio sensu vox est adhibita

Asyndete descriptio exaltationis Filii Dei incarnati adnectitur : 4. *qui praedestinatus est* (melius : *declaratus est*) *Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis* (vel : *sanctitatis*) *ex resurrectione mortuorum* (περὶ τοῦ Υἱοῦ... τοῦ ὁρισθέντος Υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν). Quam sententiam non solum « ob dictionum complexionem », uti *Chrys.* iam monuit, sed ob incertam quoque singulorum fere vocabulorum significationem magna laborare obscuritate, interpretum dissensus docet. Quamquam enim de exaltatione Filii Dei incarnati agi tantum non omnes consentiunt, multas tamen et diversissimas eius explicationes antiqui non minus quam iuniores modernique proposuerunt. Quas quum omnes recensere ac diiudicare non vacet, primo in loco eam, quam praeferendam ducimus, exponemus et vindicabimus; deinde ex reliquis praecipuas addemus, quae auctorum suorum nominibus commendantur. Hic autem probabilior esse sensus videtur : « *Filius Dei, qui* (sese exinaniens) *factus est filius David secundum humanam naturam,* (a Patre exaltatus) *declaratus* (vel si mavis : constitutus) *est Filius Dei in virtute* (i. e. Filius Dei potens, virtutem potestatemque divinam exserens) *secundum divinam suam naturam, idque per resurrectionem mortuorum* ». Haec igitur sententiola priori ita est parallela, ut membra accurate inter se respondeant; novo tamen membro adiecto (ex resurrectione mortuorum) indicatur factum, quo Christus cognitus (aut constitutus) est Filius Dei potens[1]. Sed de singulis vocabulis agamus oportet.

Primum quidem verbum (τοῦ ὁρισθέντος), si *Vulg.* lectionem *praedestinatus* (de qua cfr p. 44) praetermittamus, difficultatem non creat, etsi multiplices eius interpretationes sunt propositae (*Tert.* : definitus, *Hil.* et *Orig.* : destinatus, *Cyr Alex.* : constitutus, *Chrys.* : ostensus, indicatus, declaratus, ab omnibus agnitus [δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ὁμολογηθέντος], *Syr.* : cognitus etc.). Omnes enim ad duas significationes *declarandi* et *constituendi* facile revocantur, quae ambae et verbo ὁρίζειν competunt, et nostrae sententiae tam apte conveniunt, ut utra sit praeferenda cum certitudine dici nequeat. Ὁρίζειν nimirum,

1. Hoc est parallelismi schema :

factus est *ex semine David* (i. e. filius David) *secundum carnem*
(i. e. secundum naturam humanam),

Filius Dei

definitus est *Filius Dei in virtute* *secundum spiritum sanctitatis*
(i. e. secundum divinam naturam).

Haud recte alii verba *ex resurrectione mortuorum* verbis *ex semine David* respondere volunt, quia eadem adhibita sit praepositio (ἐξ *ex*); neque enim attendunt, praepositionem habere prorsus diversum sensum in duobus istis membris.

quod ab ὅρος (finis, limes) derivatum latino *definire* etymologice plane respondet, etiam significatione eidem fere congruit; simili quippe modo interdum nudum intellectus iudicium exprimit, quo quinam *legitimi* limites rei alicuius *sint* exponitur (definire vel declarare, quid res aut etiam persona aliqua *sit*), interdum actum voluntatis simul includit, quo *debiti* limites alicui rei cum auctoritate assignantur (definire vel decernere, quid res aut etiam persona *esse debeat* et consequenter efficere ut talis sit, vel talem eam constituere). Secunda significatio in Novo Test. vulgatior est[1]; priorem tamen, cuius nullum quidem certum exemplum in Novo Test. exstat sed haud pauca in profanis libris inveniuntur[2], nostro in loco cum plerisque PP. graecis (*Chrys. Theoph. Dam.* etc.) multi interpretes (*Tol. Est. Nat. Pic.* etc., *Beel. Mai. Bisp.* etc. — *W. Wetst. de W.* etc.) admittere malunt, ut sensus sit : « Filius Dei incarnatus, qui in sua exinanitione non agnoscebatur, palam declaratus est Filius Dei in sua glorificatione ». Ad quem sensum proxime accedunt aliqui moderni acath. (*Gr.* Lex. *Fr.* etc.), qui *constituendi* verbo potius quam sensu retento explicant : « Quamvis ante resurrectionem Filius Dei esset, Christus tamen hoc insigni facto talis *palam inter homines* constitutus ac manifestatus est ». Attamen si cum *Aug.*[3], quem iuniores multi recte sequuntur (*Herv. Thom. Lyr. Dion.* etc., *Cai. Salm. Iust.* etc., *Reith. Ag. Sch.* etc. — *Weiss Lips.* etc.), verba *in virtute* (ἐν δυνάμει) cum nomine *Filius Dei* arcte connectimus, ut ei pro adiectivo vel appositione quadam sint (*Filius Dei potens*), nihil obstat, quominus propriam *constituendi* significationem verbo ὁρίζειν relinquamus. Quemadmodum enim Christus, etsi a primo conceptionis momento vi hypostaticae suae unionis

1. In Novo Test. a solis Luca et Paulo, ac semper quidem, ut videtur, sensu decernendi vel constituendi adhibetur; cfr *Luc.* 22,22; κατὰ τὸ ὡρισμένον (***secundum quod definitum*** i.e. decretum *est*); *Act.* 2,23 ἐν ὡρισμένῃ βουλῇ (definito consilio); 10,42 οὗτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν (*ipse*, sc. Iesus, ***est qui constitutus est a Deo iudex vivorum ac mortuorum***); 17,26. 32; *Hebr.* 4,7. Saepius, praeter nostrum locum, in N. T. non legitur.

2. Quoniam a nonnullis modernis verbo significatio ***declarandi*** plane negatur, aliqua profanorum exempla, quae vulgo afferuntur, adscribere placet; maxime in Med. et in Pass. isto sensu usurpatur : *Arist.* Eth. III. 6 : τὸν φόβον ὁρίζονται προσδοκίαν κακοῦ (timorem definiunt i. e. esse declarant exspectationem mali); *Xenoph.* Hellen. VII. 3,8. ὁρίζονται τοὺς εὐεργέτας αὐτῶν εἶναι ἄνδρας ἀγαθούς (definiunt vel declarant, benefactores eorum esse viros bonos); *Xenoph.* Memor. IV. 6, 4 : ὁ τὰ περὶ τοὺς θεοὺς νόμιμα εἰδὼς ὀρθῶς ἂν εὐσεβὴς ὡρισμένος εἴη (qui legitima circa deos novit recte definiretur pius); IV. 6,8 ὀρθῶς ἂν ὁριζοίμεθα δικαίους εἶναι τοὺς εἰδότας τὰ περὶ τοὺς ἀνθρώπους νόμιμα (recte declararemus iustos esse eos, qui legitima circa homines norunt) etc.

3. Cfr *Aug.* Expos. inch. : « Nimirum iste ordo certior et melior videtur, ut sit filius David in infirmitate secundum carnem, Filius autem Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ».

cum Verbo iure iudicandi perfecto potiretur, inde a resurrectione sua iudex vivorum ac mortuorum *constitutus esse* (ὡρισμένος), i. e. « usum et exercitium huius potestatis accepisse » (*Lap.*) vel potius illud ius actu exercere coepisse a S. Petro dicitur (*Act.* 10,42), ita etiam in sua glorificatione, quando ei data est omnis potestas in coelo et in terra (*Matth.* 28,18 cfr *Act.* 2,36), constitutus est *Filius Dei in virtute,* quatenus nunc èam potestatem, quam etiam in exinanitione sua possedit sed paucis tantum radiis pro temporum opportunitate manifestavit, iuxta Patris decretum perfecte ac plene exercet nomine donatus, quod est super omne nomen (*Phil.* 2,9).

Utraque igitur verbi ὁρίζειν significatio apta est, dummodo appositio ἐν δυνάμει, sicuti decet, arcte nomine Υἱὸς Θεοῦ connectatur. Ceterum haec dictio diversimode explicatur. Perperam cum *Petavio* (de Trinit. III. 3,9; de Incarn. XI. 13,5) nonnulli eam interpretantur : *secundum divinam naturam,* ut praecedenti κατὰ σάρκα (secundum humanam naturam) respondeat; neque enim usquam in Scripturis substantivum δύναμις significat « divinam naturam », neque praepositio ἐν ullibi idem est quod *secundum.* Cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) multi locutione ἐν δυνάμει rem designari putant, qua Christus demonstratus sit Filius Dei, nimirum *virtute signorum,* quae aut ipse in terris degens fecerit aut, uti alii volunt, nunc in coelum elevatus per Apostolos faciat (cfr *Tol. Est.* etc.); at δύναμις, si nude ponitur neque contextu ad hanc significationem aperte determinatur, pro δύναμις τῶν σημείων καὶ τεράτων (15,19 : virtus signorum et prodigiorum) adhiberi non solet. Haud rectius iuniores modernique locutionem illam ad participium ὁρισθέντος trahunt sensuque adverbiali (i. q. *potenter* cfr 2 *Thess.* 1,11) exponunt : « qui potenter, i. e. evidenter, declaratus et Filius Dei » (*Mai. Bisp.* etc. — *Beng. Rück. God.* etc.); nam si id dicere voluisset, Paulus aliud, opinor, vocabulum elegisset, quod ad demonstrandi notionem magis quadrat (δύναμις nimirum vim, quae demonstrationi inest, non significat, sed vim, qua aliquid agitur vel producitur), aut saltem verba ἐν δυνάμει, quae iuxta hanc explicationem singulari emphasi praedita essent, participio ὁρισθέντος praemisisset : τοῦ ἐν δυνάμει ὁρισθέντος.

Verba porro κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης (*secundum spiritum sanctitatis*) prioribus κατὰ σάρκα (*secundum carnem*) ita respondere, ut divinam naturam Christi significent, cum nonnullis PP. (*Orig. Tert.* c. Prax. 27, *A*[ter] *Aug.*) iunioribusque interpretibus (*Iust. Lap*[1]. etc., *Reith. Mai. Bisp. Sch.* etc. — *Goeb. Weiss.* etc.) censemus. Animadvertatur tamen oportet, praepositionem κατά in duobus membris oppositis propter participiorum (τοῦ γενομένου, τοῦ ὁρισθέντος) differentiam sensu non plane

eodem (vicino tamen) esse adhibitam : *secundum carnem*, i. e. *quod attinet* ad naturam eius humanam, Filius Dei factus est filius David, sed *secundum spiritum sanctitatis*, i. e. *prout decuit* naturam eius divinam et ab ea postulabatur, constitutus (vel declaratus) est Filius Dei potens in sua glorificatione. Contra quam explicationem obiicitur : « *Spiritus sanctificationis* in Scripturis Spiritum Sanctum significat, nec divinitas tali voce umquam in Scripturis designatur » (*Tolet. Beel.* etc. — *God.* etc.); at immerito. Praeprimis enim nomen πνεῦμα ἁγιωσύνης in toto Novo Test. non legitur nisi hoc in loco, Spiritus S. autem ab Apostolo vulgo vocatur (τὸ) ἅγιον Πνεῦμα (*Sanctus Spiritus* cfr 5,15; 9,1; 14,17; 15,13. 16. 19. etc.); quapropter iure asserimus, Paulum idem nomen hoc in loco adhibiturum fuisse, si Spiritum S. designare voluisset, eum autem nomen prorsus inusitatum elegisse[1], ne quis de Spiritu S., tertia SS. Trinitatis persona, agi putaret. Praeterea aliis quoque in Scripturae locis divina Christi natura nomine πνεύματος (spiritus) designatur, maxime ubi humana eius natura (caro) a divina (spiritus) distinguenda erat[2] (cfr 1 *Tim.* 3,16; 1 *Petr.* 3,18), atque eundem loquendi usum in apostolicorum aliorumque Patrum operibus deprehendimus[3]. Si autem divina Christi natura πνεῦμα vocari potest, pro-

1. Etiam in *Vetere Test.* Alexandrini iam hebr. רוּחַ קֹדֶשׁ יְיָ, licet graeco πνεῦμα ἁγιωσύνης accurate respondeat, nomine τὸ ἅγιον πνεῦμα reddere solent : *Ps.* 50 (51), 13 καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν σου μὴ ἀντανέλῃς ἀπ' ἐμοῦ (וְרוּחַ קָדְשְׁךָ אַל־תִּקַּח מִמֶּנִּי et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me); *Is.* 63,10.11.

2. De nominum *carnis* et *spiritus* significatione biblica *Em. Franzelin* (De Verbo incarnato thes. 11 p. 87) haec tradit : « *Caro in meris hominibus* significat naturam, quatenus est ordinis inferioris, imbecilla, vel etiam sensu deteriore quatenus in res terrenas inordinate proclivis est, in oppositione ad spiritum, qui est animae dispositio supernaturalis per gratiam vel etiam ipse inhabitans Spiritus S., a quo caritas et spiritus ut dispositio diffunditur in cordibus nostris. Quare iuxta commemoratum usum loquendi [iuxta quem sc. *caro* per synecdochen integram naturam humanam designat] *in Christo* illud totum, secundum quod homo est et ut verus homo evidenter exhibetur, Scripturae ipsae distinguunt nomine *carnis* ac propterea Filius Dei dicitur *caro factus*, vel genitus *secundum carnem*, vel communicasse *carni* et *sanguini*. Quod vero in ipso est ordinis superioris, quo videlicet Deus est et vere Deus esse aeque diserte in iisdem Scripturis demonstratur, in oppositione ad carnem designant nomine *spiritus* vel distinctius *Dei* simpliciter ».

3. *S. Clem. Rom.* 2 Cor. 9 : εἰ Χριστὸς ὁ Κύριος ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σάρξ καὶ οὕτως ἡμᾶς ἐκάλεσεν κτλ (« quodsi Christus Dominus, qui nos salvavit, *quum primum esset spiritus*, *caro factus est* atque sic nos vocavit », etc.); *S. Ign. M.* ad Ephes. 7 : εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεός, καὶ ἐξ Μαρίας καὶ ἐξ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθής, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν (medicus unus est, et *carnalis et spiritualis*, natus et non natus, in carne exsistens Deus, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Iesus Christus Dominus noster), cfr ad Smyrn. 3. Similiter iuniores Patres; cfr *Tert.* de carne Christi 5 : « Non diceretur homo Christus *sine carne*, nec hominis filius sine aliquo parente homine, sicut nec Deus *sine spiritu Dei*, nec Dei Filius sine Deo Patre. Ita utriusque substantiae census hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum, *hinc carneum*, *inde spiritalem* » etc.; *S. Athan.* c. Apollin. 8 : πνεῦμα γὰρ ὁ Θεὸς Λόγος (*spiritus* enim est Deus Verbum) etc.

fecto nihil impedit, quominus etiam πνεῦμα ἁγιωσύνης (spiritus sanctitatis) vocetur, quum fons et origo sit omnis sanctitatis. Quae quum ita sint, nobis non probantur eorum sententiae, qui hic de Spiritu Sancto agi arbitrantur, quippe qui vel « sanctificaverit Christum ab ipso exordio conceptionis » (*Herv*[1]. *Lap*[2]. etc.) vel « operatus sit conceptionem eius in utero virginis » (*Herv*[2]. *Ag*. etc.), vel datus sit fidelibus per Christum glorificatum (*Chrys*. etc., *Thom*. etc., *Tol*. etc.). Prorsus absona autem multorum acath. recentiorum (*de W*. *Ew*. *Hofm*. etc.) explicatio est, qui in homine Christo duas quasi partes, inferiorem et superiorem hominem, *simili modo quo in nobis*, distinguentes Christi animam gratiis ornatam nomine spiritus sanctitatis designari volunt.

Ultimo sententiolae membro (ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν *ex resurrectione mortuorum*) illud indicatur factum, quo Christus declaratus vel constitutus est « Filius Dei in virtute ». Plerique quidem antiqui et moderni haec verba de resurrectione Christi directe et immediate interpretantur, ac si ἀνάστασις νεκρῶν idem sit quod ἀνάστασίς τινος ἐκ νεκρῶν (resurrectio alicuius *a mortuis*) atque praepositio ἐκ euphoniae causa (ἐξ ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν) sit omissa; at id perperam fieri iam diximus (p. 34.), siquidem in toto Novo Test. ac maxime in sermonibus epistolisque paulinis ἀνάστασις νεκρῶν semper universalem omnium hominum aut saltem omnium iustorum resurrectionem significat (cfr *Matth*. 23,31; *Act*. 17,32; 23,6; 24,15. 21; 26,23; 1 *Cor*. 15,12. 13. 21. 42; *Hebr*. 6,2) atque eundem sensum universalem habet ἡ ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν, nisi genetivo ad unam personam determinetur (*Act*. 4,2). Quare eodem sensu in nostro loco sumatur oportet, ita tamen ut indirecte ac mediate resurrectionem Christi designet, utpote quae universalis iustorum resurrectionis initium et causa exemplaris et pignus sit eamque quasi includat. Iustorum utique resurrectionem velut futuram exspectamus, sed sicut messis inchoata dicitur, quamprimum ex agro primitiae frugum sunt collectae, ita universalem resurrectionem inchoatam esse iure dicimus, quando Christus primus ex resurrectione mortuorum (*Act*. 26, 23) resurrexit tamquam *primitiae dormientium* (cfr *Comment*. in 1 *Cor*. p. 467). In sua nimirum resurrectione nos formam et pignus nostrae gloriosae resurrectionis ita habere voluit, ut una sine altera negari non posset et Apostoli in ipsius resurrectione certissimum haberent argumentum, quo resurrectionem universalem ex mortuis probarent et annuntiarent (cfr ad 1 *Cor*. 15,12; *Act*. 4,2). Quin etiam resurrectio iustorum quodam modo resurrectione Christi iam terminata dici potest; namque Christus resurgens se completam de morte victoriam retulisse demonstravit (cfr ad 1 *Cor*. 15,58) atque iusti, utpote membra corporis Christi, cum capite suo iam convivificati et conresuscitati et

consedere in coelestibus facti dicuntur (*Eph.* 2,5. 6), quatenus gloriosae suae ressurrectionis, etsi futura sit, iam nunc acquisitum ius possident eiusque arrham in capitis sui glorificatione acceperunt (cfr ad 2 *Cor.* 5,1). De hac universali autem iustorum resurrectione, quae in Christi resurrectione est inchoata, praeformata, quasi inclusa, eamque necessario supponit, Apostolus loqui maluit, quia divinam Filii Dei glorificati virtutem ac potentiam clarius evidentiusque, quam sola Christi resurrectio, demonstrat[1]. Quia vero haec non nisi indirecte ac mediate indicata est, quamvis eam quoque intelligi Apostolus omnino vellet, haud satis apte multi interpretes (*Theod.* etc., *Tolet.* etc., *Reith.* etc. — *Lut. Ros.* etc.) praepositioni ἐκ non tam causalem (i. q. *per* resurrectionem) quam temporalem (i. q. *post*) significationem attribuunt.

Demum descriptionem argumenti praedicationis evangelicae terminat illud universum nomine completo Filii Dei incarnati ac glorificati comprehendi insinuans; praedicationem quippe esse ait *de Iesu Christo Domino nostro* (*cfr* p. 34). *Iesus* (Salvator) appellatus est Filius Dei in sua incarnatione, quia venit, ut salvaret populum suum a peccatis eorum (*Luc.* 1,31; *Matth.* 1,21); *Christi* (Messiae, Uncti) nomen gerit tamquam rex, qui populo Israel per prophetas annuntiatus ex semine David oriundus thronum patris sui obtinuit et in domo Iacob in aeternum regnabit (*Luc.* 1,32; *Matth.* 2,6); in sua glorificatione autem, quando data ei est omnis potestas in coelo et in terra, *Dominus* (Κύριος, quo nomine Alexandrini nomen Dei essentiale יהוה semper reddunt) esse apparuit, Dominus scilicet uti patris sui David (*Ps.* 169,1; *Matth.* 22,41 sqq.), ita *Dominus noster,* nomen adeptus, quod est super omne nomen, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris (*Phil.* 2,10. 11).

Restat, ut de aliis interpretationibus pauca addamus; praetermittimus autem illos interpretes, qui ordinem verborum pro arbitrio invertentes, uti recte ait *Tolet.*, non tam epistolam Pauli exponere quam novam videntur componere (ex gr. *Abael:* « qui factus est ex semine David secundum carnem *secundum spiritum sanctificationis* [i. e. superveniente S. Spiritu], praedestinatus autem et declaratus est Filius Dei in virtute per suam resurrectionem », aut : « segregatus Apostolus *secundum* [i. e. per] *spiritum*

1. Cfr A[tor] : « Ideo autem non dixit *ex resurrectione Iesu Christi* sed *ex resurrectione mortuorum,* quia resurrectio Christi generalem tribuit resurrectionem. Haec enim maior videtur virtus in Christo et victoria, ut ea operaretur mortuus, quae operatus fuerat et vivus. Quo facto apparuit illusisse mortem, ut redimeret nos; unde *Dominum nostrum* hunc vocat ». Clarius *Aug.* (expos. 1.) « Mortuorum vero resurrectionem memorat, quia in ipso omnes crucifixi sumus et resurreximus ».

sanctificationis ex [i. e. post] *resurrectione mortuorum* in Evangelium Dei, quod promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem et declaratus est Filius Dei in virtute [i. e. Filius naturalis] » etc).

Graeci omnes, exceptis *Orig.* et *Cyr. Alex.*, verbo ὁρίζειν sensum declarandi vel demonstrandi tribuunt, sed in reliquis membris exponendis inter se dissentiunt. Cum *Chrys.* plerique (*Dam. Oec. Theoph. Euth.*) tria argumenta indicari censent, quibus Christus demonstretur Filius Dei : miraculis ab eo patratis (*in virtute*), Spiritu S. Apostolis et fidelibus misso (*secundum spiritum sanctitatis*), resurrectione sua (*ex resurrectione mortuorum*). Unum vero argumentum tribus membris describi *Theod.* arbitratur : « demonstratus est Filius Dei, inquit, per virtutem, quae a S. Spiritu exseritur, post Domini Iesu Christi resurrectionem ». Media inter Chrys. et Theod. via quasi incedens *Syrus* interpretatur : « qui cognitus est Dei Filius *per* virtutem *et per* S. Spiritum, postquam resurrexit a mortuis ». Inter iuniores ac modernos alii cum Chrys. (*Est. Pic. M Ev. etc.*), alii cum Theod. (*Tolet. Beel.* etc.) consentiunt, unus alterve ad Syrum prope accedit (*Nat.*). Contra omnes autem praeter ea, quae in singulorum membrorum expositione iam adnotavimus, iure merito obiicitur, quod accuratam trium praepositionum ἐν κατά ἐξ significationem negligant; neque enim omnes tres eodem sensu explicare licet, neque intelligitur, quomodo δύναμις κατὰ πνεῦμα significare dicatur virtutem a S. Spiritu exsertam.

Cum *latinis* antiquioribus vix non omnibus nonnulli quoque iuniores modernique lectionem *Vulg.* (*qui praedestinatus est*) sequuntur, sed diversas vias in ea explicanda Patres iam sunt ingressi. Difficultatem, quae exoritur, si *Dei Filius*, qui Patri est coaeternus, dicitur *praedestinatus esse Filius Dei* (pronomen relativum *qui* enim ad praecedens nomen *Filio suo* vel potius ad totam locutionem *Filio suo facto ex semine David* refertur) *A*^ter^ verbo *manifestari* addito evitare conatus haud multum a Graecorum explicatione recedit : « hic ergo qui incarnatus est, quid esset latebat; tunc praedestinatus est secundum spiritum sanctificationis in virtute *manifestari* Filius Dei, quum resurgit a mortuis »; illud igitur verbum Paulus omisisse dicendus esset, in quo cardo totius sententiolae vertitur. — *S. Aug.* sibi non constat, sed variis in locis quatuor diversas explicationes proponit, ac duas quidem in Expos. inch. Quarum prior ab ea, quam secuti sumus, haud multum videtur differre, quum verbo *praedestinatus est,* si modo eius sententiam recte intelligo, sensum *manifestatus est* attribuat : « eundem, qui secundum carnem factus est ex semine David, *praedestinatum* [i. e. manifestatum] dicit *Filium Dei in virtute,* non secundum carnem sed *secundum spiritum,* nec quemlibet spiritum sed spiritum *sanctificationis ex resurrectione mortuorum;* in resurrectione enim virtus morientis apparet [i. e. manifestatur], ut diceretur *praedestinatus* [i. e. manifestatus] *in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum* ». Eodem tamen in loco velut meliorem alteram praefert, quae haud dissimili modo inter Graecos ab *Orig.*, inter Latinos a *Pel. Prim.* proponitur : « Filius Dei prae-

destinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum [sc. eorum, qui ad ipsum pertinent] ipse *prae*destinatus est, i. e. designatus ut *prae* ceteris et ante ceteros resurgeret », vel ut habet *Pel.* : « secundum Spiritum sanctificationis praedestinatus, ut prior omnibus incorruptibilitatis virtute surgeret et viam resurrectionis Dei filiis aperiret ». Quam explicationem nec latinis nec graecis verbis congruere clarum est. Tertiam innuit potius quam exponit in commentandis verbis Domini : *et nunc clarifica me* etc. (*Ioan.* 17,5. in Ioan. tract. 105,6-8); ad gloriam enim, quam Dominus ibi a Patre suo precatur, eum praedestinatum fuisse ex nostro loco colligit : « secundum hanc praedestinationem etiam clarificatus est, antequam mundus esset, ut esset claritas eius ex resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cuius dexteram sedet. Quum ergo videret illius praedestinatae suae clarificationis venisse iam tempus, ut et nunc fieret in redditione, quod fuerat in praedestinatione iam factum, oravit dicens : Et nunc clarifica me etc.; tamquam diceret : Claritatem quam habui apud te, i. e. illam claritatem, quam habui apud te in praedestinatione tua, tempus est ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua ». Demum in uno ex ultimis suis operibus (de praedestin. sanctorum 15,31) quartam proponit explicationem, quae in utramque *Gl.* recepta et a mediae aetatis interpretibus plerisque (*Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.) nonnullisque iunioribus (*Iust. Lap.* etc., *Ag.* etc.) adoptata ansam dedit novae quaestioni theologicae tractandae (de praedestinatione Christi; cfr *S. Thom.* Summa theol. III. qu. 24. a. 1. 2. eiusque commentatores) : « Praedestinatus est ergo Iesus, inquit *Aug.* (l. c.), ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu et virgine Maria... Praedestinata est ista naturae humanae tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius, non haberet; sicut pro nobis ipsa divinitas, quo usque se deponeret humilius, non habuit, quam suscepta natura humana cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi praedestinati sumus, ut membra eius essemus ». Quo sensu Christus dici possit praedestinatus, quo sensu non possit, inquirunt theologi [1]; sed hoc in loco inquirere opus non est, quum interpretes illi, qui quartam S. Augustini sententiam secuti quaestionem hanc hic tractant, ad subiectum genuinum verbi *pradestinatus est* non satis attendisse videantur; vix enim quisquam eorum, opinor, hanc propositionem approbasset : « *Filius Dei incarnatus* (seu Filius Dei, qui secundum humanam naturam factus est ex semine David) praedestinatus est, ut sit (vel esset) Filius Dei ». Neque *Tol.* difficultatem satis removet, si praepositionem *prae* (in verbo *prae*destinare) non tempus sed ordinem significare vult : « Filius Dei, qui incarnatus est, praedemonstratus et praedesignatus, i. e. prae omnibus declaratus est Filius Dei, quatenus solus est verus ac naturalis Filius Patri aequalis »;

1. De hac quaestione cfr *Pelav.* de incarnat. XI. 14; *Em. Franzelin* de Verbo incarnato thes. 38, schol. 3, p. 371 sqq. etc.

immo novam creat difficultatem, quum verbo significationem tribuat, quae nec latino *praedestinare* nec graeco προορίζειν competit. Retinere tamen latinam lectionem poteris, si cum *Salm.* tertiam Augustini sententiam secutus interpretaris : « Filius Dei, qui filius David factus sese exinanivit, praedestinatus est, ut esset *Filius Dei in virtute* », i. e. ut glorificatus, sicut divinam eius naturam decuit, in sua resurrectione acciperet nomen quod est super omne nomen. Quae sententia ab ea, quam praetulimus, haud multum recedit; longius ab ea recedit *Cai.*, quamvis recte moneat sensum non esse, « quod decretus sit *Filius Dei,* sed quod decretus sit *Filius Dei in potentia* »; duo enim ultima membra haud recte interpretatus de solo glorioso Christi reditu ad iudicium sermonem esse arbitratur[1]. Sed haec de variis antiquorum sententiis sufficiunt; plura exhibent *Salm.* et *Tol.;* recentiorum autem modernorumque praecipuas explicationes antea iam adumbravimus.

In sua exinanitione Filius Dei, factus ex semine David, tamquam Messias filiis Israel promissus proxime advenerat ad solas oves quae perierant domus Israel Apostolosque suos ad Evangelium praedicandum missos in viam gentium abire vetuerat (*Matth.* 15,24; 10,6); in sua glorificatione autem, declaratus Filius Dei in virtute, quum post resurrectionem omnem potestatem in coelo et in terra accepisset, Apostolos suos in universum mundum exire omnibusque gentibus Evangelium praedicare iusserat (*Matth.* 28,18 sqq. etc.). Hinc intelligitur, cur B. Paulus in inscriptione argumentum evangelicae praedicationis describens de duplici Christi statu loquatur; viam enim sibi aperit ad fontem indicandum auctoritatis, qua ecclesiae sibi ignotae literas has dare non vereatur. Itaque eandem sententiam continuans pergit : 5. *per quem* (Iesum Christum Dominum nostrum, definitum Filium Dei in virtute) *accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei* (εἰς ὑπακοὴν πίστεως ad obsequium fidei sc. efficiendum) *in omnibus gentibus pro nomine eius,* 6. *in quibus estis et vos vocati Iesu Christi.* De se ipso solo in hac inscriptione loquitur atque hic quoque suam solius auctoritatem demonstrare vult; quapropter pluralem (*accepimus*) haud recte aliqui ita explicant, ut alios Apostolos includi dicant. Multo lon-

1. Hisce *Cai.* suam explicationem terminat : « Sensus est, quod ille Filius eius, factus ex semine David secundum carnem, decretus est Filius Dei in potentia; hoc est : decretus est ad utendum filiatione Dei in potentia non creandi mundum, non violentiae et armorum, sed consona spiritui sanctitatis. Et vere Iesus, qui in primo adventu apparuit humilis secundum carnem, decretus est, ut veniat secundum divinam potentiam congruam spiritui sanctitatis futurae in statu resurrectionis mortuorum. Non poterat brevius simul et clarius describi potentia, qua utetur Iesus in secundo adventu, quam describere eam ex auctoritate Filii Dei et ex congruitate ad spiritum sanctitatis, quae erit ex resurrectione mortuorum. Sub hac enim potentia comprehenduntur omnes actiones tum iustitiae, sive praemiando sive puniendo, tum gratiae, renovationis mundi, perpetui status etc. »,

gius aberrant, qui omnes eius discipulos aut omnes fideles includi censent, siquidem hi universalem illam missionem, quam sibi attribuit, non acceperant. Porro utrum primis verbis (*per quem* δι' οὗ) Christum cum *Orig.* et *A*[tro] velut mediatorem et causam meritoriam gratiae et apostolatus, an cum *Chrys.* etc. velut auctorem primariamque causam eius designari dicamus, parum interest; utrumque enim recte dici potest[1] neque certa adest ratio, qua unam potius quam alteram significationem admittere cogamur. Neque per se multum refert, utrum vocabulis *gratiam et apostolatum* duo beneficia Paulo concessa distingui cum plerisque PP. dicamus[2], an cum *Chrys.* eiusque sectatoribus (cfr *Oec. Theoph. Euth.*) unum solum indicari teneamus (sive per hendiadyn : *gratiam apostolatus*, sive admisso epexegetico usu particulae καί melius : *gratiam et quidem apostolatum*, cfr ad 2 *Cor.* 8,5), quia utraque explicatio aptum praebet sensum. Qui tamen finem perpenderit, ob quem Paulus totam hanc sententiam addat (nimirum ut ostendat, undenam ius habeat Romanis cum aucoritate scribendi), is interpretationem Chrys. praeferre non dubitabit (cfr *Est. Iust. Lap.* etc., *Reith. Beel. Bisp. Mai.* etc.). Etenim gratiae, quae ei cum omnibus Christianis aut cum omnibus apostolicis viris communis fuit, commemoratio ad hoc ius stabiliendum nihil contulit; quam aptissima vero fuit commemoratio apostolatus gentium ei concrediti, quem alibi quoque gratiam sibi singulariter datam dicit (*Eph.* 3,8; *Gal.* 1,15.16) et in hac ipsa epistola ad audaciam, qua scripsit, velut excusandam affert (15,15. 16). Neque vero sine ratione constructionem illam minus usitatam elegit (*gratiam et* quidem *apostolatum* pro *gratiam apostolatus*), ut disertius clariusque doceret, apostolatum suum esse donum plane gratuitum, ad quod obtinendum laboribus conatibusque suis nihil ipse contulisset (cfr *Chrys.*).

Iam muneris accepti finem proximum describit, ut illud etiam ad Romanos extendi insinuet; proxime enim illud accepit *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, vel clarius iuxta graecum (εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν) : *ad obedientiam fidei in omnibus gentibus* efficien-

1. Cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 377 sq.; etiam *S. Basil. M.* (de Spiritu Sancto 5,7 sqq.) allatis exemplis contra Arianos docet, praepositionem διά cum genet. interdum de Patre usurpari ac proin primariam causam designare posse.

2. Quodnam vero divinum beneficium nomine *gratiae* hic designetur, Patres illi non consentiunt. Latini quidem plerique gratiam iustificantem intelligunt (*Aug.* : « si tantummodo *apostolatum* se diceret accepisse, ingratus exstitisset *gratiae*, qua illi peccata remissa sunt »; *A*[ter] : « gratiam quae iustificat peccatores »; *Pel.* : « gratiam in baptismo »; *Prim.* : « gratiam ut credamus et baptizemur »); Graeci vero gratiam cum apostolatu connexam (*Orig.* : « gratia ad laborum patientiam referenda est »; *Theod.* : gratia quae praedicationi efficaciam tribuit). *Sedul.* omnia complectitur : « remissionem peccatorum in baptismo nec non coelestis sapientiae diversarumque linguarum cognitionem gratiam nominat ».

dam. In locutione ὑπακοὴ πίστεως (quae infra 16,26 revertitur) genetivum πίστεως non esse subiectivum, uti antiquiores acath. multi voluerunt (obedientia, quam fides producit, vel : in quam fides tendit, cfr *Bez. Grot.* etc.), neque appositivum, uti moderni plerique acath. tenent (obedientia quae est fides, vel : obedientia in fide consistens, cfr *Beng. Weiss God.* etc.), sed obiectivum (obedientia fidei debita), facile apparet, si una ex parte similes locutiones comparantur (ὑπακοὴ τοῦ Χριστοῦ obedientia Christo debita 2 *Cor.* 10,5; ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας obedientia veritati debita [*Vulg.* haud recte : obedientia *caritatis*] 1 *Petr.* 1,22), et altera ex parte attenditur, fideles dici fidei vel Evangelio *obedivisse* (10,16; *Act.* 6,7; 2 *Thess.* 1,8), incredulos vero *inobedientes fuisse* Evangelio vel verbo (ἀπειθεῖν 1 *Petr.* 4,17; cfr *Ioan.* 3,36; *Act.* 14,2 etc. [1]). Ac profecto, uti egregie *Thom.* adnotat, « in his obedientia locum habet, quae voluntarie facere possumus; his autem, quae sunt fidei, voluntarie assentimus, non ex rationis necessitate, quum sint supra rationem : nullus enim credit nisi volens, ut dicit *Aug.*; et ideo circa fidem obedientia locum habet ». Quae quasi explicans *Soto :* « usus est Apostolus, inquit, verbo *obedire*, ut quantum esset inter fidem et humanas disciplinas discrimen explicaret; hae namque, quum naturali mentis acie et lumine cernantur, compellere evincereque possunt intellectum; fides autem invisibilium divinorum, quae nisi per lucem mortalium oculis inaccessam conspecta esse nequeunt, non argumentorum vi syllogismorumque acumine demonstratur, sed voluntario obsequio tacitaque auscultatione suscipitur ». Eandem explicationem Graeci tradunt, si Paulum apostolatum accepisse dicunt, ut « qui instituantur, credentes obediant sine ulla contradictione »; « quando enim Dominus aliquid pronuntiat, auditores curiose scrutari vel indagare non debent, sed solum accipere » (*Chrys. Theoph.* etc.). Obiiciunt quidem moderni acath., iuxta hanc interpretationem nomen πίστεως significare hoc in loco *doctrinam fidei*, quo sensu in Novo Test. non adhibeatur; at haud paucae sunt Novi Test. sententiae, quae, nisi hic sensus admittitur, vix ac ne vix quidem apte exponi possunt (*Act.*

1. Latinus interpres graecum ἀπειθεῖν, quod proprie significat *inobedientem esse* (cfr 2,8 τοῖς ἀπειθοῦσιν iis qui *non acquiescunt;* sim. 1,30 γονεῦσιν ἀπειθεῖς parentibus *non obedientes*) plerumque vertit *non credere, incredulum* seu *infidelem esse* (10,21 ad populum *non credentem* [אֶל־עַם סוֹרֵר ad populum rebellem cfr *Knabenb.* Comm. in Is. 1,23 et 65, 2]; 11,30.31; 15,31; *Ioan.* 3,36: *Act.* 14,2 etc.); quae versio integram verbi vim non exprimit, quum inobedientia graeco verbo connotetur vel potius maxime significetur. Neque enim tantum omnis infidelitas est rebellio contra Deum revelantem, sed verbum ἀπειθεῖν ita quoque a verbo ἀπιστεῖν differt, ut illam designet infidelitatem vel incredulitatem, quae tota agendi ratione hominis divinam revelationem et legislationem despicientis ac transgredientis sese manifestat.

6,7; *Iudae* 3. 20; 1 *Tim.* 14. 19; 2,7 etc.), et undenam Patres, apud quos hic sensus frequentissimus est (catholica fides, orthodoxa fides etc.), eum hauserunt, nisi ex Novo Test.?

Haud satis recte nonnulli cum *Theoph.* et *Thom.* verba *in omnibus gentibus* (ἐν πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν, inter omnes gentes) ad nomen *apostolatum* trahunt (*apostolatum inter omnes gentes* accepimus ad fidei obedientiam efficiendam). Licet enim sensus sit aptus, nulla adest ratio, cur verborum ordinem invertamus, qui eundem fere sensum exhibet (apostolatum accepimus, ut fidei obedientiam inter omnes gentes efficeremus); quin etiam ordinem invertere non licet; quia locutio ἀποστολὴ ἐν πᾶσιν ἔθνεσιν (apostolatus *inter* gentes) parum commoda est ac potius exspectatur ἀποστολὴ εἰς (*ad*) πάντα τὰ ἔθνη (cfr 15,16; 16,26 etc.). Nomine autem *gentium* hic, uti plerumque in epistolis paulinis (2,14. 24; 3, 29; 9,24. 30; 11,11 sqq. etc.; 1 *Cor.* 1,23; 5,1; 10,20 etc.), ethnicas nationes Iudaeis exclusis intelligi, communior est ac certa sententia. Qui vero Paulum ad Iudaeos quoque esse missum Iudaeisque in dispersione degentibus Evangelium annuntiasse monent (*Act.* 9,15; 13,13 etc.), ut Iudaeos illos nomine hic comprehendi demonstrent (*Thom. Beel.* etc.), ii non satis attendunt, eum haud semel de Evangelio praeputii sibi concredito ac de gentium apostolatu, qui sibi prae ceteris Apostolis sit commissus, gloriari (*Gal.* 2,7 sqq.; *Eph.* 3,8 etc.). Clarum quoque est, vocabulum *omnes* a *Chrys.* eiusque sectatoribus nimium premi, si ad illud explicandum, quum Paulus ad *omnes* gentes non pervenerit, eum hic simul de sociis suis ac reliquis Apostolis, per quos ad alias nationes pervenerit, immo de suis epistolis, per quas etiam post suam mortem ubique terrarum praedicet, loqui volunt. Apostolatum universalem quidem acceperat, qui omnes omnino gentes convertendas complectebatur; munere suo autem fungi debuit inter omnes illas gentes, ad quas a Spiritu S. ductus iuxta divinae providentiae dispositionem (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 422. *nota*) pervenit.

Fini proximo ultimum finem muneris sui adiungit: *pro nomine eius* (ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ in commodum nominis eius) i. e. ad maiorem nominis eius (Christi) gloriam et honorem, ut eius nomen scilicet ubique cognoscatur ac glorificetur (cfr *Phil.* 2,9-11). Iterum ab interpretibus quaestio agitatur, utrum haec verba eandem sententiam continuent ac proin cum immediate praecedentibus sint connectenda (apostolatum accepimus, ut omnes gentes ad maiorem Iesu gloriam fidei subiiceremus), an potius ad nomen *apostolatum* sint trahenda (ut obedientiam fidei inter omnes gentes efficeremus, apostolatum accepimus ad maiorem Iesu gloriam). Sed quaestio non est magni momenti, quum sensus sententiae, sive haec, sive illa constructio praefertur, vix

mutetur; prior tamen nexus, utpote concinnior ac stylo paulino congruentior, a plerisque hodie iure praefertur, licet secunda forsitan accuratius respondeat verbis Domini : « vas electionis est mihi iste, *ut portet nomen meum coram gentibus* » etc. (*Act.* 9,15; cfr 2 *Thess.* 1. 12 etc.). Ceterum secunda omnino praeferenda esset, si altera verborum *pro nomine eius* explicatio ab *A*[tro] proposita et ab haud paucis adoptata (*Prim. Sed*[1]. *Haym.* etc., *Thom. Dion.* etc., *Est. Pic. Lap.* etc., *M Ev.* etc. — *Beng.* etc.) teneri posset, iuxta quam idem significant, quod *vice eius* (cfr 2 *Cor.* 5,20 : « *pro Christo* [ὑπὲρ Χριστοῦ] legatione fungimur »); sed quomodo haec explicatio probabilis reddatur, non video, quandoquidem ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ non est idem quod ὑπὲρ αὐτοῦ.

Demum innuit, quo tota haec muneris sui descriptio spectaverit : *in quibus estis et vos, vocati Iesu Christi.* Romana quoque ecclesia, quum ex ethnicis conversis fere tota sit collecta, non minus quam aliarum gentium ecclesiae, ad eum, utpote gentium Apostolum, pertinet ideoque admirari nequit, quod ab eo tam gravi epistola erudiatur et admoneatur. Inter ethnicos quidem, ut eos fidei subiiciat, Paulus apostolatum suum exercet; sed his ethnicis etiam Romanos, quamvis fidei sese iam subiecerint, adnumerat, quia antea ethnici fuerant. Simul tamen eos ab aliis ethnicis distinguit eos *vocatos Iesu Christi* appellans. Quae verba velut appositio pronomini *vos* sunt addita, ita ut minore interpunctione ab eo separanda sint (*vos, vocati Iesu Christi*, i. e. vos, qui iam estis vocati); neque enim recte pro vocativo habentur, uti aliqui volunt, quia in hac inscriptione vocativo non est locus, neque immediate cum verbo *estis* connecti possunt (inter quas etiam vos vocati estis), quia significaretur, alias gentes iam omnes vocatas esse (cfr *Tol.*). Haud apte *Thom.* locutionem *vocati Iesu Christi* explicat « vocati a Iesu Christo »; nam quamvis ex parte grammaticae contra hanc explicationem nihil possit obiici, Paulus tamen vocationem ad fidem Deo Patri appropriare solet (8,29. 30; 1 *Cor.* 1,9; 7,15. 17; *Gal.* 1,15 etc.); quare rectius *Est.* : « gratuita Dei vocatione facti fideles Iesu Christi ». Vi efficacis suae vocationis membra corporis Iesu Christi sunt facti; unde sequitur, ut etiam audire debeant eum, qui vi efficacis suae vocationis factus est Apostolus Iesu Christi. Pulchre igitur hoc membrum (*vocati Iesu Christi*) superiori (*vocatus Apostolus*) respondet longamque dignitatis auctoritatisque apostolicae descriptionem, qua Paulus suum Romanis scribendi ius asseruit, apte terminat.

Pro antiquorum more nomini suo subiungit designationem eorum, quibus epistola est destinata; salutationem vero, quam Graeci Latinique eadem in sententia addere solent (Πλάτων Ἀρχύτᾳ εὖ πράττειν λέγει,

Ξενοφῶν Γρύλλῳ χαίρειν scil. λέγει, M. Cicero salutem dicit P. Lentulo Procos., Cicero Attico salutem) Apostoli omnes, excepto S. Iacobo, nova sententia addunt (cfr ad 1 *Cor.* 1,3) spiritualia bona fidelibus precantes : Paulus... 7. *omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.* Cum emphasi *omnibus qui sunt Romae* fidelibus epistolam inscribens non tam inter nobiles divitesque et inter servos ac pauperes nullum discrimen a Deo agnosci docet (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Tolet.* etc.), neque inter eos, qui Romae stabilem habebant sedem, atque advenas, qui pro tempore in urbe commorabantur, aut inter eos quos ibi cognitos habebat (cfr 16,3 sqq.), et alios sibi ignotos distinguit, uti multi moderni censent, quam potius praeter ethnicos conversos, quos in praecedente membro allocutus erat, etiam Iudaeochristianos ad ecclesiam romanam pertinere insinuat. Illo igitur *omnibus* addito prohibet, ne hi solis suis fratribus praeputiatis, qui longe maximam ecclesiae illius partem constituebant, epistolam destinatam arbitrentur. Honorificis autem nominibus, uti solet (cfr ad *Gal.* 1,2), ecclesiam cui scribit exornat omnes fideles appellans *dilectos Dei* (ἀγαπητοὺς Θεοῦ cfr 1 *Thess.* 1,4 : ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Θεοῦ fratres dilecti a Deo) et *vocatos sanctos.* Ad priorem appellationem *Aug.* bene adnotat : « non ait : *diligentibus Deum*, sed : *dilectis Dei;* prior enim dilexit nos (1 *Ioan.* 4,10) ante omnia merita, ut et nos eum dilecti diligeremus ». Quibus non minus bene *Thom.* addit : « Dei enim dilectio non provocatur ex bono creaturae, sicut dilectio humana, sed magis ipsum bonum creaturae causat; quia diligere est bonum velle dilecto, voluntas autem Dei est causa rerum »[1]. A caritate igitur, qua Deus eos amplectitur, fideles uti omnia bona, ita imprimis id habent, ut sint *vocati sancti.* « Quum enim dixisset : *dilectis Dei,* inquit *Chrys.*, Paulus statim subiungit *vocatis sanctis,* ut divinam caritatem ostendat esse fontem omnium bonorum »; nam haec omnia vocatione ad fidem quasi continentur. « *Vocatis sanctis* autem, *Aug.* pergit, non ita intelligendum est, tamquam ideo *vocati* sint, quia *sancti* erant, sed ideo *sancti* effecti, quia *vocati* sunt »; *vocati sancti* ergo idem est quod *vocatione sancti,* i. e. vi vocationis sancti. Porro « sanctos, inquit iterum *Chrys.*, omnes fideles vocat »; neque enim ad singulorum mores conscientiaeque statum in hac appellatione attendit, sed id beneficium considerat,

1. Egregie *Iust.* quoque : « Nihil praestabilius in hac vita mortali optari potest, quam ut quis a Deo diligatur, cuius amor actuosus est et efficax, quique coelestia et divina bona largitur. Antevertit enim quidquid est in creaturis boni vel laudabile, nec diligit benevolentia dignos, sed ipsa sua benevolentia dignos facit. Quocirca recte subdit *vocatis sanctis;* divinus enim amor sanctitate replet; sic Apostolus ad *Ephes.* 1,4 scripsit : elegit nos in ipso, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate ».

quod vi efficacis suae vocationis omnes fideles consecuti sunt, utpote *sanctificati in Christo Iesu*, i. e. « baptismo ab omni immunditie purgati, a mundo hoc segregati, divino servitio consecrati et tamquam Christi membra Deo sanctissimo intime coniuncti » (cfr ad 1 *Cor.* 1,2. 30; 6,11).

Formula, qua Apostolus Romanis bona spiritualia omnia precatur, eadem est, quam in aliis epistolis iam explicavimus (cfr ad 1 *Cor.* 1,3; *Gal.* 1,3); quare ea tantum addemus quibus *Theod.* hanc particulam claudit : « Hisce, inquit, epistolae inscriptionem perfecit : *Paulus, servus Iesu Christi, omnibus qui sunt Romae dilectis Dei, vocatis sanctis; gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.* Alia vero omnia inseruit, docens, a quonam praedicator sit constitutus et quaenam praedicare iussus sit et quibusnam haec offerre sit destinatus. Eis porro primum quidem Dei *gratiam* precatur; per hanc enim quicumque crediderunt salutem sunt consecuti; deinde *pacem*, per quam omnem rectam virtutis actionem significat; cum Deo enim pacem habet, qui evangelicam vitae institutionem amplectitur ac sedulo eum in omnibus colit et observat. Horum autem donorum non solum Patrem sed etiam Filium largitorem esse ostendit : *a Deo Patre nostro* enim, inquit, *et Domino Iesu Christo;* per quae nos aperte docet Patris et Filii aequalitatem ». Idem argumentum ad Patris Filiique aequalitatem demonstrandam praeter *Chrys.* aliosque graecos interpretes contra Arianos urgent *S. Athan.* c. Arian. Or. 3,11. 13; *S. Cyr. Alex.* Thesaur. de Trin. Ass. 12 (M. 75,192), alii.

2. — *Gratiarum actio et captatio benevolentiae* (1,8-15).

1,8. ***Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis : quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. 9. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio 10. semper in orationibus meis : obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos : 12. id est, simul consolari in vobis, per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam. 13. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc), ut aliquem fructum ha-***

1,8. Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ περὶ πάντων ὑμῶν, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. 9. μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεός, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ, ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι 10. πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος, εἴ πως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. 11. ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, 12. τοῦτο δέ ἐστιν συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως, ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ. 13. οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὅτι πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο, ἵνα τινὰ καρπὸν

beam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus. 14. *Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum :* 15. *ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare.*

σχῶ καὶ ἐν ὑμῖν καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. 14. Ἕλλησίν τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί· 15. οὕτως τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι [1].

Pro more a gratiis Deo agendis Paulus exorditur fidem Romanorum in toto orbe celebratam grata memoria recolens (*v.* 8.). Quod ne mirentur fideles, quibus erat ignotus, bonam suam erga eos voluntatem manifestat, quae et ex continuis suis precibus pro eis (*v.* 9) et ex continuo suo eos adeundi desiderio eluceat (10-12). Quod desiderium, cui hucusque satisfacere prohibitus sit (*v.* 13), ex ipsa sua vocatione derivans, qua omnibus debitor factus etiam Romanis fructum quendam spiritualem afferre cogatur (14. 15), ad ipsum tractatum viam sibi aperit.

Quoniam piam animam decet, uti habet *Chrys.*, omnium operum verborumque bonorum primitias Deo offerre eique non solum de suis ipsius sed etiam, animo ab omni invidia vacuo, de aliorum recte factis gratias agere, Apostolus omnes suas epistolas, una excepta (cfr ad *Gal.* 1,6), a sollemni quadam gratiarum actione incipit. Quem morem eo minus hic negligere ei licuit, quo maius fuit beneficium ecclesiae romanae divinitus collatum. « Neque enim de imperio, de potentia, de gloria Romanorum gratias agit (haec enim nihili habenda sunt), sed de iis quae vere bona sunt, de fide eiusque aperta professione » (*Chrys.*), « non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi ecclesiae, sed quod devotio in eis maior sit et simplicitas ad credendum » (*S. Hier.* in ep. ad Gal. Prooem. l. 2), et quod « ad eos perfidia non habeat accessum » (*S. Cypr.* ad Corn. ep. 12,14. *M.* 3,821); siquidem « hanc laudem virtutis et roboris firmitatem iam tunc in spiritu Apostolus praevidebat et futurorum praeconio merita eorum contestans, dum parentes laudat, filios provocabat » (*S. Cypr.* ad Corn. ep. 13,2. *M.* 3,831). Exorditur igitur : 8. *primum quidem gratias ago Deo meo per*

1. VV. LL. — 8. πρῶτον μέν (*primum quidem*) est communis ac certa lectio; particula μέν tamen a paucis minusc. et a nonnullis codd. *Syr. Aeth. Ar.* omittitur. — περὶ πάντων ὑμῶν (*de* omnibus vobis) B ℵ A C D K, haud multi minusc., *Syr.* (codd.); sensu vix mutato *textus rec.* : ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, (*pro omnibus vobis*) cum E G L P, plerisque minusc. et PP., *It.* (*A*[ter] *Pel.* etc.). *Vulg. Syr.* (codd.) *Arm.* — 9. μάρτυς γάρ μου ἐστίν (testis enim *meus* est) est communior lectio graeca; sensu non mutato legitur μάρτυς γάρ μοι ἐστίν (*testis enim mihi est*) a D G, paucis minusc. et omnibus fere *verss.* — 13. οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν (*nolo autem vos ignorare*) est communis ac certa lectio, pro qua minus apte D G et *A*[ter] : οὐκ οἴομαι δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν (*non arbitror autem* vos ignorare). — καὶ ἐν ὑμῖν (*et* in vobis) est communis lectio; particula καί tamen omittitur a G, nonnullis minusc., paucis latinis testibus (cod. *Fuld.* etc.; *Sedul.* etc.) et *Aeth.*

Iesum Christum pro (ὑπέρ, vel : *de* περί) *omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Particula πρῶτον μέν (*primum quidem*) solitarie est posita, deficiente altero membro (εἶτα δέ *deinde autem*), quia Apostolus ardore suo abreptus cogitationem, quam in mente habuit, postea alia forma, uti saepius (cfr ad 1 *Cor.* 11,18), declarat. *Orig.* quidem eam *v.* 13. addi suspicatur (*nolo autem vos ignorare* etc.); rectius vero alii eam iam *v.* 10. sequi censent, ut gratiarum actioni de Romanorum fide respondeat precatio, qua Paulus, ut Romanis fructum quendam spiritualem afferre sibi contingat, a Deo efflagitat. Particulam μέν (*quidem*) vero plane negligunt, qui locutionem *primum quidem* idem significare volunt, quod *imprimis,* seu : *ut dicendi initium faciam* etc. Paulumque alterum membrum addere voluisse negant (*Tolet. Iust.* etc.). Porro multorum ingentiumque, quae ipse a divina bonitate consecutus est, beneficiorum memor « eum qui cunctorum Deus est sibi quasi proprium vindicat » (*Oec.* cfr *Chrys.* etc.) magnoque cum caritatis affectu Deo *suo* de beneficio aliis collato gratias agit, quia illud quasi sibi ipsi collatum considerat (cfr ad 1 *Cor.* 1,4). Perperam vero *A*ter adnotat : « gratias agere se dicit Deo *suo* dumtaxat, quia adhuc illorum (sc. Romanorum) Deus non erat plene »; fidem nimirum Romanorum, quam Paulus ubique terrarum celebrari dicit, Ater foedo errore vitiatam fuisse sine causa, ut diximus (p. 9 sq.), ac falso supponit. Gratias deinde agit Deo suo *per Iesum Christum,* quia eodem ordine, inquit *Thom.*, debet gratiarum actio in Deum recurrere, quo gratiae a Deo in nos deveniunt, quod quidem est per Iesum Christum »; neque minus bene *Orig.* explicat : « agere Deo gratias, hoc est sacrificium laudis offerre et ideo addit *per Iesum Christum* velut per pontificem magnum (cfr *Hebr.* 13,15); oportet enim scire eum, qui vult offerre sacrificium Deo, quod per manus pontificis debet offerre (*Hebr.* 8,3) ».

A communi fere omnium interpretatione, quod « Christus nobis sit gratiarum actionis mediator, quum non solum nos gratias agere doceat, sed etiam nostram gratiarum actionem Patri offerat » (*Theoph.*), pauci recedunt. *Mopsu.* iam, ut Arianis cavillandi occasionem eriperet, Christum hic, licet praepositio διά (*per*) adhibita sit, non velut ministrum sed velut causam bonorum considerari monuit : « neque enim Christi ministerio uti voluit Apostolus ad gratias Deo exhibendas, sed dicit : gratias Deo ago pro vobis, *praebente nobis Christo* causam nostrae gratiarum actionis ». Sed haec explicatio, quam *Oec.* recepit, quomodo verbis paulinis adaptetur, *Mopsu.* aeque parum indicat, ac iuniores pauci cath. constructionem indicant, quam sequuntur, si explicant : « gratias ago Deo pro beneficio vobis per Iesum Christum collato » (*Tolet. Est.* etc.). Sensus quidem per se aptus est, sed paulina in sententia saltem directe non est enuntiatus. Mirum in modum

iuniores nonnulli acath. eam torquent, quia Christianos sine ullo mediatore preces suas Deo, utpote patri suo, debere offerre ex paulinis quibusdam locis (*Rom.* 8, 15; *Gal.* 4, 6) perverse explicatis colligunt. Alii igitur verba *per Iesum Christum* cum praecedentibus (*Deo meo*) arcte connectunt sensumque esse volunt : « ei gratias ago, qui nunc per Iesum Christum est *meus* Deus » (*Kop.* etc.); sed haec interpretatio locis parallelis (7, 25; *Col.* 3, 17; *Hebr.* 13, 15) excluditur. Alii verba quaedam esse omissa arbitrarie supponunt (« Deo gratias ago *secundum gratiam mihi collatam* per Iesum Christum ». *Koelln.* etc.), aut non minus arbitrarie, admisso hyperbato, ad eum fere sensum perveniunt, quem Mopsu. iam sibi finxit (« gratias ago Deo de vestra fide, quam per Christum operatus est » *Rück.* etc.); alii illa cum verbo *gratias ago* quidem connectunt, sed explicant : « per Christum factum est, ut gratias agam Deo » aut : « gratias ago Deo, quum Iesus Christus optime de genere humano meruerit » (*Fr.* etc). Quibus similibusque interpretationibus, quae dumtaxat ad errorem tuendum sunt excogitatae, immorari operae pretium non est. Per Christum enim, mediatorem nostrum, accessum habemus ad Patrem (5,1. 2; *Eph.* 2,18); sicut per Christum omnia a Patre accipimus, ita per eum omnia a Patre petere debemus, si de precum nostrarum efficacia certi esse volumus (*Ioan.* 16,23), ac per eum de acceptis beneficiis gratias agere nos decet, ut nostrae gratiarum actiones Patri acceptiores gratioresque sint. Haec nos docet Ecclesia, quae ipsa cum Paulo omnes suas orationes, sive a Deo aliquid petit, sive eum laudibus celebrat, sive ei gratias agit, Deo Patri per Iesum Christum Dominum nostrum offerre semper consuevit.

Pro omnibus autem (ὑπὲρ πάντων i. e. *omnium gratia,* minime vero : omnium loco) vel *de omnibus* (περὶ πάντων i. e. *relate ad omnes*) gratias Deo referens non tam singulorum mores, uti insinuat *Orig.*, quam totius ecclesiae romanae statum Paulus considerat, id quod ex verbis additis elucet, quibus causam suae actionis gratiarum indicat : *quia fides vestra annuntiatur in universo mundo;* neque enim tam singulorum, quam universi coetus fides celebrabatur. Hyperbolice porro *in universo mundo* (cfr 1 *Thess.* 1,8 *in omni loco*) fidem romanam celebrari asserit, ut in dissitis ac remotissimis regionibus, ubicumque ecclesiae erant exortae vel fideles degebant, cognitum iam fuisse significet, non tantum Romae Evangelium cum fructu esse annuntiatum, sed etiam romanos neophytos sincera sua fide ardoreque, quo eam profitebantur, excellere aliisque fidelibus praelucere. Recte *Thom.* : « commendantur Romani de fide, quia eam de facili susceperant et in eadem firmiter permanebant » (cfr *Chrys.* etc.). Parum recte vero nonnulli id unum significari volunt, rumorem quendam de nova ecclesia Romae exorta in omnes provincias esse perlatum (*Orig*[1]. *Theod.* *A*[ter] etc. — *Lips.* etc.), aut Paulum esse gavisum, quod Romanorum

fides a fide in reliquo orbe annuntiata non differret (*Orig*[2].). Magnam enim laudem haec verba (uti similia 15,14; 16,19) sonant clareque docent, iuxta Pauli sententiam fidem Romanorum puram sinceramque fuisse ac dignam, quae in omnibus ecclesiis celebraretur omnibusque exemplo esset. Hoc sensu Patres verba illa allegare et explicare solent (p. 52), neque immerito addunt, Paulum de eorum fide gratias Deo egisse « non solum propter eos, sed etiam propter utilitatem inde consequentem, quia sc. eorum exemplo, qui erant domini gentium, aliae gentes provocarentur ad fidem; quia uti dicit *Gl.*, prompte facit inferior, quod videt fieri a superiore ». Ceterum Paulus de omnium, i. e. de totius ecclesiae romanae, loquitur fide; cave igitur, ne cum *Aug.* *A*[tro] etc. tibi persuadeas, Romanos « nondum habuisse perfectam fidem, quia aliqui eorum praeventi erant a pseudapostolis, ut crederent Legis caeremonias Evangelio iungendas » (*Thom.*).

Gratiarum sua actione Apostolus clare manifestavit, quanta cum caritate Romanos, licet sibi essent ignoti, amplecteretur; ne tamen de hac caritate, quam opere eis nondum exhibere ac probare potuerat, neophyti dubitent, iureiurando eam confirmat : 9. *testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio,* 10. *semper in orationibus meis obsecrans*[1], *si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos;* postrema sententiae pars iuxta graecum textum (εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς) accuratius simul et clarius hunc in modum redditur : *si forte tandem aliquando contingat mihi*[2] *in voluntate Dei* (seu per voluntatem Dei, vel : Deo volente) *venire ad vos* (vel : ut veniam ad vos). Uti saepius, si de internis rebus agitur, quarum testes idonei esse nequeunt homines (2 *Cor.* 1,23; *Phil.* 1,8; 1 *Thess.* 2,5), Paulus etiam continuae

1. De interpunctione huius sententiae Latini et Graeci non consentiunt. Cum *Vulg. Clem.* Latini, nulla interpunctione in fine *v.* 9. facta, prima quatuor vocabula v. 10. praecedentibus arcte adnectunt (quod *sine intermissione* [ἀδιαλείπτως incessanter] memoriam vestri facio *semper* [πάντοτε] in orationibus meis), ante participium *obsecrans* autem maiore interpunctione posita quasi novam sententiam inchoant. Graeci vero plerique in fine *v.* 9. virgulam ponentes ab initio *v.* 10. iam alteram sententiam incipiunt. Differentia haud magni est momenti, quum generalis sensus sententiae non mutetur; graeca tamen interpunctio praeplacet. Nam tautologiam evitat, quae exoriri videtur, si dicitur : *incessanter semper memoriam vestri facio;* iuxta Graecos vero duo adverbia apte distribuuntur : *incessanter* memoriam vestri facio, *semper* in orationibus meis *obsecrans*.

2. Verbum εὐοδοῦν (εὐ et ὁδός) etymologice quidem significat *prosperum iter praebere* (pass. : *prosperum iter habere*), sed ab Alexandrinis iam plerumque latiore sensu pro hebr. הִצְלִיחַ usurpatur (act. : *prosperum successum praebere, efficere ut aliquid bene contingat;* pass. : *prosperum successum habere, feliciter contingere*). In *Novo Test.* raro tantum (*Rom.* 1,10; 1 *Cor.* 16,3; 3 *Ioan.* 2) adhibetur atque semper quidem passive et latiore sensu.

suae gratiarum actionis « non hominem aliquem, sed Deum ipsum, cordium scrutatorem, testem appellat » (*Chrys.*); quin etiam, ut assertionis suae veritatem sanctiore iuramento confirmet, testi huic sese, utpote « vocatum Apostolum ac segregatum in Evangelium Dei » (*v.* 1), totam suam vitam consecrasse addens fieri non posse insinuat, ut eum citet mendacii testem. Tamquam sacrum enim ac vere sacerdotale ministerium considerat praedicationem suam evangelicam, quippe qua gentes conversas Deo velut hostias praeparet (cfr ad 15,16); ideo ait : *cui servio* (λατρεύω), i. e. religiosum cultum exhibeo, *in Evangelio Filii eius,* per ipsam nimirum praedicationem evangelicam de Filio Dei incarnato ac glorificato (*vv.* 3. 4). Quoniam vero omnis religiosus cultus sit oportet internus, adiungit *in spiritu meo* (i. e. « in affectu mentis meae, quia non per simulationem ei famulatum exhibeo, sed quidquid foris boni in eius servitio operor, hoc intus in voluntate cordis similiter facio » *Herv.*), ut sese non labiis tantum, sed toto suo animo per S. Spiritum elevato Deum evangelica sua praedicatione glorificare significet. Alibi quidem (iuxta *textum rec.* et *Vulg. Phil.* 3,3) locutione πνεύματι Θεῷ λατρεύειν (spiritu servire Deo) spiritualem Christianorum cultum carnalibus Iudaeorum ritibus opponit; sed nulla est ratio, cur eandem oppositionem hoc in loco admittamus, licet haud paucis haec explicatio placuerit (*Chrys*[2]. *Oec*[3]. *Theoph.* etc., *Thom*[2]. *Lyr.* etc.). Multo minus autem aliae explicationes, quae variae propositae sunt (in spiritu meo i. e. per gratiam S. Spiritus [*Chrys*[1]. *Oec*[1]. etc.] aut : secundum datam gratiam [*Theod. Oec*[2]. *Euth.*] etc.), nobis probantur, quia apostolico loquendi usui non consentiunt.

Neque tantum gratiarum actionibus suis sese *assidue* (ἀδιαλείπτως) eorum coram Deo memorem esse iureiurando asserit, sed etiam precationibus, quibus *semper* (πάντοτε), quoties Deum orat (*in orationibus meis*), ab eo petit, ut sibi Romam venire feliciter contingat. Quamvis autem Romanos videre iam a multo tempore ardenter desideret (id quippe adverbiis ἤδη ποτέ *tandem aliquando* innuit) neque dubitet, quin eis suo adventu magnam utilitatem sit allaturus (15,29), magna cum moderatione tamen desiderium suum Deo semper proponit. Etenim dumtaxat *in voluntate Dei* (ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ), i. e. Deo positive volente, se iter illud ingredi velle diserte in precibus suis protestatur eamque precationis formulam eligit, qua se metuere connotans, ne Deus aliud statuerit, se totum hoc negotium voluntati divinae committere significat : δεόμενος εἴπως... εὐοδωθήσομαι, *obsecrans si forte* (minus apte *Vulg.* : si *quo modo*) *mihi contingat* etc[1].

1. *Theod.* adnotat : « Quodsi Apostolus, ubi de tot myriadum salute agitur, nihil absolute petit, sed petitionem suam divinae voluntati subiicit, quanam venia digni sumus, qui

Causam deinde desiderii sui addit, ut qua cum caritate Romanos diligat clarius exponat : **11**. *desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos,* vel accuratius iuxta graecum (ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς) : *ut aliquod communicem donum vobiscum spirituale, ut vos confirmemini*. Graecum verbum μεταδιδόναι latino *impertiri*[1], quo *Vulg.* utitur, multo significantius est; proprie enim significat « id quod aliquis accepit cum altero communicare ». Unde egregie *Chrys.* « indicat, inquit, se non sua dare illis, sed quae accepit tradere », atque similiter *Theod.* : « communico enim ex iis quae accepi ». Tamquam minister igitur illius, a quo omnia sua accepit, et tamquam dispensator mysteriorum Dei (1 *Cor.* 4,1) Romanis dona divina afferre desiderat. Quae dona designat nomine χάρισμά τι πνευματικόν, quo gratias gratis datas hic intelligendas esse, nonnulli cum *Tol.* haud recte censent; χάρισμα enim, quamvis a scriptoribus ecclesiasticis plerumque et interdum quoque in Novo Test. de gratiis in aliorum utilitatem concessis adhibeatur (12,6; 1 *Cor.* 12,4. 9. 28. 30. 31; 1 *Petr.* 4,10), per se omne divinae caritatis donum significat, quum temporale (2 *Cor.* 1,10. 11) tum praecipue spirituale, quod ad propriam illius, qui illud accipit, vitam supernaturalem pertinet (5,16; 6,23; 11,29; 1 *Cor.* 1,7; 7,7 etc.). Qua ultima significatione nomen hoc in loco intelligendum esse, non tam ex epitheto (πνευματικόν *spirituale*), quo proxime nihil nisi donum esse a Spiritu sancto significatur, quam ex fine apparet, ad quem illud cum eis communicare Paulus desiderat : *ad confirmandos vos* i. e. ut confirmemini in vera fide; augmentum igitur fidei eis sua praedicatione afferre vult. Bene *Theod.* : « Quia Romanis magnus Petrus doctrinam evangelicam iam tradidit, Paulus necessario addidit : *ut vos confirmemini;* non aliam enim, inquit, doctrinam vobis afferre, sed eam quam accepistis confirmare et arbores iam plantatas irrigare volo ». Neque vero probari potest *A^ter^*, qui ex his verbis collegit, Romanos eousque non nisi carnalem de Christo doctrinam accepisse, Paulum vero eis spiritualem tradere voluisse; carnalis enim doctrina

de rebus temporalibus solliciti sumus easque nobis precamur nostrasque res divinae voluntati non permittimus? » Quae recte monentur, dummodo addatur, illa quoque precatione, cuius forma absoluta est, debitam subiectionem sub divina voluntate non excludi. Paulus ipse quoque alibi absoluta illa precandi formula utitur (1 *Thess.* 3,10 νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσοῦ δεόμενοι εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον κτλ. « nocte et die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram » etc.), ubi similem rem petens voluntatem Dei diserte quidem non commemoravit, attamen debitae subiectionis profecto immemor non fuit.

1. *Vulg.* interdum verbo activo *impertire* utitur (*Tob.* 1,3 ; *Bar.* 6,27), interdum deponente *impertiri* (*Tob.* 4,9 et *hic*); saepius (praeter 1 *Petr.* 3,7, ubi partic. praes. *impartientes*) in Scriptura non legitur.

spirituali non confirmatur, sed destruitur. Neque satis recte *Tolet.* : « Attende Pauli moderationem; errabant enim Romani in aliquibus, ut ex hac epistola patet et indigebant institutione [scilicet qua errores corrigerentur]; ne tamen eos tamquam pusillos terreret, *confirmationem* eam appellat »; mira scilicet esset « moderatio », qua Paulus, vel potius S. Spiritus, vocabulis alienam, quae eis non competit, significationem attribueret et de confirmatione loqueretur, si correctionem vel emendationem intelligi vellet. Vocabulis quippe proprius ac genuinus sensus relinquatur oportet, quamdiu id fieri potest; atqui nihil omnino hoc in loco obstat, quominus id fiat, quum nihil in tota epistola legatur, quo Romanos circa fidem errasse probatur.

Immo vero proprium sensum postulat explicatio, quam Apostolus ipse verbis suis addit : 12. *id est* (τοῦτο δέ ἐστιν hoc *autem* est) *simul consolari* (vel potius : *corroborari* συμπαρακληθῆναι) *in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam.* Neque enim mutua sua fide Romani et Paulus se invicem consolari vel potius corroborare potuissent, si alterutrius fides erroribus esset deturpata. Quo explicatio illa spectet, haud plane quidem constat. Cum *Theod.* enim multi totam sententiam praecedentem explicari censent, ita ut infinitivus *consolari* vel *corroborari* praecedenti *videre* parallelus sit eademque ratione a verbo *desidero* pendeat; cum *Chrys.* autem haud pauciores sola verba *ad confirmandos vos* (εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς) explicari arbitrantur, ita ut infinitivus *consolari* seu *corroborari* (quem *Vulg.* retinuit) praecedenti στηριχθῆναι (quem *Vulg.* gerundivo reddidit) respondeat et a praepos. εἰς dependeat. Sed haec quaestio grammaticam constructionem potius quam sensum attingit; namque praecedentis sententiae vis tota est in indicando fine, ob quem Apostolus Romanos videre desiderat (*ut vos confirmemini*); quare illi quoque, qui totam sententiam explicari dicunt, potissimum tamen ad finem illum explicationem pertinere fatentur.

Iam vero sunt, qui hac explicatione priora mitigari et quasi corrigi teneant; Paulum enim, ne arrogantiae accusaretur, quod se Romanos confirmare velle dixisset eosque vacillare insinuasset, verbum *confirmandi* in *consolandi* mutasse censent seque neophytis exaequasse, quum se ab iis vicissim fructum spiritualem accepturum esse adderet; hac autem ratione eum Romanorum benevolentiam sibi conciliare voluisse (cfr *Chrys. Theoph.* etc., *Est. Pic.* etc., *M Ev. Bisp.* etc.). Quae non omni ex parte recte dici videntur; benevolentiam quidem neophytorum addita explicatione sibi conciliare studet, at nihil dixerat, quod correctione aut mitigatione indigeret, neque eos vacillare supposuerat. In fide enim confirmantur illi quoque, qui non vacillantes ad

perfectiorem doctrinae revelatae scientiam et intelligentiam adducuntur. Addit autem quaedam, quibus antea dicta non mutans universum finem suum clarius exponat; Romam enim venire desiderat, ut praedicatione sua neophytos in fide confirmet, ipse vero simul ardore neophytorum delectetur et corroboretur, atque hac ratione fides mutua utrisque, Apostolo et neophytis, profectum spiritualem afferat. « Ad maiorem fidei perfectionem (πληροφορίαν τῆς πίστεως), inquit *Oec* [5]., utrisque prodest, quando praedicator auditorum animos extraordinario modo ad fidei obedientiam attrahi videt (robustior enim ad praedicandum redditur) et quando discipuli concionatorem magna cum boni successus spe tradere fidem audiunt ». Haud dissimiliter *Chrys. Theod.* aliique multi eam intelligunt Pauli consolationem vel corroborationem, quae ex cognito fidei incremento neophytorum exoriatur.

Difficultatem quandam ambiguitas verbi συμπαρακαλεῖν creat, quod aeque ac παρακαλεῖν, a quo derivatur (cfr ad 2 *Cor.* 1, 4) varias sifignificationes admittit : *simul rogare* vel *docere* vel *exhortari* vel *consolari* vel *confirmare*. Quamnam Graeci hoc in loco praetulerint, difficile est dictu, quia vocabulum παρακαλεῖν eiusque derivata in suis explicationibus retinent neque accuratius illud definiunt. Cum *Vulg.* Latini plerique verbo *consolandi* utuntur, pauci *exhortandi* verbum praeferunt; neutrum tamen, si proprio suo sensu sumuntur, satis aptum est. Romanos enim eo tempore calamitate quadam afflictos fuisse, ut solatio indigerent, ex nostra epistola non apparet; exhortandi autem notio Romanis quidem congruit at non Apostolo, quem neophyti exhortari non potuerunt. Retineri tamen potest *consolandi* verbum, si consolationem illam spiritualem intelligis, quae habetur omni fidei spei caritatisque incremento, laetitiamque illam supernaturalem, quae animum ad salutis studium coelestiumque rerum amorem solet incitare. Si vero attendimus, verbum στηρίζειν (firmum reddere, confirmare) nostro συμπαρακαλεῖν quasi explicari atque Paulum alibi quoque duo verba στηρίζειν et παρακαλεῖν velut synonyma coniungere (1 *Thess.* 3,2; 2 *Thess.* 2,16), a vero non aberrare nobis videmur, si latinum verbum *corroborare* praeferimus, corroborationem, uti patet, intelligentes supernaturalem, quae incremento gratiae sanctificantis virtutumque infusarum obtinetur (cfr *Reith. Mai.* etc.). Quam significationem, ni fallor, *S. Basil. M.* (Reg. brevius tract. 226) insinuat, si nostrum locum allegans ait, Scripturam verbo παρακαλεῖν uti πρὸς τὸ συμβιβάζειν τὴν καρδίαν εἰς πληροφορίαν τῆς ἀληθείας (cfr *Col.* 2,2); plena enim ac perfecta fide corroboratur cor.

Accuratius iam explicat, quod supra (*v.* 10. *tandem aliquando*) innuerat, se iam diu desiderium Romam veniendi fovisse : **13.** *nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos — et prohibitus sum usque adhuc — ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in*

ceteris gentibus. Haud levis momenti esse illud, quod addere vult, ipsa formula indicat, qua illud affert : *nolo autem* (δέ metabat.) *vos ignorare* (cfr 11,25; 1 *Cor*. 10,1; 12,1; 2 *Cor*. 1,8; 1 Thess. 4,13). Ex ipsa quippe sua vocatione ad gentium apostolatum desiderium suum exoriri demonstrat, quum inter Romanos non minus, quam inter alias gentes, quibus iam Evangelium attulit (15,15 sqq. 23 sqq.), fructum aliquem spiritualem sese expetere dicat, quia omnibus gentibus debitor sit (*v*. 14). Quis vel quid eum impedierit, quominus propositum suum exsecutioni mandaret, non addit; quia a S. Spiritu in suis itineribus dirigi solebat (cfr *Comment*. in 2 Cor. et Gal. p. 422 *n*.), interdum autem satanae machinationibus, Deo id permittente, a propositis suis exsequendis retinebatur (1 *Thess*. 2,18; cfr 2 *Cor*. 12,7), aliqui hic quoque aut cum *Chrys*. de Spiritu S. iter directe (cfr *Act*. 16,6. 7) impediente, aut cum *S. Basil. M.* (Reg. brevius tract. 275) de satana agi arbitrantur. At multitudine laborum, quos in Oriente subeundos habuerat, iter suum romanum esse retardatum, Paulus infra (15,22) diserte tradit; unde idem impedimentum hoc in loco intelligatur oportet. Quia autem S. Spiritus ei labores illos assignaverat, ab illo indirecte impeditus dici potest ac debet.

Verba *et prohibitus sum usque adhuc* parenthesis uncis a *Vulg. Clem.* recte includuntur; sententia enim finalis, quae sequitur (*ut aliquem fructum habeam* [rectius : *haberem*] *et in vobis* etc.) ab illis non dependet, sed causam exponit, cur Apostolus Romam venire saepe proposuerit; ad aptum vero sensum non perveniunt, qui (uti olim iam aliqui Graeci teste *Oec*.) finem prohibitionis indicari volunt. Eandem porro desiderii sui rationem *vv*. 11. 12. iam expresserat eamque per metaphoram quandam satis usitatam (cfr 1 *Cor*. 3,6 sqq. etc.) nunc repetit, agricolae sese comparans, qui agrum sibi assignatum colit proxime quidem, ut ager domino suo divitem fructum producat, sed etiam ut ipse de eius fructu participet (cfr 1 *Cor*. 9,7. 10). Ager ei assignatus, quem plantare et irrigare debet, omnes gentes sunt, quas Evangelii praedicatione ad fidem adducere et in ea confirmare vi vocationis suae apostolicae tenetur; Romani ab aliis operariis adducti quidem ad fidem iam sunt, at irrigatoris munere inter eos fungi eosque confirmare desiderat, ut ex ista quoque agri parte fructum sibi acquirat. Irrigator enim non minus, quam plantator, secundum suum laborem mercedem accipit et de fructu participat (1 *Cor*. 3,8; 9,10). Quem in sensum ex *Oec*. bene *Iust*. adnotat « Paulum non dixisse : ut aliquem fructum *pariam*, sed : *habeam*, ut nimirum ostenderet, audientium profectum esse docentis fructum, sive quia id facit caritas (qua aliquis de alterius profectu spirituali quasi de suo ipsius gaudet),

sive quia is docendi praedicandique labor non potest non magnum praeconi Evangelii afferre fructum ».

Fructum igitur inter Romanos quoque sibi acquirere vult, quemadmodum illum *inter reliquas gentes*, nulla excepta (ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν), partim iam acquisivit, partim sibi acquirere proposuit (cfr 15,24. 28). Quod studium ethnicos populos (de his solis, Iudaeis exclusis, iuxta contextum agitur) universos complectens ex amplitudine muneris exoritur, quo gentium Apostolus constitutus omnibus gentibus sine ulla exceptione iuxta divinam voluntatem Evangelium afferre tenetur : **14.** *Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus* (i. e. non sapientibus) *debitor sum.* Sicut missus est evangelizare ac tam gravi praecepto ad annuntiandum Evangelium est obligatus, ut poenam gravem sibi attraheret, si ab illo propagando sese abstineret (cfr 1 *Cor.* 1,17; 9,16), ita omnibus quoque gentibus illud annuntiare est iussus. Duplici membro universitatem gentium describit, quibus vi muneris et officii est debitor, in priore linguae maxime vel cultus humanitatisque, in altero scientiae ac doctrinae ratione habita. Graecis omnes populi, qui aliis linguis moribusque utebantur, barbari erant; quare si nomina stricto suo sensu sumuntur, cum nonnullis dicendum est, Romanos barbaris a Paulo adnumerari. At nihil vetat, quominus latiore sensu illa interpretemur[1], ita ut in primo membro nationes cultae incultis, in altero doctae indoctis opponantur, atque in utroque Romani, quibus scribit, priori classi cultarum et doctarum nationum accenseantur. Recte enim *Chrys.* sua interpretatione insinuat, eo tendere Apostolum, ut dignitatis excellentiaeque discrimen inter nationes hac in quaestione nullum esse moneat; omnibus evangelicam doctrinam aeque esse necessariam seque omnibus eodem modo esse debitorem. Quod vero alii censent, in priore quidem membro de nationibus, in altero autem de

1. A Romanis ipsis locutio ita adhibebatur; *Cicero* quidem, ne Italos barbaris accenseat, scribit : « non solum Graecia *et Italia*, sed etiam omnis barbaria » etc. (de fin. II. 15); at *Seneca* (de ira III. 2) : « nulla gens est, quam non ira instiget, tam inter Graios quam barbaros potens », ubi evidenter gentes moribus suaviores cultioresque incultis rudibusque opponit atque Graiorum nomen ethnographica sua significatione quasi privavit.

Alibi (ad 1 *Cor.* 1,22) iam monuimus, nomen Ἕλληνες in Novo Test. nusquam esse gentilicium, quo gens seu natio Graecorum designetur; hoc uno in loco forte ista significatio admitti potest, at rectius hic quoque sensu generaliore sumitur; reliquis omnibus in locis *gentiles* designat in opp. ad Iudaeos. — *Vulg.* in eo vertendo sibi non constat; aliquoties illud vertit *Graeci* (v. 14. 16; 2,9. 10; 3,9; 10,12; 1 *Cor.* 1,22. 23. 24; *Gal.* 3,28; *Act.* 11,20; 14,1,18,4), aliquoties *gentiles* vel *gentes* (*Ioan.* 7,35; 12,20; *Act.* 16,1. 3; 17,4; 19,10. 17; 20,21; 21,28; 1 *Cor.* 10,32; 12,13; *Gal.* 2,3; *Col.* 3,11); saepius non legitur. Nomine *Graecorum* autem *Vulg.* etiam reddit graecum Ἑλληνισταί, qua appellatione Lucas semel Iudaeos graeca lingua pro patria utentes designat (*Act.* 9,29) atque semel Iudaeochristianos illos, qui graecam lingua pro vernacula habebant (*Act.* 6,1).

singulis istarum nationum personis agi, id mihi non probatur, quum sequenti sententiae minus congruat.

Concludit enim : **15.** *ita — quod in me — promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare.* Particulam *ita* (οὕτως) hic habere vim illativam (i. q. *itaque*), plerique recte consentiunt; conclusionem autem ex v. **13.** (*saepe proposui venire ad vos*) non infert, uti *Tolet.* cum nonnullis censet, sed ex sententia immediate praecedente. Quia omnibus praedicare tenetur gentibus, promptissimus est etiam Romanis praedicare; postquam enim per tot annos ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum (15,19) maxime inter barbaros Evangelium propagavit, Romam quoque videre desiderat (*Act.* 19,21), ut in imperii capite et centro, quo omnibus ex provinciis gentiles confluant, aliquid ad Evangelii profectum, si ita Deo placuerit, conferre possit. Quae legitima verborum τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον sit constructio, non constat. Alii (cum *Vulg.*) verba τὸ κατ' ἐμέ ab adiectivo πρόθυμον ita separant, ut hoc pro substantivo προθυμία (promptitudo, promptus animus) positum atque sententiae subiectum esse dicant : « quod ad me attinet, propensio vobis quoque praedicandi adest, dummodo scilicet haec sit Dei voluntas » (cfr *v.* **10** *in voluntate Dei*). Qua in explicatione id creat difficultatem, quod adiectivum neutrius generis non nisi cum articulo pro substantivo adhiberi soleat. Hinc alii verba τὸ κατ' ἐμέ subiectum, πρόθυμον praedicatum sententiae esse volunt : « quidquid in me est, id promptum est etiam vobis praedicare »; sed locutio τὸ κατ' ἐμέ non significat : *quod in me est*, sed : *quod ad me attinet*, nec proin potest esse subiectum. Quare vocabula τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον rectius ita connectuntur, ut adiectivum τὸ πρόθυμον quidem pro subst. ἡ προθυμία sit positum (cfr ad 2,4), locutione κατ' ἐμέ autem pronomen possessivum cum emphasi suppleatur (cfr *Eph.* 15,1 τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν *Vulg.* recte : fidem *vestram; Act.* 17,28; 18,25) : « *mea* quidem propensio ad Evangelium vobis quoque praedicandum adest, dummodo id Deo placeat ». Tribus istis explicationibus sensus vix variatur et iuxta omnes tres Paulus propensionem suam Romam veniendi ex obligatione derivat, qua omnibus vi vocationis suae Evangelium afferre tenetur. Inter modernos aliqui verba ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ οὖσιν (*vobis qui Romae estis*) lato sensu de omnibus Romanis, Christianis et ethnicis, intelligenda esse censent (cfr *Beel.* etc. — *God.* etc.), quia Paulus infidelibus quoque Romae praedicare novisque membris ecclesiam romanam augere voluerit et quia verbum εὐαγγελίζεσθαι de prima tantum Evangelii annuntiatione usurpetur. Quae haud recte dicuntur; procul enim dubio verbum εὐαγγελίζεσθαι etiam de annuntiatione doctrinae adhibetur, quae fidelibus traditur (15,20; *Gal.* 1,8. 9), atque Paulus infideles, quibus haec epi-

stola non est destinata, compellare non potuit. Solos fideles alloquitur et, quum ipse Romam venire nondum possit, hac ipsa epistola Romanis evangelizat obligationique, qua erga eos tenetur, pro viribus satisfacit. Totam quippe doctrinam de gratuitate et universalitate iustificationis per fidem in Christum obtinendae, quam « Evangelium suum » appellare solet, eis exponit, atque statim iam ad eam exponendam transit.

PARS PRIOR DOGMATICA.

DE IUSTIFICATIONIS GRATIA OMNIBUS AC SOLIS CREDENTIBUS OBLATA (1,16-11,36).

Tractatus totius thema et divisio (1,16-17).

1,16. *Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco.* 17. *Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem : sicut scriptum est : Iustus autem ex fide vivit.*

1,16. Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον· δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστὶν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε καὶ Ἕλληνι. 17. δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται· Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται [1].

Postquam neophytis auctoritatem suam apostolicam, quae eorum quoque ad ecclesiam pertingeret, demonstravit eorumque animos caritate sua manifestata sibi conciliavit, Paulus ad argumentum, quod tractandum sibi proposuerat, orationem non minus pulchro quam apto transitu convertit. Gentium enim Apostolus constitutus earumque omnium vi vocationis suae debitor factus promptum quidem paratumque sese declaraverat ad Evangelium Romanis quoque annuntiandum; at tamdiu iter romanum retardaverat, ut suspicari aliquis potuerit, eum pudore quodam retineri, « quominus in civitate omnium prima, ubi sedes erat imperii atque nobilitas, sapientia, doctrina, divitiae residebant, praedicare auderet » (*Tolet.*). Gentibus enim, quae huius mundi sapientiam quaerunt, Evangelium stultitia est (cfr 1 *Cor.* 1, 18 sqq.), idque Paulus ipse erat expertus, quando in celeberrimis Graeciae civitatibus Evangelium annuntiaverat, Athenis repulsam passus ac velut seminiverbius despectus (*Act.* 17,18 sqq.), Corinthi non nisi plurimis maximisque superatis difficultatibus (*Act.* 18,9) victoriam tandem inter eos fere solos consecutus, qui sapientia et nobilitate et potentia huius mundi destituti erant (cfr 1 *Cor.* 1,26 sqq.).

1. *VV. LL.* — 16. τὸ εὐαγγέλιον (Evangelium) sine additam. B ℵ A C D E G, pauci minusc., *It.* (*Tert.* c. Marc. V. 13 : non enim me pudet Evangelii, *A*[ter] *S. Aug.* de spir. et lit. 11,18 : non confundor de Evangelio, etc.) *Vulg. Syr. Copt. Arm.*; sed *textus rec.* : τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ (Evangelium *Christi*) cum K L P, plerisque minusc., *Aeth.* — Ἰουδαίῳ τε καὶ Ἕλληνι (Iudaeo et Graeco) B G et *Tert.* l. c.; at legatur oportet : Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι (*Iudaeo primum et Graeco*) cum reliquis omnibus testibus.

Hac igitur suspicione, quam forte per adversarios suos spargi audierat, pro transitu utitur; ut illam enim reiiciat, paucissimis verbis, quid de evangelicae praedicationis divina efficacitate et universali necessitate sentiendum sit, complectens eadem brevi sententia universum argumentum, quod in dogmatica epistolae parte explanaturus est, proponit : 16. *non enim erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco.* Prior sententiola, quae particula causali (*enim*) praecedenti arcte adnectitur, praefationem epistolae terminat : « vobis Romanis quoque praedicare paratus sum; neque enim praedicationis evangelicae, quamvis a sapientibus huius mundi contemnatur ac vilis reputetur, me pudet »; altera vero sententia, quae rationem cur Evangelium non erubescat adiungit, ipsam praedicationem quasi exorditur suspicionemque illam fundamento carere probat. Nomine *Evangelii* iuxta contextum non tam doctrina, quam annuntiatio evangelica intelligi videtur (cfr ad *v.* 1 p. 31), res praedicatae tamen simul comprehenduntur, quandoquidem potissimum ob suum argumentum praedicatio contemnebatur. Ratio vero, ob quam de ea non erubescendum esse docet, eadem utique est, quam Corinthiis quoque indicavit (1 *Cor.* 1,18 : « verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, *iis autem qui salvi fiunt, i. e. nobis, Dei virtus est* »), iis autem proponitur verbis, quae singula excellentiam Evangelii praedicant.

Praeprimis enim Evangelium vocatur *virtus Dei* (δύναμις Θεοῦ), i. e. res qua Deus suam potestatem manifestat, vel potius res, quae a Deo per eam operante suam habet efficacitatem ideoque omnem humanam sapientiam infinite superat. Deinde efficax Dei instrumentum dicitur *ad salutem* (εἰς σωτηρίαν), quam nulla humana aut creata virtus producere potest. *Salus* enim intelligitur supranaturalis, quae, si in sua consummatione spectatur, ipsa est vita ac gloria aeterna, in sua inchoatione autem hac in terra in eo est sita, ut homo remissis peccatis liber sit ab ira Dei, et gratia sanctificante ornatus ius habeat ad gloriam vitamque aeternam (5.9 sqq.), quin etiam hanc certa firmaque spe, quae ob divinam fidelitatem falli nequit, iam possideat (cfr ad 2 *Cor.* 5,1). Tertio demum virtutis salvificae suae extensione Evangelium eminet, quum *omni credenti* (παντὶ τῷ πιστεύοντι) in salutem esse dicatur. Quibus verbis efficacitatis universalitas asseritur, sed etiam restringitur; siquidem omnibus hominibus sine ullo personarum discrimine, quum omnibus sit destinatum, per se potest quidem salutem praestare, sed eam revera credentibus tantum omnibus praestat. Iuxta divinam enim ordinationem Evangelium, ut divinam suam efficacitatem in aliquem exserat, fidei obedientia ab eo recipiatur oportet, atque fides, qua evangelicae

praedicationi creditur, « est salutis humanae initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire » (*Conc. Trid.* sess. VI. de iustif. cp. 8). Recte autem *Tolet.* adnotat, Evangelii non solum efficacitatem, sed etiam necessitatem universalem asseri. Ad mentem enim Pauli, id quod ex tota eius argumentatione elucet (licet his verbis minus clare sit expressum), Evangelium ita dicitur efficax salutis, ut sine illo nemo eam assequatur.

Quemadmodum antea (*v.* 14) de apostolici sui muneris amplitudine disserens, ut illud ad omnes omnino *gentes ethnicas* extendi assereret, duas earum classes, *Graecos ac barbaros*, distinxit Graecorumque nomine cultiores nationes incultis indoctisque opposuit, ita hic de universali Evangelii efficacitate agens, ut eam ad universum *genus humanum* extendi moneat, in duas classes illud distribuit : *Iudaeos et Graecos*, et nomine Graecorum, uti plerumque (p. 62 *n.*), omnes illos, qui supranaturalem revelationem (nisi in Adamo) non receperant, populo electo Iudaeorum opponit; ipso igitur contextu nomen *Graeci* diverso sensu duabus his in sententiis sumendum esse edocemur. Quamvis autem omnibus credentibus, sive ex Judaeis venerunt sive ex Graecis, Evangelium sit salutis vere efficax, discrimen tamen quoddam inter duas classes intercedere Paulus innuit, quum *Iudaeo primum* (Ἰουδαίῳ πρῶτον) ad salutem illud esse dicat. Soli enim enumerationi adverbium πρῶτον inservire, id quod pauci moderni censent (*Mai.* etc.), nemo facile admiserit, quia in duorum membrorum enumeratione parum apte eiusmodi adverbium ponitur; ordinem potius quendam hic, uti in loco parallelo (2,9. 10), indicari reliqui recte tenent. Qui non est temporis, uti multi cum *Chrys.* volunt, quatenus Iudaeis prius quam ethnicis et a Domino et ab Apostolis Evangelium sit oblatum (haec enim explicatio ad locum parallelum non quadrat, siquidem Iudaeos ante ethnicos iudicatum iri poenamque aut mercedem ante eos esse accepturos nusquam docetur), sed iuris, ut ita dicamus, ac privilegii est ordo. Namque Iudaeis non tantum propter divinam misericordiam eadem ratione, qua aliis omnibus, nationibus, salus tribuitur, sed propter fidelitatem Dei, qui eis salutem messianam promiserat, speciali quodam iure eam obtinebunt (cfr ad 15,8. 9). Quem in sensum bene *Thom.* : « Quantum ad salutis finem consequendum non est distinctio inter Iudaeum et Graecum (10,12); aequalem enim consequentur mercedem utrique, sicut pro labore etiam in vinea priores et posteriores eundem denarium acceperunt (*Matth.* 20,9. 10); sed quantum ad ordinem salutis Iudaei sunt primi, quia eis promissiones sunt factae et in eorum gratiam gentiles sunt assumti (11,11 sqq.) ». Quare adver-

bium πρῶτον latino *imprimis, praecipue* a nonnullis recte redditur (*Tol. Est.* etc.). Mirum in modum *Cai.* praeeunte, ut videtur, *Orig.* et sequente uno alterove moderno acath. (*Klosterm.*), adverbium ad utrumque nomen *Iudaeo et Graeco* trahit, ut eos a reliquis nationibus distinguat, atque duplicem ordinem exsecutionis significari censet, priorem Iudaeos inter et Graecos, alterum inter Iudaeos Graecosque et barbaros; a Iudaeis praedicationem initium sumere debuisse, ut deinde ad Graecos transiret et ab his ad barbaros perveniret. Quae explicatio nec verbis congruit nec doctrinae Pauli, qui Graecos « quia sapientiam quaerant » nusquam aliis gentibus praefert.

Antequam thesin suam in tractatu dogmatico demonstrare incipit, eam explicationis gratia aliis verbis quasi repetit et doctrinae Test. Veteris consonare insinuat : 17. *iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Iustus autem ex fide vivit.* Quorum verborum sensus ac nexus est : Evangelium in salutem esse omni credenti dicitur, quatenus salutis viam a Deo stabilitam sed in vetere oeconomia occulte tantum indicatam clare docet; revelat quippe, iustitiam, quae salutis aeternae est necessaria conditio, vel potius quae ipsa iam est salus inchoata, ex fide evangelica esse et a Deo credentibus concedi, ita ut iuxta prophetae verba iustitia ac vita sint ex fide (cfr 3,21. 22). Sed singula inspiciamus.

Iustitia Dei a nonnullis antiquis, paucis modernis acath. consentientibus, intelligitur divinum attributum, quo Deus aut « nullum, sive Iudaeus sive Graecus sive barbarus venerit, a salute excludit » (*Orig.*), aut « illud quod promisit etiam dedit » (*A*[ter]*Sed*[1]. *Thom*[1]. etc.), aut peccata non nisi propter Christi vicariam satisfactionem remittit (*Theod.* — *Steng. Ust.* etc.); sed hae explicationes, licet δικαιοσύνη Θεοῦ aliquoties, etiam in nostra epistola (3,5. 25. 26), attributum divinum significet, huius loci contextui non consonant. Ad quem attendentes cum *Chrys.* et *Aug.* iuniores ac moderni interpretes[1] tantum non om-

1. *S. Aug.* (de spir. et lit. 11,18) de nostro loco agens : « Ideo, inquit, *iustitia Dei* dicitur, quod impertiendo eam iustos facit, sicut *Domini est salus*, qua salvos facit ». Similiter (l. c. 9,15) ad *Rom.* 10,3 : « Non dixit iustitia *hominis* vel iustitia *propriae voluntatis*, sed *iustitia Dei*, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, quum iustificat impium »; et de eodem loco iterum (in Ioan. tract. 26,1) : « Iustitia Dei hic dicitur non qua iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut iustus sit homo per Deum ». *Chrys.* autem illam iustitiam intelligendam esse dicit, « quam homo ex labore et sudore non perficit, sed ex superno dono accipit, illud unum ex sua parte afferens quod credat ».

Inter iuniores cath. interpretes *Sedul.* et *Thom.* utramque explicationem de iustitia, qua Deus iustus est, et de iustitia, qua impium iustificat, velut probabilem proponunt; reliqui tamen cum *Haym. Herv.* alteram praeferunt ac vindicant. Solus, ut videtur, recentissimus epistolae commentator (*A. Schaefer* Der Br. an die Römer. 1891. p. 64 sqq.) utramque in unam coniungere vult; sed quomodo id fieri possit, equidem non intelligo. Ait nimirum, iustitiam, qua Deus iustus est, hic considerari « quatenus in secunda persona divina, quae

nes genetivo *Dei* non subiectum, cui inhaereat iustitia, sed auctorem, a quo originem trahat, designari tenent docentque non iustitiam, qua Deus iustus est, sed qua homines iustos facit, hic intelligendam esse.

Quam interpretationem Patres tridentini approbantes, quum de iustificationis causis agunt, unicam eius causam formalem esse dicunt « *iustitiam Dei*, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur sed vere iusti nominamur et sumus iustitiam in nobis recipientes » (*Conc. Trid.* sess. VI. de iustif. cp. 7). Est igitur *iustitia Dei* hoc in loco donum divinum illud, quo homo ex eo statu, in quo nascitur filius irae divinae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei transfertur atque « ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae » (*Conc. Trid.* l. c. et cp. 4). Itaque re *iustitia Dei* hic idem est, quod salus inchoata, de qua in praecedente sententia proxime sermo erat. Hanc locutionis interpretationem genuinam esse quum verba prophetae docent ab Apostolo confirmationis gratia addita, quippe ex quibus de dono agi eluceat, quo homo iustus constituitur et vitam aeternam obtinet, tum loci paralleli confirmant, in quibus *iustitia Dei* per fidem Christi esse (3,22) et homini conferri insinuatur (cfr ad 2 *Cor.* 5,21), aut velut iustitia, quae *ex Deo* sit, propriae hominis iustitiae opponitur, illi nimirum, quam suis ipsius viribus confisus homo operibus Legis sibi acquirere conatur (10, 3;

naturam humanam assumtam secum inseparabiliter coniunxit, subsistat et per eam se manifestet » (insofern sie in der zweiten Hypostase, die mit sich die angenommene menschliche Natur unzertrennbar vereinigt hat, subsistiert und mittels derselben sich offenbart), ac pergit : « Sicut Iesus per suam humanam naturam miraculis manifestat omnipotentiam et vaticiniis omniscientiam suam, ita per eam etiam suam, i. e. Dei, iustitiam manifestat. Atque id non eo solo fit, quod ipsius humana natura substantialiter iustificata et sanctificata est, sed etiam eo, quod fideles sanctificantur. Id autem hac ratione perficitur, ut fideles cum Christo, idque per eius humanam naturam, supranaturaliter uniantur membraque corporis eius mystici fiant. Omnis iustitia, quae cum creatura communicatur, radicem suam habet in Dei iustitia, quae in Christo ad homines pervenit; quare de omni illius (sc. iustitiae) manifestatione, quae fit in vivis Ecclesiae membris ac perfectissime in beatis, apte dicitur, eam fieri *in eo*, i. e. in Iesu Christo, qui Evangelii est argumentum ». At cl. auctor ad multiplicem sensum nominis δικαιοσύνη non satis attendisse variasque eius significationes confudisse videtur. Procul quidem dubio iustitia, qua impius iustificatur (i. e. gratia sanctificans et caritas quae in corde eius per S. Spiritum diffunditur, vel si mavis collatio huius gratiae sanctificantis) radicem suam habet in iustitia essentiali Dei (si hoc nomine aut eius sanctitas essentialis aut eius fidelitas intelligitur), sicut radicem suam habet in misericordia, benignitate aliisque attributis divinis, quae eadem ratione, qua « iustitia Dei », in Christo apparuerunt ac manifestata sunt. Verum quomodo inde sequitur, eodem nomine *iustitiae Dei* hic SIMUL significari *attributum* divinum, quo Deus iustus est, et *donum* divinum, quo Deus hominem facit iustum, causam increatam et effectum creatum? Quomodo praeterea haec explicatio cum declaratione *Conc. Trid.* supra allegata conciliatur?

cfr *Phil.* 3,9 : μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει i. e. iustitiam, quae ex Deo est et in fide fundatur). Sunt qui genetivum Θεοῦ dicere malint obiectivum, ut δικαιοσύνη Θεοῦ sit idem quod δικαιοσύνη ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, i. e. iustitia *coram Deo*, quae sc. coram eo valeat (cfr *Tol. Est.* etc., qui ad locutiones δικαιοῦσθαι ἐνώπιον Θεοῦ vel παρὰ τῷ Θεῷ *iustificari coram Deo, apud Deum,* respiciunt 3,20; *Gal.* 3,11 etc.). Quae explicatio inepta quidem non est, dummodo cum catholicis illis interpretibus arceas acatholicorum errorem de iustitia, quae hominem vere iustum non faciat sed ei externe tantum imputetur. Locis tamen parallelis prior explicatio omnino commendatur ac praeterea evidens est, iustitiam homini a Deo collatam coram Deo valere.

Haec porro iustitia Dei *in eo,* i. e. in Evangelio, *revelari* (ἀποκαλύπτεται) dicitur; *A*^ter^ quidem pronomine *in eo* illum « qui credit, sive Iudaeus sit sive Graecus » intelligere vult, sed contextum non perpendit, quum Apostolus quae sit *Evangelii* virtus salvifica explicet. Iam vero in vetere oeconomia plane ignotum non erat, iustitiam, qua ad vitam aeternam pervenitur, esse ex fide (venturi Messiae), siquidem Apostolus verba prophetae statim allegat, quibus haec doctrina insinuetur; postea quoque eam a Lege et prophetis testificatam esse diserte dicit (3,21), quin etiam tota sua expositione de Abrahae iustificatione (4,1 sqq.) innuit omnes veteris oeconomiae iustos non nisi venturi Messiae fide iustitiam ac salutem obtinuisse. At obscure tantum ante Christi adventum haec doctrina erat proposita, atque Lex, quum suis observatoribus vitam promitteret, aliam viam ad salutem docere ethnicosque, qui Legem non habebant, a salute excludere videbatur (cfr ad *Gal.* 3,11. 12). Quod igitur Legis tempore velamine quodam erat obtectum, id nunc in Evangelio clare et manifeste proponitur (3,21), iustitiam non esse ex Lege sed ex fide, et omnibus credentibus, sive Iudaeis sive Graecis, conferri. Clarum autem est, Evangelium virtutem esse ad salutem, quia non tantum docet, iustitiam, quae ad vitam aeternam perducit, esse donum Dei, sed etiam omnia continet, quae credens homo iustificatur, atque simul viam monstrat, qua ad iustitiam pervenit.

Viam enim hanc Apostolus indicat duobus membris additis : *ex fide in fidem* (ἐκ πίστεως εἰς πίστιν), quae cum verbo *revelatur* immediate non sunt connectenda, neque unum ab altero dependent, sed velut appositiones adiectivae ad subiectum *iustitia Dei* pertinent et inter se sunt parallela : « iustitia Dei, *quae est ex fide et quae est in fidem,* revelatur in Evangelio ». Inserto autem verbo *revelatur* Apostolus appositiones illas a suo substantivo separavit, ut in hoc proxime totam attentionem legentis convertens iustitiam a Deo esse et conferri, neque

propriis hominis viribus acquiri, clarius indicaret. Quis vero appositionum sit sensus, loco parallelo edocemur, in quo Paulus iustitiam Dei nunc manifestatam iisdem duobus membris appositis describit, secundum autem clarioribus verbis enuntiat : « iustitia autem Dei *per fidem* Iesu Christi *in omnes credentes;* non enim est distinctio » (3,21. 22. δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας). Iustitia igitur *ex fide* vel *per fidem*, minime vero ex operibus Legis, uti Iudaei autumabant, nec ex similibus operibus naturalibus, uti ethnici volebant, exoritur, siquidem fides in Christum est « fundamentum et radix omnis iustificationis »; confertur vero *in fidem* vel *in omnes credentes* sine ulla personarum distinctione, non quasi sola fides ad iustificationem sufficiat, sed quia fides uti prima, ita maxime necessaria dispositio est, sine qua fieri nequit, ut quis placeat Deo et iustus sit coram eo. Aeque parum autem haec duo membra sunt tautologica, ac si alibi promissio « *ex fide* Christi dari *credentibus* » dicitur (cfr ad *Gal.* 3,22); *in credentes* scilicet Deus confert iustitiam non respiciens ad Iudaeorum opera Legis aut ad similia gentilium opera, sed unice attendens ad fidem, ut *ex fide* et *per fidem* sit iustitia. Nostro autem in loco pro concreto *in omnes credentes* Paulus abstractum *in fidem* videtur elegisse, ut non tantum expressius doceret, fidem esse conditionem, sine qua donum iustitiae nequeat obtineri, quae vero, si adsit, hominem ad illud recipiendum disponat, sed efficacius quoque moneret, ex parte personarum, si fides adsit, non esse distinctionem, quia ad opera Legis etc. in dono iustitiae concedendo non attendatur. Itaque duobus his membris explicantur ultima verba praecedentis sententiae : *omni credenti, Iudaeo ac Graeco.*

Hanc duorum membrorum satis difficilium interpretationem, quam *Oec*[2]. iam innuit (« *a fide* incipit et *in credentem* desinit »), cum haud paucis modernis (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp. LR. Sch.* etc. — *Goeb. God.* etc.) praeferendam ducimus, quia verbis non minus quam contextui est adaptata et ipsius Pauli doctrina commendatur. Ceterum haud immerito *Iust.* adnotat « locum per se implicitum et obscurum multiplicibus explanatorum sententiis paene inextricabilem esse redditum ». Plerique antiqui membra *ex fide in fidem* et inter se et cum verbo *revelatur* connectunt, sed in eorum sensu definiendo longissime discedunt. Vulgatior est sententia, quae de fide veteris et novae oeconomiae sermonem esse censet (« revelatur ex fide Legis in fidem Evangelii » *Tert.* c. Marc. V. 13; similiter *Orig. Chrys. Theod.* etc., *Herv*[1]. *Thom*[1]. etc., *Cai. Tol.* etc.). Sed non omnibus placuit; aliam elegit *Ater* : « ex fide (i. e. fidelitate) Dei promittentis in fidem hominis credentis »; duas proposuit *Aug.* : « ex fide annuntiantium in fidem obedientium » (de lit. et spir. 11, 18; cfr *Sed*[1]. *Herv*[2]. *Thom*[2]. etc.) aut « ex fide verborum,

quibus nunc credimus quod non videmus, in fidem rerum, qua in aeternum quod nunc credimus obtinebimus » (Quaest. evang. II. 39. cfr *Sed*[2]. *Thom*[4]. etc.); *Herv.* duabus prioribus tres alias adiecit : « ex fide primi adventus Domini in fidem secundi, ex fide primae resurrectionis in fidem secundae, ex fide humanitatis Christi in fidem divinitatis eius »; *Thom*[3]. quoque cum aliis novam affert : « ex fide unius articuli in fidem alterius, quia ad iustificationem requiritur omnium articulorum fides ». Quas omnes ac similes multas, quae excogitatae sunt, satis arbritrarias esse neque contextui adaptari clarum est.

Contextui quidem aliae duae expositiones, quae a iunioribus ac modernis nonnullis proponuntur, aptius concordant, sed aliis difficultatibus laborant. Aliqui enim prius solum membrum (*ex fide*) ad definiendam iustitiam inservire, altero (*in fidem*) finem revelationis indicari volunt hoc modo : « iustitia *ex fide* revelatur (vel : iustitia revelatur esse ex fide) *in fidem*, i. e. ut habeatur fides, ut sc. omnes credant et iustificentur » (cfr *Est*[1]. etc., *Ag.* — *Fr.* etc.); recte vero *Est.* ipse iam monuit, violentam esse hanc membrorum divulsionem, atque addere potuit, sensum per se esse parum aptum, siquidem revelationem alicuius rei fieri, ut fides ei habeatur, per se intelligitur. In deterius porro nonnulli acath. (*Weiss* etc.) hanc explicationem mutarunt, quum in priore membro fidem, qua Evangelium recipitur, in altero fidem (vel potius fiduciam) suam iustificantem invenirent. Ut enim errorem illum fiduciae iustificantis praetermittamus, in tam brevi sententiola eidem vocabulo duas significationes diversas sine necessitate attribuere non licet. Ob eandem rationem nobis altera quoque sententia non probatur, quae ab *Oec*[1]. et *Theoph.* proponitur et a *Lyr. Est.* multisque iunioribus approbatur (cfr *Per. Sa Lap. Nat. Pic.* etc. *M Ev.* etc.); verba enim *ex fide in fidem* per hebraismum (cfr *Ps.* 83, 8 ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν מֵחַיִל אֶל־חָיִל) significare coniiciunt : « ex fide promovente ac subinde augescente » aut « ex fide incipiente et imperfecta in fidem perfectam caritate formatam proficiente », ut totius sententiae sensus sit : « In Evangelio vera iustitia revelatur, quae incipit, alitur, augescit per fidem in dies crescentem, donec credentem ad salutem perducat » (*Lap.*).

Evangelium ergo virtus Dei est in salutem omni credenti, quandoquidem iustitiam Dei, qua sola homo aeternae vitae capax redditur atque hac in terra iam salute inchoata fruitur, ex fide in Christum esse et in solos et omnes credentes sine ulla Iudaeorum ac Graecorum distinctione conferri revelat. Neque vero nova est haec doctrina neque nunc tandem, postquam Evangelium praedicari coeptum est, valere incepit, sed antea quoque et quidem ipsius Legis tempore iam valuit, quamvis haec observatoribus suis vitam promittere videretur; quare temporis quoque ratione universalis est omnesque omnium temporum homines complectitur. Quod ut ostendat thesinque suam generalem esse neque exceptionem admittere probet, Paulus velut divinitus in-

spirata (*sicut scriptum est*) verba prophetae (*Hab.* 2,4) allegat, qui sub Lege constitutus nullo discrimine facto asseruit : *Iustus autem ex fide vivit.* Iisdem verbis Paulus contra iudaizantes Galatarum seductores demonstravit, hominem ex operibus Legis non iustificari sed ex fide in Christum. Quem locum interpretantes exposuimus, quis illorum verborum in suo contextu sit sensus et quanto cum iure ab Apostolo in quaestione de iustificationis natura et origine adhibeantur (*Comment.* in epp. 2. Cor. et Gal. p. 485 sq.); quibus hic pauca pro complemento addimus. Praeprimis enim ex nostro loco clarius elucet, verba ex alexandrina versione allegari, siquidem particula δέ inserta, quum huius loci nexui indicando non inserviat et in textu hebraico particula copulativa וְ habeatur, apte explicari nequit, nisi ex alexandrina versione retenta conceditur (ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה). Deinde clarius quoque hic apparet, a vero illos interpretes aberrare, qui Apostolum illud ἐκ πίστεως velut appositionem cum subiecto coniunxisse (*iustus ex fide* i. q. qui ex fide iustus est) atque ita a genuino prophetae nexu et sensu recessisse sibi persuadent. Namque iuxta nostrum contextum Apostolus proxime demonstrare vult, salutem seu vitam esse ex fide evangelica; unde illud ἐκ πίστεως eadem ratione, qua propheta, ad praedicatum (ζήσεται) traxisse dicendus est, etiamsi indirecte simul sequatur, iustitiam quoque, sine qua vita ac salus non obtinetur, ex fide esse, si vita ipsa est ex fide. Demum hac allegatione extra controversiam poni patet, tum *fidem,* ex qua iuxta Apostolum est iustitia ac salus, esse illam, qua homo ob auctoritatem Dei revelantis ac promittentis omnia, quae divinitus revelata et promissa sunt, vera esse tenet iisque firmo mentis assensu inhaeret, tum *iustitiam*, quae credenti tribuitur, esse donum animo inhaerens, quo ex iniusto fit iustus atque hoc nomine deinceps iure vocatur. De fiducia enim divinae misericordiae peccata propter Christum remittentis (uti acatholici suam fidem iustificantem definiunt) propheta non loquitur neque de iustitia cogitare potuit, quae externe tantum imputata hominem in pristino suo iniustitiae mortisque spiritualis statu relinquat. Unde consequitur, in praecedente sententia locutiones *iustitia Dei* et *ex fide in fidem* eodem sensu esse interpretandas neque alias eis posse attribui significationes.

Itaque doctrina, quam Apostolus *vv.* 16. 17 velut argumentum in hac epistola tractandum sibi proposuit, haec est : Evangelium solum ad iustitiam ac proin ad salutem omnibus, quum Iudaeis tum Graecis, qui illud fidei obedientia recipiunt, conferendam efficax est, neque quisquam alia ratione ad vitam aeternam pertingere potest; seu aliis

verbis : fides evangelica, quae ipsa est gratuitum divinae misericordiae donum, hominibus unica est salutis via, at omnibus quoque sine ulla distinctione est aperta. Primo autem in loco thesin hanc ita *demonstrat* (1,18-4,25), ut Evangelium omnibus ad salutem esse necessarium appareat. Neque enim naturalem veritatis cognitionem gentibus neque Legem supernaturaliter revelatam Iudaeis ad salutem suffecisse, fide autem in Evangelio revelata omnes ad veram iustitiam et vitam pervenire posse ostendit. Eandem deinde thesin fructibus proprietatibusque iustitiae, quae ex fide est, enumeratis descriptisque ita *explanat et commendat* (5,1-8,39), ut quanta sit Evangelii virtus ad salutem conferendam clarius illucescat. Demum eam ab obiectionibus quibusdam *vindicat* (9,1-11,36), quum eam, non obstante Iudaeorum infidelitate ac rebellione, cum promissionibus patriarchis divinitus datis non tantum non pugnare sed amice consonare declaret.

Itaque in *prima sectione* verba illa *v.* 17 : *iustitia Dei revelatur in Evangelio,* omni ex parte perpendit exponitque; in *altera sectione* verba *v.* 16 : *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti*, accuratius explanat; in *tertia sectione* autem ad verba : *Iudaeo primum et Graeco,* respiciens doctrina sua ius praecipuum, quod Iudaei sibi ad salutem messianicam ob promissiones acceptas attribuunt, nequaquam laedi docet. Ipsa ergo theseos suae enuntiatione Apostolus divisionem tractatus sui dogmatici quodammodo adumbravit (cfr *Cai.*).

Hanc autem partis dogmaticae tripartitionem *Thom.* in suo commentario iam proposuit eamque velut aptiorem praeferimus reliquis divisionibus, quarum praecipuas recensuimus in *Introd. spec.* in singulos Novi Test. libros p. 463 sq.

SECTIO PRIMA.

QUID EVANGELIUM AD SALUTEM OMNIBUS CONFERENDAM VALEAT SEU DE IUSTITIA FIDEI GRATUITA ET UNIVERSALI (1,18-4,25).

Solum Evangelium omnibus hominibus, sive Graecis sive Iudaeis, salutem conferre, Apostolus historica quadam expositione demonstrare aggreditur. Universum enim genus humanum iuxta duas leges, quae ante Evangelii revelationem vigebant, in duas quasi classes distribuit, atque praeprimis *ethnicos*, qui legem naturalem habent (2,14), sua ipsorum culpa in idololatriam ostendit prolapsos, qua divinam iram sibi attraxerint et turpissimis criminibus sese immerserint (1,18-32).

A quo tristi spectaculo ad *Iudaeos*, qui de sua Lege revelata gloriantes peccata ethnica severe iudicabant, oculos convertens eos iisdem peccatis, quae in ethnicis condemnabant, invenit deditos (2,1-3,8). Unde constare concludit, *utrosque*, Iudaeos non minus quam ethnicos, sub peccato esse atque Legem mosaicam, quamvis hominem in peccati cognitionem adduceret, eum ad iustitiam non adduxisse (3,9-20). Cui historicae expositioni, quae *argumentum negativum* quoddam constituit, quum veritati naturali ac Legi mosaicae virtutem iustificandi salvandique neget, *positivam argumentationem* adiungit, qua nunc in *Evangelio* viam ac rationem manifestatam esse docet, qua omnes homines eodem modo veram iustitiam obtinere possint, viam nimirum fidei in Iesum Christum (3,21-30); hanc autem viam etiam in Lege mosaica iam esse indicatam ostendens concludit, Deum erga omnes, Iudaeos ac Graecos, infinitam suam caritatem manifestasse (3,31-4,25).

Duas igitur totius demonstrationis partes apte distinguimus, quarum *prior negativa* (1,18-3,20) omnes homines fide evangelica destitutos iustitia, quae coram Deo valeat hominemque ad salutem adducat, pari modo carere *tribus membris* probat, *altera positiva* (3,21-4,25) iustitiam hanc omnibus per fidem evangelicam in Iesum Christum gratis obtineri *duobus membris* ostendit.

§ 1. — *Argumentatio negativa.* *Sine fide Iesu Christi nulla habetur iustitia* (1,18-3,20).

1. — *Ethnici ob idololatriam ac peccata sua irae divinae obnoxii sunt* (1,18-32).

Thesi suae B. Paulus argumentationem arcte adnectit; Graecis quoque, i. e. ethnicis omnibus qui solam legem naturalem habent, solum Evangelium viam salutis monstrare asseruerat (*v.* 16); id autem ex praesente eorum statu probat, qui eos irae divinae subiacere revelet (*v.* 18). Quae ut explicet, ante omnia causam aperit, qua iram Dei sibi attraxerint (19-23), ac deinde qui huius irae sint effectus describit, turpissimis, quibus immersi sint, criminibus enumeratis (24-32). Universam quippe ethnicorum nequitiam tamquam manifestum signum considerat irae, qua Deus eos ob idololatriam puniverit et puniat.

1.) — ***Veritatem in iniustitia detinentes ethnici in idololatriam sunt prolapsi*** (1,18-23).

1,18. ***Revelatur enim ira Dei de coelo, super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustia detinent : 19. quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit. 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque eius virtus, et divinitas : ita ut sint inexcusabiles. 21. Quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : 22. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.***

1,18. Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. 19. διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφανέρωσεν. 20. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασιν νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. 21. διότι γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν, ἀλλὰ ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. 22. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, 23. καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν[1].

1. *VV. LL.* — 1,18. τὴν ἀλήθειαν (veritatem), genetivo non addito, est communis lectio quum codd. graec. tum verss., quibuscum ex Latinis consentiunt *Tert.* (c. Marc. V. 13) *Rufin* (interpr. Orig.) *Prim.* melioresque *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Tolet.*); sed : τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ (*veritatem Dei*) legunt *S. Hippol.* (de Chr. et Antichr. 64), *A^ter* et *Vulg. Clem.* cum plerisque codd. (etiam *Harl. Demid.*).

Magna cum vi iustitiae salutisque revelationi, quae habetur in Evangelio, Apostolus opponit irae divinae revelationem, quae habetur in statu eorum, qui Evangelio non subiecti illam ipsam veritatem, quam videre potuerunt, peccatis suis obruerunt (*v.* 18). Creatione sua enim Deus sese hominibus tam clare manifestavit, ut ab eis sine eorum culpa ignorari nequeat (19. 20); sed cognito Deo homines debitum cultum non exhibentes in mentis caecitatem prolapsi ad stultam idololatriam pervenerunt (21-23).

A gravissima assertione Paulus argumentationem exorditur integrum mundum ethnicum irae divinae obnoxium ac proinde a salute exclusum esse ostendens : 18. *revelatur enim ira Dei de coelo super* (melius : *contra* ἐπὶ) *omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem* (*Dei*) *in iniustitia detinent.* Sententia omnino generalis esse atque Iudaeorum non minus quam ethnicorum impietatem complecti a nonnullis creditur (*Cai.* etc.); at de solis ethnicis eam agere, sequens descriptio eorum, qui veritatem in iniustitia detinent (*v.* 19 sqq.), satis docet. Quare etiam quis huius sententiae cum praecedentibus sit nexus dubitari nequit. Praeter Evangelium nimirum, in quo verae iustitiae, qua homo Deo acceptus est, ratio aperitur, aliam salutis viam ethnicis non patere, Paulus ex praesente eorum statu tristissimo desumit, quippe qui evidens sit signum irae divinae sub qua degant. Nomine *irae Dei* per anthropomorphismum quendam designari iustitiam Dei vindicativam, qua ordinem peccatis hominum perturbatum severis suis sed iustis poenis restaurat, omnes consentiunt[1]; de quanam autem vindicta, seu irae revelatione, hic

1. « Quando iram Dei nominamus, inquit *Orig.* (c. Cels. IV. 72), non affectum eius dicimus, sed aliquid severiore disciplina castigans homines tot tantorumque criminum reos ». Similiter *S. Chrys.* (in Ps. 7. n. 6) : « ira Dei non est animi perturbatio sed castigatio et punitio ». *S. Cyr. Alex.* (Collect. M. 77, 1276) duas species irae divinae distinguit, quatenus Deus ad superbos humiliandos dona sua eis subtrahit aut ad peccatores puniendos poenas graves eis infligit. Omnium Graecorum sententias quasi complectitur *S. Ioan. Dam.*, ubi de anthropomorphismis agit (de fide orthod. I. 11) : « per iram et furorem (Dei) intelligimus eius aversationem et odium malitiae (quatenus nimirum odium hoc gravioribus poenis irrogatis se manifestat), quia et nos in iram prorumpimus, si ea, quae voluntati nostrae contraria sunt, odio habemus ». Simili modo loquuntur Latini; *S. Hilar.* (in Ps. 2. n. 17) : « His, quibus ex voluntatis libertate malitia magis placuit, ultio constituta *ira Dei* esse creditur; non quia indemutabilis illa Dei et quieta natura motu impetus turbidi incalescat, sed quod ille, qui per constitutionem poenae maneat in poena, sentiat sibi auctorem huius constitutionis iratum. Poena enim patientis ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, quum per poenae dolorem iram decreti in se sentiant puniti » (i. e. ii qui puniuntur); *S. Ambr.* (de Noe et arca 4,9) : « Deus non cogitat sicut homines, ut aliqua nova ei succedat sententia, neque irascitur ut mutabilis; sed ideo haec leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quae divinam meruerit offensam; tamquam eo usque excreverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira aut odio aut passione ulla, provocatus vi-

agatur, interpretes dissentiunt. Antiquiores ac moderni multi ex praecedente sententia verba *in eo* (ἐν αὐτῷ sc. Εὐαγγελίῳ) in hanc transumentes aut de ultimo iudicio, de « die irae et revelationis iusti iudicii Dei » (2,5 cfr 2 *Thess.* 1,7 sqq. etc.) aut saltem de aeternis poenis, sermonem esse volunt, quae in Evangelio aut etiam in Vetere Test. contra omnes peccatores ac maxime contra idololatras denuntientur (cfr *Prim. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *Mai. M Ev. Beel. Dr. Ag.* etc. — *Grot. Beng. Seml. Umbr.* etc.). A quibus haud longe recedunt alii nonnulli, qui cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) illud *in eo* quidem non supplent, sed praesenti ἀποκαλύπτεται (*revelatur*) sensum futuri tribuentes de iisdem poenis locum interpretantur (*Reithm.* etc. — *Phil. Ew.* etc.). Alii demum non de externa revelatione omnibus manifesta, sed de interna quadam, qua conscientiae stimulis singuli vindictam Dei cognoscant, agi arbitrantur (*A*[ter] *Pel.* etc. — *Wolf* etc.). Quae interpretationes omnes, quum Paulum non satis accurate locutum esse supponant, nobis non probantur; nihil quippe supplendum neque significatio parum usitata vocabulis tribuenda est, dummodo ad contextum attendatur. Clare enim Apostolus indicat, quamnam irae divinae revelationem in mente habuerit, quando inde a *v.* 24. tristissimum statum describere incipit, in quem ethnici a Deo sunt traditi, quia sua ipsorum culpa in idololatriam erant prolapsi. Ingens illud iniquitatis ac nequitiae mare, in quo gentes omnes ethnicae prostratae iacent, apertissime revelat, quanta contra eas fuerit ac sit ira Dei, qui suis subtractis gratiis eas pessimis desideriis passionibusque ignominiae reliquit (*vv.* 24. 26).

Quae revelatio *de coelo* fieri dicitur, ubi Deus residens ordini a se stabilito invigilat perturbatumque poenis quasi desuper missis restaurat, atque praesente tempore (ἀποκαλύπτεται *revelatur*) enuntiatur quia continua est et nunc quoque perdurat, licet dudum antea initium habuerit. Causa vero huius revelationis est *omnis iniquitas et iniustitia* gentilium, quae quum gratiarum subtractione puniantur in immensum crescunt ac nunc iam omnium in oculos sese ingerunt. Duo nomina *Thom.* ita distinguit, ut priore (ἀσέβεια *impietas*) omne peccatum contra cultum Deo debitum, altero (ἀδικία *iniustitia*) omne peccatum contra homines designetur, quorum iura laedantur; *Est.* vero

deatur ad iracundiam ». Brevissime *S. Aug.* (de civ. Dei XV. 25) : « ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur poena peccato » vel (de Trin. XIII. 16,21 « nihil est aliud quam iusta vindicta », vel (expos. n. 9) « ira Dei in vindictae significatione ponitur ». Reliquis omissis sufficit adscripsisse verba *Thom.* (i. h. l.) : « ira Dei, i. e. vindicta ipsius, quae dicitur ira Dei secundum similitudinem hominum irascentium, qui vindictam quaerunt, extra tamen (i. e. etsi) Deus vindictam infert ex animi tranquillitate » (cfr Summ. theol. I. qu. 19. a. 11; II. 1 qu. 47. a. 1 ad 1.).

cum aliis secundo omnia peccata, quae non sint contra cultum divinum, comprehendi censet. At latissime patet utriusque nominis significatio; quare rectius dicemus utroque omnia peccata designari sed diversa ratione. Omne enim peccatum, quatenus est contemtus voluntatis divinae, est impietas, et quatenus est laesio recti ordinis a Deo stabiliti, est iniustitia. Contra *omnem* autem impietatem et iniustitiam revelari iram Dei Paulus dicit ad multiplices impietatis iniustitiaeque species attendens (cfr *Chrys.* etc.), quas ad tristem ethnicorum conditionem delineandam mox enumerabit. Quod vero eum *omnem* impietatem et iniustitiam, sive Iudaeorum sit sive ethnicorum, notare aliqui censent, id nobis non probatur, quia ex *v.* 19 sqq. evidenter elucet, eum de solis ethnicis hic cogitasse.

Hinc etiam genetivum *hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinent* (ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων), quamvis eum per se de Iudaeis quoque incredulis apte intelligi posse fateamur atque postea (2,8 sqq.) ad eos extendi omnino concedamus, hic de solis ethnicis interpretandum esse tenemus. Ad verba ipsa quod attinet, de *veritate* religiosa ac proxime quidem de vera Dei cultusque Deo debiti notitia sermonem esse, *vv.* 19. 20 docent; genetivus *Dei* igitur a Latinis plerumque insertus, etsi graecorum codd. aliarumque versionum auctoritate genuinus non esse probatur (cfr *VV. LL.*), bonum glossema iure dicitur. Verbum κατέχειν (*detinere*) sensu retinendi ac possidendi (1 *Cor.* 7,30; 11,2; 15,2 etc.) a nonnullis sumitur: « qui veritatem *in* (seu *cum*) iniustitia tenent », i. e. qui verum Deum cognoscunt quidem, sed nihilominus improbi sunt. Philosophos scilicet significari putant ethnicos, qui veram, quam de divinis rebus sibi paraverant, scientiam neque cum aliis communicaverunt neque ipsi vita moribusque suis expresserunt (cfr *Est.* etc.). Attamen Paulus ethnicos veram Dei notitiam sua ipsorum culpa non habere statim indicat (*v.* 21 sq.); verbum κατέχειν ergo sensu inhibendi et impediendi (*Luc.* 4,42; 2 *Thess.* 2,6 7. etc.) sumit, ut sensus sit: veritatem sponte quasi se eis offerentem mentibusque eorum illucescentem velut captivam reprimunt impediuntque, ne clare cognita virtutem suam exserens vitam moresque ipsorum regat ac moderetur.

Quem in sensum bene *Tolet.*: « Est autem *veritatem Dei detinere* ad mentem Pauli non quidem: veri Dei notitiam habere et eam occultare, dissimulare aut intra se reprimere, sed ipsi veritati velut se ipsam offerenti ac demonstranti reluctari, ei non acquiescere, eam non recipere. Sicut enim qui plura testimonia et probationes alicuius veritatis haberet et ipse nollet attendere nec aures praebere, uti oportet, maneretque in sua ignorantia et errore, diceretur detinere et cohibere veritatem: ita illi homines idololatrae commune habuerunt testimonium a Deo in creaturis et operibus

sensibilibus indicans et clamans veri Dei notitiam attendere volentibus, ut docuit Paulus *Act.* 14,16 sq.; huic tamen efficacissimo testimonio veritatis Dei percipiendae non inclinaverunt aures nec veritati sese prodenti locum dederunt; ideo detinuisse et cohibuisse veritatem dicti sunt. Conceperunt quidem aliquam scintillam in se huius veritatis; nam omnes noverunt Deum esse; et multi eorum, qui inter ipsos rerum contemplationi studebant et philosophi dicebantur, multas scintillas receperunt, nam multa vera de Deo senserunt, eius aeternitatem, immortalitatem, immobilitatem, aliaque cognoscentes; nemo tamen eorum testimonio divino et magisterio creaturarum plenas aures praestitit neque Dei notitiam assecutus est, sed veris multa miscuerunt falsa, talem Deum censentes, qualis non est. Idcirco omnes illi veritatem Dei detinuerunt, quam potuissent ex rebus sensibilibus, quae ante eorum oculos versabantur, addiscere. »

Neque vero mentis animique imbecillitas ethnicis impedimento est, ne veritatem plene cognoscant, sed *in iniustitia* (ἐν ἀδικίᾳ), i. e. per suam iniustitiam, veritatem detinent. Ignorantia igitur eorum vere est culpabilis ac tota idololatria, quae ex hac ignorantia est exorta, ultimam suam radicem habet in voluntate perversa, quae per iniustitiam, i. e. per multiplicia peccata, sese manifestat. Ἀδικία (*iniustitia*) lato suo sensu, uti immediate antea, intelligatur oportet; hodiernorum autem nonnullorum interpretatio, qui ἐν ἀδικίᾳ hic idem esse volunt quod ἀδίκως (iniuste), haud apta est, quia veritas iuste detineri nequit. De ethnicorum ergo philosophis, qui Deum verum cognoverint quidem sed neque ipsi coluerint neque colendum aliis praedicaverint, Paulus proxime non loquitur, sed sententia eius est generalis atque omnes complectitur idololatras, sapientes et insipientes (cfr *Tol. Iust. Lap.* etc., *Reith. Mai. Bisp.* etc. — *God. Weiss* etc.).

Quam interpretationem esse genuinam sequentia confirmant; quae enim generali sententia proposuit, ea singillatim Paulus nunc explicat primo in loco docens ethnicos omnes veram Dei notitiam ex creaturis haurire potuisse ac debuisse (19.20), sed eos veritatem in iniustitia detinuisse (21-23), ita ut Deus summa cum iustitia eos omnes in tristem illum statum, in quo iacent, delabi permiserit (24 sqq.).

Praeprimis Deus se ethnicis ita manifestavit, ut ab eis cognosci potuerit ac debuerit : 19. *quia* (διότι, melius : *nam*) *quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit.* Cum *Vulg. Clem.* etiam graeci textus editores critici (*Lachm. Tisch. W H.*) sola virgula *vv.* 18. et 19. separant, antiqui autem interpretes graeci (*Chrys. Theod.* etc.) a particula διότι *v.* 19. novam sententiam incipiunt, idque aptius. Nam sensu eodem fere manente sermo facilius commodiusque currit, si antiquiorum constructio admittitur; neque obstat particula διότι (i. q. διὰ τοῦτο ὅτι *propterea quod*), quippe quae aliquoties idem valeat quod γάρ (*nam* cfr 3,20; 8,7; 1 *Thess.* 2,18; *Act.* 18,10 etc.;

vide *Fritzsche* i. h. l.) ac novae argumentationi introducendae inserviat : *nam quod notum est Dei* (τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ) *manifestum est in illis*. Latinus interpres eam adiectivi γνωστός significationem retinuit (*notus*), quae sola in Novo Test. et in alexandrina versione est usitata[1]; eandemque *Syrus* quoque et plerique Graeci (*Chrys. Theod. Dam. Oec*[1]. *Theoph*[1]. *Euth.*) secuti sunt, quibus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ est idem quod ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ, vel uti accuratius habet *Euth.* : ἡ γνῶσις ἡ περὶ τοῦ ὄντως Θεοῦ (scientia de vero Deo; cfr *A*[ter] : notitia Dei). Quoniam vero apud classicos scriptores γνωστός plerumque significat *cognoscibilis*, plurimi iuniores ac moderni cum *Orig*. (« quod notum est Dei, id est quod agnosci de Deo *potest* per coniecturam creaturae ») hanc significationem praeferunt (cfr *Oec*[2]. *Theoph*[2], *Sed. Est. Lap. Nat. Pic.* etc., *MEv. Bisp. Mai. Sch.* etc. — *Rück. God. Weiss* etc.); quin etiam Origenis explicatio ex *Sedul.*, ut videtur, in *Gl. int.* recepta effecit, ut multi latinum *quod notum est* in eundem sensum traherent (cfr *Herv. Lomb. Thom. Dion.* etc.). Attamen quum omnia, quae de Deo cognoscibilia sunt, ethnicis non essent manifesta, interpretes illi omnes additionibus quibusdam (« per coniecturam creaturae »; *Thom.* : « per rationem »; *Herv.* : « naturali ingenio »; moderni : « sine supranaturali revelatione » etc.) verba Pauli non tam explicare quam limitare et quasi corrigere coacti sunt. Interrogare quoque licet, annon tautologice dicatur : « quod cognoscibile est de Deo, id manifestum est, i. e. cognosci potest »[2]. Melius igitur cum plerisque Patribus graecis neutrum adiectivi hic, uti saepe, pro substantivo adhibitum esse dicemus (2,4; 8,3; 9,22 etc.; cfr Comment in 1 Cor. p. 45. *n.* 2), ut τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ (*notum Dei*) sit pro ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ (*notitia Dei*, obiective sumta) eaque complectatur, quae ad veri Dei cognitionem pertinent ac vulgo iis, qui ratione sua utuntur, cognita sunt (cfr *A*[ter] *Haym.* etc., *Cai. Tol. Iust. Reith.*

1. Adiectivum γνωστός a Paulo hic tantum adhibetur, bis a *Ioan.* 18,15.16 (ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ erat notus pontifici), saepe a Luca (*Act.* 1,19; 9,42; 19,17 : γνωστὸν ἐγένετο notum factum est; 2,14; 4,10; 13,38; 28, 28 : γνωστὸν ἔστω notum sit; 4,16 γνωστὸν σημεῖον notum signum; 15, 18 γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος ἐστὶ τῷ θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ nota ab aeterno sunt Deo opera sua; 28,22 γνωστόν ἐστιν ἡμῖν notum est nobis); cfr *Is.* 19,21; *Ezech.* 36,32 etc. Οἱ γνωστοί sunt *familiares Luc.* 2,44; 23,49 cfr 4 *Reg.* 10,11; 2 *Esdr.* 5,10; *Ps.* 30,12; 54,14 etc. ; a classicis antiquioribus hoc sensu usurpatur οἱ γνωτοί, a iunioribus etiam οἱ γνωστοί. Apud Platonem γνωστός semper est *cognoscibilis* cfr *Crem.* Lex. s. v.

2. Bene *Iust.* : « sententia, significatione *cognoscibilis* admissa, si universim accipiatur, erit plane falsa; non enim quidquid de Deo sciri cognoscive potest, id philosophis notum fuit; si angustius intelligitur (quidquid naturae viribus mente comprehendi potest), neque videtur universim vera et id sumitur quod probandum erat, perinde ac si quis dicat, potuisse illos cognoscere ea, quae nosse potuerunt ». Praeterea *Tol.* obiicit, in controversia versari, quaenam per lumen naturale de Deo cognosci possint, ita ut sensu *cognoscibilis* admisso probatio Pauli videatur incerta.

Beel. LR. Dr. — *Fr. de W. Lips.* etc. Sed male *Abael.* : « Quod modo de natura divinitatis revelatum est *per Legem scriptam*, id etiam sine scripto per naturalem rationem manifestum ante fuerat »). Neque mirum est, quod Apostolus, qui saepe de mysteriis divinis loquitur, quae rationi creatae impervia sine Spiritus S. revelatione cognosci non possunt (11,33 sqq.; 1 *Cor.* 2,7 sqq.; *Eph.* 3,8 sqq. etc.), hisce nomine τοῦ γνωστοῦ (*noti*) ea quasi opponat, quae nullum hominem, dummodo oculos mentis suae aperire voluerit, possunt latere (cfr *Reith.*). Haec igitur, quae ad veri Dei cognitionem pertinent eamque constituunt, iuxta Paulum *in iis* (sc. ethnicis), i. e. in eorum mentibus cordibusque, sunt manifesta (2,15), seu clara et aperta coram eis iacent, ita ut ab illis facillimo negotio apprehendantur, siquidem *Deus* ea *illis manifestavit*, clare et plane proposuit. Ad contextam orationem non satis attendunt, qui cum *Est.* verba ἐν αὐτοῖς (*in illis*) explicant *inter illos*, ut solis philosophis ethnicis illa cognita fuisse ostendant. De ea enim Dei cognitione Paulus loquitur, quam omnes ethnici habere potuerunt ac debuerunt; namque omnes excusatione carere atque irae divinae obnoxios esse demonstrare vult.

Deum autem revera omnibus ethnicis ea, quae ad sui cognitionem necessaria sunt, manifestasse probat addens : 20. *invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna* (*quoque*[1]) *eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles* (εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους). Quae Lystrensibus olim dixerat : « Deus semetipsum sine testimonio non reliquit benefaciens de coelo » (*Act.* 14,17), ea hic explanat. Universae scilicet res creatae, quippe ex quibus intellectus humanus discurrens ad earum auctorem invisibilem assurgere certaque scientia eum cognoscere ac mentis oculis quasi videre possit, perenne testimonium sunt, quo Deus semet ipsum, suam exsistentiam infinitamque suam perfectionem, omnibus tam clare manifestavit manifestatque, ut quamvis lucem inhabitet inaccessibilem, ab hominibus plane ignorari sine eorum culpa nequeat. « Ex magnitudine enim et pulchritudine creaturarum per analogiam (i. e. per conclusionem quandam) earum creator conspicitur »[2]. *Invisibilia Dei* Apostolus attributa Dei vocat, vel si mavis eius essentiam, prout hac in terra rationis lumine cognoscitur : « Dicit autem pluraliter *invisibilia*,

1. Haud satis accurate graecum ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης a latino interprete redditur : sempiterna *quoque* eius virtus *et* divinitas; nam particulae τέ-καί inter se respondent duoque membra arcte coniungunt (tum... tum); nusquam autem τέ significat *etiam* neque umquam aliquid novi cum emphasi prioribus adiungit.

2. *Sap.* 13,5 ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται, quae *S. Hil.* de Trin. I. 7 latine reddit : « de magnitudine enim operum et pulchritudine creaturarum consequenter (i. e. per consequentiam) generationum conditor conspicitur ».

quia Dei essentia non est nobis cognita secundum illud quod est, sc. prout in se est una (sic erit nobis in patria cognita); est autem nunc manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quae id, quod in Deo unum est, multipliciter participant; et secundum hoc intellectus noster considerat unitatem essentiae divinae sub ratione bonitatis, sapientiae, virtutis et huiusmodi quae in Deo non sunt. Haec ergo *invisibilia ipsius* dixit, quia illud unum quod his nominibus seu rationibus in Deo respondet, non videtur a nobis » (*Thom.*).

Quamvis vero invisibilia sint, ita ut per se et in se a mente creata attingi nequeant, Paulus tamen illa *a creatura mundi* (ἀπὸ κτίσεως κόσμου), i. e. inde a mundi creatione conspici vel potius *videri*, immo *clare videri* (κατορᾶσθαι), pulchro oxymoro asserit (τὰ ἀόρατα αὐτοῦ... καθορᾶται) [1]. Ne quis vero invisibilia Dei nunc iam sensibus perspici aut quasi immediate *in* creaturis deprehendi putet, oxymoron suum mitigat et explicat, quum ea videri moneat τοῖς ποιήμασιν νοούμενα (*per creaturas intellecta*). Actu nimirum intellectus sui (τοῦ νοός) homo *per* ea quae facta sunt ascendit ad eorum primam causam. Ut quid nomine *invisibilium Dei* sit intelligendum, clarius innotescat, explicationis gratia addit : *sempiterna eius virtus et divinitas*. Etenim ex creaturis visibilibus, quae hodie exortae cras disparent continuisque mutationibus subiacent, intellectus proxime concludit, esse *virtutem* altiorem, qua omnia producuntur et in sua exsistentia dependent, eamque necessariam ac proinde *sempiternam*. « Quia enim ea, quae ad esse sunt producta, corruptibilem habent naturam et in tempore ad exsistentiam vocata sunt, eorum creator incorruptibilis sit oportet et sempiternus » (*Cyr. Alex.*). Neque vero sempiternam creatoris potentiam solam homo ex iis quae facta sunt colligit, sed similiter aeternam eius maiestatem, quatenus omnium rerum creatarum non tantum est principium sed etiam supremus dominus, cuius omnes sunt et a quo omnes reguntur, finisque ultimus, propter quem omnes sunt et ad quem omnes tendunt, aeternam eius sapientiam, quum omnes res aptissime disponat et ad fines praestitutos dirigat, aeternam eius bonitatem, quum nobis continuo benefaciat de coelo dans pluvias et tempora fructifera omniaque nostro usui concedens, aeternam eius iustitiam aliaque attributa, quae Apostolus, ne singula enumerare cogatur, nomine *sem-*

1. Verbum καθορᾶν hoc solo in loco Scripturae legitur. Apud classicos (*Xen.* Memor. IV. 7,7 etc.) et alexandrinos scriptores (3 *Mach.* 3,11) saepe significat *accurate* vel *clare videre*, atque eodem sensu Paulus illud sumsisse videtur. Quia enim Deus per creaturas *clare* conspicitur, ideo inexcusabiles sunt. qui eum non vident. — Simile oxymoron allegari solet ex *Arist.* de mundo 6 : πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται ὁ Θεός.

piternae divinitatis[1] comprehendit. Iure igitur his verbis paulinis nixa « Ecclesia tenet ac docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (*Conc. Vatic.* sess. 3. Const. de fide cp. 2). Quia autem Deus tam clare se manifestavit creatione, ut non cognosci nequeat, dummodo homo rationis suae lumine uti voluerit, sua sponte sequitur, ethnicos excusationem nullam praetendere posse, qui veritatem detinuerunt, aut luci mentibus eorum sese offerenti aditum praecludentes aut scintillas lucis acceptas opprimentes et quasi exstinguentes; suam ignorantiam suosque errores Deo attribuere non possunt, sed suae tantum ipsorum iniustitiae. Hanc sequelam Paulus ultimis verbis sententiae (*ita ut sint inexcusabiles* εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους) addit, ut eam sequentibus vv. 21-23 exponat.

Ad aliorum interpretationes quod attinet, iure praetermittere licet *Orig.* sententiam, qui *invisibilia Dei* de creaturis invisibilibus i. e. de angelis intelligit, uti etiam haud paucorum Patrum opinionem, qui *invisibilia* de Patre, *virtutem* de Filio, *divinitatem* de Spiritu S. explicantes SS. Trinitatem hic significari pie quidem sed parum recte arbitrati sunt (cfr *S. Athan.* c. Arian. I. 12; or. II. 37; *Didym. Al.* de Trin. II 11; *S. Cyr. Al.* Thes. de Trin. ass. 4; *S. Ambr.* de fide I. 10,69; de S. Spir. III. 3,13; *A^ter^ Prim. Gl ord.;* simil. *Abael. Herv.* etc.), atque iuniorum coniecturas, qui latina versione haud accurata (*p.* 82 *n.* 1) in errorem inducti tria diversa, quae de Deo ex creaturis cognoscantur, a Paulo distingui censuerunt; *Thom.* enim ea iuxta triplicem cognoscendi modum discernere conatur : *invisibilia* per viam negationis, *virtutem* per viam causalitatis, *divinitatem* per viam excellentiae; *Tol. Lap.* etc. *invisibilia* intelligunt attributa « spiritualia », uti sapientiam iustitiam etc., *virtutem* « potentiam quae cuncta fecit conservat disponit, providet et gubernat », *divinitatem* substantiam et essentiam Deo propriam; alii alia coniiciunt. Recte cum Graecis plerisque hodie omnes ultima verba (*sempiterna eius virtus et divinitas*) velut appositionem epexegeticam subiecto (*invisibilia*) addi tenent; a communiore autem explicatione, quam secuti sumus (cfr *Est. Pic. Reithm. M Ev. Bisp. Ag.* etc.), aliqui in eo recedunt, quod nomine *divinitatis* proxime solam maiestatem aut bonitatem aut sanctitatem denotari dicunt; sed cur tam arcte vocabulum, cuius significatio omnia attributa vere divina complectitur, explicetur, nulla adest ratio.

Maior est controversia de locutionis ἀπὸ κτίσεως κόσμου (*a creatura mundi,* vel iuxta *Tert.* adv. Hermog. 15 : *ab institutione mundi* aut de anim. 18 : *a conditione mundi,* et iuxta *S. Aug.* de civ. Dei VIII. 12; serm. 241,1 etc. : *a constitutione mundi*) genuino sensu, etsi antiquiorum Latinorum, quibus

1. Adiectivum ἀΐδιος per se quidem cum priore subst. δύναμις solo coniungi videtur; recte tamen cum utroque connectitur, quia duo substantiva uno articulo et pronomine αὐτοῦ, quod ad utrumque pertinet, ac particulis τέ-καί arctissime inter se connectuntur.

ad *Marc.* 16,15 et *Col.* 1,23 respicientibus κτίσις κόσμου erat aut homo a quo Deus cognoscatur (*A^ter Haym. Herv. Lomb. Thom*[1]. *Lyr.* etc.) aut omnis intellectus creatus (*Thom*[2]. *Cai.* etc.), interpretationem velut obsoletam neque verbis satis consonam relinquamus. Pro duplici enim vocabuli sensu, quippe quod active *creationem* (actum creandi) et passive *creaturam* (rem creatam) significet, duplex iam antiquitus erat et hodie est loci interpretatio. Quoniam in Novo Test. atque etiam, ut videtur, in alexandrina versione κτίσις semper est id quod κτίσμα (res creata) neque tantum de singulis rebus creatis (1,25; 8,39) aut de certo earum genere (de iis quae intellectu carent 8,19 sqq.; de genere humano *Marc.* 15,16; *Col.* 1,13), sed etiam de earum universitate usurpatur (*Marc.* 10,6; 13,19 etc.) multi eandem significationem hoc in loco retinuerunt, ut locutione ἀπὸ κτίσεως κόσμου universitas creaturarum, quae mundum constituit, velut fons indicetur, ex quo homo cognitionem Dei quasi hauriat (*Cai. Est. Nat.* etc., *Reithm. Ag.* etc.). Quae explicatio per se apta est, sed tautologia quaedam exoriri videtur, quum addatur τοῖς ποιήμασιν (*per ea quae facta sunt*, vel ut vertit *Tert.* de anim. 18 : factitamentis) ad cognitionis instrumentum indicandum. Quapropter eam explicationem praeferimus, quam *Tert.* et *Aug.* suis versionibus indicarunt, atque nomen κτίσις hoc in loco, ubi cum genet. κόσμου coniungitur, de actu creandi adhibitum dicimus : « invisibilia eius, hoc est : invisibilia Dei, *a constitutione mundi*, i. e. *ex quo constituit mundum*, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » (*S. Aug.* serm. 241,1 ; cfr *Thom*[2]. *Tolet. Iust. Pic.* etc., *M Ev. Mai. Beel. Bisp.* etc.). Quod enim Est. obiicit, huic explicationi non quadrare verbum praesentis temp. *conspiciuntur*, sed dici debuisse *conspecta sunt*, id profecto nemini difficultatem creaverit.

Difficultas quaedam demum est in ultimis verbis εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, siquidem graeca constructione (εἰς c. inf.) finis indicari videtur atque sensu finali sententia ab hodiernis multis exponitur. At *Orig.* et *Chrys.* sensum consecutivum iam praetulerunt : « neque enim, ut ethnicos excusatione privaret, doctrinam tantam in medium posuit, sed ut ipsum cognoscerent; quum autem essent ingrati, se ipsi defensione privarunt » (*Chrys.*), eundemque moderni cath. longe plurimi tuentur, idque recte. Dici quidem potest, Deum, quum eo fine omnia crearet, ut a creaturis intellectualibus clare cognosceretur, simul etiam nulli excusationem ignorantiae relinquere *voluisse;* at Apostolo nulla fuit ratio, cur finem hunc secundarium, qui totus quantus a primario dependet, tanta cum vi efferret. Neque desunt loci, in quibus εἰς c. infin. ea ratione adhibetur, ut non nisi coactissime sensu finali exponi queat (7,5; 2 *Cor.* 8,6; *Hebr.* 11,3 etc.)[1].

Ad alteram argumentationis partem transiens Paulus ostendit, quo-

1. Ceterum haud male *A. Buttm.* Grammat. p. 227 sq. de nostro loco adnotat : « Dass an dieser Stelle die Auslegung zu allen Zeiten, auch den neuesten, nach beiden Richtungen hin, der ekbatischen und der finalen, *direkt* auseinandergehen, ist ein Beweis mehr, dass beide Beziehungen (wie so oft bei ἵνα und ὥστε) unentschieden nebeneinander liegen ».

modo ethnici veram de Deo scientiam, quam ex creaturis haurire potuerunt ac debuerunt atque in maioribus suis etiam cognoverant, in iniustitia detinuerint ac detineant : 21. *quia* (διότι lege : *nam* cfr *p.* 78 sq.) *quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum.* Proxime quidem particula διότι hanc sententiam cum immediate praecedentibus verbis (*ut sint inexcusabiles*) connectit; maiore tamen interpunctione ab eis separari debet, quia Apostolus ad *v.* 18 revertitur ultimum eius membrum expositurus, atque *v.* 21. quasi parallelus est versui 19., qui alterum eiusdem *v.* 18 membrum exponens ethnicos veritatem quam detinerent cognovisse ostendit; recte ergo *Beng.* « hoc διότι, inquit, reassumitur ex *v.* 19 ».

Iuxta Apostolum idololatria non est prior quidam generis humani status, ex quo homo, uti hodie multi philosophastri somniant, magno cum labore ac propriis suis viribus ad monotheismum ascenderit; « neque enim (idola) erant ab initio neque erunt in perpetuum, nam vana opinione (seu : stultitia κενοδοξίᾳ) hominum in mundum venerunt » (*Sap.* 14,14). Deus potius inde a constitutione mundi tam clare suis operibus sese hominibus manifestavit, « ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus posset abscondi; exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum huius mundi fatetur auctorem » (*S. Aug.* in Ioan. tr. 106,4). Ad illud igitur tempus respiciens, quo universum humanum genus Deum verum cognovit, Paulus originem idololatriae, quae eius aetate quasi universalis erat, ita describit, ut simul insinuet, eadem via singulos quoque homines continuo a vero Deo deficere et veritatem in iniustitia detinentes ad idolorum cultum pervenire. Etenim si totam descriptionem, quae sequitur (*vv.* 21-23; attende ad aoristos), consideramus, dubitare non licet, quin de facto quodam loquatur primamque generis humani defectionem ad idola prae oculis habuerit; ex praecedentibus autem sententiis (*vv.* 18-20; attende ad praesent.) non minus clare apparet, eum de suae quoque aetatis gentilium culpabili defectione loqui. Quare dicendum est, eum in generalis illius defectionis olim factae descriptione viam delineare voluisse, qua singuli ad idololatriam etiam nunc perveniant. Nihil autem adest, quod nos cum nonnullis dicere cogat, eum de solis ethnicorum philosophis aut saltem de iis praecipue agere; de ethnicis generatim loquitur inter doctos et indoctos non distinguens.

Itaque idololatriam non in intellectus ignorantia aut errore, sed in voluntatis perversitate primam suam radicem habuisse et habere docet : homines nimirum, *postquam* verum Deum cognoverunt (γνόντες

τὸν Θεόν, alii minus apte : *quamquam* cognoverunt vel cognoscunt), hac veritate in vita sua regi ac gubernari noluerunt Deumque cognitum tamquam verum Deum non agnoverunt; neque enim ei gloriam laudemque primo rerum omnium principio supremoque omnium Domino debitam detulerunt neque ei gratias supremo benefactori ac provido patri debitas egerunt. Duobus verbis (ἐδόξασαν *glorificaverunt*, ηὐχαρίστησαν *gratias egerunt*) universum cultum, internum et externum, qui Deo debetur, describit. Priore omnes actus internos externosque (amoris, reverentiae, adorationis, obedientiae etc.) complectitur, quibus Creatoris suprema excellentia supremumque dominium agnoscitur atque laesus quoque eius honor reparatur; altero illos actus internos externosque comprehendit, quibus creatura rationalis, sua vilitate et indignitate agnita, omnia sua bona a Creatore velut supremo suo benefactore sese accepisse ac proinde iuxta eius voluntatem adhibere debere profitetur. Quem cultum Deo cognito negantes veritatem in iniustitia detinuerunt, quum unica huius negationis causa esset eorum superbia, qua sese Deo esse infinite inferiores et ab eius beneficiis plane dependere noluerunt agnoscere. Ex hac autem eorum culpa est ignorantia, quae subsecuta est, et qui voluntate sua Deum repulerant, etiam intellectu de eo errare stultaque de eo commenta sibi fingere coeperunt : *evanuerunt in cogitationibus suis* (ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς), « quatenus in se ipsis [aut aliis in rebus] fiduciam habebant, sibi et non Deo bona adscribentes » (*Thom.*).

Μάταιοι (*vani* i. e. veritate vacui ideoque stulti) in pulcherrimo libri Sapientiae loco, ad quem Paulum respexisse ipsi acatholici hodie fatentur (cfr *Bleek* Stud. u. Krit. 1853. p. 340, *Lange, Weiss, Lips.* etc.), omnes homines vocantur, in quibus non subest scientia Dei et qui ex bonis, quae viderunt, eum qui est (τὸν ὄντα qui per se ac necessario est, i. e. Deum יהוה) intelligere non valuerunt (*Sap.* 13,1). Eodem sensu Apostolus verbum ματαιοῦσθαι, quod in hoc solo Novi Test. loco legitur, adhibuisse recte dicitur : Quoniam verum Deum agnoscere noluerunt, homines utpote veritatem detinentes eaque consequenter destituti, *vani* i. e. stulti facti sunt in cogitatis suis, aut non amplius de Deo cogitantes aut vanas inanesque ideas de Deo sibi formantes. Quum idola ab Alexandrinis interdum τὰ μάταια (*res vanae*, quia in se nihil sunt, cfr 1 *Cor.* 8,4; hebr. הֲבָלִים *Deut.* 23,21; 3 *Reg.* 16,13 etc.; eodem nomine Paulus utitur *Act.* 14,15) appellentur atque verbum ματαιοῦσθαι semel vel bis idem eis esse videatur quod *idola colere* (4 *Reg.* 17,15; *Ierem.* 2,5), aliqui etiam in hoc loco verbum eodem sensu interpretantur (*Mai. Bisp. Sch.* etc. — *Beng. God.* etc.), verum haud satis recte; nam Apostolus describere vult, qua ratione humanum genus pede-

tentim ac gradatim ad idololatriam sit devolutum, verboque ματαιοῦσθαι primum quasi gradum scalarum indicat, quibus intellectus ad tantam descenderit stupiditatem, ut vilissimas quasque creaturas pro diis haberet. Quae vero historice de primo ethnicismi ortu narrat, ea semper valere insinuat. Omnibus quippe hominibus, qui sana ratione utuntur, ex creatarum rerum consideratione idea supremi earum auctoris et domini sua velut sponte sese offert, atque simul cognoscunt, se huic auctori ac domino, licet imperfecte dumtaxat cognito, laudes gratiarumque actiones debere. Quodsi voluntas huic praecepto pareret obediretque, homo ad clariorem et perfectiorem Dei cognitionem paullatim perveniret. Fieri autem solet, ut voluntas veritatem illam cognitam arceat ac reprimat; unde consequitur, ut intellectus deinde in suis cogitationibus a vero deficiens non tantum ad pleniorem Dei cognitionem non ascendat, sed illa quoque, quae iam percepit, erroribus corrumpens vanus i. e. stultus fieri incipiat.

A quo primo gradu genus humanum ad alterum mox descendit : *et obscuratum est insipiens cor eorum* (καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία). *Cor* in Scripturis, si figurate adhibetur, animum significat atque interdum de sola voluntate, interdum de solo intellectu usurpatur; ad quem ultimum sensum hic adiectivo ἀσύνετος (non intelligens, *insipiens*) determinari recte dicitur. Mens, quae ob voluntatis Deo cognito debitum cultum negantis perversitatem a veritate deficiens res divinas non amplius percepit neque ad eas amplius attendit, densioribus deinde tenebris obruta est (ἐσκοτίσθη). « Sicut enim, inquit *Thom.*, ille qui oculos corporales a sole materiali avertit, obscuritatem corporalem incurrit, ita ille, qui a Deo avertitur de se ipso praesumens et non de Deo, spiritualiter obscuratur ». Deus quippe lux vera est etiam in ordine naturali, neque unquam mens, quae in lucis huius radiis non ambulat, alias res recte videre ac diiudicare poterit. Quare gentes, quum ambulare coepissent in vanitate sensus sui alienatae a vita Dei per ignorantiam, tenebris obrutae sunt; atque hodie quoque homines, licet eruditissimi esse videantur, obscuratum habeant intellectum necesse est, quamprimum veram Dei notionem in iniustitia detinere coeperunt (cfr *Eph.* 4,17. 18).

Neque vero hic infimus erat stultitiae gradus, ad quem ethnici descenderant : 22. *dicentes* (*enim*) *se esse sapientes stulti facti sunt,* 23. *et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium* — vel accuratius ex textu graeco : *iactantes* (seu *falso dictitantes* φάσκοντες cfr *Act.* 24,9; 25,19) *se esse sapientes brutis similes redditi sunt* (ἐμωράνθησαν) *et commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei cum similitudine*

imaginis etc.[1]. Particula causalis (*enim*), quae neque in aliis verss. neque in textu primogenio neque a *S. Aug.* (de spir. et lit. 12,19) neque in omnibus latinis codd. legitur, iure merito a modernis praetermittitur (cfr *Cai. Iust. Est.* etc.); a librario videtur inserta, qui praecedentem sententiam explicari putavit, sed Paulus novum membrum (et quidem asyndete ob maiorem emphasin) prioribus addit, quo supremam ethnicorum stupiditatem describat et demonstret. Ultimum autem hunc gradum in eo videt, quod ethnici, quum idololatrico suo cultu non obstante de sua sapientia glorientur, ipsas ignorantiae errorumque tenebras, quibus obruuntur, lucem esse sibi persuadeant. Multi quidem interpretes *v.* 22. de philosophis ethnicis agere arbitrantur, sed ad intimum *vv.* 22. et 23. nexum non satis attendunt. Illi enim, qui sapientiam suam iactabant, idololatriam introduxisse dicuntur, atqui philosophi eam non introduxerunt. Quodsi moderni nonnulli, ut eandem interpretationem tenere possint, *v.* 22. pro parenthesi sumunt et *v.* 23. cum *v.* 21. immediate connectunt, sufficientem novae suae constructionis rationem non habent. Uti in tota hac pericope, in his quoque sententiis de paucis quibusdam hominibus Paulus non loquitur, sed de universis populis ethnicis suae aetatis; immo illas ipsas nationes, quae cultissimae eruditissimaeque credebantur seseque ipsas ob maiorem ingenii cultum diligentiusque literarum artiumque studium aliis feris babarisque populis praeferebant, stultas atque brutis similes dicit, quia quam densae essent tenebrae, in quibus versabantur, non videntes sese in luce ambulare iactabant. Ac profecto temporis illius populi quamvis humani ac docti, Aegyptii, Graeci, Romani, vere stupidos in rebus religiosis sese exhibuerunt : illud enim quod summum ac perfectissimum cognoverant, *gloriam incorruptibilis Dei,* i. e. sem-

1. Ad duas Vet. Test. sententias Paulus hic tam clare alludit, ut illis ad eius verba accuratius explicanda uti liceat. Ac primum quidem ad *Ierem.* 10,14, ubi propheta inter alia, quibus idololatriae proprie dictae stupiditatem exagitat, ait : « *stultus factus est* (ἐμωράνθη נִבְעַר) omnis homo a scientia (i. e. absque scientia), confusus est artifex omnis in sculptili, quia falsum est quod conflavit (quia mendacium est eius fusile) » etc. Hebr. נִבְעַר, quod Alexandrini vertunt ἐμωράνθη, proprie significat *brutus factus est* (בָּעַר depavit, בְּעִיר pecus); summum ergo stupiditatis gradum Paulus cum propheta exprimere voluit. — Altera sententia legitur in *Ps.* 105 (106), 20, ubi Psalmista de filiorum Israel idololatria loquens : « et fecerunt vitulum in Horeb et adoraverunt sculptile, *et mutaverunt gloriam suam* (i. e. Iahve, qui uti ipse est in se gloria et splendor, etiam populi sui esse vult gloria et beatitudo) *in similitudinem vituli comedentis foenum* » (καὶ ἠλλάξαντο τὴν δόξαν αὐτῶν ἐν ὁμοιώματι μόσχου ἔσθοντος χόρτον). Alexandrini autem pro consueta constructione graeca (ἀλλάσσειν τί τινος commutare aliquid aliqua re vel cum aliqua re) hebraicam (הֵמִיר בְּ ἀλλάσσειν τι ἔν τινι) retinuerunt, unde derivatur nostra latina versio : *mutarunt gloriam in similitudinem;* sensus autem est, idololatras, reiecta gloria veri Dei, sibi sumsisse simulacra atque manuum suarum opera praetulisse infinitae maiestati divinae.

piternam virtutem et divinitatem Dei, quae in creatione se eis manifestaverat, *commutaverant* cum infimo et vilissimo, *cum imaginibus* omni vita et sensu et virtute carentibus, quas sibi ipsi finxerant similes hominibus corruptibilibus aut etiam brutis animalibus.

Ab initio quidem ethnici, quando debitas laudes gratesque Creatori negantes in cogitationibus suis evanuerant, illas creaturas, in quibus potentia aliaque attributa Dei clarius sese manifestant, « ignem aut spiritum aut citatum aerem aut gyrum stellarum aut nimiam aquam aut solem et lunam pro rectoribus mundi diisque habere » coeperant (*Sap.* 13,2), atque crescente intellectus obscuritate cum voluntatis perversitate etiam ad aliarum creaturarum viventium cultum transierant, hominum quos aut amabant aut timebant, animalium, quae illis aut periculosa aut utilia erant. Sed his quasi intermediis gradibus neglectis Paulus solum infimum et abiectissimum statum eorum considerat, qui in rebus mortuis inanimisque spem suam ponentes « deos appellaverunt opera manuum suarum, aurum et argentum, artis inventionem aut similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquae » (*Sap.* 13,10); ad hunc enim etiam Graeci Romanique erant delapsi. Procul dubio aliqui inter eos puriorem augustioremque ideam Dei sibi efformabant, at populus universus, non tantum rudis plebecula sed illi quoque plerique, qui liberalium artium studiis eruditi erant, eadem ratione, qua olim filii Israel in deserto (*Exod.* 22,4), statuis ipsis cultum soli Deo debitum exhibebant neque hac in re ab antiquis Chananaeis, Aegyptiis, Babyloniis etc. differebant, quos Veteris Test. scriptores idololatriae proprie dictae saepissime accusant[1]. Probe autem consideretur oportet locutio qua Paulus utitur : *similitudo imaginis* (ὁμοίωμα εἰκόνος simulacrum simile imagini) *corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium :* non veros homines aut vera animalia sub figuris illis colebant, sed simulacra ipsa, quae ad imaginem hominis aut animalis alicuius mox perituri

1. Multi quidem hodie putant, solam rudem indoctamque plebem ipsa idola adorasse, cultiores autem doctioresque Romanos per simulacra veneratos esse deos. At primorum saeculorum apologetae hanc distinctionem non agnoscunt, sed ita loquuntur, ut idololatriam proprie dictam suo tempore communem universo populo fuisse insinuent. Tempore Diocletiani Arnobius Rhetor ad fidem conversus de pristino suo cultu testatur : « Venerabar, o caecitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus taenias. Si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, *tamquam inesset vis praesens*, adulabar, affabar et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco, et *eos ipsos divos quos esse mihi persuaseram afficiebam contumeliis gravibus, quum eos esse credebam ligna, lapides atque ossa aut in huiusmodi rerum habitare materia* » (*Arnob.* adv. gentes I. 39). Cfr quae de hac re, multis adductis antiquorum testimoniis, egregie disserit *Knabenbauer* in *Is.* 44, 9 sqq. (Comm. in Is. II. p. 163 sq.).

sibi effinxerant, infinitae maiestati Dei aeterni praeferebant[1]. Romani et Graeci plerumque quidem statuas humanas in suis templis venerabantur; verum eo tempore, quo Paulus scripsit, Romae etiam Aegyptiorum dii, quorum statuae aut capita variorum animalium gerebant aut animalia varia repraesentabant, sua sacra habebant[2].

2.) — *Deus ethnicos ob idololatriam in turpissima crimina ruere permisit* (1,24-32).

1,24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis:* 25. *qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: et coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.* 26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam.* 27. *Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit, erroris sui in semet ipsis recipientes.* 28. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt,* 29. *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones.* 30. *detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,* 31. *insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia.* 32. *Qui quum iustitiam Dei cognovissent, non intellexe-*

1,24. Διὸ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν αὐτοῖς, 25. οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. 26. Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας· αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν, 27. ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄρσενες ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσιν τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι καὶ τὴν ἀντιμισθίαν ἣν ἔδει τῆς πλάνης αὐτῶν ἐν αὐτοῖς ἀπολαμβάνοντες. 28. καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, 29. πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ, μεστοὺς φθόνου φόνου ἔριδος δόλου κακοηθείας, 30. ψιθυριστὰς, καταλάλους θεοστυγεῖς, ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, 31. ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀνελεήμονας, 32. οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγινώσκοντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα

1. Bene *Chrys.*: « Perpende, inquit, Pauli sapientiam, quomodo duo extrema ponat, Deum supremum omnium et reptilia infima; immo non reptilia, sed reptilium similitudines, ut apertam illorum stupiditatem clare ostendat. Cognitionem enim illam, quam habere oportebat circa eum, qui sine comparatione omnium excellentissimus est, hanc omnium vilissimo applicuerunt ».

2. Cfr *S. Leo. M.* sermo 82 (al. 80), 2: « Haec autem civitas (Roma) ignorans suae provectionis auctorem, quum paene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus et magnam sibi videbatur suscepisse religionem, quia nullam respuerat falsitatem »; et paullo post cp. 3.: « Hic (Romae) confutandus erat daemonum cultus, hic omnium sacrificiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat variis erroribus institutum ».

runt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦντες, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦντες τοῖς πράσσουσιν [1].

Densissimas intellectus tenebras, in quas ethnici sua ipsorum culpa, quia Deo cognito negaverant debitum cultum, devoluti erant, describens Paulus simul satis insinuavit, eos in Deum verum suo infinitae maiestatis contemtu gravissime offendisse, cultuque suo idololatrico divinam iram provocasse. Quam gravibus autem poenis divina ira sese manifestaverit, nunc describere incipit. Ipsam quidem intellectus obscuritatem, in quam prolapsi erant, poenam quamdam primae defectionis a Deo iam fuisse innuere videtur verbis passivis adhibitis (ἐματαιώθησαν vani facti sunt, ἐσκοτίσθη obscuratum est, ἐμωράνθησαν brutis similes redditi sunt). Revera crescens rerum divinarum ignorantia, quum Deus maiore dato lumine eam non impediret, velut poena crescentis perversitatis voluntatis considerari potest ac debet. At turpia horrendaque flagitia, quibus ethnici passim erant dediti, completamque quae inter eos invaluerat morum corruptionem poenam veram ac proprie dictam fuisse docet cum Sapiente consentiens, qui turpibus

1. *VV. LL.* — 24. διὸ παρέδωκεν (*propter quod tradidit*) B ℵ A C, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.* minus apte : διὸ καὶ παρέδωκεν (propter quod *et* tradidit) cum D E G K L P plerisque minusc. et PP., *Syr.* (codd.). — ἐν αὐτοῖς (vel ἐν αὑτοῖς) legunt B ℵ A C P et aliqui minusc., dum reliqui testes graeci exhibent : ἐν ἑαυτοῖς (*in semet ipsis*); in *v.* 27. autem fere soli B K habent ἐν αὐτοῖς, reliqui omnes ἐν ἑαυτοῖς. Lectio ἐν ἑαυτοῖς vel ἐν αὑτοῖς videtur praeferenda. — 27. ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄρσενες (*et* similiter etiam masculi) B ℵ E K L, haud pauci minusc., *Syr.* (codd.) Aeth. Forte melius legitur ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἄρσενες (*similiter autem et masculi*) cum A D G E P, nonnullis minusc., multis PP., *It. Vulg. Syr.* (codd.). Nonnulli codd. (C et aliqui minusc.) cum *Copt. et Arm.* : ὁμοίως καὶ οἱ ἄρσενες (similiter et masculi). — 29-31. In ordine vitiorum enumeratorum aliquantulum variant codd. et verss.; quibus varietatibus praetermissis id tantum adnotamus, quod in *v.* 29. cum Latinis etiam haud pauci codd. (D E G L P, multi minusc.) ante vel post πονηρίᾳ (*malitia*) inserant πορνείᾳ (*fornicatione*), quod membrum tamen praetermittunt B ℵ A C K, aliqui minusc. *Copt. Aeth.* et plerique Patres graeci (*Orig. Chrys. Basil.* etc.). — Item in *v.* 31. post ἀστόργους (*sine affectione*) cum *Vulg.* etiam C K L P et plerique minusc. inserunt ἀσπόνδους (*absque foedere*), quod additamentum etiam *Syr.* (codd.) et *Arm.* agnoscunt. — 32. Pro ἐπιγινώσκοντες (cognoscentes), quod solus B exhibet, cum aliis lege : ἐπιγνόντες (*quum cognovissent*). Item pro participiis ποιοῦντες, et συνευδοκοῦντες, quae solus B habet, lege : ποιοῦσιν et συνευδοκοῦσιν. Deinde animadverte, cum Latinis etiam codd. graecolatinos (D E G) et aliquos minusc. legere : ἐπιγνόντες οὐκ ἐνόησαν vel οὐκ ἔγνωσαν vel οὐκ συνῆκαν (quum... *cognovissent, non intellexerunt*); sed probabilior lectio *v.* 32. est : οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσιν τοῖς πράσσουσιν : « qui quum cognovissent iudicium Dei, quod (nimirum) talia facientes digni sunt morte, non tantum ea faciunt sed etiam consentiunt facientibus » (cfr *Comm.*).

foedisque ethnicorum moribus simili modo descriptis « infandorum idolorum cultum dixit esse omnis mali causam et initium et finem » (cfr *Sap.* 14,22-31)[1]. Duplex autem crimen, quo ethnici divinam iram provocaverant, Paulus notaverat, negatum vero Deo cultum et subsecutam idololatriam; ordine inverso nunc poenam, qua divina ira in eis sese manifestavit, iuxta talionis legem duplici crimini respondere ostendit ab idololatriae poena incipiens (24-27) et ad negati cultus poenam transiens (28-32). Namque quia ethnici maiestatem divinam contumelia affecerunt vilia idola ei praeferentes, Deus (subtractis suis gratiis) permisit, ut semet ipsos dehonestarent (24. 25) passionibus ignominiosis et naturae repugnantibus dediti (26. 27); et quia Deum cognitum agnoscere noluerunt, Deus (substractis suis gratiis) permisit, ut suae ipsorum conscientiae dictamina non agnoscentes (*v.* 28) in omnis generis peccata ruerent (29-31), quamvis his peccatis sese poenam mortis aeternae merere scirent (*v.* 32).

Summa ignominia ethnici divinam maiestatem affecerunt vilibus simulacris cultum soli Deo debitum exhibentes; 24. *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* (accuratius iuxta textum graecum : *in desideriis cordium eorum in immunditiam*, ἐν ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν), *ut contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis.* « Considerandum est, inquit *Thom.* (i. h. l.), quod homo medium locum obtinet inter Deum et animalia bruta et cum utroque extremorum communicat, cum Deo quidem secundum intellectualitatem, cum animalibus vero brutis secundum sensualitatem. Sicut igitur homo id quod est Dei mutavit ad bestias, ita Deus quod est divinum in homine, sc. rationem, subdit ei quod est brutale in ipso, sc. desiderio sensualitatis...; quod quidem est contra naturalem ordinem hominis, secundum quem ratio sensuali appetitui dominatur ». Iusto igitur Dei iudicio « homo, sicut per idololatriam pervertit ordinem divini honoris, per peccatum contra naturam propriae naturae confusibilem perversitatem patitur » (*S. Thom.* Summ. II. 2 qu. 94 a. 3. ad 3), et turpissima impudicitiae peccata, quibus semet ipsos contaminaverunt ethnici, Deus crimini punitionem assimilans voluit esse poenam cultus idololatrici, quo divinam maiestatem dedecoraverunt.

1. S. *Thom.* Summ. theol. II. 2. qu. 94. a. 4 ad 1. : « Dicitur autem idololatria esse causa, initium et finis omnis peccati, quia non est aliquod genus peccati, quod interdum idololatria non producat, vel expresse inducendo per modum causae, vel occasionem praebendo per modum initii vel per modum finis, in quantum aliqua peccata assumebantur in cultum idolorum, sicut occisiones hominum et mutilationes membrorum et alia huiusmodi ».

Nam poenam Paulus hic significat, quum Deum dicat *eos tradidisse* (παρέδωκεν αὐτούς) in desideriis cordium eorum *in immunditiam;* sed eandem rem, si ad poenae rationem non attendit, alibi aliter exprimit dicens, Deum in praeteritis generationibus omnes gentes vias suas ingredi *permisisse* (εἴασεν *Vulg.* : dimisit *Act.* 14,15) et gentes a Deo alienatas *semetipsas tradidisse impudicitiae* (παρέδωκαν ἑαυτούς *Eph.* 4,19). Quare Patres et interpretes nonnulli, ut varios illos loquendi modos inter se conciliarent, nostro in loco *tradere* pro *permittere* adhibitum esse statuerunt [1], idque non male, dummodo ad sensum attendatur, quem verbo permittendi attribuunt. Studiose enim praecaventes, ne quis Deum homines ad peccatum allicere aut impellere aeque stulte ac impie sibi persuaderet, verbo illo significare tamen noluerunt, Deum plane negative se habuisse et quasi casui reliquisse, utrum ethnici in immunditiam ruituri essent annon [2], sed potius eum negatione seu subtractione gratiarum efficacium, quibus ab immunditia retinerentur, ethnicis quasi habenas relaxasse et quodam modo positive permisisse, ut iuxta desideria cordium suorum vias suas perversas persequerentur ac hac ratione semetipsas in immunditiam traderent. Hunc revera sensum eos enuntiare voluisse exempla extra dubium ponunt, quibus sententiam suam illustrant, uti belli ducis, qui, si ingravescente proelio milites imperata non facere videns discedit, exercitum suum hostibus tradere dicitur « non ipse impellens sed auxilio suo privans » (*Chrys.*), aut medici, qui aegrotum praescriptis medicinis non utentem graviori morbo tradit, si eum dimittit ac propriae voluntati indulgere sinit (*Theoph.*) etc. Re igitur cum aliis plane consentiunt, qui, ut immunditiae subsecutae inesse rationem poenae clarius appareat, verbum *tradendi* retinere malunt; nam hi quoque omnes (paucis exceptis Calvini sectatoribus, qui Deum ethnicos in perditionem deiecisse seu directe ad peccata impulisse dicere non horrent) omnino tenent, Deum ethnicos ob eorum idololatriam indirecte in immunditiam tradidisse, negatione nimirum, vel si mavis subtractione, efficacium gratiarum, sine quibus eos peccata non esse evitaturos praevidit, quamvis sufficientibus non carerent gratiis, quibus illa per se evitare possent. « Dicendum est, inquit *Thom.*, quod Deus non dicitur tradere homines in immunditiam directe inclinando affectum hominis ad malum (nam Deus

1. Cfr *Chrys.* : τὸ δὲ παρέδωκεν ἐνταῦθα ἐστὶν εἴασεν, *Theod.* : τὸ παρέδωκεν ἀντὶ τοῦ συνέχωρσεν τέθεικεν; *Oec.* τὴν συγχώρησιν τοῦ Θεοῦ παράδοσιν λέγει etc. *A*[ter] : « *tradere* autem est *permittere*, non *incitare* aut *immittere* »; *S. Aug.* (expos. n. 5.) : « quod autem dicit *tradidit*, intelligitur *dimisit* in desideria cordis eorum » etc.

2. Hoc sensu Pelagiani rem intellexerunt; quapropter *S. Aug.*, qui antea (c. a. 394. in sua expos.), uti diximus, *tradere* hoc in loco idem esse quod *dimittere* admiserat, postea similem loquendi modum Iuliani Pelagiani (« quum desideriis suis traditi dicuntur, *relicti per divinam patientiam* intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi » c. Iul. V. 3,13) acriter impugnat atque fuse docet, unum peccatum saepe esse poenam praecedentis, quum Deus mere negative ad peccatores se non habeat neque ita tantum eos deserat, ut eos patienter toleret et ad tempus impunitos relinquat, sed eos deserat subtractione gratiae. Cfr de hoc similibusque S. Aug. locis *Bellarm.* (Controvers. De amiss. gratiae II. 16) qui contra Calvinianos genuinum eorum sensum vindicat.

omnia ordinat ad se ipsum, peccatum autem est aliquid per aversionem ab eo), sed indirecte tradit hominem in peccatum, in quantum iuste subtrahit gratiam, per quam homines continebantur; sicut si aliquis alicuius sustentaculum tolleret, diceretur facere casum eius. Et per hunc modum primum peccatum est causa sequentis peccati, sequens vero est poena prioris »[1]. Similiter *S. Aug.* (serm. 57,9) : « Ira iudicis donavit quosdam concupiscentiis suis; quomodo tradidit? Non cogendo, *sed deserendo* »; et iterum (c. Iulian. V. 3,12) : » Quum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia *desertus* a *Deo* cedit eis atque consentit; vincitur, capitur, trahitur, possidetur; et fit ei peccatum consequens praecedentis poena peccati ». Animadvertatur tamen oportet, consequens peccatum non esse poenam ratione culpae ac malitiae, quia haec non est a Deo sed a sola voluntate peccante, verum ratione indirectae suae causae, i. e. negationis seu subtractionis gratiarum, ex qua fit ut homo peccet, atque etiam ratione suorum effectuum, inordinationis scilicet animi, angorum conscientiae, infamiae etc., quibus homo sibi ipsi aliisque detestabilis redditur (*Thom.* cfr Summ. theol. II. 1 qu. 87. a. 2).

Iuxta *Vulg.* Deus idololatras tradidit *in desideria cordium suorum in immunditiam*, i. e. tradidit eos cupiditatibus suis, quibus ad immunditiam ducerentur (cfr *Est. Bisp.*); quae interpretatio defendi quidem potest, si graeca praepositio ἐν hic pro hebraico ל usurpata supponitur. Verum Apostolus verbum παραδιδόναι cum praep. εἰς (*vv.* 26. 28 etc.) aut cum dativo (*Eph.* 4,19) construere solet; quam constructionem hic quoque praeferentes vertere malumus : *tradidit eos in immunditiam*, atque locutione *in desideriis cordium eorum* (ἐν ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν) statum describi censemus, in quo degebant, quando traditi sunt. Crescentibus enim intellectus tenebris etiam per-

1. Conferri merentur quae *S. Thom.* de hominum excaecatione et obduratione disputat (Summ. II .1 qu. 79. a. 3) : « Excaecatio et obduratio duo important, quorum *unum* est motus animi humani inhaerentis malo et aversi a divino lumine; et quantum ad hoc Deus non est causa excaecationis et obdurationis, sicut non est causa peccati. *Aliud* autem est subtractio gratiae, ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum; et quantum ad hoc Deus est causa excaecationis et obdurationis. Est autem considerandum, quod Deus est causa universalis illuminationis animarum (*Ioan.* 1,9), sicut sol est universalis causa illuminationis corporum; aliter tamen et aliter; nam sol agit illuminando per necessitatem naturae, Deus autem agit voluntarie per ordinem suae sapientiae. Sol autem, licet quantum de se omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo, cuius fenestrae sunt clausae; illius tamen obscurationis nullo modo causa est sol; non enim suo iudicio agit, ut lumen interius non immittat, sed causa eius est solum ille, qui claudit fenestras. Deus autem proprio iudicio lumen gratiae non immittit illis, in quibus obstaculum invenit; unde causa subtractionis gratiae est non solum ille, qui ponit obstaculum gratiae, sed etiam Deus, qui suo iudicio gratiam non apponit; et per hunc modum Deus est causa excaecationis et aggravationis aurium et obdurationis cordium ». Unde deinde Angelicus ulterius deducit, excaecationem et obdurationem ex parte subtractionis gratiae esse poenam quandam peccati.

versae cordis cupiditates creverant iisque velut capti et irretiti, quando Deus gratias suas illis subtraxit, in immunditiam irruerunt. *Immunditia* porro (ἀκαθαρσία) hic, uti semper apud Paulum (6,19; 2 *Cor.* 12,21; *Gal.* 5,19; *Eph.* 4,19; 5,3) idem valet quod *impudicitia*, quippe qua totus homo polluatur; explicationis gratia autem Apostolus, ut Deum iuxta talionis legem poenam crimini assimilare significaret, addere voluit, idololatras, qui divinam maiestatem ignominia affecerant, traditos esse in immunditiam, *ut contumeliis afficiant* (melius: *afficerent*, vel etiam: *ut dehonestarent* τοῦ ἀτιμάζεσθαι) *corpora sua in semet ipsis*. Impudicitia proxime quidem, uti alia peccata, animum foedat dehonestatque, proprium tamen illum characterem habet, ut ipsum corpus, quum peccator illo ad finem non debitum utatur, commaculet eique iniuriam inferat (cfr ad 1 *Cor.* 6,18); si autem simplex iam fornicatio corpori foedam maculam inurit, quanto foediorem et turpiorem peccata contra naturam ei inurunt. De his quippe, uti ex sequentibus *vv.* 26. 27 apparet, Paulus loquitur, atque ad ea significanda hic iam illud *in semet ipsis* (vel uti legit *S. Ambr.* de fide I. 16 103 : *inter se ipsos*) addit innuens mares cum maribus atque feminas cum feminis impudica facere et pati.

Infinitivum ἀτιμάζεσθαι moderni multi, quia sensu mediali nusquam reperiatur, pro passivo habent: « ut corpora eorum dehonestarentur ». Quae explicatio, licet admitti possit, minorem tamen vim, quam Vulgatae versio, tribuit sententiae; neque quidquam impedit, quominus medialem significationem retineamus, quum illam antiquitus usitatam fuisse, quamvis hodie nullo exemplo superstite hunc usum probare possimus, Graecorum interpretatio satis doceat (cfr *Chrys. Theoph.*). — Cum modernis plurimis genetivum infin. τοῦ ἀτιμάζεσθαι pro epexegetico habemus, qui explicationis gratia substantivo ἀκαθαρσία additur : « immunditia, quae eiusmodi erat, ut dehonestarent corpora sua », vel « quae in eo cernebatur, quod eorum corpora dehonestarentur » (cfr *Mai. Reith. Bisp.* etc. — *Win.* Gramm p. 305 sq., *Buttm.* Gramm. p. 231 sq. etc.); idem est, quod alii genetivo illo eventum seu effectum actionis exprimi volunt : « tradidit eos in immunditiam, ita ut corpora sua dehonestarent » (*Beel.* Gramm. p. 359; *Ag.* etc.). — Ultima verba (ἐν ἑαυτοῖς *in semet ipsis* cfr *VV. LL.*) pro ἐν ἀλλήλοις (inter se invicem, alius alium cfr *Eph.* 4,32; *Col.* 3,13. 16; *Matth.* 16,7 etc.) usurpata esse, graeci interpretes iam insinuant et plerique moderni consentiunt. Apte tamen etiam dici possunt addita ad talionis legem, clarius indicandam, quatenus idololatrae, quia Deum dedecore affecerint, corporibus suis contaminatis in se ipsis contumelia affecti dicantur. Haud recte vero nonnulli (*Tol.* etc. — *Hofm.* etc.) locutionem illam non ad homines, de quibus agitur, sed ad praecedens nomen σώματα (corpora) referunt : « contumelia afficiunt corpora sua in ipsismet corporibus »; plane superflue enim id adderetur.

Iuxta nonnullorum sententiam Paulus nomine ἀκαρθασίας peccata impudicitiae in genere designavit, ut gradatione quadam ad peccata contra naturam (*vv.* 26. 27) progrederetur (cfr *Tol.* — *Weiss*). Verum gravissimo idololatriae crimini (*v.* 23) gravissimam poenam opponi decuit; quare rectius reliqui eum iam *v.* 24. de peccatis contra naturam agere censent. Revera tam gravis ei haec poena visa est, ut crimen, quo ethnici eam commeruissent, repetendum duceret: Deus enim eos in immunditiam tradidit tamquam homines, 25. *qui* (οἵτινες tales qui, quippe qui) *commutaverunt veritatem Dei in mendacium* (lege: *cum mendacio* ἐν ψεύδει cfr ad *v.* 23), *et coluerunt et servierunt creaturae* (τῇ κτίσει) *potius quam Creatori* (lege cum *S. Cypr.* c. Iud. III. 10: *relicto Creatore*, aut cum *S. Hil.* de Trin. XII. 3: *praeterito Creatore*, παρὰ τὸν κτίσαντα), *qui est benedictus in saecula; amen.* Duo crimina ethnicorum hic notari cum haud paucis *Tol.* putat, « unum ad intellectum pertinens, quod veri Dei notitia derelicta erroribus eam obscuraverint, alterum ad voluntatem pertinens, quod Dei veri cultu relicto creaturas coluerint ». Cum *Theod.* tamen aliisque Graecis (cfr *Oec. Euth.*) hodie fere omnes de uno solo crimine eum loqui illudque quum tropice tum proprie indicare rectius tenent, quum haec sententia praecedenti *v.* 23. accurate respondeat. « *Veritatem Dei*, inquit *Theod.*, vocat eum qui vere Deus nominatur, *mendacium* autem appellat idolum manu factum ». Saepe a prophetis idola nomine שֶׁקֶר (ψεῦδος *mendacium*) designantur (*Is.* 44,20; *Ier.* 13,25; 16,19 etc.). utpote quae nihil sint sed mentito nomine dii appellentur; *veritas Dei* autem, quamquam significare potest veritatem de Deo s. veram Dei notitiam (cfr *v.* 18) aut veritatem, quae a Deo procedit, hic tamen praecedenti *gloria Dei* (*v.* 23) respondet, ut re sit idem quod ὁ ἀληθινὸς Θεός (*verus Deus*): Deum igitur, qui natura sua est veritas, commutaverunt cum iis, qui natura non sunt dii (*Gal.* 4,8) sed hoc nomen mentiuntur. Secundo membro prius explicatur atque simul completur; quandoquidem eos verum Deum cum idolis commutasse ex eorum cultu apparet, quem non Creatori sed creaturis in universum (τῇ κτίσει) exhibuerunt. Iuxta *Vulg.* versionem aliquis putare potest, ethnicos vituperari, quod vero Deo minorem cultum quam idolis exhibuerint; at hunc non esse sententiae sensum totus contextus clamat; praepositio παρά c. acc. igitur hic exclusionem, quin etiam oppositionem quandam denotat (cfr *v.* 26. παρὰ φύσιν contra naturam; 4,18; 16, 17; *Gal.* 1,8 etc.): excluso Creatore, immo contra eum: tantum abfuit, ut ex creaturis Creatorem cognovissent, ut eis cultum exhibentes Creatorem iniuria afficerent. Duobus verbis autem (ἐσεβάσθησαν *coluerunt* vel *venerati sunt* et ἐλάτρευσαν *servierunt*, quae et in graeco textu

et in latino contra accuratam grammaticam eodem cum casu coniunguntur) universum cultum ita designari, ut priore internus altero externus exprimatur, iuniores Graeci (*Theoph. Euth.*) consentientibus nonnullis modernis haud immerito adnotarunt. Tanto ethnicorum crimine commotus B. Apostolus, ut pro sua parte iniuriam Deo illatam quasi revellat ac deprecetur, in doxologiam prorumpit: *qui est benedictus* (εὐλογητός cum gratiarum actione celebrandus, cfr ad 2 *Cor.* 1,3) *in saecula, amen.* Satis ieiune vero *Chrys.* (cfr etiam *Theoph. Oec. Euth.*) doxologiam addi arbitratur, ut divinam maiestatem illis contumeliis damnum non esse passam significetur: « verum hoc illi non nocuit; est enim in saecula *celebratus* » (*Chrys.*) vel iuxta *Oec.*: « eodem enim modo mansit celebratus in saecula ».

A criminis repetitione ad poenae descriptionem revertitur. Mirum est, quod iuniores interpretes, qui in praecedente errorum et idololatriae expositione de ethnicis philosophis agi putarunt, hac criminum enarratione ad opinionem suam corrigendam non sint adducti, sed magna cum operositate ex antiquis scriptoribus flagitia philosophorum et doctorum conquisierint, ut paulinam descriptionem veritati consonare ostenderent (cfr *Est. Lap.* etc., *Ag.* etc.). At si de solis viris doctis philosophisque aut de iis potissimum egisset, iure Paulus satis magnae exaggerationis accusaretur; verissimam autem eius descriptionem esse, si mores ethnicos in genere notasse dicitur, demonstratione non indiget. Antiquorum enim poetarum, historicorum, philosophorum opera omnia id luculentissime testantur, atque quae moderni viatores de huius aetatis ethnicis referunt, ea priscum testimonium confirmant. In horrenda igitur sua descriptione ad solos doctos aut ad solos indoctos non respicit neque, id quod per se patet, omnes ac singulos omnibus illis criminibus infectos esse significat, sed illa crimina ac peccata recenset, quae passim ab ethnicis tam aperte perpetrabantur, ut pro criminibus aut peccatis vix ac ne vix quidem haberi viderentur (cfr ad 3,9).

Quomodo igitur Deus eos in immunditiam tradiderit (*v.* 24) explicaturus pergit: 26. *propterea* (quia verum Deum cum idolis commutarunt et relicto Creatore creaturis servierunt) *tradidit illos Deus in passiones ignominiae,* εἰς πάθη ἀτιμίας i. q. εἰς πάθη ἀτιμάζοντα (nam ἀτιμίας est genetivus qualit.) in animi affectiones, quae ignominia afficiunt, seu in libidines ignominiosas. Nomen ἀτιμίας satis clare insinuat, ultimum *v.* 24 membrum (τοῦ ἀτιμάζεσθαι κτλ, ut ignominia afficiant etc.) exponi; ea quippe iusta est poena, ut illi qui creaturis servientes Deo ignominiam intulerunt, subtractis gratiis permissi sint servire libidinibus, quibus ipsi ignominia afficiuntur. Ceterum cum *Haym.* aliisque anti-

quioribus Latinis haud male *Thom.* ad latini nominis *ignominiae* etymologiam (in-gnomen, i. q. nomen) respiciens monet, Apostolum passiones istas nomine suo proprio non appellasse, quia eo essent indignae: « si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia homo per ea deducitur ad id quod est bestiale in homine, multo magis peccatum contra naturam, per quod homo etiam a natura bestiali decidit ». Ac profecto ne ab iis quidem, quae iuxta impurum quendam poetam inter animalia cuncta non inveniuntur (*Ovid.* Met. IX. 732), ethnici passionibus ignominiae abrepti abhorruerunt *nam feminae eorum mutaverunt naturalem usum in eum* (*usum*) *qui est contra naturam* (εἰς τὴν παρὰ φύσιν); 27. *similiter et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis* (ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν in cupidine sua) *in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes et mercedem* (τὴν ἀντιμισθίαν aequalem compensationem), seu retributionem), *quam oportuit, erroris sui in semet ipsis recipientes.*

De illegitimo concubitu agens Apostolus haud sine contemtu viros mulieresque illis designat nominibus, quibus etiam in animalibus sexus distinguuntur (αἱ θήλειαι, οἱ ἄρσενες *feminae, mares*). Quoniam autem commune utrique sexui erat peccatum (nam et feminae gloriam Dei cum idolis commutarant), utriusque quoque ponit probrosam poenam a feminis, opinor, ideo incipiens, quia immanitas ac foeditas libidinis istius in iis, quibus natura maiorem indidit pudorem, maiorem horrorem excitat, quam si in viris consideratur. Porro sicut omne peccatum, quia contra rectam rationem est, contra naturam esse recte dicitur, ita omnis quoque concubitus illegitimus contra naturam dici potest; nimis late tamen *S. Athan.* (orat. c. gent. 26) priora verba de meretricibus intelligit, quae in idolorum templis corpora sua prostituebant. Quum sexuum commixtio ad generationem a natura sit ordinata, rectius cum *S. Aug.* iuniores plerique naturalem usum appellari censent eum, « unde natura humana potest nascendo subsistere » (c. Iulian. III. 20,40) vel « qui fit membris ad hoc creatis, ut per ea possit ad generandum sexus uterque misceri » (de nupt. et concup. II. 20,35). Proxime tamen ac proprie Apostolus prioribus verbis, uti ex contexta oratione elucet, immundiora et sceleratiora illa denotat flagitia, quibus feminae inter se coeuntes corpora sua contaminant. Lesbium olim illud scelus vocabatur, quia maxime Lesbides ei indulgere perhibebantur, sed illud alibi quoque fuisse satis diffusum antiqui scriptores testantur[1]. Iure merito autem *Chrys.* Pauli prudentiam

1. *Clem. Alex.* Paed. III. 3 (*M.* 8, 584): « Homines ea, quae sunt feminarum, patiuntur et feminae contra naturam viros agunt (ἀνδρίζονται vel ἀῤῥενίζονται), et nubunt uxoresque ducunt feminae ». Quum profani toties de hoc crimine loquantur, evidens est illud valde

admiratur, qui ut caste simul loqueretur et lectorum animos perstringeret, scelus illud contra naturam esse dumtaxat significavit, « naturae nomine accusationem augens et quasi involucro quodam illa appellatione utens, ut castus esset loquendi modus ». Multo magis inter Graecos Romanosque diffusum erat alterum crimen, quod clarioribus quidem significat verbis sed cuius foeditatem simul clarius docet, quum mares pro suo libidinis aestu in invicem exardescentes et in maribus turpe suum facinus (τὴν ἀσχημοσύνην) exercentes aequalem quam decuit poenam erroris sui (τῆς πλάνης αὐτῶν), i. e. idololatriae suae, in semet ipsis solvisse dicit. « Proportionatam, inquit *Tol.*, Dei vindictam fuisse idololatriae et errori illorum docet; poenam condignam errori suo receperunt in se et in suis corporibus; ordinem enim inverterant cum ignominia Deo illata, quum relicto Creatore ad creaturam se converterent; iusta ergo et proportionata est compensatio, ut permittantur etiam ordinem naturae invertere cum dedecore et ignominia propria ipsorummet ». Eadem ratione tantum non omnes ultima verba recte exponentes nomine πλάνης non intellectus sed voluntatis a recto tramite aberrationem (cfr *Iac.* 5,20; *Sap.* 1,12), ipsum nimirum, cui dediti erant, simulacrorum cultum, designatum vident.

Bene poenae rationem *Chrys.* perpendit: « Quia de gehenna et supplicio loquens impiis et ita vivere volentibus fide dignus non esset visus, immo potius ridiculus, ideo in ipsa voluptate supplicium inesse ostendit. Quod si id non sentiant, sed sibi in illa placeant, ne mireris; nam furentes et qui phrenitide capti sunt, quando semet ipsos multum laedunt sibique mala inferunt, rident ac de suis rebus gestis laetantur, dum aliorum lacrymas excitant. Verum non ideo dicimus illos a supplicio exemtos, sed potius in graviore damno ac poena versari, quia quo in statu sint nesciunt... Etiamsi enim nec gehenna esset nec supplicii comminatio, hoc (crimen contra naturam) omni supplicio peius esset. Quod si id illis placere dicis, eorum supplicium auctum esse asseris. Neque enim, si quem viderem nudum currentem, toto corpore foedatum ex luto, nec pudore affectum sed sibi congratulantem, gratularer et ego illi; immo potius illum deplorarem, quod se turpiter agere non sentiret... Id certe nemini non palam est; si autem illud grave est, hoc (crimen contra naturam) non minus grave est; nam a semet ipso contumelia affici miserabilius est quam ab alienis. Hos (sc. qui peccatis contra naturam sese contaminant) homicidis peiores dico; melius quippe est mori, quam sic affectum contumeliis vivere; homicida animam a corpore separat, hic animam cum corpore perdit; si ii, qui haec faciunt, rei sensum haberent, millies mori

propagatum fuisse; eorum testimonia multa collegerunt *Wetstein* (i. h. l.), *Salmas.* (Foen. trapez. p. 143 sq.) aliique. — Sodomiae et paederastiae turpitudinem, quae *v.* 27. commemoratur, *Chrys.* Athenis servis prohibitam, liberis velut praerogativam concessam fuisse scribit; siquidem « illi eam non turpitudinem esse putabant, sed velut rem honestam et nobiliorem, quam ferret servorum conditio, eam liberis concedebant; et hoc sapientissimus Atheniensium populus et magnus apud illos Solon statuit »! Profanorum scriptorum hac de re testimonia exhibent *Wetstein* l. c., *Becker* Charicles I. 346 sqq., *Bernhardy* Griech. Literaturgesch. Ed. 2. p. 50 sqq. etc.

praeoptarent, ne haec paterentur. Nihil enim est, nihil omnino, hac contumelia gravius etc. »

Sequitur alterum argumentationis membrum, quo poena describitur impietatis, qua ethnici Deum cognitum agnoscere nolentes debitum cultum ei negarunt (*v.* 21). Pro more Apostolus ab initio (*v.* 28) totum argumentum proponit, ut illud *vv.* 29-31 explanet atque ultimo *v.* 32, criminis ratione accuratius explicata, confirmet.

28. *Et sicut* (καθὼς) *non probaverunt Deum habere in notitia* (ἐν ἐπιγνώσει), *tradidit illos Deus in reprobum sensum* (vel melius cum *S. Aug.* de praed. Sanct. 10,19 etc. : *in reprobam mentem* εἰς ἀδόκιμον νοῦν), *ut faciant ea quae non conveniunt.* Comparativa particula (καθὼς *sicut*) iterum poenam crimini respondere eiusque aequalem compensationem esse docet; neque vero poenam et crimen dumtaxat comparat, sed particulae simul, uti saepe (cfr ad 1 *Cor.* 1,8), causalem vim attribuens crimen causam poenae esse innuit. Crimen porro eorum erat, quod *non probaverunt,* i. e. exploratione facta *dignum non iudicarunt* (οὐκ ἐδοκίμασαν i. q. δόκιμον οὐκ ἐνόμισαν cfr 1 *Thess.* 2,4; 1 *Cor.* 16,3) *Deum, quem agnoscerent* accuratiusque cognoscere studerent. Non tam omissi igitur, quam negati cultus divini eos accusat, ac bene *Chrys.* : « non per ignorantiam admissa sed meditata eorum facinora esse insinuat ».

Apud antiquiores Latinos duae huius membri inveniuntur interpretationes : alii enim cum *A^tro^* explicant : « ethnici non approbarunt, Deum scire et curare res humanas » (cfr *Herv*[1]. *Thom*[2]. etc.); alii cum *Pel.* : « non curarunt, ut Deum prae oculis habentes a peccatis se abstinerent » (cfr *Prim. Haym. Herv*[2]. *Thom*[1]. *Lyr.* etc.); sed prior neque verbis neque contextui consonat, altera haud satis est accurata. Similiter inter modernos duplex invenitur explicatio; alii enim locutionem ἐν ἐπιγνώσει idem significare censentes quod ἐν γνώσει, atque verbo ἔχειν retinendi significationem attribuentes sensum esse volunt : « ethnici operae pretium non habuerunt, Deum in sua cognitione retinere » (cfr *Beel. M Ev. Mai.* etc. — *Fr. Rück God. Lips.* etc.). Rectius autem alii inter γνῶσιν et ἐπίγνωσιν distinguunt; sicut enim verbum ἐπιγινώσκειν significat *accurate cognoscere* ac simul *agnoscere*, ita ἐπίγνωσις quoque *accuratam* designat cognitionem, quae voluntatem ad veritatem cognitam amplectendam simul inclinat; unde a *Vulg.* haud male latino *agnitio* interdum redditur[1]. Simplici igitur Dei cognitioni, quam eth-

1. Quatuor vocibus *Vulg.* nomen ἐπίγνωσις reddit : *notitia* (hic et *Hebr.* 10,26), *cognitio* (3,20; 2 *Tim.* 2,25; 2 *Petr.* 1,2. 3. 8; 2,20), *scientia* (10,2; *Phil.* 1,9; *Col.* 1,10; 2 *Tim.* 3,7), *agnitio* (*Eph.* 1,17; 4,13; *Col.* 1,9; 2,2; 3,10; 1 *Tim.* 2,4; *Tit.* 1,1; Philem. 6). Saepius in N. T. non legitur, ubique autem accuratior intelligitur cognitio, quae voluntatem quoque movere solet.

nici habuerunt (γνόντες τὸν Θεόν *v.* 21), Paulus opponit accuratiorem cognitionem agnitionemque (τὴν ἐπίγνωσιν), quam habere operae pretium non duxerunt. Si Deo cognito cultum debitum exhibuissent, ad accuratam eius cognitionem paullatim pervenissent; sed quia id facere noluerunt, evanuerunt in cogitationibus suis et a Deo traditi sunt *in sensum reprobum* vel *in mentem reprobam*. Paronomasia sua (οὐκ ἐδοκίμασαν... εἰς ἀδόκιμον νοῦν) Apostolus aequalem retributionem iuxta talionis legem esse insinuat. Ἀδόκιμος νοῦς (*mens reproba*) autem a *Thom.* recte definitur ille, « quo aliquis reprobandum iudicium fert de agendis », et a *Tol.* similiter explicatur « quasi non habens probationem [i. e. probandi facultatem], quia probat non probanda »; quatenus nimirum « multa iudicat licita, quae licita non sunt, et multa dicit iniqua, quae iusta sunt ». Mens igitur intelligitur ad id, quod faciendum est, diiudicandum *inepta* (cfr *Tit.* 1,16 πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι ad omne opus bonum reprobi i. e. inepti). Idem fere manet sensus, si cum modernis plurimis νοῦν ἀδόκιμον sensu passivo interpretaris « mentem non probatam » (scilicet Deo) seu perversam, cuius iudiciis fides haberi nequit. Ex hac autem mente reproba, in quam ethnici traditi sunt, consequitur ut *ea faciant quae non conveniunt*, τὰ μὴ καθήκοντα i. e. quae non convenire mens cognoscere debuit ac per se etiam cognoscere potuit. Aequalis igitur compensatio in eo adesse apparet, quod ethnici, quia cognitum Deum agnoscere noluerunt, etiam rationis suae practicae dictamina non amplius agnoscant iisque dirigi renuant; neque enim de legum moralium ignorantia theoretica sed practica sermonem esse, ex *v.* 32 constat.

Longa serie (29-31) flagitia ethnicorum recensens Paulus, uti in similibus catalogis (cfr 13,13; 1 *Cor.* 6,9. 10; 2 *Cor.* 12,20. 21; *Gal.* 5,19-21; *Eph.* 3,3-5), neque omnia nullo omisso enumerare neque singula iuxta artis regulas disponere curat, sed externo quodam ordine contentus multis variisque cumulatis ostendere vult, quanta sit ethnicorum morum corruptio et quam ampla scelerum messis ex una radice, ex defectione nimirum a vero Deo, sit exorta. Quatuor autem classes, si ad externam enumerationis formam attendimus, distinguere licet; quatuor quippe priora (vel iuxta *Vulg.* quinque) vitiorum nomina a participio πεπληρωμένους (*repletos*) et quinque insequentia ab adiectivo μεστούς (*plenos*) dependent; tum septem sequuntur, quae ab ultimis quinque (vel iuxta *Vulg.* sex) ita discernuntur, ut priora scelus adesse affirment (ψιθυριστάς-ἐφευρετὰς κακῶν, *susurrones — inventores malorum*), alia virtutem adesse negent (γονεῦσιν ἀπειθεῖς κτλ *parentibus non obedientes* etc.). Ad constructionem id quoque adnotamus, interpretem vulgatum non satis accurate ex graeco textu accusativos (*reple-*

tos, plenos etc.) transumsisse ac multo aptius antiquam versionem latinam nominativum adhibuisse (*repleti, pleni* etc.; cfr *S. Cypr.* ad cler. et pleb. Hisp. ep. 68,9. *M.* 3,1034). Iuxta hodiernam enim *Vulg.* accusativi illi dependere nequeunt, nisi a verbo *tradidit*, ita ut dicendum videretur, Deum ethnicos in reprobum sensum tradidisse velut viros repletos (i. e. quia essent repleti) omni iniquitate etc.; at iuxta primitivum textum accusativi pertinent ad infinitivum ποιεῖν, quem nostra *Vulg.* verbo finito (*ut faciant*) reddidit, ita ut scelera enumerata non causa, sed sequelae vel effectus mentis reprobae a Paulo dicantur (cfr *Tol. Est.* etc.). Deus igitur ethnicos in reprobum sensum ita tradidit, ut inhonesta facientes sint 29. *repleti omni iniquitate, malitia,* (*fornicatione,*) *avaritia, nequitia, — pleni invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate* — 30. *susurrones, detractores, Deo odibiles* (iuxta *S. Cypr.* : abhorrentes Deo), *contumeliosi, superbi, elati* (*S. Cypr.* : iactantes sui), *inventores malorum,* — 31. *parentibus non obedientes, insipientes, incompositi, sine affectione,* (*absque foedere,*) *sine misericordia.* Qua in enumeratione gravissimis criminibus, uti recte *Chrys.* monet, nonnulla intermixta sunt, quae leviora videntur ac pro indifferentibus fere haberi solent; at omnia ponens Apostolus clarius ostendit, quanta sit ethnica perversitas. Neque enim de hominibus loquitur, qui ad unum aut alterum ex his peccatis raro abripiuntur, sed de illis, qui contracto habitu ea velut aquam bibunt, quorum universa vita est perversa « quorumque affectus totaliter ad malum est inclinatus » (cfr *Thom.*); nam hi soli iis dici possunt *repleti* aut *pleni,* atque hi soli a peccatis, quibus sine pudore indulgent, cognominantur (*susurrones* etc.).

In prima classe iuxta meliorem lectionem (cfr *VV. LL.*) quatuor recensentur nomina eaque fere generalia; quintum vero, quod *Vulg.* et graecus *textus rec.* exhibent (πορνείᾳ *fornicatione*) a librariis haud satis apte insertum videtur, qui non attenderunt, immunditiae peccata, gravissimis eorum descriptis (v. 24.26.27), abunde iam esse notata. Primo in loco ponitur nomen universalissimum : *omni iniquitate* (πάσῃ ἀδικίᾳ), quo reliqua omnia complectuntur. « Sicut enim, inquit *Thom.*, omnis virtus, in quantum exsequitur praeceptum legis, habet rationem iustitiae [δικαιοσύνης], ita etiam omne peccatum, in quantum a regula legis divinae discordat, habet rationem iniquitatis » (seu iniustitiae ἀδικίας). Cum *Lachm.* et *Tisch.* deinde eam praeferimus lectionem, quae etiam secundo et tertio in locis nomina generalia habet (*malitia, nequitia* κακίᾳ, πονηρίᾳ) eisque adiungit nomen illius vitii, quod teste Apostolo una cum impudicitia inter ethnicos erat diffusissimum (*Eph.* 4,19) et tamquam species quaedam idololatriae (*Col.* 3,5) generalibus nominibus adiungi merebatur : *avaritia* (πλεονεξίᾳ). Quomodo κακία et πονηρία

inter se differant interpretes non consentiunt. Iuxta *Theoph.* etc. (cfr ad 1 *Cor.* 5,8) *malus* (κακός) vocatur, quicumque vitiis indulget, *nequam* (πονηρός), qui cum hypocrisi et dolo se eis tradit. Inter iuniores ac modernos alii πονηρίᾳ studium nocendi, κακίᾳ animi perversitatem et inclinationem ad malum significari volunt (cfr *Tol. Est. Reith.* — *Beng. Mey.*), alii contra priore perversitatem et altero nocendi studium designari arbitrantur (*de W. God.* etc.), alii utrumque de nocendi studio interpretantur (*Beel. Mai.* etc.), alii alias distinctiones faciunt. Fatendum autem est, duo nomina accurate distingui non posse, quia et sacri et profani scriptores ea promiscue usurpant; Paulus autem tria nomina illa generalia posuit, ut ethnicos omnis generis vitiis inquinatos esse assereret.

In secunda classe animi contra proximum infensi vitia quinque recensentur; duo prima, φθόνος, φόνος (*invidia homicidium*) propter homophoniam coniuncta sunt (cfr *Gal.* 5,21). Uti autem prius (*invidia*), ita etiam secundum (*homicidium*) ad animum infestum referri potest, si non tam ipsa operis perpetratio, quam eius desiderium spectatur; unde hic saevitiam potius crudelitatemque significat, quam inter ethnicos summam fuisse et esse constat, quum in ipsis eorum sacrificiis caedes mutilationesque hominum essent ac sint frequentissimae. Ἔρις (*contentio*), quod nomen saepe cum ζήλῳ ab Apostolo coniungitur (13,13; 1 *Cor.* 3,3; 2 *Cor.* 12,12; *Gal.* 5,20) rixarum studium designat, quod ex invidia exoriri solet (cfr *S. Basil.* Reg. brev. expl. 66); δόλος (*dolus*) autem *Basilio* (l. c. 77) est sedula ad struendas insidias opera, et κακοήθεια (*malignitas*) eidem quidem est « prima et occulta morum corruptio », ab aliis vero iuxta *Aristot.* (Rhet. II. 3) vitium illud esse rectius definitur, quo omnia in deteriorem partem accipiuntur et explicantur.

Duo priora tertiae classis vitia cum praecedentibus arcte cohaerent; *susurrones* (ψιθυρισταί) et *detractores* (κατάλαλοι) ita recte distinguuntur, ut priores clanculum et occulte, alteri palam et aperte calumnias spargant (cfr 2 *Cor.* 12,20). Quid vero tertium nomen (θεοστυγεῖς) hic significet, in controversia est. Apud profanos scriptores nomen habet sensum passivum (qui a Deo odio habentur) eundemque hodierna *Vulg.* (*deo odibiles*) et *Syr.* exprimunt ac multi moderni retinent (*Bisp. Sch.* etc. — *Fr. Goeb. Weiss* etc.); verum non intelligitur, quid in hac vitiorum enumeratione nomen velit, quo omnium peccatorum effectus enuntiatur; omnia quippe hominem reddunt Deo exosum. Quare aliqui illud velut adiectivum praecedenti substantivo addunt (κατάλαλοι θεοστυγεῖς *detractores Deo exosi*); melius tamen activum sensum (i. q. Dei osores, Deum odio habentes) ei attribuemus, ut summa impietas notetur. Ita enim cum antiqua versione latina (*Deo abhorrentes*) nomen interpretati sunt quum iuniores Graeci (*Theod. Theoph. Oec. Euth.* cfr etiam *Suid.*), tum *S. Clem. Rom.*, Pauli ipsius immediatus discipulus, qui nostrum locum imitatus substantivum θεοστυγία ita adhibet, ut *odium in Deum* explicari debeat [1]. Neque obstat profanorum usus, siquidem Paulo

1. *S. Clem. Rom.* (1 Cor. 35) abiicere nos iubet « omnem iniustitiam et iniquitatem, ava-

activum sensum, quum vocabulo per se non repugnet (cfr βροτοστυγής qui hominibus exosus est, et qui homines odit, θεομισής qui exosus est Deo, et qui Deum odit), cum eo coniungere licuit. Tria sequentia nomina varias superbiae species declarant: ὑβρισταί (*contumeliosi*, iuxta *S. Cypr.*: iniuriosi) sunt illi, qui superbia tumentes contumeliis iniuriisque alios lacessunt (1 *Tim.* 1, 13); ὑπερήφανοι (*superbi*) illi, qui propter opinata sua bona prae aliis eminere iisque praeferri volunt (cfr *Iac.* 4,6; 1 *Petr.* 5,5); ἀλάζονες (*elati*, iuxta *S. Cypr.*: iactantes sui) sunt vani iactatores, qui insolentius se suaque praedicare solent (2 *Tim.* 3,2; cfr *Iac.* 4,16; 1 *Ioan.* 2,16). Quibus adduntur ἐφευρεταὶ κακῶν (inventores malorum), qui vitiis quae norunt non contenti alios modos studiose excogitant, quibus passionibus suis pravis perversisque satisfaciant.

In quarto ordine primum locum tenent filii *parentibus non obedientes*; sequuntur ἀσύνετοι et ἀσύνθετοι (*insipientes*, *incompositi*), de quorum definitione iterum non constat. Parum recte, ut videtur, *Euth.* ἀσυνέτους dicit ἀσυνειδήτους, i. e. eos quibus, utpote conscientia fere destitutis, nihil religioni est; alii eos significari volunt, qui ab intelligentia vel mente (σύνεσις) se regi non sinunt, sed inconsiderate ac temere agunt (*Tol. Beel.* etc.); rectius vero hebraicum נָבָל (stultus i. q. impius *Sap.* 1,5; *Eccle.* 15,7) comparantes nomen de impietate interpretabimur (cfr *v.* 21; 10,19). Ἀσύνθετοι, qui propter nominis homophoniam ἀσυνέτοις addi videntur, non tam sunt *incompositi*, qui moribus sunt inurbani ac rudes alienique ab humanitate (*Tol. Est.* etc.), quam foedifragi (συντίθεσθαι pacisci), qui pactum initum non servant (*Theoph. Euth*[1].) aut instabiles sunt in amicitia (*Euth*[2].). Caritatis demum defectum tria ultima nomina ostendunt: ἄστοργοι (*sine affectione*), qui erga filios aut alios consanguineos amoris (eum enim proxime ἡ στοργή significat) sunt expertes, ἄσπονδοι (*sine foedere*), qui foederis (σπονδή) expertes sunt et foedera inire detrectantes in inimicitiis implacabiles persistunt (ceterum hoc nomen a multis testibus omittitur; forte velut glossa ad ἀσυνθέτους adscriptum ex margine in textum irrepsit); ἀνελεήμονες (*sine misericordia*), qui pauperum debiliumque non miserentur, quod vitium quantopere fuerit propagatum ex modo, quo servi passim tractabantur, satis constat.

Quemadmodum Paulus de immunditia loquens crimen ipsum, propter quod velut poena a Deo esset permissa, repetendum duxit (*v.* 25.

ritiam, contentiones, malignitates (κακοηθείας) et dolos, susurrationes et detractiones, odium Dei (θεοστυγίαν), elationem et iactantiam, vanam gloriam et inhospitalitatem; qui enim haec *faciunt*, Deo odiosi sunt (στυγητοὶ τῷ Θεῷ ὑπάρχουσιν), neque illi solum qui haec faciunt sed etiam qui iis consentiunt ». Quo in loco S. Doctorem imitatum esse nostram enumerationem nemo negabit, qui vitiorum nomina et ordinem cum paulino textu comparaverit. Clarum autem est, nomen θεοστυγίας activo sensu a Clemente sumi, quia *odium Dei* inter vitia recenset, quae *facere* homo vetatur, nisi *Deo exosus fieri* velit. Iamvero attendatur oportet, Clementem fuisse Pauli discipulum, quem magistro in scribenda ep. ad Hebr. operam suam praestitisse multi summa cum probabilitate asserunt (cfr *Introd. spec.* in libr. Novi Test. p. 533); unde eum paulinum loquendi usum optime cognitum habuisse, iure asserimus, atque interpretationem vocabuli ab eo traditam pro certa tenemus.

οἵτινες μετήλλαξαν κτλ. tamquam homines qui commutaverunt etc.), quamquam illud antea iam indicarat, ita hic quoque post descriptam corruptionem morum omnimodam repetit crimen, cuius poenam Deus eam esse voluit. Superiora enim verba (*v.* 28 *non probaverunt Deum habere in notitia*) quasi explicans ethnicos sceleribus enumeratis indulsisse dicit tamquam homines 32. *qui* (οἵτινες tales qui) *quum iustitiam* (vel potius : iudicium aut *decretum* τὸ δικαίωμα i. q. חֹק) *Dei cognovissent, quod qui talia agunt digni sunt morte, non tantum ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.* Hac ratione cum omnibus fere graecis codd., praecipuis verss. (*Syr. Copt. Arm. Aeth.*), omnibus graecis interpretibus (*Chrys. Theod. Dam. Theoph. Oec. Euth.*) sententiam legendam esse censent aliqui iuniores (*Cai. Cathar. Iust.* [in paraphr.] *Est.* etc.) et moderni plerique (*Reith. Mai. Beel. Bisp. LR. Sch.*).

Culpam igitur ethnicorum (de omnibus enim agitur, non de solis philosophis, quos *Cai. Est.* etc. iterum solos intelligi volunt) Paulus ex eo aggravat, quod Deum mortis poenam contra eos, qui praedicta crimina essent commissuri, decrevisse sciverint atque hac scientia sua non obstante non tantum ipsi ea commiserint sed alios quoque eadem committentes laudaverint illisque plausum dederint. Velut homines ergo eos depingit, qui suae conscientiae dictamina non agnoscant, quandoquidem ea, quae aeternae mortis supplicio digna esse cognoverunt, in aliis quoque laudant approbantque. Interrogantibus vero, num ethnici talem poenam a Deo statutam esse revera sciverint, respondemus, omnes homines legem, qua vitia illa prohibentur, cordibus inscriptam habere (2,14 sqq.) atque ex divina iustitia, quam ignorare nequeunt, sua sponte concludere, Deum violatores huius legis esse puniturum gravissimis poenis. Ac profecto notum est ex antiquorum poetarum philosophorumque libris, quam diris suppliciis homines scelestos apud inferos puniri Graeci, Romani, Indi etc. passim crediderint, atque nota quoque sunt, quae Aegyptii, Persae aliique de severo iudicio post mortem subeundo docuerunt et quae ipsi barbari de divina iustitia crimina gravia gravibus poenis ulciscente et olim senserunt (cfr ex. gr. *Act.* 28,4) et hodie sentiunt[1]. Quamvis igitur *mortis* (aeternae) nomine, quo Paulus utitur, ethnici poenas illas designare non sint soliti, iure tamen dicuntur cognovisse, quin etiam *accurate cognovisse* (ἐπιγνόντες cfr *v.* 28 ἐν ἐπιγνώσει), legis violatores eorumque approbatores esse morte (aeterna) dignos. Iuxta graecum igitur textum clare apparet criminis ac poenae proportio : suam scientiam in iniustitia detinentes

1. Praeter alios multos conferri meretur *P. Knabenbauer* Zeugniss des Menschengeschlechtes fur die Unsterblichkeit der Seele (Freiburg 1878), quo in opusculo multa invenies testimonia, quibus universalem fuisse persuasionem probatur de peccatoribus post mortem puniendis.

Deum cognitum agnoscere noluerant, ideo Deus suas gratias eis subtrahens permisit, ut dictamina suae conscientiae clare quidem cognoscentes sed ea non agnoscentes omnibus vitiis indulgerent. Integra autem morum corruptio ethnicorum ignominiosaeque eorum passiones iram divinam manifestant, sub qua degunt (cfr ad *v.* 18).

Restat ut de latina lectione dicamus : *qui, quum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Duo autem praecipue notanda sunt. Ad priora verba quod attinet, antiquiores interpretes (*Herv. Thom. Dion.* etc.) nomine *iustitiae Dei* intellexerunt eam, qua Deus iustus est, et quum inter theoreticam et practicam scientiam distinguerent, eundem fere sensum sententiae invenerunt, quem mox explicavimus : theoretice ethnici cognoverunt Deum esse iustum, sed *non intellexerunt,* i. e. practice non cognoverunt seu non agnoverunt, Deum peccatores morte aeterna esse punituros; contra meliorem suam igitur cognitionem egerunt. Iuniores autem (cfr *Tol. Ag.* etc.), qui nomine *iustitiae Dei,* quum graeco δικαίωμα Θεοῦ respondeat, attributum divinum non significari viderunt, ita sententiam interpretantur, ut non tam malitia quam ignorantia ethnicorum notetur, quatenus nimirum *ius* (τὸ δικαίωμα) i. e. legem Dei cognoscentes eo non pervenerint, ut legis violatores morti a Deo infligendae obnoxios esse intelligerent. Verum quomodo haec explicatio contextui adaptetur, equidem non video; namque haec ignorantia, licet statuatur culpabilis, ethnicos excusare potius quam accusare videtur. Quare qui latinam lectionem sequi voluerit, is antiquiorum Latinorum interpretationem praeferat oportet.

Porro in ultimis verbis ea habetur utriusque textus differentia, quod graecus gravius esse insinuet facientibus mala consentire (συνευδοκεῖν cum approbatione consentire) quam eadem mala facere, latinus autem contrarium insinuet. Utrumque quidem pro personarum et conditionum diversitate rectissime asseritur; at indicia quaedam adsunt, quibus dicere cogimur, latinum textum hac saltem in sententiae parte integrum ac purum ad nos non pervenisse. Nam et *S. Aug.* (expos. n. 7) et *S. Symmachus* papa (Apolog. adv. Anast. imper. *M.* 62, 67) latinis nostris verbis allegatis concludunt, approbationem peccati alicuius esse graviorem peccato ipso, licet id ex nostra latina lectione desumi nequeat; unde apparet, eos lectionem graecae viciniorem in suis codicibus habuisse atque iuniores librarios aut editores in eorum operibus verba allegata ad hodiernam Vulgatam mutavisse. Id enim sexcenties in Patrum locis factum esse, ita ut explicatio ab eis data verbis scripturisticis, quae nunc in eorum operibus leguntur, non consonet, nemo ignorat. Iam vero *S. Isid. Pelus.* (epist. IV. 60) adnotat, nonnullos, quum non intelligerent, quomodo peccati approbatio peccato esset peior, textum immutare coepisse atque verbis finitis (ποιοῦσιν, συνευδοκοῦσιν *faciunt, consentiunt*) substituisse participia (ποιοῦντες, συνευδοκοῦντες), « ut ita maius sit facere quam consentire ». Codex vatic. (B) hanc lectionem a S. Isidoro vituperatam

exhibet : « qui cognoscentes (ἐπιγινώσκοντες) decretum Dei, quod talia agentes digni morte sint, non solum ea *facientes* sed etiam *consentientes* facientibus »; qua in sententia quum verbum aliquod finitum deesse pateat, ad illud substituendum librarii aliqui inseruerunt οὐκ ἔγνωσαν (non cognoverunt) vel οὐκ ἐνόησαν vel οὐκ συνῆκαν (non intellexerunt). Ex non intellecta Pauli sententia ergo corruptio lectionis genuinae videtur exorta. Ceterum omnes graeci interpretes magna cum sollicitudine ostendunt, qua ratione approbatio peccati alieni proprio peccato dicatur gravior. Monent enim, peccatorem interdum vehementiam passionis, qua sit abreptus, ad culpam minuendam afferre posse, ea vero excusatione carere approbatorem, qui deliberate alterius peccatum laudat (*Chrys.*), peccatorem quoque saepe facilius quam approbatorem ad resipiscendum adduci (*S. Isid. Pel.* l. c. *Oec.* etc.), peccatorem deinde sibi soli nocere, laudatorem alios ad similia peccata allicere (*Theod.* etc.). Quando S. Paulus haec verba scripsit, de Romanorum forsitan Graecorumque diis cogitaverit, qui summis, quae perpetrasse credebantur, criminibus non obstantibus templa ac sacra sua innumera habebant, aut etiam de pessimis illius aetatis imperatoribus, Tiberio, Caligula, Claudio, qui ipsi quoque velut numina colebantur. Ipso suo cultu igitur ethnici crimina, quae damnabat eorum conscientia, laudabant et approbabant idque eo magis, quia peccata quaedam (uti occisiones hominum, prostitutiones mulierum etc.) partem cultus constituebant.

2. — *Iudaei similiter ob peccata sua divinae irae sunt obnoxii* (**2,1-3,8**).

Omnibus ethnicis, quum sub ira divina degant neque quidquam quo eam avertant in sua religione habeant, aliam salutis viam praeter eam, quae in Evangelio revelata est, non patere ex Pauli argumentatione elucet; sed de Iudaeis quid sentiendum est, quos Deus peculium sibi de cunctis populis elegerat multisque beneficiis ditaverat? Eos quoque eandem viam ingredi debere Apostolus asseruerat (**1,16**) atque nunc eo maiore cum diligentia demonstrare aggreditur, quo magis Iudaei ipsi hanc necessitatem addubitabant vel potius negabant. Quem in finem eos coram divino tribunali constituens ostendit eos ethnicis quodam modo peiores esse, quoniam divinam legem clarius cognoscentes moribus suis ethnicos imitentur iisdem vitiis dediti, quae in illis damnent (**2,1-24**); ne vero privilegia divinitus accepta praetendant, ea sine legis observatione nihil eis prodesse docet (**2,25-3,8**).

Duo igitur argumentationis huius membra apte distinguuntur, quorum prius est tripartitum; ne enim directa accusatione animos Iudaeorum irritet, Paulus argumentum suum quasi dissimulans ab asserendo divino iudicio exorditur, quod nemo effugere possit et in quo singuli secundum opera sua mercedem aut poenam aeternam sint accepturi (**2,1-8**). Propius deinde ad argumentum suum accedens Iudaeos et eth-

nicos sine personarum distinctione iudicatum iri monet iuxta eam normam, quam Iudaei in sua Lege scripta, ethnici in lege cordibus suis insculpta possideant (2,9-16). Quibus praemissis Iudaeos diserte alloquens maiorem eorum culpam esse docet, quia de Legis scientia quidem gloriantes aliorum esse duces velint, sed eadem peccata committentes efficiant, ut divinum nomen inter gentes blasphemetur (2,17-24).

Alterum argumentationis membrum est bipartitum; sine Legis enim observatione neque circumcisionem Iudaeis prodesse ostendit (2,25-29) neque alia privilegia, quae eis competere non negat (3,1-8)..

1.) — *Coram iusto Dei iudicio Iudaei maiore in culpa erunt quam ethnici* (2,1-24).

a. — **Omnes a iusto iudice secundum opera sua iudicabuntur (2,1-8).**

2,1. *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas : eadem enim agis quae iudicas.* 2. *Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* 3. *Existimas autem hoc, o homo qui iudicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* 4. *An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* 5. *Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei,* 6. *qui reddet unicuique secundum opera eius :* 7. *iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam :* 8. *iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.*

2,1. Διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε πᾶς ὁ κρίνων· ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις· τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. 2. οἴδαμεν δὲ ὅτι τὸ κρῖμα τοῦ Θεοῦ ἐστὶν κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας· 3. λογίζῃ δὲ τοῦτο, ὦ ἄνθρωπε ὁ κρίνων τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας καὶ ποιῶν αὐτά, ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ κρῖμα τοῦ Θεοῦ; 4. ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς, ἀγνοῶν ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; 5. κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου καὶ ἀμετανόητον καρδίαν θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, 6. ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, 7. τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσιν ζωὴν αἰώνιον· 8. τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας καὶ ἀπειθοῦσιν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, ὀργὴ καὶ θυμός[1].

1. *VV. LL.* — 1. τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων (eadem enim agis [tu] qui iudicas) est communis lectio codd. et PP. graec. aliarumque versionum, quibuscum consentiunt aliqui boni *Vulg.* codd. (*Amiat. Floriac.* etc.); reliqui tamen latini testes legunt : *eadem enim agis quae iudicas.* — 2. οἴδαμεν δέ (scimus *autem*) B A D E G K L P, plerique minusc. et PP., *It.* (*Tert.* c. Marc. IV. 13. *A[ter]* etc.) *Syr.* (codd.); sed : οἴδαμεν γάρ (*scimus enim*) ℵC, aliqui minusc. et PP. (*Chrys.* etc.), *Vulg. Copt. Arm.* Priorem lectionem *Lachm. WH.* receperunt, alteram *Tisch.* (cfr *Comment.*). — 5. καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας (*et revelationis iusti iudicii*) B ℵ A D F G, multi minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; minus apte : καὶ ἀποκαλύψεως καὶ δικαιοκρισίας (et revelationis *et* iusti iudicii) E L P, haud pauci minusc., *Syr.* (codd.) multi PP. graeci.

Ob horrendam suam idololatriam morumque corruptionem gentes a Iudaeis severe iudicabantur ac velut peccatores contemnebantur; verum in sua ethnicorum vitiorum enumeratione Apostolus haud pauca recensuerat, quibus Iudaei vix minus quam gentiles indulgebant. Quare severum eorum iudicium aptam ei praebuit occasionem ostendendi, eos quoque sub ira divina degere privilegiisque suis ab ea non eximi nec liberari. Magna autem cum prudentia, ut superbiae eorum parcat, a generali sententia exorditur, quae ex superiore argumentatione legitime colligitur, omnem scilicet hominem, Iudaeo non excepto, inexcusabilem esse coram iusto Dei iudicio, si aliorum iudicem se constituens eadem faciat, quae in aliis condemnet (1. 2). Quo principio stabilito neminem sperare posse monet, se divinum iudicium esse effugiturum, licet Deus ob suam misericordiam illud differat (3. 4), eum potius, qui tali spe nixus in peccatis perseveret, graviorem poenam sibi attrahere (*v.* 5), quum Deus omnes iuxta eorum opera iudicaturus (*v.* 6) singulisque pro eorum meritis aut mercedem aeternam aut aeternam poenam distributurus sit (7. 8).

Aliquid miri habet, quod Apostolus Christianis scribens generalem hanc considerationem praemittere voluerit, antequam Iudaeos incredulos sub ira divina esse ostenderet; nulla enim introductione praemissa de divina ethnicorum punitione egerat (1,18 sqq.). Attamen in reliqua quoque epistola diligentissime semper cavet, ne Iudaeorum animos offendat, atque summam suam erga eos caritatem haud semel manifestat (cfr 9,1-5; 10,1. 2 etc.). Divina quippe dona sine poenitentia esse sciens Iudaeos incredulos, quamvis ad tempus essent inimici Dei, propter patres tamen, in quibus erant vocati, Deo esse carissimos atque iuxta divinam voluntatem aliquando esse ad fidem perventuros non ignoravit (cfr 11,28 sqq.). Hanc ob causam hic quoque, ubi eos ethnicis similes factos esse demonstrare debuit, cautissimus est, ne verbis eos laedat et ab amplectendo Evangelio avertat, neque ad eorum perversitatem directe demonstrandam transit, antequam eorum animos ad eam clarius cognoscendam et agnoscendam praeparavit.

1. *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quae iudicas* (cum *Amiat.* lege : *eadem enim agis* [tu] *qui iudicas* τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων cfr *VV. LL.*). Duplici modo particula *propter quod* (διό) explicari potest : etenim si latinam praecedentis sententiae (1,32) lectionem sequimur, secundum quam ethnici non intellexisse dicuntur, peccatores dignos esse morte, hic erit nexus : « illi iam, quamvis id non intelligerent, severis poenis a Deo sunt mulctati, multo magis ergo tu, qui de aliis iudicans ostendis te poenam a Deo statutam cognoscere,

excusationem praetendere non poteris » (cfr. *Tol.* etc.). Si vero lectionem graecam sequimur, iuxta quam ethnicos esse punitos enuntiatur, quia male agere voluerint, quamvis poenam divinitus statutam cognoverint, conclusionem a minore ad maius non habebimus (quae in verbis paulinis etiam non est indicata), sed a pari concluditur : « Poenis suis Deus ostendit ethnicos esse inexcusabiles, quia veritatem in iniustitia detinentes cognitam veritatem non sunt amplexi neque in vita sua exprimunt; a pari ergo omnis homo est inexcusabilis, qui aliorum iudicem se constituens eadem agit, quae in aliis condemnat; ethnicis enim similis veritatem, quam iudicio suo sese cognoscere profitetur, voluntate non amplectitur ». Quoniam autem in tota praecedente argumentatione Paulus docet, iram divinam super ethnicos revelatam esse, quia iuxta cognitam veritatem vitam suam non instituissent, dicere etiam licet, particulam *propter quod* ad totam superiorem pericopen referri (cfr *Thom. Est.* etc.).

In controversia porro est, quisnam ille sit, quem Apostolus alloquitur (*o homo omnis qui iudicas*). Graeci (cfr *Chrys. Theod. Theoph.* etc.) consentiente *Cai.* principes ac magistratus, et potissimum quidem romanos, qui tunc mundi imperium tenebant, intelligunt; sed haec sententia, quum de publico iudicio non agi clarum sit, hodie est derelicta. Pauci moderni superiorem argumentationem continuari putant, ita ut ethnici, immo Ethnicochristiani, qui Iudaeos propter Legis transgressiones vituperaverint, intelligantur (cfr *Ag.* — *Hofm.* etc.); sed hi extra contextum vagantur. Neque iis assentimur, qui verba de solis Iudaeis interpretantur, quamvis haec explicatio hodie sit vulgatior (cfr *Tol. Est. Nat.* etc., *Beel. Mai. Dr. Sch.* etc. — *Fr. Rück. God. Weiss* etc.); procul quidem dubio Paulus his verbis ad Iudaeos iam transit eosque iam prae oculis habet, sed nulla prorsus est ratio, qua verba generali suo sensu privare cogamur. Melius igitur cum *S. Aug.*, quem antiquiores Latini omnes (*Haym. Gl int. Herv. Lomb. Thom.* etc.) et aliqui iuniores ac moderni sequuntur (*Iust. Reith. MEv. Bisp.*) dicemus : « *omnis* quum dicit, *subintrat* iam ut monstret non solum gentilem, sed etiam Iudaeum, qui secundum Legem voluit iudicare de gentibus » [1]. Generali autem modo conclusionem suam proponit, ut Iudaeos ad eam agnoscendam facilius adducat ex eaque, utpote iam concessa, postea (*v.* 17 sqq.) efficacius contra eos argumentetur.

Reliqua sententia clara est : qui alterum *iudicat* (κρίνει), i. e. iudicis

1. Dubitari tamen potest, num *S. Aug.* hanc explicationem, quam in Expos. diserte tradit, semper retinuerit. In recentioribus enim suis operibus (de spir. et lit. 26,44; ad Sixt. Rom. ep. 194, 6 n. 24) de solis Iudaeis verba interpretari videtur; sed in his locis obiter tantum ea tangit neque accuratius ea perpendit.

personam induens actiones aliorum reprehendit ac malas esse pronuntiat (cfr 14,3. 10. 13 etc.), se legem quandam, cui homines actiones suas conformare debeant, agnoscere profitetur; iudicio igitur suo sibi praeripit ignorantiae excusationem omnique in re, quam in altero reprehendit (ἐν ᾧ κρίνεις), semet ipsum *condemnat* (κατακρίνει) i. e. poena dignum proclamat, si eam ipse committat. Non plane eodem quidem sed simili modo, quo 1 *Cor.* 11,32, Paulus verba κρίνειν et κατακρίνειν inter se opponit, priore reprehensionem, altero sententiam damnatoriam significans. Alloquitur autem homines, quos ethnica crimina re imitari videt, quamvis illa ore vituperent; hinc acerbum illud : *eadem enim agis, o iudex* (ὁ κρίνων), pro quo hodierna *Vulg.* mitius legit : « eadem enim agis *quae* iudicas »; singularem enim vim vocativus (vel potius nominat. pro vocat.) in fine sententiae habet.

Iam quo cum iure eiusmodi iudex semetipsum condemnare dicatur, ex addita explicatione elucet : 2. *scimus enim* (οἴδαμεν γάρ, vel iuxta alios : *scimus autem* οἴδαμεν δέ cfr *VV. LL.*), *quoniam iudicium* (τὸ κρῖμα sententia damnatoria) *Dei est secundum veritatem in eos qui talia* (τὰ τοιαῦτα sc. qualia ethnici 1,29 sqq.) *agunt*. Utrum cum plerisque graecis codd. particulam δέ (*autem*) an cum *Vulg.* et plerisque verss. particulam γάρ (*enim*) praeferas, parum interest. Utraque explicationi adnectendae inservire potest, et quum in tali nexu prior adversativam, altera causalem vim fere totam amittant, levissima est differentia; altera tamen forte est praeferenda, quia simul confirmationi inservit. Verbo *scimus* porro Apostolus non solos Iudaeos aut Christianos, uti aliqui opinantur, sed omnes homines secum complectitur; omnibus enim, qui recta ratione utuntur (τοῖς εὖ φρονοῦσιν, uti habet *Theod.*) persuasum est Dei iudicium esse verum et iustum (*Ioan.* 8,16) atque in divino iudicio sine ulla personarum distinctione ferri *sententiam secundum veritatem*, i. e. talem qualem veritas et iustitia postulat, *in eos qui talia* (sc. ethnica crimina) *faciunt* (cfr 1,32). Duas quippe, iuxta quas iudicet, normas Deus non habet, sicut illi iudicantes videntur habere, quum ea quae in aliis reprehendunt sibi licere opinentur. Eandem potius normam, quam illi contra ethnicos facinorosos, ipse etiam contra ethnicorum censores iisdem criminibus onustos adhibet; quare eodem iudicio, quo illi nunc ethnicos reprehendunt, semet ipsos proclamant poena dignos coram Deo secundum veritatem iudicante.

Sed homo, qui de proximis iudicat, locum quodammodo Dei, supremi legislatoris ac iudicis, sibi arrogat, ac si ipse legi illius non sit subiectus atque divino exemptus iudicio. Quae arrogantia quam stulta et absurda sit, Paulus ostendit cum admiratione interrogans : 3. *existimas* (λογίζῃ opinaris) *autem hoc, o homo qui iudicas eos qui*

talia agunt et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? Haud levi cum emphasi opinionem, quam iudicans ille, quum se solum a iudicio divino eximere videatur, (falsis) ratiociniis sibi de Dei iudicio formavit (λογίζειν proprie *rationibus perpensis aestimare,* deinde pro rationum firmitate aut *censere* aut *opinari*), opponit communi totius generis humani certae persuasioni de iudicio illo, quod contra omnes peccatores a Deo secundum veritatem habitum iri in praecedente sententia asseruit (οἴδαμεν). Haud satis recte autem multi cum *Chrys.* in hac sententia argumentum a minore deprehendunt, quasi iudicium divinum humano opponeretur : « tuum iudicium non effugisti (*v.* 1. *te ipsum condemnas*), quomodo ergo iudicium Dei effugies? » Neque enim ad vim pronominis σύ (*tu*) in principio sententiae positi attendunt; ad illum autem, quem volunt, sensum exprimendum, omisso pronomine, dicendum erat : λογίζῃ ὅτι τοῦ Θεοῦ τὸ κρίμα ἐκφεύξῃ; (opinaris, quod *Dei* iudicium effugies?)

De eo autem, qui sese a divino iudicio exemptum fore non opinatus illa nihilominus, quae in aliis reprehendit, crimina perpetrare non dubitat, multo severius esse existimandum, altera interrogatio docet : 4. *an* (rectius : *aut* ἤ, scilicet si id non opinaris,) *divitias bonitatis* (τῆς χρηστότητος) *eius et patientiae et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas* (τὸ χρηστὸν *S. Cypr.* c. Iud. III. 35, *A^ler^* etc. : bonitas) *Dei ad poenitentiam te adducit?* Pro duabus interrogationibus, quas *Vulg. Clem.* hic exhibet, unam legamus oportet verbo finito *ignoras* participium *ignorans* substituentes; ita enim legendum esse cum omnibus graecis codd. et PP. omnibusque verss. (etiam *It.* cfr *S. Cypr.* l. c. *A^ler^* etc.) probatiores quoque *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Tol.* etc.) ac plerique antiquiores interpretes latini (*Prim. Haym. Herv. Lyr.* etc.) testantur. Ceterum hac textus mutatione sensus leviter tantum mutatur; impeditur tamen, ne quis cum *Gl.* nonnullisque antiquioribus tres peccatorum classes distingui putet, eorum qui iudicium divinum se effugituros sperent, eorum qui benignitatem Dei contemnant, eorumque qui eam ignorent (cfr *Thom.*). Namque participio adhibito clarius indicatur, ultimum membrum (*ignorans, quoniam benignitas* etc.) velut rationem praecedenti addi, id quod etiam admittendum est, si quis lectionem *ignoras* retinere voluerit. Duo autem Apostolus, quae isti ethnicorum iudices forte praetendere possint, interrogationibus suis excludere vult; neminem quippe a divino iudicio exemptum iri docet, atque divinam misericordiam eo fine poenas peccati differre, ut peccator ad poenitentiam adducatur. Praeterea adnotetur oportet, Vulgatam idem graecum nomen (τῆς χρηστότητος et τὸ χρηστὸν i. q. ἡ χρηστότης, nam neutrum adiectivi, uti saepius, pro substantivo abstracto est usurpatum cfr 1,15 et ad 1 *Cor.* 1,25 *n.*) duobus latinis vocabulis diversae

significationis (*bonitas*, *benignitas*) sine sufficiente ratione reddidisse. Antiqua versio idem quidem nomen (*bonitas*) retinuit, melius autem alterum (*benignitas*) elegisset, quia non tam de bonitate, qua Deus in omnes homines bona sua diffundit (cfr *Thom. Est. Ag.* etc.), quam de benignitate sermo est, qua hominibus, nullis eorum praeviis meritis impulsus, bona sua atque praesertim supernaturalia sua dona confert, immo etiam peccatoribus ipsis parcens ad peccata poenitentibus remittenda semper paratus est eisque gratias ad resipiscendum necessarias non negat[1]. Etenim de peccatoribus speciatim agi contextus demonstrat ac duo nomina addita evidenter confirmant (ἀνοχή *patientia* sed 3,26 *sustentatio*, et μακροθυμία *longanimitas* sed 9,22 *patientia*), quae inter se synonyma Deum peccatores non statim punire sed dissimulatis peccatis ad tempus tolerare eorumque poenitentiam patienter exspectare significant[2].

Quae tria nomina Paulus cumulat, ut qualis sit et quomodo se manifestet divina misericordia erga peccatores accuratius exponat; quam larga vero et abundans sit, ostendit de *divitiis* (πλοῦτος cfr 9,23; 11, 33; *Eph.* 1,7. 18; 2,7 etc.), vel uti antiqua versio (cfr *S. Cyr.* l. c.) exhibuit, de *opulentia* divinae benignitatis et patientiae et longanimitatis loquens. Iamvero abundantem hanc Dei misericordiam peccator *contemnit* (καταφρονεῖν despicere ac nihili aestimare), qui sese iustum divinum iudicium subiturum esse sciens in peccatis suis perseverat, quasi ob poenae debitae retardationem ac moram sibi etiam in futuro iudicio securitatem impunitatemque promittat. Quae temeraria spes non potest exoriri nisi ex voluntaria et culpabili ignorantia finis, quem

1. Variis latinis nominibus in *Vulg.* graecum χρηστότης redditur : *bonitas* : 2,4; 3,12 (bonum); 11, 32; — *benignitas* : *Gal.* 5,24; *Col.* 3,12; *Tit.* 3,4; — *suavitas* : 2 Cor. 6,6; saepius in Novo Test. non legitur. Unico autem loco (3,12, qui ex *Ps.* 13,3 desumtus est et in quo probitatem in genere denotat) excepto aptius ubique vertitur *benignitas*, sive ἡ χρηστότης de Deo praedicatur (2,4; 11, 32; *Tit.* 3,4) sive de hominibus (2 *Cor.* 6,6; *Gal.* 5,24; *Col.* 3,12). Similiter adiectivum χρηστός, quod de rebus usurpatum suavitatem significat (*Matth.* 11,30; *Luc.* 5, 39), uno in loco idem est quod *bonus* seu *probus* (1 *Cor.* 15,33, qui textus ex Menandro transumtus est), in aliis autem rectius vertitur *benignus* sive de Deo sermo est (2,4; 1 *Petr.* 2,3), sive de hominibus (*Luc.* 6,35; *Eph.* 4,32); saepius non invenitur in N. T.

2. Iuxta *Orig.* « *sustentatio* (ἀνοχή *Vulg.* : *patientia*) a *patientia* (μακροθυμία *Vulg.* : *longanimitas*) hoc videtur differre, quod ii qui infirmitate magis quam proposito delinquunt *sustentari* dicantur; ii vero, qui pertinaci mente velut exsultant in delictis suis, *patienter ferri* dicendi sint ». Contra iuxta *Thom.* « per *patientiam* (ἀνοχή) Deus sustinet graviter et ex malitia peccantes; per *longanimitatem* diu sustinet homines ex infirmitate peccantes, diu tamen in peccato permanentes ». Utraque definitio satis arbitraria videtur; melius quidem, ni fallor, *Tolet.* tria nomina distinguit : « per *benignitatem* Deus peccatores salvos vult fieri; per *patientiam* eorum peccata et proprias iniurias non vindicat; per *longanimitatem* multo tempore et multa peccata dissimulat exspectans resipiscentiam »; sed duo ultima nomina rectius synonyma dicuntur.

Deus in exhibenda sua misericordia prosequitur; scire quippe homo potest ac debet, Deum sese benignum erga peccatores exhibere, non quia eorum peccata non videt, sed quia ea dissimulat propter poenitentiam, i. e. ut poenitentiam agant (cfr *Sap.* 11,24), cumque patienter agere (μακροθυμεῖν) propter peccatores, non quia eorum peccata non curat, sed quia homines perire non vult et omnes ad poenitentiam reverti desiderat (2 *Petr.* 3,9). Interrogat igitur B. Paulus temerarios illos ethnicorum iudices, qui ipsi ethnicis vitiis erant dediti, num forte misericordiam divinam contemnant, quia (sua culpa) ignorent, *quoniam benignitas Dei* (τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ quidquid benignitatis in Deo est) *ad poenitentiam eos adducat,* quantum scilicet in se est faciens ut ad poenitentiam perveniant, eos invitans, tempus eis concedens, auxilia quoque sive proxime sive remote saltem sufficientia eis offerens.

Minus apte, licet sententiam per se recte explicent, *Lap.* cum nonnullis verbum *ducit* (ἄγει) hic idem esse dicit, quod *ducere conatur* vel *ducere cupit;* sua enim ex parte Deus peccatores ad poenitentiam revera *ducit*, multi autem ad eam non perveniunt, quia ipsi Deum ducentem sequi nolunt; illud *ducere conatur* vel *cupit* autem ita per se potest intelligi, ac si ex parte ducentis Dei aliquid desit. Plane a vero *Est.* aberravit, qui haec verba, ita interpretatur, ut sola externa et communia auxilia divina designari concedat, interna ac specialia neget; haec enim habet : « Notandum est, benignitate patientia et longanimitate Dei vocari peccatores ad poenitentiam; sed communi et generali vocationis modo, qui consistit tum in externis beneficiis, quae plurima praestita fuerunt populo iudaico, uti haec praecipua : Lex, doctrina, prophetae, Messias promissus atque exhibitus, tum quantum ad omnes in obvia Dei cognitione ex creaturis, denique in lege naturali omnium animis impressa. Verum toto hoc vocationis genere, nisi specialis et efficax accedat vocatio, homines abutuntur etiam ad magis peccandum. *Quare nihil hic locus adiuvat eos, qui sentiunt omnibus hominibus gratiam a Deo dari vel offerri sufficientem* ». At ne verbulo quidem doctissimus interpres ostendere conatur, Apostolum de *solis* externis et communibus beneficiis cogitasse; mirum quoque est, quod verbo *ducendi*, quo Apostolus utitur, substituat verbum *vocandi*, quum *vocare* et *ducere*, quamvis inter se vicina sint, non plane idem significent. Ipsum enim verbum *ducere*, quod plus dicit quam *viam monstrare*, internam quandam illustrationem et motionem innuere videtur, quatenus ex divinae benignitatis, qua toleratur, cognitione animus peccatoris ad poenitentiam agendam excitatur. De solis externis autem beneficiis verbum intelligere non licet, atque iure suo *Beel.* contra *Est.* tenet : « Ex praesente loco Apostoli rectissime conficitur, peccatores etiam obduratos non penitus destitui interioris gratiae auxilio, quo possint si velint a peccatis resipiscere ». Verum *Est.* cum Iansenianis non admittit interiorem gratiam, cui homo resistere quaque abuti possit; secus

enim ex eo, quod homo Deum ducentem non sequatur, concludere non potuisset, eum gratia sufficiente ad sequendum caruisse.

Benignitatem igitur suam Deus erga peccatores exhibet, ut eos ad poenitentiam ducat; homo vero, qui eam contemnens in peccatis suis perseverat, graviorem poenam sibi attrahit; id Apostolus docet fini, quem Deus in misericordia sua manifestanda prosequitur, effectum opponens, quem misericordiae divinae contemtus producit : 5. *secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei*, 6. *qui reddet unicuique secundum opera eius*. Cum *Tol.* inter modernos etiam *Lachm.* praecedentem interrogationem his verbis continuari censet; maiorem tamen vim habent, si assertive, uti sua interpunctione *Vulg. Clem.* indicat, interrogationi opponuntur (δέ i. q. *vero* vel *verum*); languida profecto esset oratio, si interrogatio usque ad *v.* 9. continuaretur. Recte autem *Tol.* ad verborum allusionem, qua oppositio augetur, nos attendere iubet : qui *divitias* seu *thesaurum benignitatis* divinae contemnit, is *thesaurum irae* divinae sibi ipse coacervat; atque similiter Dei *benignitati* ad *poenitentiam* ducenti opponitur *durum* et *impoenitens* cor peccatoris. Σκληρότης (*duritia*), quae vox hic tantum in Novo Test. legitur (cfr *Deut.* 9,27 pro hebr. קְשִׁי) indolem animi significat, qui motioni gratiae divinae resistit eaque non flectitur, vel uti *Orig.* habet : « cor durum in Scripturis dici videtur, quum mens humana velut cera frigore iniquitatis obstricta signaculum imaginis divinae non recipit »[1]; sed cor, quod propter suam duritiam gratiam non accipit, etiam mutationem emendationemque omnem respuit manetque impoenitens (ἀμετανόητος καρδία). Iamvero obduratio et impoenitentia haec, uti patet, Deo tamquam auctori attribui non potest, quippe qui benignitate sua peccatores ad poenitentiam ducit, sed peccatoribus ipsis attribuatur oportet, qui misericordiam divinam contemnentes gratiarum oblatarum reiectione thesaurum divinae cui subiacent irae continuo augent (cfr ad 9,18). Itaque eorum duritia et impoenitentia est norma vel mensura ac simul causa (praepositio κατά *secundum* vel *pro* causalitatem saepe connotat cfr *Winer* Gramm. Ed. 7. p. 376) thesauri irae, quem *sibi ipsis* (σεαυτῷ *tibi ipsi*), non vero iis quos iudicant et

1. Σκληρότης idem est, quod alibi σκληροκαρδία (*duritia cordis* cfr *Matth.* 19,18; *Marc.* 10,5; 16, 14), qua voce Alexandrini hebr. עָרְלַת־לֵב (praeputium cordis, i. e. praeputium, quo cor quasi clauditur ac gratiae obstruitur porta cordis) reddiderunt metaphoram hebraicam mutantes vel potius duas imagines coniungentes, quum verba retinerent, quae de auferendo praeputio usurpari solent : περιτεμεῖσθε vel περιέλεσθε τὴν σκληροκαρδίαν (*Deut.* 10, 16; *Ier.* 4,4 : circumcidite duritiam cordis).

despiciunt, nunc coacervant; quantum vero coacervaverint, cognoscent *in die irae et revelationis iusti iudicii Dei*. Parum recte nonnulli illud *in die* (ἐν ἡμέρᾳ) cum verbo *thesaurizas* coniungunt, ac si scriptum sit εἰς ἡμέραν (in *diem*) : « in tempus iudicii praeparas tibi thesaurum » (*Est*. etc.) ; melius enim *Tol*. et moderni fere cuncti illud cum substantivo *iram* connectunt, ut tempus indicetur, quo haec vindicta thesaurizata effundetur. Duobus porro nominibus Paulus illum diem, in quo non iam misericordia sed iustitia divina regnabit, i. e. diem ultimi et universalis iudicii, designat priore maxime ad peccatores, altero ad omnes respiciens. Namque nomine prophetis Veteris Test. iam usitato (*Soph*. 2,2. 3. יוֹם אַף־יְהוָֹה ἡμέρα ὀργῆς Κυρίου, *Ezech*. 22,24 יוֹם זַעַם ἡμέρα ὀργῆς cfr etiam *Apoc*. 16,17 ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς αὐτοῦ) *diem irae* eum appellans, ut peccatores impunitatem sibi temere promittentes magis terreat, non sine emphasi idem vocabulum repetit (*iram* in die *irae*) omniaque, quae antiqui prophetae et Christus ipse de *diei Domini* terroribus praedixerant, eis in memoriam revocat (cfr *Orig*. qui hic allegat *Am*. 5,18 sqq. *Ioel*. 1,14 sq.; 2,1 sqq. *Soph*. 1,7. 14 sqq. *Is*. 13,9 etc.). Alterum nomen est universale : *dies revelationis iusti iudicii Dei* (ἡμέρα ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ [1]) ; nunc quidem regnat divina misericordia atque iustitia quodammodo se occultat, ita ut aliqui, qui improbos bona fortuna frui nequedum poenas debitas luere, iustos vero opprimi atque beatitudine promissa nondum frui vident, de ea dubitent; suo tamen tempore « revelabitur iustitia divini iudicii, quod nunc non creditur esse aut non videtur esse iustum » (*Thom*. cfr *Prim*. etc.). Tunc autem revelabitur, quando Deus, uti Paulus Psalmistae (*Ps*. 61,13 cfr *Prov*. 24,12) verbis addit, *reddet unicuique secundum opera eius*.

Egregie in haec verba *Tol*. : « His et sequentibus verbis catholica veritas satis aperte probatur, non in sola fide positam esse iustitiam hominis, sed etiam in operibus quae ex fide procedunt et caritate, neque soli fidei mercedem, sed etiam operibus ex fide et caritate procedentibus reddi. Non enim dictum est : reddet unicuique secundum fidem suam, sed : secundum opera sua, i. e. fidelis pro ratione operum mercedem et vitam aeternam accipiet,

1. Iuxta alteram lectionem (cfr *VV. LL.*) tria nomina distinguuntur : *dies irae et revelationis et iusti iudicii Dei*. Secundum autem nomen diversimode explicatur. Ab *Orig*. enim (cfr etiam *Theoph*. *Euth* [2], *Cai*. *etc*.) *dies revelationis* intelligitur dies, quo occulta hominum manifestabuntur (*v*. 16; 1 *Cor*. 4,5); ab aliis dies, in quo ira divina revelabitur (1,18 cfr *Euth* [1].); ab aliis dies, quo Christus in gloria sua apparebit ad iudicium agendum (1 *Cor*. 1,7; 2 *Thess*. 1,6 sqq.). Sed testium auctoritate haec lectio respuitur, atque in se quoque parum est probabilis, quia nomen ἀποκάλυψις, nisi addatur genetivus, est ambiguum; quare *Oec*., qui hanc lectionem habuit, particulam καί, quae nomen ἀποκαλύψεως sequitur, explicativam esse censuit : *revelationis i. e. iusti iudicii Dei*.

infidelis autem aut fidelis male vivens pro ratione operum malorum vindictam habebit et poenam ». Mirum in modum haec verba et similia (cfr quae adnotavimus ad 1 *Cor.* 3,8 sqq.; 9,17. 18; 2 *Cor.* 5,10; 9,6; *Gal.* 6,7 sqq.) acatholicos illos torquent, qui in sola fide iustitiam esse repositam tenentes opera in iudicio nihil valere cum *Luth.* censent. Quinque antiquiorum effugia recenset ac refutat *Tol.;* quibus praetermissis ea innuisse sufficit, quae iuniores patribus suis non feliciores excogitarunt quaeque hunc in modum *God.*, acatholicus ipse, enumerat : « *Fritzsche* duo systemata a Paulo proponi putat, quae inter se aperte pugnent[1], *Pfleiderer* in his verbis reliquias dogmatis iudaici detegit, quo imbutus fuerit Apostoli animus; *Baur* legem abstractam proponi vult, quae numquam adhibeatur; haud dissimiliter locum explicant *Melanchton* et *Tholuck*, iuxta quos Paulus dicere vult, Deum iuxta hanc normam iudicaturum fuisse, nisi redemtio statum rerum mutasset. Ad eundem sensum etiam nos ducit explicatio a *de Wette*, *Weiss*, *Oltramare* multisque aliis proposita, qui Paulum dumtaxat iuxta antiquam Legem, redemtionis ratione non habita, loqui arbitrantur. Sed ἀποδώσει (*reddet*) est tempus futurum, non hypotheticum, atque aliquid indicat quod vere fiet; praeterea *iudicium secundum opera* aliis quoque testimoniis asseritur quum Pauli (14,12; 2 *Cor.* 5,10; *Gal.* 6,7), tum Domini ipsius (*Ioan.* 5,28. 29; *Matth.* 12,36. 37 etc.) aliorumque Novi Test. scriptorum (*Apoc.* 20,13). *Ritschl* coniicit Paulum hic inducere Pharisaeum iuxta arctam suam divinae iustitiae retributivae opinionem disputantem; sed ubinam habetur vestigium, quod hic alia persona loquatur? continuum enim habemus sermonem, cuius textura interruptionem non admittit ».

Quae omnia ampliore explicatione aut refutatione non indigent; *Godet* ipse (cfr etiam *Phil. Lips.* etc.) statuit, iustificationem per solam fidem valere de solo ingressu in salutem, non de ultimo iudicio; a iustificando Deum nihil exigere praeter fidem, a iustificato autem bona opera velut fructus gratiae postulare, ita ut fides, quae operibus careat, in iudicio nihil prosit, quum sit mortua. Quae sententia, dummodo fides, quae ad iustificationem requiri dicitur, recte definiatur atque accuratius explicetur, quo sensu sola fides ad primam iustificationem sufficere dicatur, cum catholica doctrina consentit; sed de his infra erit agendum. Ceterum quasi modernorum haereticorum errores praevidissent, *Orig.* iam monuit, his verbis « aedificari fideles, *ne putent sibi hoc solum sufficere posse quod credant*, sed sciant iustum iudicium Dei reddere unicuique secundum

1. Satis longam disputationem de hac difficultate *Fritzsche* his verbis terminat : « Una ratio restat, qua Paulum, quum probis Iudaeis et gentilibus vitam aeternam pollicetur (v. 7.10), bene sibi constitisse ostendas, haec, ut eum in hac sententia fuisse credas, tametsi via regia *per fidem* in Christo repositam ad sempiternam felicitatem perveniatur, esse tamen etiam semitam, quae *per honestatem* nonnullos Iudaeos et paganos eodem ferat ». Vir eruditus non videt, Paulum, si duas vias salutis, « regiam viam *per fidem* » et « semitam *per honestatem* » agnovisset, hanc epistolam scribere non potuisse, in qua unam solam viam omnibus absolute necessariam ad salutem ducere ostendit; haec via autem non est illa, quam Lutherani sibi finxerunt, sed quam Ecclesia cum Apostolis monstrat.

opera sua », et *Chrys.* Apostolum ostendere dixit « *non licere in fide sola fiduciam habere,* quia in tribunali isto etiam opera examinanda sint ».

In iusti ergo iudicii die iustus iudex reddet unicuique secundum eius opera : 7. *iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam;* 8. *iis autem, qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt* (τοῖς... ἀπειθοῦσιν cfr ad 1,5) *veritati, credunt* (melius : *obediunt* πειθομένοις) *autem iniquitati, ira et indignatio.* In ultimis verbis *v.* 8 (*ira et indignatio* ὀργὴ καὶ θυμός) leve apparet anacoluthon, quum pro nominativo, ad quem verbum (*erit* ἔσται) supplendum est, accusativus exspectetur, qui eodem modo a verbo *reddet* (ἀποδώσει) dependeat, sicut in *v.* 7. ab eodem verbo accusativus *vitam aeternam* (ζωὴν αἰώνιον) dependere dicendus est. Haud incongrue tamen *Orig.* (comparans *Is.* 50,11 et 1 *Reg.* 2, 30) coniicit, Apostolum in ultimo membro constructionem consulto mutasse, ut Deum non eodem modo sese ad poenam peccatoris habere insinuaret, quo ad sanctorum mercedem se habet. A Dei quippe, cuius proprium est misereri et parcere, voluntate tota bonorum operum merces est; nam bona opera ipsa vere dici debent ac sunt opera Dei ipsius, « cuius tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita quae sunt ipsius dona » (*Conc. Trid.* sess. VI. de iustif. cp. 16). At peccatoris mortem aeternam Deus non tam vult, quam permittit, sicut non vult illius peccata; mors illius aeterna potius est necessaria sequela peccatorum illius et ab ipsiusmet pervicaci voluntate dependet. Hunc in sensum cum *Oec.* etiam *Iust.* adnotat : « Tacite subindicat Paulus, improborum supplicium et poenam non tam Dei praefinientis et iudicantis voluntate quam ipsorum improbitate metiendam; contra vero bonorum praemia ad divinam munificentiam tamquam eximia eius beneficia esse referenda ».

Itaque Deus praeprimis dicitur reddere *vitam aeternam* in die iusti iudicii *iis qui quaerunt gloriam et honorem et incorruptionem,* dummodo haec bona quaerant *secundum patientiam boni operis.* Tribus nominibus *gloriae et honoris et incorruptionis* (δόξα καὶ τιμὴ καὶ ἀφθαρσία) tria vitae beatae bona designari ex ultimo clarissime elucet. Ἀφθαρσία enim (*Vulg.* : incorruptio, *It.* cfr *Tert.* etc. : incorruptibilitas) statum significat illum, in quo aliquis corruptioni et interitui non est subiectus; usurpatur autem vel de corporis glorificati perennitate et impassibilitate (1 *Cor.* 15,42. 50 sqq.) vel in genere de beata immortalitate (2 *Tim.* 1,10; *Eph.* 6,24; cfr *Sap.* 2,23; 6,19) ac proinde bonum ordinis supranaturalis denotat. Itaque de gloria quoque et de honore huius vitae non agitur, sed de aeterna gloria, qua Deus beatos

in coelo vestiet (8, 18. 21; 2 *Cor.* 4,17 etc.), et de honore, qui beatis est destinatus (*v.* 10; 1 *Petr.* 1,7) eisque exhibebitur, quando ab illis ipsis, a quibus nunc deridentur et despiciuntur, beati praedicabuntur (cfr *Sap.* 5,1 sqq.). At vita aeterna, quae integra fere his tribus bonis nominatis describitur (*gloria* enim visionem beatificam supponit), non omnibus eam quaerentibus reddetur, sed iis qui recta via eam quaerunt, nimirum *secundum patientiam boni operis,* i. e. in bono opere permanentes seu perseverantes (κατὰ ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ i. q. ὑπομένοντες ἐν ἔργῳ ἀγαθῷ), siquidem qui perseveraverit (ὁ ὑπομείνας) usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* 10,22; 24,13). Ὑπομονή enim (a ὑπομένειν *permanere*) virtutem illam plerumque significat, qua homo calamitatibus vexationibusque patienter toleratis ac fortiter superatis in fine suo persequendo perseverat[1]; genetivo autem (ἔργου ἀγαθοῦ) res designatur, in quo perseveratur (cfr 1 *Thess.* 1,3). Simili modo *Thom*[2]. latinam vocem (*patientiam*) exponit : « hoc autem, inquit, necessarium est, ut aliquis a bono opere non desistat propter mala quae patitur, et hoc est quod dicit secundum patientiam boni operis (cfr *Luc.* 21,19; *Iac.* 1,4), vel ut aliquis a bono opere propter taedium non recedat (cfr *Iac.* 5,7; *Hebr.* 10.36) ». Bonum opus vero, in quo homo perseverare debeat, a Paulo intelligi opus supranaturaliter bonum, quod ex fide et caritate procedat atque ex seminatione spiritualis gratiae velut fructus spiritus exoriatur (cfr ad *Gal.* 5,22), clarum est, quia de fine supranaturali quaerendo agit, quem solis naturae viribus homo ne cognoscere quidem, multo minus ergo persequi et attingere potest. Neque minus clare ex hoc loco patere recte monet *Lap.*, « pium et sanctum esse operari intuitu aeternae mercedis, uti definivit *Conc. Trid.* sess. VI. de iustif. cp. 11. et c. 31 » (cfr ad 1 *Cor.* 9,23).

Iustis, quibus in iusti iudicii die Deus retribuet vitam aeternam, Apostolus nunc peccatores opponit, quibus in die irae erit *ira et indignatio.* Iuxta *S. Isid. Pelus.* (IV. 223) aliosque antiquos ὀργή et θυμός (*ira* et *indignatio*) ita distinguuntur, ut θυμός, quam vocem *Cic.* latino *excandescentia* vertit, iram subito effervescentem et mox defervescentem, ὀργή vero indignationem paullatim exortam sed diutius animo inhaerentem significet. Quae distinctio parum nos hic iuvat; namque

1. Licet verbum ὑπομένειν a Vulg. interprete aliquoties latino *perseverare* reddatur (*Matth.* 10,22; 24,13, sed in parallelo loco *Marc.* 13,13 : *sustinere*), substantivum derivatum tamen nusquam vertitur *perseverantia* sed fere semper *patientia* (*Luc.* 8,15; 21,19; *Rom.* 5,3.4; 15,4.5; 2 *Cor.* 6,4; 12,12; 2 *Thess.* 1,4 etc.); semel tamen *tolerantia* (2 *Cor.* 1,6), semel *sustinentia* (1 *Thess.* 1,3), semel *sufferentia* (*Iac.* 5.11). Ab Alexandrinis pro hebr. מִקְוֶה vel תִּקְוָה adhibetur, ut idem fere significet quod ἐλπίς constantemque exspectationem declaret; eodem sensu a Paulo semel vel bis usurpatur (1 *Thess.* 3,5; *Tit.* 2,2): at reliquis in locis illa, quam supra indicavimus, *perseverantiae* significatio ei competit.

simili modo, quo S. Ioannes (*Apoc.* 16,19; 19,15 ὁ θυμὸς τῆς ὀργῆς), S. Paulus quoque duo nomina videtur cumulasse, ut vehementem iram vel potius gravissimam vindictam divinam describeret. Haec autem erit *iis qui sunt ex contentione* (τοῖς ἐκ ἐριθείας i. q. τοῖς ἐριθευομένοις cfr 3,14; 4,16 : ὁ ἐκ πίστεως i. q. ὁ πιστεύων etc.), i. e. iis qui partium factionumque studio abrepti Deo renituntur, vel forte melius : iis qui sordido animo ad instar mercenariorum sua tantum bona caduca quaerunt aeternis bonis (*v.* 7) neglectis et contemtis[1]. Accuratius deinde iidem definiuntur (particula καί post genet. ἐριθείας, uti *et* post *contentione,* est epexegetica, i. q. scilicet) tamquam homines *veritati non acquiescentes* (ἀπειθοῦντες non obedientes) *credentes* (πειθόμενοι obedientes cfr ad 1,5 p. 13 *n.* 2) *autem iniquitati* (τῇ ἀδικίᾳ iniustitiae); illos ergo designat, quos antea dixerat veritatem in iniustitia detinere (1,18). Ibi quidem de solis ethnicis locutus erat, quos sub ira Dei esse primo in loco demonstrare voluit; nunc ad alteram argumenti partem transiturus, ut Iudaeos incredulos quoque sub ira Dei esse ostendat, generali sententia omnes peccatores, sive ethnici sint sive Iudaei, complectitur. Cuncti quippe veritati cognitae reluctantur iniustitiisque dediti eam impediunt, ne virtutem suam exserat imperiumque suum in ipsorum vitam moresque extendat; quare omnes quoque peccatores, quicumque sunt, irae divinae sunt obnoxii.

Cum quibuscum iunioribus (*Cai. Tol. Iud. Lap. Nat. Pic.* etc.; consentiunt *M Ev. LR. Ag.* etc.) in *v.* 7. explicando lectionem *Vulg. Clem.* secuti sumus; eodem enim modo graecum quoque textum (τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσιν ζωὴν αἰώνιον) fere omnes Graeci (*Orig. Chrys. Dam. Theoph.*) et moderni (*Reith. Mai. Beel. Bisp.* etc. —

1. Ἐριθεία paene ubique quidem in Novo Test. partium factionumque studium ex invidia exortum et ad dissensiones adducens significare videtur et a *S. Chrys.*, *S. Greg. Nyss.* aliisque antiquis φιλονεικία (altercandi rixandique studium) explicatur; eundem sensum latinus quoque interpres latino *contentionis* nomine reddere solet (2,8; *Phil.* 1,17; 2,3; *Iac.* 3,14.16; saepius singularis non legitur; pluralem tamen vertit : *dissensiones* 2 *Cor.* 12,20; *rixae Gal.* 5,20). Qui sensus in nostrum quoque locum quadrat, dummodo intelligatur eiusmodi partium studium, quod efficiat ut homo Deo ipsi reluctetur, ita ut οἱ ἐκ ἐριθείας sint *rebelles* adversus Deum. At ἐριθεία ab ἔρις (rixa) non derivatur sed ab ἐριθεύω (*mercenarium agere*, aut speciatim *in lanificio laborare* cfr *S. Greg. Nyss.* in illud : Tunc ipse Filius subiicietur etc. *M.* 44,1324), unde substantivum ἐριθεία significare coepit animum mercenario dignum, sordidum et illiberalem, atque ad ambitionem ab *Arist.* (Polit. 5,2. 3), ab aliis ad factionum contentionumque studium est translatum (cfr de huius vocabuli etymologia et significatione *Fritzche* Comment. I. 143-148). Iam vero si etymologiam vocabuli consideramus, nihil videtur obstare, quominus illud hic animum sordidum mercenarii interpretemur, qui vilem suam mercedem sectatur; ita enim iis, qui secundum patientiam boni operis bona supranaturalia quaerunt, apte opponuntur οἱ ἐξ ἐριθείας, abiecti illi homines, qui nihil sectantur nisi caduca et terrestria bona atque eam ob causam veritati non obediunt sed iniustitiae serviunt.

Lips. God. Weiss etc.) interpretantur, qui omnes consentiunt, accusativum ζωὴν αἰώνιον velut obiectum pendere a praecedentis versus verbo ἀποδώσει (*reddet... vitam aeternam*), accusativos porro δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν a participio ζητοῦσιν regi (*gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus*, vel : iis, qui gloriam etc. quaerunt), demum locutione quasi adverbiali καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ (*secundum patientiam boni operis*) modum definiri, quo gloria etc. quaerenda sit.

Huic tamen constructioni, quae concinnitate et facilitate sua se commendat, *Oec.* et *Euth.* impeditiorem praeferunt, quum per hyperbaton accusativos δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ad verbum ἀποδώσει trahant et accusativum ζωὴν αἰώνιον cum participio ζητοῦσιν connectant, ut hic exoriatur sensus : « iis qui secundum patientiam boni operis quaerunt vitam aeternam, reddet gloriam et honorem et incorruptionem ». Eandem *Est.* quoque adoptavit; cur autem impeditiorem constructionem, eodem in universum sensu remanente, faciliori praeferamus, nulla profecto est ratio. Addamus autem oportet, antiquioribus Latinis similem interpretationem praeplacuisse, idque quia aliam lectionem sequebantur. Uti enim *A^ter^ Pel.* etc., ita meliores quoque *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.) et antiquiores latini interpretes (*Haym. Herv. Abael. Lomb. Thom.* etc.; cfr quoque *S. Greg. M.* Moral. XXVIII. 12) legerunt : « *his quidem, qui* (sunt) *secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem, quaerentibus vitam aeternam* ». Ultima igitur verba (quaerentibus vitam aeternam) velut appositionem cum primis coniunxerunt, ut sensus esset : « his qui sunt secundum patientiam boni operis, scilicet quaerentibus vitam aeternam, (Deus reddet) gloriam et honorem et incorruptionem ». Sed hisce aliisque minoribus interpretum varietatibus immorari opus non est, quum hodierna *Vulg.* lectio sit planissima et graeco textui consona.

b. — **Sine personarum acceptione Iudaei sicut ethnici iudicabuntur** (2,9-16).

2,9. ***Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudaei primum et Graeci : 10. gloria autem, et honor et pax omni operanti bonum, Iudaeo primum et Graeco : 11. non enim est acceptio personarum apud Deum. 12. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. 13. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. 14. Quum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : 15. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscien-***

2,9. θλῖψις καὶ στενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακόν, Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος· 10. δόξα τε καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθόν, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι· 11. οὐ γάρ ἐστιν προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ. 12. ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται· καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται. 13. οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ νόμου δίκαιοι παρὰ Θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ νόμου δικαιωθήσονται. 14. ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶσιν, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσὶν νόμος, 15. οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρ-

tia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, 16. *in die, quum iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Iesum Christum.*

τυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων, 16. ἐν ᾗ ἡμέρᾳ κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ[1].

Quamvis Iudaeos incredulos sub ira divina esse, hac in parte demonstrare velit, Apostolus Iudaeos nondum nominavit sed generali tantum modo omnes secundum opera sua iudicatum iri atque pro suis quemque operibus aut aeternam vitam aut poenam aeternam accepturum esse asseruit. Universale iudicium Iudaei non negabant, atque ipsi quoque in iudicio duas classes distingui concedebant; sed in classe eorum, qui salvarentur, cunctos fore circumcisos sibi persuadebant, qui Legem scriptam accepissent et tamquam filii Abraham ad hereditatem Abrahae promissam ius haberent, in classe damnatorum autem fore reliquos. Quem errorem Paulus indirecte iam impugnavit simili fere modo, quo Dominus Nicodemum docuerat (*Ioan.* 3,19-21), duabus classibus *secundum opera* distinctis. Directe autem eundem impugnaturus nunc monet, Iudaeum ab hoc iudicio non iri exemptum, sed non minus quam gentilem pro operum ratione aut poenam aut mercedem esse accepturum (9. 10), quum apud Deum non sit partium studium (*v.* 11); quemadmodum enim ethnici peccatores, qui Legem scriptam non habeant ac proin iuxta eam iudicari non possint, propter peccata sua sint perituri, ita iudaicos quoque peccatores iuxta Legem suam scriptam damnatum iri, quum Legis scriptae possessio eos non sit iustificatura, sed eius observatio ad iustitiam requiratur (12. 13). Ne quis vero

1. *VV. LL.* — 12. Pro ἐν νόμῳ (*in lege*), sensu non mutato, nonnulla lectionaria cum *Chrys. Theoph. Oec.* (cfr. etiam *Marc.* apud S. Epiph. haer. 42. M. 41, 720) legunt ἐννόμως lectionem praecedenti ἀνόμως conformantes. — 13. οἱ ἀκροαταὶ νόμου (*auditores legis*) articulo τοῦ omisso, B ℵ A D E F, pauci minusc. et PP.; sed *textus rec.* : οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου cum K L P, plerisque minusc. et PP.; eadem differentia statim habetur inter οἱ ποιηταὶ νόμου (*factores legis*) et οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου, iisdem fere testibus ex utraque parte pugnantibus. — παρὰ Θεῷ (*apud Deum*), articulo omisso, soli B D; melius igitur legitur παρὰ τῷ Θεῷ cum ℵ A E G K L et omnibus, ut videtur, minusc. et PP. — 14. ποιῶσιν vel ποιοῦσιν (*faciunt*) B ℵ A D G, nonnulli minusc. et PP.; sed ex correctione sciolorum librariorum *textus rec.* : ποιῇ cum plerisque minusc. et PP. — οὗτοι (*hi*) est communis Graecorum lectio, quam *It.* quoque (*A^ler* etc.) et aliqui *Vulg.* codd. (*Tolet.* etc.) sequuntur; τοιοῦτοι (*eiusmodi*) autem solus G cum *Vulg.* et plerisque PP. latinis. — 16. ἐν ᾗ ἡμέρᾳ κρινεῖ (in quo die iudicabit) solus B; ἐν ἡμέρᾳ ᾗ κρινεῖ (in die quo iudicabit) A, aliqui minusc., *It.* (*A^ler*), unus alterve *Vulg.* cod. (*Tol.* etc.) *Syr.* (codd.), *Copt.*; melius ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ (*in die quum iudicabit*) ℵ D E G K L, plerique minusc. et PP., *Vulg. Syr.* (codd.) *Arm.* — διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ (per Christum Iesum) B ℵ, sed *textus rec.* : διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ (*per Iesum Christum*) cum reliquis omnibus testibus.

obiiciat, ethnicos igitur iustificari non posse, quia Legem scriptam non habeant, Apostolus addit et probat, ethnicos ipsos quoque legem habere, iuxta quam Deus eos sit iudicaturus (14-16).

Arcte quidem alterum hoc membrum cum praecedente cohaeret, illudque quasi continuat; recte tamen ab eo distinguitur, quia Paulus nunc propius ad argumentum suum accedit atque Iudaeos nominans clarius iam ostendere incipit, quo spectaverit generalis illa argumentatio de homine, qui alios damnat, se ipsum vero salvum fore putat, quamvis iisdem peccatis sit onustus. Itaque sententias, quibus Deum bonis operibus mercedem, malis poenam retributurum esse asseruit (7. 8), ita repetit, ut eas de omnibus hominibus, sive Iudaei sive ethnici sint, valere doceat ac simul innuat quodnam in iudicio privilegium Iudaei sint habituri : 9. *tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis* (κατεργαζομένου) *malum, Iudaei primum et Graeci;* 10. *gloria autem et honor et pax omni operanti* (ἐργαζομένῳ) *bonum, Iudaeo primum et Graeco*. Utraque in classe Paulus Iudaeos ponit et Graecos, i. e. ethnicos; sententiarum autem ordinem invertens a damnante incipit, quia in eo maxime errabant Iudaei illi iudicantes, quod sibi ob privilegia sua impunitatem promitterent, suis vitiis non obstantibus. Quem errorem destruens privilegia, quibus gloriantur, eis non aufert, sed peccatoribus ea oneri fore innuit (cfr *Chrys.*). Tamquam membra enim populi illius, qui maioribus beneficiis a Deo sit ornatus, primum eos ac praecipuum quoddam ius ad poenam habere insinuat, sicut tamquam membra populi, cui promissiones messianicae sint factae, primum ac praecipuum ius ad eas habeant (cfr ad 1,16). Multi addunt, illo *primum* significari, graviores fore Iudaeorum, quam ethnicorum, poenas ob perfectiorem suam legis cognitionem, iuxta illud Christi verbum : « Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis » (*Luc.* 12,47 sq.; cfr *Sap.* 6,7 etc.); sed quomodo illo *primum* maior poenae gravitas designetur, equidem non video. Minus quoque placet, quod alii adverbium illud de tempore interpretentur; nam a Iudaeis iudicium initium esse sumturum ex 1 *Petr.* 4,17, quem locum allegant, non probatur. Neque recte demum aliqui duplici *primum* nihil significari putant, nisi statum Iudaeorum statu ethnicorum perfectiorem esse (*Tol.* etc.).

In praecedente sententia (*v.* 8) gravitatem poenarum, quae cunctos manerent peccatores, significaturus eas a divina ira et indignatione processuras monuit; hic irae illius effectus nominat *tribulationem et angustiam* (θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν), quae summae miseriae

notionem exhauriunt, quia στενοχωρία tantum esse afflictionis gradum declarat, ut felix ex ea exitus sperari non possit (8,35; cfr ad 2 *Cor.* 4,8; 6,4; 12,10). In praemio autem describendo duobus nominibus antea iam adhibitis (*gloria et honor*) pro tertio (*incorruptio*) novum addit (*pax*), cuius significatio generalior est. « Neque enim, inquit *Thom.*, potest esse pax hominibus perfecta, quamdiu aliquis timet se amissurum bona, quae habet; sed tunc aliquis habet veram pacem cordis, quando habet omnia quae concupiscit ». Cum *A^ro* aliqui moderni quoque acath. (*Rück. Mey.* etc.) locutionem *in omnem animam operantis malum* urgent, ac si Paulus poenas in altera vita solam animam affecturas esse docuerit; cum *Thom.* autem antiquiores nonnulli ex eadem concludere volunt, « reproborum poenam primo et principaliter in anima esse et secundo in corpore, quod propter culpam animae resurgat passibile »; sed neutrum recte dicitur. Sicut enim *Haymo* iam monuit, *omnis anima* (πᾶσα ψυχή כָּל־נֶפֶשׁ 13,1; *Act.* 2,43 etc. cfr *Levit.* 7,27 etc.) vel *omnis anima hominis* (πᾶσα ψυχὴ ἀνθρώπου נֶפֶשׁ אָדָם *Num.* 31,40. 46 etc.) per circumlocutionem Hebraeis usitatam cunctos vel potius singulos homines denotat. Demum nonnulli ad diversitatem verborum κατεργάζεσθαι τὸ κακὸν et ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθὸν attentos nos reddunt. Erronee tamen *Iust.* cum *Theoph.* ideo priorem locutionem adhibitam esse censet, ut poena non simpliciter operanti malum sed in peccato sine poenitentia perseveranti denuntietur, dum nullum, quamvis exiguum, bonum sua mercede careat. Namque patientia seu perseverantia boni operis etiam ad mercedem requiritur (*v.* 7), atque κατεργάζεσθαι, quod saepe de inhonestis actionibus usurpatur (1,27; 7,17. 20; 1 *Cor.* 5,3 etc.), non tam significat perseveranter operari, quam sollicite rem, praesertim arduam, perficere (7,18; 15,18; *Phil.* 2,12 etc.). Difficultatem igitur quandam connotat, ita ut diversa verborum significatione, quum ἐργάζεσθαι notione difficultatis adiuncta careat, indicari videatur, difficiliores esse vias peccatorum quam vias eorum, qui gratia divina adiuti in bonis operibus perseverant (cfr *Sap.* 5,7).

Ne vero Iudaei mirentur, quod ipsi quoque, suis privilegiis non obstantibus, in iusto Dei iudicio poenas, si peccaverint, sint luituri, Apostolus eis id in memoriam revocat, quod Moyses iam eorum patribus, nisi praeputium cordis sui circumcisuri essent, proposuerat : **11.** *non enim est acceptio personarum apud Deum* (cfr *Deut.* 10,17; 2 *Paral.* 19,7; *Iob.* 34,19; *Sap.* 6,8; *Eccli.* 35,15 sq. etc.). Iustitiae opposita est *acceptio personarum* (προσωποληψία cfr ad 2 *Cor.* 1,11 p. 30 *n.*), quippe qua consideratio designetur externae conditionis hominum, quae ad rem iudicandam nihil facit, in sententia ferenda atque mercede aut

poena distribuenda. Sensus ergo sententiae est, Deum utpote iudicem iustissimum in suo iudicio sola merita causae intueri, ad alia vero non attendere, ita ut peccatori alicui non ideo parcat, quia hic sit Iudaeus, neque alicui operanti bonum praemium deneget, quia hic sit ethnicus; aequaliter potius pro meritis peccatores, sive ex hac sive ex illa gente sint, damnabit, sicut in omni gente illi, qui ipsum timent et operantur iustitiam, ei sunt accepti (*Act.* 10,35). Clare quidem ac saepe in Vetere Test. haec veritas est annnntiata; nihilominus pharisaica superbia imbuti Iudaei illam respuebant et quia soli Legem scriptam a Deo acceperant, ethnicis ius ad mercedem negabant, quippe quae Legem observantibus esset promissa. Hinc Paulus adducitur, ut veritatem hanc, quae per se clara est, secundum utramque suam partem accuratius explicet atque Deum sine ullo partium studio Iudaeos et ethnicos aequaliter iudicaturum esse confirmet quum relate ad poenam peccatoribus infligendam (*v.* 12) tum relate ad mercedem iustis decernendam (*v.* 13 sqq.); itaque *vv.* 12. et 13., qui ambo causali particula (γάρ *enim*) introducuntur, inter se esse paralleli atque confirmando *v.* 11. pariter inservire recte dicuntur.

12. *Quicumque enim sine lege* (ἀνόμως) *peccaverunt, sine lege* (cum *Fuld. Amiat.* etc. iuxta graecum textum adde : *et*) *peribunt, et quicumque in lege* (ἐν νόμῳ) *peccaverunt, per legem iudicabuntur.* Quid adverbio ἀνόμως, quod plerumque apud Graecos *impie* seu *improbe* significat (2 *Mach.* 8,17), Apostolus hoc in loco intelligat, altero membro opposito (ἐν νόμῳ) clare docet, in quo nomine νόμου, quamvis articulo careat, Legem mosaicam designari omnes concedunt. *Sine Lege* ergo ethnicos peccasse dicit, quatenus Legem mosaicam non habentes peccarunt (cfr ad 1 *Cor.* 9,21); omni tamen lege eos non caruisse statim diserte probabit (*v.* 14 sq.) et per se patet, quia actualia peccata commiserant (ἥμαρτον), quae legem quam sint trangressi supponunt (4,15). Sicut autem sine Lege (ἀνόμως) peccaverunt, ita *et peribunt sine Lege* (ἀνόμως) sc. mosaica; i. e. uti bene explicat *Chrys.*, « sine illius Legis (mosaicae) damnatione solis naturae (s. naturalis legis) dictaminibus condemnabuntur ». Haud satis recte *Vulg. Clem.* contra graeci textus et meliorum codd. auctoritatem particulam *et* (καί) omisit, qua necessarius nexus inter τὸ ἀνόμως ἁμαρτεῖν et τὸ ἀνόμως ἀπολεῖσθαι indicatur; nemo quippe ad legem, quae ei lata non est, observandam obligatur neque ad eam iudicari aut damnari potest. Quapropter altero in membro additur, Iudaeos qui *in Lege peccarunt*, i. e. Legem mosaicam habentes peccarunt, *per Legem* eandem *iudicatum*, i. e. condemnatum *iri* (κρίνειν enim hic iterum ad condemnandi sensum contextu determinatur cfr ad *v.* 1). Duobus verbis (*perire* et *iudicari*) eandem

poenam eamque aeternam designari, ex contextu apparet; illam enim Apostolus intelligit, quae ab ira et indignatione Dei procedens (*v.* 8) tribulatione et angustia (*v.* 9) omnem peccatorem, sive Iudaeus sit sive Graecus, impleturus sit; mitiore tamen verbo (*iudicari*) de Iudaeis usus esse videtur, ne eorum animos offenderet; usque ad *v.* 17. enim, ubi diserte eos aggreditur, argumentationem suam praeparat.

Parum recte *Herv*[1]. cum *S. Greg. M.* (Moral. XXXVI 27,50) illud *sine Lege peribunt* ita urget, ut ethnicos sine iudicio in gehennam praecipitatum iri dicat : « Illi (Iudaei) legaliter pereunt, quia sub Lege positi peccaverunt; istis (ethnicis) in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt » (*S. Greg.* l. c). « Aliquid legis » enim, legem scilicet cordibus inscriptam, ethnici habebant, et secundum hanc in die, quum iudicabit Deus occulta hominum, iudicabuntur et peribunt; iudicium ethnicorum autem, quod statim *vv.* 14-16 asserit, Paulus hic non negat. Ceterum de difficultate, quam in hoc et similibus locis (*Ioan.* 3,18; *Ps.* 1,5 etc.) antiquiores aliqui invenerunt cfr *Tolet.* in Ioan. 3,18.

Ad contextum porro *Chrys.* non sufficienter attendit, qui his verbis non tantum aequalitatem inter Iudaeum et Graecum indicari, sed etiam demonstrari censet, Iudaeo peccatori Legem oneri fore in iudicio, quum et naturalis lex et Lex scripta eum sint accusaturae. Quam sententiam explicantes aliqui his verbis doceri volunt, ethnicos levius quam Iudaeos punitum iri (*Theoph. Euth. Herv*[2]. *Lap.* etc.), seu ethnicorum significari moderatum interitum (τὴν σύμμετρον ἀπώλειαν), acerbiorem vero (τὴν χείρονα ἀπώλειαν) Iudaeorum (*Oec.*). Apostolus id unum probare vult, apud Deum non esse acceptionem personarum in poenis infligendis, atque idem solum ex eius verbis legitime deducitur. Neque enim de duabus legibus loquitur, de lege naturali et de Lege scripta, quae duplicem imposuerint obligationem ideoque ambae Iudaeos peccatores sint accusaturae, neque de duabus viis, quibus Iudaei, quum ipsi quoque legem moralem cordibus inscriptam haberent eamque praeterea tabulis insculptam a Deo per Moysen accepissent, eam cognoscere potuerint ac debuerint. Id potius hic docet, utrosque, ethnicos et iudaicos peccatores, iudicatum et condemnatum iri secundum legem moralem, quam pro suo quisque statu cognoverunt; de perfectiore autem legis huius cognitione, quam Iudaei sibi acquirere potuerunt atque etiam debuerunt, infra aget (*v.* 17 sqq.).

In contrariam partem a vero aberrat *S. Hier.*, quum Iudaeos, qui in Lege peccaverint, mitius leviusque punitum iri quam ethnicos ex diversis verbis adhibitis (*peribunt*, *iudicabuntur*) desumat : « *Sine Lege*, inquit, impius est, qui in aeternum peribit; *in Lege* peccator credens in Deum, qui per Legem iudicabitur et non peribit » (Dial. c. Pelagian. I. 28). Quae explicatio probabiliter Origeni debetur (quamvis hodie in eius commentariis a Rufino editis non nisi leviter velut coniectura quaedam subindicetur) atque patristico tempore satis propagata fuit. Namque *S. Aug.* de « nonnullis ca-

tholicis tractatoribus loquitur, qui in his Apostoli verbis aliter quam se res habet parum attendendo sapuerunt, ut dicerent illos perire qui sine Lege peccaverunt, hos autem qui in Lege peccaverunt, iudicari tantummodo, non perire, tamquam per poenas transitorias credantur esse purgandi » (in Ps. 118. serm. 25,3), atque saepius monet « hoc in loco nihil distare inter *perire* et *iudicari*, quum alio verbo hoc idem significatum sit; solere enim Scripturas iudicium pro aeterna damnatione ponere » (de fide et opp. 25, 42 sqq.). Toto contextu explicatio S. Hier. excluditur, et quum *S. Aug.* sententia in *Gl. ord.* sit recepta, ab antiquioribus interpretibus impugnatur (cfr *Lomb. Thom.* etc.).

Quemadmodum autem in puniendo, ita etiam in mercede decernenda Deus partium studio non ducitur : 13. *non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quomodo haec sententia cum praecedentibus connectatur, in controversia est. Plerique interpretes quatuor sententias (11-14), quae singulae particula causali (γάρ *enim*) introducuntur, ita inter se dependere censent, ut quavis posteriore proxime antecedentis ratio adnectatur; quare hoc versu Paulum volunt ostendere, Iudaeos peccatores per Legem revera iudicatum iri, atque statuunt in hoc versu de solis Iudaeis esse sermonem. Quae explicatio nobis non probatur, sed uti iam diximus, hunc versum praecedenti *v.* 12. parallelum esse atque velut confirmationem cum *v.* 11. immediate coniungendum esse[1] arbitramur (cfr *Tolet. Beel.* etc.). Duo enim Apostolus in superioribus asseruerat, Iudaeos et ethnicos, qui malum operati essent, eadem ratione punitum iri, atque utrosque, si bonum operati essent, eadem ratione mercedem accepturos esse (9. 10). Utrumque Iudaei Lege sua confidentes ac gloriantes negabant; se ipsos propter Legem quam accepissent a poenis liberos fore confidebant, ethnicis autem, quia Lege scripta carerent, ius ad mercedem abiudicabant. Ideo Apostolus utrumque assertum unica illa ratione, quod Deus partium studio non ducatur, probat (*v.* 11), atque hoc argumentum relate ad poenas *v.* 12. accuratius explanat; reliquum ergo ei est, ut idem de praemiis praestet, quia haec assertionis pars non minus quam prior negabatur. Bene *Tol.* : « Quod si ad Iudaeos (tantum) haec

1. Plerumque quidem γάρ ita usurpatur, ut sententiam proxime praecedentem confirmet vel explicet etc.; sed neque apud profanos neque apud sacros auctores desunt exempla, in quibus particula causalis in duabus sententiis sese excipientibus ita adhibetur, ut inter se non dependeant sed ambae inter se parallelae superiorem assertionem confirment. Cfr *Matth.* 6,31. 32 : « nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? haec *enim* (γάρ) omnia gentes inquirunt; scit *enim* (γάρ) Pater vester, quia his omnibus indigetis »; atqui evidens est, divinam providentiam non afferri velut confirmationem, quod gentes ista terrena inquirant, sed velut secundam rationem, propter quam discipuli Christi ab inutili sollicitudine sese abstinere debeant; similiter infra 16,17-19; 1 *Cor.* 11,8. 9 etc.

verba referuntur, tunc manet imperfectus paulinus textus; nam praecipua pars de operantibus bonum manet sine explicatione et probatione sua. Adde, si ad solos Iudaeos haec pertinerent, dicendum erat : *non auditores tantum sed simul factores*, nempe qui audierint et servaverint Legem [vel potius dicendum erat : neque enim qui auditores tantum Legis sunt, iusti erunt apud Deum, sed qui Legis auditores simul et factores sunt, iustificabuntur]. At dum excluduntur auditores, quod proprium est Iudaeo, et exprimuntur factores, quod commune est Iudaeo ac Graeco, haec verba utrique communia esse manifestum est, et huic expositioni consonant sequentia ». Quam apte, si haec explicatio admittitur, sequentia adnectantur, statim videbimus; antea singula huius sententiae vocabula sunt exponenda. Quoniam non tam legendis sacris suis libris, quam iis audiendis, quum singulis sabbatis pericopae quaedam Pentateuchi et prophetarum in synagogis publice recitarentur (*Act.* 13,15; 15,21; *Luc.* 4,16 sq.), Iudaeorum vulgus Legem didicit, *auditores Legis* (οἱ ἀκροαταὶ νόμου) hic Iudaei nominantur, quatenus Legem scriptam possidebant. Quominus vero locutionem istam generali sensu de omnibus, qui aliquam legem habeant (*auditores legis alicuius*), cum nonnullis modernis (*Sch. God Weiss* etc.) interpretemur, contextus prohibet. Immerito autem ad hanc interpretationem vindicandam omissio articuli ante νόμου urgetur, siquidem de hac articuli omissione cum certitudine non constat (cfr *VV. LL.*), neque quidquam ex ea, si constaret, probaretur, quia sexcentis in locis νόμος sine articulo de sola mosaica Lege intelligi potest ac debet (cfr *v.* 14. 23. 25; 3,20. 21. 28. 31; 4,13. 14; 5,13. 20 etc.), quum quasi nominis proprii naturam in hac significatione induat. Auditoribus Legis opponuntur *factores Legis* (οἱ ποιηταὶ νόμου), quo nomine sacri scriptores contra usum loquendi profanorum (quibus ποιεῖν νόμον est *legem ferre* et ποιητὴς νόμου i. q. *legislator*) eos designare solent, qui legem latam observant eique satisfaciant (*Iac.* 1,22; 4,11; 1 *Mach.* 2,67[1]). Haud satis accurate porro *Vulg.* in priore membro legit *iusti sunt;* in graeco quidem verbi tempus non est indicatum, sed quum duo futura immediate praecedant (*peribunt, iudicabuntur*), tertium immediate sequatur (*iustificabuntur*), dubium non est, quin futurum legi oporteat (*iusti erunt*) atque in priore non minus quam in secundo membro de iudicio agatur futuro. Neque dubium est, quin

1. Per hebraismum ποιεῖν νόμον significat legi satisfacere; hac enim locutione Alexandrini hebr. עָשָׂה הַתּוֹרָה reddiderunt (*Ios.* 22,5; 2 *Par.* 14,3 etc. i. q. facere ea quae lex iubet) atque interdum etiam synonymam locutionem שָׁמַר הַתּוֹרָה (observare legem 1 *Par.* 22,12); ab iis autem ad Novi Test. scriptores locutio ποιεῖν νόμον eodem sensu transiit (cfr *Ioan.* 7,19; *Gal.* 5,3).

duae locutiones *iusti erunt apud Deum* et *iustificabuntur* (sc. ante Deum vel a Deo) unum idemque hic valeant; id enim duorum membrorum oppositio clare docet. *Iustificari* autem hic non est *iustum fieri*, sed *iustum reputari* vel potius *declarari*, siquidem de iudice iustificante agitur (cfr ad *Gal.* 2,16 p. 456 sq.), et de iustitia *apud Deum* Apostolus loquitur, ut veram ac propriam significet. Homines enim aliquem iustum reputare ac declarare possunt, qui iustus non est; at Deus, cuius iudicium est secundum veritatem (*v.* 2), eos solos declarare potest iustos, qui vere iusti sunt, non putata aliqua vel externe imputata iustitia, qualis erat illa, quam superbi Iudaei ob suam Legis cognitionem sibi ipsi attribuebant, sed iustitia propria et interna, quae habetur, quando homo gratia sanctificante infusa mundatus est ab omni peccato. Ab hac autem iustitia vera dependet salus ac vita aeterna (cfr ad 1,17); quapropter is qui in iudicio a Deo declarabitur iustus, dignus est vita aeterna eamque a iusto iudice recipiet. Itaque in nostra sententia (*factores legis iustificabuntur*) Apostolus re idem asserit, quod supra docuerat, Deum omni bonum operanti, Iudaeo ac Graeco, redditurum esse vitam aeternam (*v.* 7. 10), sed illud assertum hic ex eo confirmat, quod in Deo non sit partium studium. Si enim in iudicio ad personale Iudaeorum privilegium, quod Legem scriptam possideant (i. e. *auditores Legis sint*), ita attenderet, ut ob hanc solam rationem in Legis observationem non inquirens eos declararet iustos, reliquis omnibus, qui Legem scriptam non haberent, velut iniustis reprobatis, acceptor utique esset personarum; verum quia omnes factores Legis aequaliter, sive auditores eius fuerint sive non fuerint, iuxta promissionem Legi annexam declarabit iustos vitaque aeterna dignos, partium studio se non duci manifestat. Attamen sua sponte nunc exoritur quaestio, quomodo ii qui Legis auditores non sint eius factores esse possint. Cui quaestioni respondet Apostolus, ethnicos quoque, etsi mosaicam Legem non acceperint ac proinde eius auditores non sint, legem cordibus inscriptam possedisse.

Antequam ad eius responsum exponendum transeamus, monuisse iuvabit, hanc sententiam (*factores Legis iustificabuntur*) iuxta explicationem datam, quae inde a S. Augustini aetate inter catholicos communis est (cfr *S. Aug.* de spir. et liter. 26,45, *Herv*[2]. *Thom.* etc., *Tol.*, *Salm. Est.* etc., *Reith. Beel. Bisp.* etc.), nullatenus cum reliqua doctrina paulina pugnare, iuxta quam *ex operibus Legis nemo iustificatur* (3,20 etc.; *Gal.* 2,16 etc.; 2 *Cor.* 3,5 etc.). Probe enim consideretur oportet et diversa significatio, quam pro contexta oratione verbum *iustificandi* admittit (iustum facere et iustum declarare), et diversa

ratio, qua aliquis mandata Legis implere potest. Verba nostra de iusto iudicio intelligenda esse diximus, quo Deus illos, qui gratia sanctificante ornati et auxiliis supranaturalibus adiuti secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaesierunt (*v.* 7), *iustificabit*, i. e. iustos vitaque aeterna dignos declarabit, eisque mercedem promissam secundum eorum opera reddet (cfr ad *v.* 6). Nequaquam autem verba nostra de prima impii iustificatione intelligere licet, qua ex iniusto fit iustus; gratis enim sine ullius operis praecedentis virtute aut merito prima iustitia a Deo confertur credentibus, uti Paulus postea fusius explicabit et in epistola ad Gal. fusius explicavit (cfr ad *Gal.* 2,16; 3,18 etc.). Itaque si impii atque peccatores nonnulla Legis mandata (id quod fieri posse Paulus non negat) sine fide ac gratia observent, haec eorum opera Legis ad eos iustificandos (i. e. iustos reddendos) non inserviunt; atque per se patet, eosdem etiam in iudicio, si eiusmodi opera afferant, a Deo non posse iustificari (i. e. iustos declarari), quia iusti non sunt, licet forte ab hominibus propter opera sua iusti habeantur.

Ceterum diligenter consideretur oportet, Apostolum de conditionibus, quae requiruntur, ut Legis observatio praemio vitae aeternae digna a Deo reputetur, nostro in loco non disputare, quia ad praesentem quaestionem nihil faciunt. Id unum hic agit, ut contra incredulos Iudaeos, qui de sua Legis cognitione gloriabantur, Legem autem ipsi non observabant, Legis cognitionem sine eius observatione nihil prodesse inculcet. Clarissime tamen supponit, Deum in iudicio sententiam suam secundum opera esse laturum atque eos solos, qui Legem impleverint, iustos esse declaraturum. Quapropter magno in errore acatholici illi versantur, qui mere hypotheticam normam hic statui arbitrantur (*Mey.* etc. : factores legis iustificarentur, nisi iustificatio per fidem requireretur); neque enim hypothetice, sed assertive Apostolus loquitur. Neque minus longe a vero aberrant alii acath., qui Paulum censent primitivam divinae iustitiae normam (die Urnorm der göttlichen Gerechtigkeit) proclamare, sed interim non attendere, num aliqui possint esse factores Legis, quum postea (3,20) factores Legis esse posse diserte neget (*Weiss* etc.); ubinam enim docetur, primitivam divinae iustitiae normam esse abrogatam, et quomodo iustissimus ac sapientissimus Deus primitus ab hominibus aliquid postulare potuit, quod praestare nullo modo potuerunt? Sed his similibusque effugiis, quae antiquiores acath. iam excogitarunt (cfr quae *Salm. Lap.* aliique contra Calvinum, Bezam etc. disputant), immorari opus non est; de antiquiorum cathol. potius interpretatione pauca addamus.

Plerique nimirum tres verbi *iustificare* significationes distinguunt :

iustum facere, iustiorem facere (i. e. iustitiam augere cfr *Apoc.* 22,11, *qui iustus est, iustificetur adhuc*), iustum reputare ac declarare. Iamvero primam quoque significationem aliquo modo nostrae sententiae convenire *S. Aug.* arbitratus est, sed eius explicatio tam est contorta [1], ut a iunioribus fere sit praetermissa atque ipse ibidem alteram illam, quam secuti sumus, addendam censuerit. Iuniores plerique cum *Thom.* alias duas significationes quasi coniungunt, ut factores Legis iustificatum iri dicant, quatenus gratia sanctificante iam ornati bonis operibus a Lege praescriptis in iustitia accepta crescant ac tandem a iusto iudice propter bona sua opera iusti ac praemio digni declarentur. At recte *Est.* monet, *iustificari* per se non sonare augmentum iustitiae, ita ut dicendum fuisset : *iustificabuntur adhuc;* maxime autem ad contextum attendatur oportet, qui hoc in loco alteram illam significationem non admittit, licet per se verissimum sit, homines in gratia constitutos debere observatione legis divinae iustitiam conservare et augere, ut a iusto iudice iusti declarari possint (cfr *Salm. Est.* etc.).

Ut argumentationem suam compleat Iudaeosque de Legis cognitione superbientes confundat, Apostolus ethnicos quoque in iudicio tamquam factores Legis iustificari posse ostendit; quamvis enim auditores Legis mosaicae non fuerint, eos Legis cognitione non esse destitutos monet : 14, *quum* (ὅταν quando) *enim gentes, quae legem non habent, naturaliter* (φύσει) *ea quae legis sunt* (τὰ τοῦ νόμου) *faciunt, eiusmodi* (cum antiqua versione lege : *hi* οὗτοι cfr *VV. LL.*) *ipsi sibi sunt lex;* 15. *qui* (οἵτινες melius : *quippe qui*) *ostendunt opus legis* (τὸ ἔργον τοῦ νόμου) *scriptum in cordibus suis, testimonium reddente* (συμμαρτυρούσης melius : *simul testimonium reddente*) *illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus,* 16. *in*

1. Haec est *S. Aug.* (de spir. et lit. 26,45) prior explicatio : « Sic intelligendum est *factores legis iustificabuntur*, ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi iustificentur : ut non iustificatio factoribus accedat, sed ut factoribus iustificatio praecedat. Quid est enim aliud *iustificati* quam *iusti facti* ab illo scilicet, qui iustificat impium (4,5), ut ex impio fiat iustus? Si enim ita loqueremur, ut diceremus *Homines liberabuntur*, hoc utique intelligeretur, eis qui iam homines essent accedere liberationem; si autem diceremus *Homines creabuntur*, non utique intelligeretur, eos creari qui iam erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset *Factores legis honorabuntur,* non recte acciperemus, nisi honorem illis qui iam essent factores legis accedere; quum vero dictum sit *factores legis iustificabuntur*, quid aliud dictum est quam *Iusti iustificabuntur?* Factores enim legis utique iusti sunt; ac per hoc tantumdem est, ac si diceretur *Factores legis creabuntur,* non qui erant, sed ut sint; ut sic intelligerent etiam Iudaei legis auditores, indigere se gratia iustificatoris, ut possint esse factores ». In tota hac expositione S. Doctorem ad contextum et scopum Pauli non attendere atque satis arbitrarie verba paulina mutare arbitror, quum et subiecto (*factores legis*) aliud (*iusti*) ac postea etiam verbo (*iustificabuntur*) aliud (*creabuntur*) substituat.

die, qua iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Iesum Christum. Graeci interpretes in hac sententia explicanda magnam difficultatem non invenerunt; ab eo autem tempore, quo Pelagiani his verbis abuti coeperunt, ut homines solis naturae viribus legem universam implere posse, fidem autem gratiamque Christi ad eam facilius dumtaxat implendam iuvare demonstrarent, haud leves exortae sunt difficultates novis nonnullis interpretationibus, quae ad pelagianum errorem efficacius refellendum excogitatae, quia universae argumentationis apostolicae rationem sufficientem non habent, locum nostrum non tam illustrant quam obscurant. Quibus interim praetermissis Graecorum maxime sequimur planam facilemque expositionem (cfr *Orig. Chrys.* i. h. l. et ad pop. antioch. hom. 12,4, *S. Cyr. Al.* c. Iulian. III. *M.* 76,665. *Theod. Dam. Theoph. Oec. Euth.*), quacum latini quoque Patres plerique (cfr *Tert.* c. Marc. V. 13. de cor. mil. 6, *S. Hilar.* in Ps. 118 lit. 15,11, *S. Ambr.* ad Iren. ep. 73,2 sq., *S. Hier.* ad *Algas.* ep. 121,8, in Matth. 22,8 etc.) multique iuniores modernique (*Herv. Thom*[2]. *Lyr.* etc., *Salm. Tolet. Pic.* etc., *Bisp. Ag. Sch.* etc.) fere consentiunt. Iuxta quos ex ipso facto, quod inter ethnicos lege supranaturaliter revelata destitutos reperiantur, qui natura magistra praecepta Legis mosaicae moralia observent, Apostolus proxime colligit, ethnicos plane exleges non esse, sed eos, deficiente externo magisterio divino, sibi ipsos esse legem, i. e. in sua natura rationali et conscientia habere magistrum, qui praecepta Legis eis manifestet ac promulget; unde deinde sua sponte sequitur, eos tamquam factores Legis iustificari posse non minus quam Iudaeos, qui eadem praecepta ex scripta sua Lege cognoscunt.

Per se patet, ethnicos cunctos ob legem observatam hic non laudari, sed id unum supponi, inter eos inveniri qui illam observent; ea quippe coniunctionis ὅταν (*quando* Vulg. : *quum* cum indic.) vis est ac potestas, ut rem vere fieri significet, sed eam frequenter fieri non connotet. Superiorem igitur suam descriptionem corruptionis ethnicae (1,24 sqq.) Paulus hic non infirmat, si aliquos vitiis illis caruisse ac legem observasse insinuat, contra vero aggravat reliquorum culpam, quum eos lege non caruisse demonstret. Porro appellatione *gentes quae Legem non habent* eadem ratione, qua supra locutione *qui sine Lege peccarunt* (*v.* 12), ethnicos universe describi, quippe quos Iudaei exleges (ἀνόμους) appellarent quia Legem scriptam, sicut ipsi, a Deo non accepissent, ex contexta oratione evidens esse arbitramur, licet *S. Aug.* cum multis iunioribus, uti infra dicemus, altera in opinione fuerit. Consulto autem Apostolus hac circumlocutione utitur, ut oppositio inter *Legem non habere* (μὴ νόμον ἔχειν) et *ea quae Legis sunt facere* (τὰ τοῦ νόμου

ποιεῖν) clarius appareat. Neque vero dicit *Legem facere*, quia de Lege loquitur mosaica, quae praeter praecepta moralia etiam continebat caerimonialia ac politica gentibus prorsus ignota neque unquam ab eis observata. Ipsam ergo rem et quasi essentiam Legis mosaicae hic intelligi vult, quam etiam mox *opus Legis* (τὸ ἔργον τοῦ νόμου *v.* 15) et *praecepta Legis* (τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου *Vulg. : iustitias legis v.* 26) appellat; ad quam praeter praecepta moralia decalogo contenta certo quodam modo etiam caerimonialia et iudicialia pertinebant, quatenus nimirum externum Dei cultum atque exercitium iustitiae erga proximos praescribebant. Forma ipsa autem cultus illius ac politici status essentialibus Legis adnumerari nequit, nisi in quantum praefigurandae novae oeconomiae inserviebat; secus enim mutari non potuisset, cultum autem et statum politicum Iudaeorum decursu temporis, Deo ita disponente, in nonnullis esse mutatum historia populi electi docet.

Plane erronee haud pauci acath., ne gentiles aliqui universam legem moralem implevisse dicerentur, locutionem τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν explicarunt « ea facere quae lex *facit* »; lex quippe praecipit, docet, terret, punit etc., atque « haec quoque, inquiunt, gentiles faciunt in se ipsos et in alios, ubi rationis usu pollent et adolescunt » (cfr *Beza, Cappel. Bech. Wetst. Elsn. Fl. Beck* etc.); quid enim τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν significet, ex immediate praecedente οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου (*factores Legis*) clare intelligitur. Quare paucis quoque illis modernis cath. assentiri non licet, qui ob eandem rationem verbum ποιῶσιν (*faciunt*) de conatu dictum putant: « qui ea quae Legis sunt *facere conantur* » seu nituntur (cfr *Reith. Mai.* etc.); factores Legis enim non sunt, qui eam implere student tantum et conantur, sed qui eam implent. Neque iuniorum multorum cath. sententia probari potest, qui (semper ob eandem rationem) locutionem τὰ τοῦ νόμου (*ea quae Legis sunt*) non definite de iis, quae Legis essentiam constituunt et omnia implenda sunt, ut aliquis Legem implevisse recte dicatur, sed indefinite de nonnullis (scilicet facilioribus), quae ad Legem pertineant, interpretantur: « Apostolus, inquit *Lap.*, non dicit gentes facere vel implere Legem, sed *ea quae Legis sunt* i. e. aliqua, puta faciliora, Legis praecepta facere » (similiter *Cai. Soto, Perer. Suarez* de grat. I. 8, 30 etc.). Namque locutio latina (*ea quae Legis sunt*) aeque parum, atque graeca (τὰ τοῦ νόμου), eo sensu indefinita dici potest, ut nonnulla tantum et quidem faciliora sola Legis praecepta complectatur; quare Paulus, si id significare voluisset, aliam locutionem elegisset. Ceterum nostro τὰ τοῦ νόμου, uti iam diximus, respondent τὸ ἔργον τοῦ νόμου et τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου, quae dictiones profecto non sunt indefinitae; nam infra (*vv.* 26. 27) Paulus gentiles, qui τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου custodiunt, simpliciter asserit τὸν νόμον τελεῖν (*Legem consummare*), i. e. totam Legem implere (cfr *Salm.* etc.).

Quae erronae explicationes originem suam potissimum debent erroneae interpretationi vocabuli *naturaliter* (φύσει *per naturam*), quod

idem ac *solis naturae viribus* valere omnemque gratiam supranaturalem excludere putabatur, quemadmodum illud suo iam tempore Pelagiani, ut gratiae necessitatem ad opera bona negarent, interpretati sunt; at hac in sententia, si ad eius contextum attenditur, naturam non gratiae, qua lex impletur, sed revelationi, qua lex a Iudaeis cognoscebatur, opponi manifestum est. Ad implendam enim legem quod attinet, Iudaei ab ethnicis non differebant, quandoquidem utrique eadem ratione, ut eius impletione sese praemio aeterno dignos redderent, uti fide ita gratia Christi indigerent, quam non magis Lex mosaica, quamvis supranaturaliter esset revelata, Iudaeis, quam lex naturaliter cognita ethnicis praestabat. Etenim « Lex, inquit *S. Aug.* (de pecc. mer. et rem. I. 10,12 sq.), non potuit auferre peccatum, quae subintravit, ut magis abundaret peccatum : sive naturalis lex, in qua quisque iam ratione utens incipit peccato originali addere et propria, sive ipsa quae scripta per Moysen populo data est; si enim data esset Lex quae posset vivificare, omnino ex Lege esset iustitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus (*Gal.* 3, 21. 22)... Regnum mortis sola *in quolibet homine* gratia destruit Salvatoris, quae operata est etiam in antiquis sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret ad eius tamen adiuvantem gratiam, non ad Legis literam, quae iubere tantum, non adiuvare poterat, pertinebant » (cfr ad 2 *Cor.* 3,6 sqq.; *Gal.* 2,16 etc.). Itaque si *naturaliter* hic idem valeret, quod *sine gratia*, argumentatio Apostoli esset infirma. Nam *sine gratia* etiam Iudaei nonnulla suae Legis revelatae praecepta implere poterant atque « opera Legis », quae toties Paulus nihil prodesse dicit, omnia erant facta sine gratia. Quomodo igitur Paulus ex eo, quod ethnici aliqua praecepta *sine gratia* implevissent, concludere potuisset, eos sibi ipsis esse legem? De conditionibus ergo, sine quibus Lex vere ac fructuose impleri nequeat, Apostolus hic non loquitur, quia prorsus eaedem erant in Iudaeis et in ethnicis neque a modo, quo lex cognoscitur, dependent. Quare bene adnotat *Thom*?. voce *naturaliter* non excludi necessitatem gratiae ad movendum affectum, « sicut etiam per Legem (mosaicam) est cognitio peccati et tamen ulterius requiritur gratia ad movendum affectum » (cfr etiam *Herv. Tol. Salm. Picon.* etc., *Bisp. Sch.* etc.). Sed ab illis conditionibus hic, uti supra (*v.* 6 sqq.), abstrahens vel, si mavis, illas in gentibus lege supranaturaliter data carentibus non minus, quam in Iudaeis tali lege instructis, adesse *posse* supponens (uti revera in nonnullis piis ethnicis, ex. gr. in Cornelio centurione eiusque familia, adfuerunt *Act.* 10,1 sqq.), duo magisteria, quae legem doceant, inter se opponit, externum, sc. supranaturalem revelationem, cuius auditione Iudaei legem discebant, et internum, sc. ipsam

rationalem hominis naturam, qua sola ethnici quasi immediate ea quae Legis sunt edocebantur. Naturam igitur dumtaxat velut magistram considerat, quae quid bonum malumve sit ostendat (cfr 1 *Cor.* 11,14), atque *naturaliter* (φύσει per naturam) *ea quae Legis sunt facere* ei idem est quod *natura magistra ac duce ea facere quae Legis sunt*. Quam interpretationem *Tert.* (de cor. mil. 6) iam insinuavit : « Quaeris Dei legem? habes communem istam in publico mundi, *in naturalibus tabulis,* ad quas et Apostolus solet provocare, uti quum in velamine feminae *Nec natura,* inquit, *vos docet?* et quum ad Romanos *natura facere* dicit *nationes ea quae Legis sunt* et legem naturalem suggerit et naturam legalem » (i. e. legem esse naturae inditam et naturam esse legis magistram). Eandem Graeci tradunt, qui cum *Chrys.* interpretantur : « quum dicit *per naturam* dicit *per ratiocinia ex natura hausta* (τοῖς ἐκ φύσεως λογισμοῖς cfr *Dam. Theoph. Oec. Euth.*), atque similiter multi Latini iuniores : « *naturaliter,* i. e. naturali ratione suadente » (*Herv.*), « *naturaliter,* i. e. per legem naturae ostendentem eis, quid sit agendum » (*Thom*[2].), « *naturaliter faciunt,* i. e. ex naturali dictamine rationis » (*Lyr.*) etc.

Itaque quando gentiles natura sua rationali edocti praecepta legis observant, manifestum esse colligit Apostolus, quod *hi* (οὗτοι *Vulg.* : eiusmodi τοιοῦτοι cfr *VV. LL*), quamquam legem non habere putentur[1], *ipsi sibi sint lex,* i. e. in se ipsis habeant normam ac regulam, iuxta quam diiudicare possint, quid velut bonum sit faciendum aut velut malum fugiendum. Quam recte autem eos sibi ipsos legem esse dixerit, duplici quasi argumento confirmat, ipsa nimirum eorum agendi ratione et conscientiae subsequentis testimonio quod in futuro iudicio sese sit manifestaturum. Praeprimis enim eos sibi ipsos esse legem dicit tamquam homines *qui* (οἵτινες cfr 1,25. 32) *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis,* quia morum suorum, qui praeceptis moralibus Legis mosaicae plane consonant, honestate sese rationem Legis in animis suis gerere manifestant. Nomine τὸ ἔργον τοῦ νόμου, sicut superiore τὰ τοῦ νόμου, ipsam quasi legis essentiam designari diximus; pulchre autem ibi, ubi de externis actionibus egit, Paulus pluralem posuit (*ea quae legis sunt faciunt*), hic vero, ubi de lege prout in animo est loquitur, singularem (*opus legis*) ponit. Neque enim singula praecepta, quae multa et varia in Lege mosaica exstabant, cordibus inscripta sunt, sed ad unitatem redacta in natura rationali reperiuntur.

1. Attende Apostolum non dicere : ἔθνη τὰ νόμον οὐκ ἔχοντα aut οὗτοι νόμον οὐκ ἔχοντες, sed utroque in loco subiectivam negationem μή usurpare. Nam οὐκ ἔχοντες νόμον sunt vere exleges, μὴ ἔχοντες νόμον autem ii qui exleges esse putantur; οὐ enim negat rem ipsam, μή negat cogitationem rei (cfr *Comment.* in 1 Cor. p. 49 *n.*).

Haec quippe supremam boni malique normam exhibet, cui singulae actiones conformari debent et ex qua singula praecepta derivantur. Quam multorum mosaicorum praeceptorum unitatem alibi quoque insinuat, quum totam Legem in uno sermone dilectionis proximi impleri dicit (cfr ad *Gal.* 5,14). Minus recte aliqui illud *in cordibus* urgent, acsi Apostolus Legem mosaicam tabulis lapideis insculptam lege naturali tabulis cordis carnalibus inscripta inferiorem dicat; immerito enim ad 2 *Cor.* 3,3 appellant, quo in loco de lege naturali non agitur. Neque rectius alii illa dictione firmitatem et constantiam legis naturalis connotari volunt, quippe quae, quum animis sit inscripta, non nisi cum animis ipsis perire possit. Haec enim omnia a Pauli argumentatione aliena sunt, qui id unum agit, ut ethnicos lege non carere ostendat, licet a Iudaeis exleges putentur, sed legem naturalem legi supranaturaliter revelatae praeferre nec vult nec potest.

Priori huic confirmationi ex ethnicorum moribus desumtae alteram addit ex eorum conscientia desumtam : (*simul*) *testimonium reddente* (συμμαρτυρούσης simul nimirum cum honesta vita) *conscientia eorum*. Quod testimonium quale sit, graphice describit : *et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus*. Particula *et* (καὶ) hic non est copulativa, quae tertium argumentum prioribus addat, sed epexegetica (i. q. *et quidem*), quae secundo argumento explicationem adiungit. Loquitur enim de conscientia consequente, « qua iudicamus quod aliquid quod est factum sit bene factum vel non bene factum, et secundum hoc conscientia dicitur excusare seu remordere » (*S. Thom.* Summ. I. qu. 79. a 13). Huius autem conscientiae dictamina (*cogitationes* λογισμοῦς) velut partes considerat coram iudice *inter se invicem* (μεταξὺ ἀλλήλων cfr *Act.* 15,9; *Matth.* 18,15) litigantes, ita ut alia hominem ob male facta accusent, alia vero sed rariora (nam id particulae ἢ καὶ *aut etiam* innuunt) eum ob bene facta defendant. Sive autem accusant, sive defendunt, semper testantur, hominem in se ipso habere normam, cui actiones conformandae sunt, ut supremo iudici placeant ab eoque approbentur. Parum recte multi acath. verba μεταξὺ ἀλλήλων (*inter se invicem*) non de cogitationibus, quae a Paulo hic quasi in personas constituuntur, sed de ethnicis ipsis interpretantur, ac si unius cogitationes alterum accusent aut defendant, vel bonorum cogitationes accusent malos et malorum cogitationes defendant bonos (*Mey. Weiss.* etc., *Lips.* etc.); nam per alterius conscientiam nemo accusari aut absolvi potest (cfr 1 *Cor.* 10,29; quod enim ibi de praecedente conscientia asseritur, id etiam de consequente valet).

Attamen quomodo conscientiae dictamina, quum sint interna, ab Apostolo velut confirmatio afferri possunt, quod ethnici sibi ipsi sint

lex? Huic difficultati occurrit tempore indicato, quo dictamina illa omnibus patebunt : *in die quum iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Iesum Christum.* Quo quidem haec verba pertineant, inter iuniores ac modernos interpretes in controversia versatur, sed nulla est ratio, cur ea ab immediate precedentibus separemus, ut ea, sicuti a multis proponitur, aut cum *v.* 5. (thesaurizas tibi iram in die irae... qua die iudicabit etc.) aut cum *v.* 12. per legem iudicabuntur... in die quum iudicabit etc.) aut cum *v.* 13. (factores leges iustificabuntur... in die quum iudicabit) aut cum initio huius *v.* (qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus... in die quum iudicabit etc.) coniungamus. Obiicitur utique participia esse praesent. temp. (συμμαρτυρούσης et κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων) ac proinde de futuro iudicio intelligi non posse, quia parum apte dicatur : « conscientia testimonium red*dit* in die quum iudi*cabit*[1] Deus » etc. Sed ad hanc difficultatem removendam monuisse sufficit, participia praesentia, uti verbum finitum praes., haud omnino raro de futuris rebus usurpari, quae tam certo adventurae creduntur, ut quasi iam praesentes considerentur (cfr ad 1 *Cor.* 15,57 p. 515 et ad 2 *Cor.* 5,1 p. 139 sq.). Opus ergo non est, ut cum nonnullis coniiciamus, ἐν ἡμέρᾳ hic esse positum pro εἰς ἡμέραν (cogitationes *nunc* accusant relate ad futurum iudicium, vel earum accusatio praesens valebit in die iudicii). Rectius dicemus, duo argumenta, quibus Apostolus suum assertum confirmat, non plane eiusdem esse ordinis, quum unum iam nunc manifestum sit, alterum in die iudicii manifestum reddatur. Quam ordinis differentiam ipsa constructio aliquo modo insinuat, quatenus secundum argumentum per genetivum absolutum (συμμαρτυρούσης κτλ) priori subnectatur, ut sensus sit : « ethnicos sibi ipsos esse legem ostendunt honesti nonnullorum mores, quibus legem cordibus eorum esse inscriptam constat; id quod simul testabitur conscientia eorum in die iudicii certissime venturi, in quo ad se ipsos aut accusandos aut forte etiam defendendos aliis testibus praeter conscientiae suae dictamina in memoriam revocata non indigebunt »[2]. Ad reliquas vero interpre-

1. Animadverte per se nihil obstare, quominus pro futuro κρινεῖ (*iudicabit*) legatur praesens κρίνει (*iudicat*); accentum enim iuniores librarii appinxerunt; quin etiam aptius esse praesens arbitror, quod *Syr.* quoque expressit. Ceterum ad verborum sensum nihil interest, utra lectio praeferatur.

2. Cfr *Chrys.* : « Tunc enim aderunt cogitationes, aliae accusabunt, aliae defendent; atque in illo tribunali non eget homo alio accusatore ». Similiter *S. Cyr. Hier.* (catech. 15,25) : « Ex tua conscientia iudicaberis tunc cogitationibus accusantibus vel etiam defendentibus in die qua iudicabit Deus occulta hominum; terribilis vultus iudicis te coget, ut veritatem dicas, seu potius etiamsi non dixeris te convincet; tuis enim ipsius peccatis aut etiam bonis operibus indutus resurges »; atque *Tert.* (de testim. anim. 6) : « Merito igitur

tationes quod attinet, fieri non potest, ut aut *vv.* 6-15 aut *vv.* 13-15 aut *vv.* 14-15 parenthesin esse concedamus, quae nescio quem in finem argumentationi sit interposita. Nullum enim interruptionis cuiuscumque adest vestigium, neque ullus ex graecis aliisve antiquis interpretibus hic de parenthesi cogitavit. Revera omnia in tota hac pericope (5-16) tam apte inter se sunt connexa et tam arcte copulata, ut nullum membrum removeri aut seponi possit, quin tota corruat argumentatio.

Itaque *in die quo Deus per Iesum Christum iudicabit occulta hominum* et Dominus adveniens illuminabit abscondita tenebrarum ac manifestabit consilia cordium (1 *Cor.* 4,5), etiam testimonio conscientiae, quod nunc quidem latet tunc autem patebit, manifestum fiet, ethnicis legem non defuisse eosque proin factores Legis fieri potuisse. Difficultatem quandam verba interposita creant *secundum evangelium meum* (i. e. secundum praedicationem meam; nam de Evangelio scripto, uti nonnullos olim putasse *Hier.* testatur, hic non agi omnes hodie consentiunt); siquidem quo pertineant non satis apparet. Illud utique certum est, his verbis non designari normam, secundum quam Deus iudicabit, id quod aliqui acath. coniecerunt (*Calov. Umbr. Mey.* etc.); legem enim sive scriptam sive naturalem fore normam Paulus clare iam dixit (*v.* 12 sq.), neque ulla excogitari potest ratio, cur in hoc contextu iudicium ad *sui* evangelii normam habitum iri asseruerit, quippe quae a reliquorum Apostolorum norma non differat. Indicari tamen hac locutione aliquid videtur, quod ab ipso magis, quam a reliquis, doceatur ipsiusque praedicationi quasi sit proprium et essentiale. Atqui Deum aliquando de hominum operibus iudicaturum esse per Iesum Christum, cui Pater omne iudicium tradidit (*Ioan.* 5,22), cuncti Apostoli aequaliter docuerunt; quapropter coniicere licet, eum id maxime efferre voluisse, quod Deus *occulta hominum* sit iudicaturus. Etenim id revera saepius repetit (cfr 1 *Cor.* 3,13; 4,5; 14,25; 2 *Cor.* 5,10 etc.), atque haec doctrina quasi cardo est huius argumentationis. Iudaei quippe increduli secundum ea sola, quae in aperto erant, iudicabant

omnis anima rea et testis est, in tantum et rea erroris in quantum et testis veritatis; et stabit ante aulas Dei in die iudicii nihil habens dicere : Deum praedicabas et non requirebas, daemonia abominabaris et illa adorabas, iudicium Dei appellabas neque esse credebas, inferni supplicia praesumebas et non praecavebas ». Accuratius *Thom.* : « Dicuntur autem cogitationes accusantes vel defendentes in iudicio non illae quae tunc erunt, quia tunc unicuique manifesta erit salus vel damnatio; sed defensio vel accusatio cogitationum, quae nunc sunt, et testimonium conscientiae, quod nunc est, repraesentabitur homini in illa die virtute divina faciente, ut dicit Augustinus l. 20. de civ. Dei ». Verba *S. Aug.* (de civ. Dei XX. 14) sunt haec : « Quaedam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam atque ita simul omnes et singuli iudicentur » (explicat sc. S. Doctor illud *Apoc.* 20,12 : *et libri aperti sunt*).

omnesque ethnicos, quia eos Lege scripta carere videbant, tamquam exleges condemnabant factoresque Legis esse posse negabant; verum Deus, apud quem non est acceptio personarum (*v.* 11), ad ea quae externe in hominibus apparent non attendit sed ad ea quae interne in cordibus eorum latent. Utrum in aperto aliquis sit circumcisus et auditor Legis scriptae, an praeputiatus et Lege scripta carens, non curat; apud eum autem laudem meretur qui in abscondito est circumcisus (i. e. circumcisus corde) et qui legem divinam quomodocumque cognitam fideliter observat (cfr *vv.* 28. 29).

Ab explicatione nostra, quam auctoritate quum graecorum antiquiorumque latinorum Patrum tum multorum iuniorum modernorumque interpretum niti diximus, in *v.* 14. multi iuniores Latini plane dissentiunt. Quorum antesignanus est *S. Aug.*, qui licet explicationem a nobis adoptatam non plane reiiciat, immo velut probabilem habere videatur, alteram tamen absolute praefert, quam ab eo primi *S. Prosp. Aq.* (c. collat. 10,2) et *S. Fulg. Rusp.* (ep. 17. seu de incarn. et gr. Chr. 15,48) receperunt, antiquiores deinde nonnulli (*Lomb*[1]. *Thom*[1]. etc.) una cum nostra ita proposuerunt, ut utram praeferrent non indicarent, iuniores aliqui (*Est. Nat.* etc.) longe probabiliorem dixerunt, *Baius* demum, priore velut pelagiana reiecta, solam tenendam esse temerarie proclamavit[1]. Iuxta S. Aug. enim nostro in loco de gentilibus in genere non agitur, sed de solis ethnicis ad fidem Christi conversis. « Ideo dicuntur, inquit, *sine Lege* naturaliter ea quae Legis sunt facere, quia *ex gentibus venerunt ad Evangelium,* non ex circumcisione, cui Lex data est, et propterea *naturaliter,* quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura » (c. Iulian. IV. 3,25); atque iterum (de spir. et lit. 26,46 sq.) : « si ergo *gentes* commemorans *naturaliter quae Legis sunt facientes* et *scriptum habentes opus Legis in cordibus* intelligi voluit qui credunt in Christum, quia non sicut Iudaei praemissa sibi Lege veniunt ad fidem, non est cur eos discernere conemur ab iis, quibus Deus per prophetam, promittens Testamentum Novum, dixit leges suas se scripturum in cordibus eorum (*Ierem.* 31,33), quia et

1. Inter *Michaelis Baii* 79 propositiones a S. Pio V., Gregorio XIII. et Urbano VIII. damnatas haec est 22ª : « Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2 : *Gentes quae legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciunt* intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus ». Proxime quidem propositio damnata est ob censuram, quam multorum Patrum theologorumque explicationi verborum paulinorum inurit; sed etsi a censura abstrahamus, propositio in sensu auctoris iure merito dicitur haeretica. Ideo enim in hoc textu de solis gentibus fidei gratia imbutis sermonem esse voluit, ut errorem suum tenere posset : « Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia » (Prop. 25) atque « omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est » (Prop. 35).

ipsi per insertionem, quam oleastro praestitam dicit, ad eandem oleam, i. e. ad eundem Dei populum, pertinent (*Rom.* 11,24) : potiusque concordat prophetico etiam hoc apostolicum testimonium, ut hoc sit pertinere ad Novum Testamentum, legem Dei non habere in tabulis sed in cordibus scriptum, i. e. in intimo affectu iustitiam Legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur (*Gal.* 5,6)... Ac sic tale erit hoc quod de eiusmodi gentibus dicit Apostolus, quod *opus Legis habent in cordibus scriptum*, quale est illud ad Corinthios *non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus* » (2 *Cor.* 3,3).

Notandum tamen est, quod iuniores, qui hanc Augustini sententiam se sequi dicunt, duplicem correctionem adhibent, qua ad nostram sententiam propius quidem accedunt, Augustini vero explicationem evertunt. Satis clarum enim est, S. Doctorem nomine *gentium* hic intelligere *Ethnicochristianos*, quatenus Iudaeochristianis opponuntur; ac revera Apostolus interdum nomen hoc sensu usurpat, ubi nimirum ex contexta oratione dubitatio de eius vi exoriri nequit (11,13; 15,37; 16,4; *Gal.* 2,12 sqq.; *Eph.* 3,1). Latius tamen illi iuniores nomen explicant « de gentibus fide Christi imbutis et per eius gratiam ea quae Legis sunt facientibus, *sive Christi praecesserunt adventum* sive secuti sunt » (*Est. Nat.* etc.); at testimonium non habent, quo significationem hanc nominis probent. Ubinam enim in tota Scriptura nomen *gentium* ita adhibetur, ut omnes ac solos illos ethnicos designet, qui quomodocumque sunt imbuti fide Christi? Porro *S. Aug.*, quum ad *Ier.* 31,33 et 2 *Cor.* 3,3 provocet, legem cordibus inscriptam intelligit illam, quam Deus fidei ac gratiae infusione supranaturaliter cordibus fidelium inscribit; at iuniores isti (*Est.* etc.) sibi ipsis non constantes nomine gentium solos fide Christi imbutos designari volunt, legem tamen intelligunt a Deo auctore naturae omnibus hominibus inditam atque naturali rationis lumine omnibus innotescentem.

Itaque iunioribus illis, quorum explicatio secum ipsa pugnat, praetermissis, contra S. Augustini sententiam praeprimis monemus, in tota hac priore epistolae parte de Ethnicochristianis, quatenus Iudaeochristianis opponuntur, Apostolum non loqui. Totus enim in eo versatur, ut *Iudaeos*, quamvis scriptam Legem habeant, non minus quam *gentes*, quae scripta Lege careant, sub peccato esse demonstret. Contexta igitur oratione nomen *gentium* de Ethnicochristianis interpretari prohibemur. Accedit quod gentes hae *legem* supranaturaliter revelatam *non habere* dicantur, id quod de Ethnicochristianis, quum non minus, quam Iudaeochristiani, *in lege sint Christi* (1 *Cor.* 9,21), nullo modo dici potest. Praeterea alibi Paulus naturam opponit gratiae eamque corruptam esse docet, quum *natura* nos esse filios irae divinae dicat

(*Eph.* 2,3); quo cum iure ergo hoc in loco idem nomen, nullo epitheto addito neque ulla adhibita cautione, de gratia vel potius de natura per gratiam reparata et elevata usurpasse asseritur? Cur porro cum emphasi dixisse supponitur, Ethnicochristianos qui Legem non haberent per naturam gratia reparatam ea quae Legis sunt facere, ac si Iudaeochristiani, quia Legem haberent, non per naturam gratia reparatam ea quae Legis sunt facerent? Demum si legitime concluditur, Ethnicochristianos, quia per gratiam ea quae Legis sunt faciunt, *sibi ipsis esse legem,* legitime quoque concluditur, Iudaeochristianos, quia per gratiam Legem implent, sibi ipsis esse normam agendi, neque ullo modo intelligitur, quid tota haec sententia hoc in loco sibi velit. Quamvis igitur doctrina, quam S. Augustinus locis allegatis proponit, per se sit vera, eam tamen paulinis verbis, quae explicare vult, doceri aut insinuari concedere non possumus.

c.) — **Maiore in culpa erunt Iudaei, quia peccatis Legem suam divinam contemtui gentium exponunt (2,17-24).**

2,17. *Si autem tu Iudaeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo,* 18. *et nosti voluntatem eius, et probas utiliora, instructus per legem,* 19. *confidis te ipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt,* 20. *eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege.* 21. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces : qui praedicas non furandum, furaris :* 22. *qui dicis non moechandum, moecharis : qui abominaris idola, sacrilegium facis :* 23. *qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras.* — 24. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.* —

2,17. εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ καὶ ἐπαναπαύσῃ νόμῳ καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ, 18. καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου, 19. πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, 20. παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων, ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ· 21. ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν κλέπτεις; 22. ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν μοιχεύεις; ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα ἱεροσυλεῖς; 23. ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζεις; 24. Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσιν, καθὼς γέγραπται [1].

Post longam introductionem Apostolus tandem ad propositum suum venit, ut Iudaeos quoque non minus, immo magis, quam ethnicos irae divinae obnoxios esse demonstret. Sententiam enim suam, non auditores sed factores Legis in iusto iudicio Dei iustificatum iri (*v.* 13), con-

1. *VV. LL.* — 17. εἰ δέ (*si autem*) B ℵ A D E K, haud pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*: sed *textus rec.* : ἴδε vel ἴδε (ecce) cum L, plerisque minusc. ac iunioribus PP., *Syr.* (codd.). — ἐπαναπαύῃ νόμῳ (*requiescis in lege*) articulo omisso B ℵ A D, aliqui minusc. et PP.; sensu non mutato *textus rec.* articulum addit : ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ cum E K L et plerisque minusc.

tra eos vertit, quippe qui Legem divinitus acceperint quidem ac de illa glorientur, sed eam observare non curent. In ipsa tamen hac directa accusatione iterum magna cum cautione ac providentia procedens prius vera privilegia, quae Iudaeis competunt, agnoscit (17.18), iura deinde, quae sibi ipsis ob divinam suam Legem vindicant, cum levi quadam ironia recenset (19.20), ut demum repugnantiam, quae inter eorum doctrinam et opera appareat, vividis interrogationibus (iuxta *Vulg.* autem assertionibus) carpat (21. 22), atque eos, quia peccatis suis divinum nomen ethnicis contemtibile reddant, maiore in culpa esse insinuet (23.24).

Tota haec pericope constat unica fere sententia, quam anacoluthicam esse plerique recte tenent; hypotheticae enim protasi, quae quatuor priores versus complectitur (17-20), iusta deest apodosis. Nam ardore suo abreptus Paulus inde a *v.* 21. hypotheticam constructionem reliquit ac per epanalepticam particulam οὖν (*ergo*), quae haud raro perturbatae constructionis indicium est, protaseos argumentum alia forma repetens interrogationibus brevibus, quanta Iudaeorum culpa sit, manifestat, quum factis doctrinam suam destruant[1].

Protasin inchoat a veris praerogativis Iudaeorum agnoscendis : 17. *si autem tu Iudaeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo,* 18. *et nosti voluntatem (eius)*[2], *et probas utiliora, instructus per legem...* Prima praerogativa est nomen ipsum, quo a reliquis populis distinguuntur : *Iudaeus cognominaris.* Carpunt aliqui acath. (*Fr.* etc.) latinum interpretem, quod graecum ἐπονομάζειν verterit *cognominare,* quia nomen nationis haud apte pro cognomine habeatur; at licet compositum ἐπονομάζειν, maxime ab Alexandrinis, haud raro pro simplici ὀνομάζειν (i. q. קָרָא *Gen.* 4,26 etc.) usurpetur, hic tamen propriam cognominandi significationem retinet : « Hoc enim nomen, inquit *Theod.*, olim commune erat et venerabile, et ideo non dixit *nominaris* sed *cognominaris* », atque similiter *Chrys.* « honorificentissimum erat nomen, uti hodie nomen Christiani «. Revera

1. Graeci Patres (*Chrys.* etc.) anacoluthum non agnoscunt, quia pro εἰ δέ legerunt ἴδε (*ecce*); sed haec lectio ad facilitandam constructionem a librario quodam videtur invecta neque admitti potest, contradicentibus antiquis codd. et versionibus. Antiquiores aliqui Latini apodosin incipere volunt a *v.* 19 (*confidis* etc.), ut sensus sit : « si talia habes privilegia, confidis te iis posse uti ad alios docendos » (*Herv.* etc.); sed ut praetermittamus, ad hunc sensum enuntiandum pro hypothetica particula (*si*) debuisse sumi causalem (*quia*), animadvertatur oportet, in textu graeco, uti in antiquis verss. atque etiam in nonnullis *Vulg.* codd., verbum πέποιθας (*confidis*) per particulam τέ (*que*) prioribus verbis copulari : *confidisque.*

2. Pronomen *eius* (sc. Dei) in textu graeco aliisque verss. quidem non est expressum, sed ad sensum complendum apte a latino interprete est insertum.

nomen *Iudaei*, quod ante exsilium babylonicum raro ad regni meridionalis incolas designandos adhibebatur (*Ier.* 32,12 etc.), post exsilium omnibus quidem Israelitis commune factum est, sed non tam gentem nationemque quam religionem indicabat, ita ut veri Dei cultores atque membra populi a Deo electi ab omnibus aliis distinguat. Neque improbabile est, Paulum ad etymologicam simul significationem (יְהוּדָה *laus* vel potius *laudatus* cfr *Gen.* 49,8; 29, 35) respexisse. Summum beneficium Iudaeo tributum erat Lex, in qua requiescere poterat, quum sine labore et haesitatione quid faciendum fugiendumve esset ex ea cognosceret, « quasi per eam certificatus in credendis et agendis; dubitans enim intellectu non quiescit, sed utrimque sollicitatur; qui autem sapientiae certitudinem accepit, mente quiescit » (*Thom.* cfr *Theod. Theoph. Oec*[1]. *Euth*[2]. *A*[ter] *Herv.* etc., *Cai. Tol. Est.* etc., *MEv. Mai. Ag. Sch.* etc. — *Fr. God.* etc.). Cave autem, ne cum *Chrys.* nonnullisque iunioribus ac modernis (*Oec*[2]. *Euth*[1]. *Iust. Lap. Reith. Bisp.* etc.) verbis *requiescis in lege* connotari censeas, Iudaeos Legis possessione contentos observationem eius neglexisse. Sinistram enim hanc notionem verbum ἐπαναπαύεσθαι adiunctam non habet, nequedum Paulus ad vituperium transit, sed veris Dei beneficiis recensitis sibi viam ad vituperium aperit. Id tertium quoque membrum docet (*gloriaris in Deo*), quatenus iure merito Iudaei gloriari poterant, quod a Deo essent in populum sibi peculiarem electi atque singularibus donis ditati, quibus Deus sese eis prae ceteris populis propitium demonstraverat.

Quibus tribus praecipuis praerogativis Paulus duas adiungit, quae ex Legis possessione sua sponte profluunt. Namque tamquam κατηχούμενος ἐκ νόμου, i. e. tamquam vir *qui viva voce instruitur* (haud recte *Vulg.* exhibet partic. perf. *instructus*, nam non legitur κατηχημένος uti *Act.* 18,25) *ex lege*, quam in synagogis semper praelegi audit (cfr *v.* 13 *auditor Legis*) *cognoscit voluntatem*, (uti per se patet : legislatoris Dei, ita ut pronomen αὐτοῦ *eius* impune omitti potuerit) *et probat utiliora* (δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, *S. Aug.* de spir. et lit. 8,13 : *probas distantia*). Ultima verba duplicem explicationem admittunt; quodsi δοκιμάζειν consueto suo sensu explorandi (12,2; 1 *Cor.* 3,13; 11,28 etc.) sumitur, τὰ διαφέροντα intelligenda sunt ea quae inter se differunt, uti bonum et malum, licitum et illicitum : qui Lege instituitur, ex ea etiam in difficilioribus quaestionibus discernere discit inter ea, quae facere conveniat aut non conveniat; sin vero δοκιμάζειν sensu derivato approbandi (1,28; 1 *Cor.* 16, 3 etc.) sumitur, τὰ διαφέροντα, quum διαφέρειν etiam significet excellere ac praestare (*Matth.* 6,26; 10,31; *Luc.* 12.7. 24 etc.), recte intelliguntur *praestantiora*, ita

tamen ut comparatio sit impropria ac praestantiora opponantur deterioribus. Utra explicatio hic praeferatur, haud multum interest, quum utraque contextui consentiat neque magna inter eas sit differentia; ex loco parallelo (*Phil.* 1,10) autem nihil certi potest definiri.

In altera protaseos parte Apostolus iura recenset, quae Iudaei ob praerogativas suas sibi erga ethnicos arrogare solebant, quum eis sese velut magistros obtruderent mare et aridam circumvagantes, uti Dominus pharisaeis obiecit (*Matth.* 23,15), ad proselytos conquirendos: 19. *confidis* (cum A^{tro} lege : *confidisque* πέποιθάς τε) *teipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt,* 20. *eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege.* Haud sine ironia quatuor illos titulos accumulat; quin etiam acerbam esse ironiam apparet, si consideratur, iuxta prophetam titulos istos per se soli Messiae competere, quem Iudaei reiecerant, quamvis advenisset « lux gentium, ut aperiret oculos caecorum et educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris » (*Is.* 42,6.7; 49,6 etc.). Argute pro more suo *Thom.* quatuor nominibus quatuor classes eorum, qui ignorantia Legis laborant distinguit, prout nimirum alii in perfecta ignorantia degant, vel ob defectum naturalis ingenii (*caeci*) vel ob defectum necessariae institutionis (*sedentes in tenebris*), alii in via quidem ad scientiam sint sed eam nondum attigerint, vel ex defectu sufficientis instructionis (*insipientes*), vel ex defectu aetatis (*infantes*). Argutius deinde *Cai.* quatuor has classes quatuor praerogativis antea enumeratis (enumeratur autem quinque) opponi vult; atque vix minus argute aliqui moderni progressum institutionis insinuari arbitrantur : ethnicum *caecum* Iudaeus manu *ducit* ad revelationem, qua discussis *tenebris* oculos ei aperit, ut *lumen* videat, deinde eum *erudit,* ut *sapere* incipiat, ac demum proselytum (Iudaei proselytos dicuntur *infantes* appellasse) plenam veritatem *docet.* At Apostolum de his argutiis cogitasse mihi non persuadeo; cum *Chrys.* aliisque multis potius arbitror, cum nominibus illis esse usum, quibus Iudaei ipsi uti solebant. Quemadmodum enim ethnicos, quia Legem mosaicam non observarent, appellabant peccatores aut iniustos, ita eosdem, quia eam ignorarent, aut caecos aut in tenebris sedentes aut insipientes aut infantes appellabant, variis ignorantiae gradibus non distinctis.

Porro titulos illos Iudaei sibi arrogant, quia ipsi *habeant formam* (μόρφωσιν) *scientiae et veritatis in lege.* Nomen μόρφωσις bis tantum in N. T. legitur; quia autem semel (2 *Tim.* 3,5 « habentes *speciem* μόρφωσιν pietatis, virtutem autem eius abnegantes ») apparentiam externam, cui nihil veri subsit, significat, antiquitus nonnulli (cfr *Theoph. Oec.*) eandem significationem hic retinuerunt. « Sed qui *for-*

mam, inquit *Iust.*, accipiunt pro imagine, uti opponitur rei veritati, quasi scientiae ac veritatis speciem habeant, non ipsam veritatem ac scientiam, ab instituto Apostoli nimium quantum recedunt »; neque enim Iudaei, quia apparentiam veritatis, sed quia ipsam veritatis expressionem ac veram eius imaginem in Lege possidebant, sibi ius docendi arrogarunt. Iuxta *Tol.* aliosque paucos « *scientia* ad mores seu agenda, *veritas* ad fidem seu credenda refertur »; contra iuxta *Phot.* (cfr *Oec.*) forma *scientiae* ad intelligentiam, forma *veritatis* ad operationem refertur; utrumque, ut patet, sine sufficiente fundamento asseritur. Rectius, opinor, *Beel.* : « scripsit *scientiae et veritatis*, quia *scientia* illa, quae ex Lege hauritur, *veritas* est ». Unde cum *Euth.* hic figuram ἓν διὰ δυοῖν agnoscere licet, ut τῆς ἀληθείας καὶ τῆς γνώσεως positum sit pro τῆς ἀληθινῆς γνώσεως, veritatis autem notio, quia summi est momenti, substantivo declaretur.

Sequitur apodosis, quam anacoluthice adnecti diximus; Apostolus enim videtur scribere voluisse : « si autem tu Iudaeus (in oppositione ad ethnicum, qui obscuram tantum Legis cognitionem ex natura sua rationali haurit) tanta Legis scientia a Deo es ornatus, ut teipsum alios docere posse confidas, manifestum est, te in iusto iudicio divino non iri iustificatum, nisi ipse feceris, quae alios docere vis ». Verum hypothetica constructione relicta summam protaseos hypotheticae participio et particula epanaleptica (ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον *docens ergo alium*) quasi resumens dura increpatione sententiam continuat. Quantopere enim opera contradicant doctrinae ostendens satis clare ostendit, maiorem esse eorum culpam, quum perfectiore sua Legis cognitione non obstante eadem praecepta transgrediantur, quae ethnicis inculcare velint; unde sua sponte sequitur, eos in iudicio nequaquam iustificatum iri, quoniam sub ira Dei sint.

Apodosin « posse legi vel interrogative, quasi cum quadam indignatione, vel remisse quasi asserendo eorum malitiam » *Thom.* adnotat; cum *Chrys.* autem duriorem interrogationis formam omnino praeferimus : 21. *qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui praedicas non furandum, furaris?* 22 *qui dicis non moechandum, moecharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis?* (maiorem vim textus graecus habet qui subiecta sententiarum participiis exprimit : ὁ οὖν διδάσκων, ὁ κηρύσσων etc.). Primum membrum universale totam agendi rationem Iudaeorum cum eorum Lege pugnare docet; ita enim vivunt, ac si Lex illis dumtaxat ad alios docendos sit data. Duobus sequentibus crimina notantur (*furtum*, quo omnes species fraudis iniustitiaeque in exercendis mercaturis, et *adulterium*, quo omnes species impudicitiae comprehendi videntur), quae inter Iudaeos frequentiora fuisse satis

constat; celeberrimos eorum rabbinos (R. Akiba, R. Eleasar etc.) adulteros fuisse ipse Thalmud testatur (cfr *Reith.* — *God.*). Quodnam vero crimen quarto membro notetur, difficilius est dictu; praeferenda est, ni fallor, *Chrys.* aliorumque Graecorum sententia, qui Iudaeos accusari censent, quod idolorum fana expilare soleant, quamvis severissime eis prohibitum sit, « ne concupiscant argentum et aurum, de quibus facta sint idola, neve ex eis quidquam sibi assumant aut in domum suam inferant » (*Deut.* 7,25.26), « sed amatae pecuniae tyrannis, inquit, hanc quoque conculcare legem vobis persuasit » (*Chrys.*). Quodsi contra hanc interpretationem obiicitur, expilationem fani alicuius idolorum non potuisse a Paulo vocari *sacrilegium*, recte respondetur, graecum verbum ἱεροσυλεῖν significare *templum spoliare* (ἱερὸν συλᾶν) atque Apostolum, quum templa ista idolis dedicata fuisse in subiecto innueret, satis praecavisse, ne quis verbum de sacrilegio proprie dicto intelligeret. Sicuti prioribus membris, hic quoque oppositionem tantum inter doctrinam et opera Iudaeorum manifestare voluit: docebant enim tam abominanda esse idola, ut ea aspicere aut tangere non liceret, sed ea aspicere et tangere non verebantur, quando eorum templa exspoliabant. Huius criminis autem reos aut saltem suspectos passim fuisse Iudaeos illius temporis ex *Act.* 19,34-37 et ex *Fl. Ios.* Antiq. IV. 8,10 colligitur. Cum *A^tro* et *Pel.* tamen multi iuniores ac moderni propriam sacrilegii definitionem retinere malunt; unde illud Iudaeorum crimen hic notatum inveniunt, quo aut iis abutantur, quae ad divinum cultum pertineant (*Thom.*), aut quo tributa templo ierosolymitano debita non solvant vel dona templo illi destinata diripiant, aut demum quo Christum esse verum Messiam negent (*A^ter*) vel Deo non dent gloriam quae ei competat etc. Quae omnia ideo iam parum apte hic afferuntur, quia oppositionem inter subiectum et praedicatum, quae in prioribus membris adest, prorsus auferant; neque enim legitur : qui solum templum ierosolymitanum esse praedicas, sacrilegium committis, neque : qui soli vero Deo gloriam competere doces, sacrilegium facis etc.

Praecedentibus interrogationibus quasi respondens Apostolus tantum abesse nunc asserit, ut Iudaei velut Legis divinae factores iustificari possint, ut continuis suis transgressionibus legislatorem Deum contemtui ethnicorum exponentes criminis gravissimi sint rei : 23. *qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras* (ἀτιμάζεις ignominia afficis ac vilipendis). Multi interrogationes continuari censent, ita ut *v.* 23. sit parallelus *vv.* 21.22 arcteque cum eis connectendus; at diversa est constructio (subiectum enim non iam participio sed sententia relativa exprimitur : ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι) atque huic sententiae

confirmatio quaedam (*v*. 24) additur; quare rectius assertive eam legimus, ut diserta sit exprobratio clariusque appareat, quam gravis sit Iudeorum culpa. Lex divinitus data Iudaeis non tantum summo beneficio erat, quum in ea certum haberent ducem, cui confidere possent, sed etiam summo honori, id quod ipsi *in ea gloriantes* agnoscebant; verum pro duro et ingrato suo animo beneficio illo ipso, quod honori sibi esse sciebant, abutebantur, ut benefactorem suum ignominia afficerent. Omne quidem peccatum, quod deliberata legis perfecte cognitae transgressione committitur, est contemtus uti legis ita etiam legislatoris; qui contemtus eo gravior erat in Iudaeis, quo magis Legem suam celebrabant. Publice quippe eam transgredientes sese legislatorem suum vilipendere ostendebant ethnicosque alliciebant, ut eadem ratione eum contemnerent : « sicut enim legis observantia in bonis operibus est occasio videntibus, ut honorent Deum, ita etiam transgressio legis per mala opera eis est occasio blasphemandi ». (*Thom.*)

De hoc autem scandalo sese loqui Paulus docet addens : 24. *nomen enim Dei per vos* (lege : *propter vos* δι' ὑμᾶς) *blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.* Quod dictum ex *Ezech.* 36,20 (« polluerunt nomen sanctum meum quum diceretur de eis : populus Domini iste est et de terra eius egressi sunt ») allegari cum *Pel.* pauci parum recte arbitrantur, quia verba plane differunt; cum *Chrys.* autem et *A*[tro] plerique iure tenent, illud ex *Is.* 52,5 desumtum esse, ubi iuxta LXX legitur : δι' ὑμᾶς διὰ παντὸς τὸ ὄνομα βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσιν (*Vulg.* cum *Mass.* consentiens verbis δι' ὑμᾶς *propter vos* et ἐν τοῖς ἔθνεσιν *in gentibus* omissis : « et iugiter tota die nomen meum blasphematur »). Attende porro, eo in loco (uti etiam apud *Ezech.*) Deum dici blasphemari inter gentes propter Iudaeos, quia ethnici populum Israel subiugare et in captivitatem abducere potuerint, ita ut Iahve, Deus Israel, a diis Assyriorum et Babyloniorum videatur esse devictus. Quare dicendum est, Paulum ista verba non allegasse, quasi in iis vaticinium blasphemiarum, de quibus ipse loquitur, deprehendisset, sed eum prophetae dictum suo argumento accommodasse (cfr *Comment.* in 2 Cor. p. 228; *Introd. gener.* p. 546; *Comp. Introd.* p. 135). Ceterum verum est, peccata Iudaeorum indirectam saltem causam blasphemiarum fuisse, quas propheta commemorat, quia ob continuam Legis praevaricationem filii Israel a Deo in hostium manus traditi sunt.

2.) — ***Praerogativae Iudaeorum eos ab ira divina tueri nequeunt*** (2,25-3,8).

a.) Circumcisio enim sine legis observatione inutilis est (2,25-29).

2,25. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes : si autem praevaricator*

2,25. Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ, ἐὰν νόμον πράσσῃς· ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς,

legis sis, circumcisio tua praeputium facta est. 26. Si igitur praeputium iustitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur? 27. Et iudicabit id, quod ex natura est praeputium, legem consummans, te, qui per literam et circumcisionem praevaricator legis es? 28. Non enim qui in manifesto, Iudaeus est: neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio: 29. sed qui in abscondito, Iudaeus est: et circumcisio cordis, in spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν. 26. ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, οὐχ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται; 27. καὶ κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία τὸν νόμον τελοῦσα σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου. 28. οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστιν, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ ἐν σαρκὶ περιτομή, 29. ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι οὐ γράμματι, οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ [1].

Iudaeos iustum Dei iudicium non esse effugituros sibique ob Legis divinae cognitionem, quum illius factores non essent, securitatem impunitatemque incassum frustraque promittere, B. Paulus ita in superiore pericope (1-24) demonstravit, ut eos ob perfectiorem Legis cognitionem, qua gloriabantur, maiori culpae, quam ethnicos, obnoxios esse insinuaret. At aliud eis reliquum erat effugium; praerogativas enim suas, ac praesertim circumcisionem, praetendere poterant, qua populi electi, cui datae erant promissiones, membra effecti certum ius ad salutem messianam sibi vindicabant. Revera tantum tribuerunt circumcisioni, ut eorum rabbini nullum circumcisum in gehennam descensurum esse docerent, quin etiam Iudaeorum a fide sua apostatarum, priusquam in gehennam mitterentur, praeputia per angelum adductum iri dicerent (cfr *Schoettgen* Horae hebr. i. h. l., *Eisenmenger* Entdecktes Iudenthum II. p. 339 sqq.). Hanc igitur superstitionem Apostolus, ut thesin suam de absoluta fidei evangelicae ad salutem necessitate contra Iudaeos stabiliret, destruere debuit. Quem in finem circumcisionem sine Legis observatione inutilem esse monens (*v.* 25), Legis observationem incircumcisis in circumcisionem reputatum iri (26. 27) docet, quandoquidem Deus non carnis sed cordis circumcisionem requirat (28. 29).

Quis novae huius sectionis cum praecedente sit nexus, in Vulgata nostra non indicatur; verum primigenius textus (cfr *VV. LL.*) causali particula γάρ inserta eam superioris esse confirmationem innuit. Confirmat autem Iudaeos propter peccata sua sub ira esse Dei atque ac-

1. *VV. LL.* — 25. περιτομὴ μὲν γάρ ὠφέλει (*nam* circumcisio quidem prodest) est communis lectio omnium fere codd. graec., quibuscum *Syr. Copt.* consentiunt; unus tantum alterve minusc. graec. cum *It.* (*A*[ter] *S. Aug.* ad Asell. ep. 186 *n.* 9, de spir. et lit. 8,13; *Orig.* interpr.) *Vulg. Arm. Aeth.* particulam γάρ omittunt: περιτομὴ μὲν ὠφέλει (*circumcisio quidem prodest*) cfr *Comment.*

terno interitui obnoxios; *nam*, inquit, 25. *circumcisio quidem*, qua te iram divinam avertere posse forsitan confidas, *prodest, si legem observes; si autem praevaricator* (seu *transgressor* cfr *Iac.* 2,9.11 παραβάτης) *legis sis, circumcisio tua praeputium facta est.* Loquitur autem Apostolus, uti patet, de veteris oeconomiae circumcisione, quam Deus Abrahamo iam praeceperat velut signum foederis promissionum, quod cum eo eiusque posteris pepigit (*Gen.* 17,9 sqq.), quae vero cessare debuit, quamprimum in novo foedere promissiones divinae impletae sunt. Quare Paulus contra Iudaeochristianos, qui eam etiam in fidei gratiaeque foedere necessariam praedicabant, eam nihil valere, immo nocere asserens (cfr ad *Gal.* 5,2 et 1 *Cor.* 7,19) sibi non contradicit, quando eam *prodesse* hic docet, si cum Legis observatione sit coniuncta. Circumcisio quippe constituit hominem membrum populi a Deo electi eumque participem fecit benedictionum promissionumque veteris foederis, sed simul eum ad conditiones foederi appositas implendas, i. e. ad Legis universae observationem, quippe a qua omnes dependerent promissiones, adstrinxit (*Lev.* 18,5; *Deut.* 27,26; cfr *Gal.* 5,3). Iuxta suam ergo institutionem circumcisio in nuda praeputii ablatione non erat sita, sed praeputii, utpote rei immundae, ablatio signum ac symbolum erat internae animi mundationis per Legis observationem seu, uti sacri Vet. Test. scriptores iam loquuntur, *circumcisionis cordis* (*Deut.* 10,6; 30,6; *Ier.* 4,4; cfr *Lev.* 26,41 etc.). Sua autem circumcisione homo, ut promissionum divinarum particeps fieret, Deo fidem obedientiamque spondebat, quare haud immerito *Thom.* eam appellat « professionem quandam obligantem ad observationem Legis ». Iam vero hanc circumcisionem, in qua signum cum suo significato erat coniunctum, Paulus prodesse dicit singulas eius utilitates postea expositurus (3,1.2; 9,4.5); sin vero circumcisio cordis desit et continua Legis transgressione animus polluatur, ablationem praeputii nihil amplius significare innuens circumcisionem iam naturam praeputii induisse addit. Circumcisos filios Israel, si incircumcisi sint corde, in eadem fore damnatione eandemque poenam subituros esse, atque gentes praeputiatas, propheta quoque iam docuerat (*Ierem.* 9,25.26 cfr *Knabenb.* Comm. in Ierem. p. 146 sq.).

Quoniam porro circumcisio totam suam vim et utilitatem ex Legis observatione habet, et Legis observatio ratio est obtinendae salutis, Apostolus nunc a contrario concludit: 26. *si igitur praeputium iustitias* (τὰ δικαιώματα i. q. praecepta) *legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur* (εἰς περιτομὴν λογισθήσεται)? In priore membro *praeputium* (ἡ ἀκροβυστία) per metonymiam pro concreto, uti saepius (3,30; 4,9; *Gal.* 2,7 etc.) adhibetur, ut sit idem quod *praepu-*

tiatus, quare in altero membro pronomen αὐτοῦ (*illius*) ponitur ac si scriptum sit ὁ ἀκρόβυστος. Fieri autem posse supponit Paulus, ut praeputiatus (utique gratia divina adiutus, cfr ad *v.* 14) totam Legem (τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου) observet (haec enim est vis particulae ἐάν cum coniunct., ut rem quidem vere futuram esse non asserat, sed eam fieri posse concedat); quodsi hoc revera fiet, tunc praeputiatus re et veritate id habet, quod ablatio praeputii in Iudaeo significat ideoque etiam a iusto iudice reputabitur velut circumcisus. Praeputium eius non obstabit, quominus vitam aeternam obtineat, et quum corde circumcisus sit, licet non carne, iis adnumerabitur, quibus promissiones factae sunt. De Ethnicochristianis hic non agi, quamvis multi id arbitrentur, contexta oratio satis docet; unde recte *Thom.* sermonem esse ait de « gentili incircumciso, qui iustitias Legis, i. e. iusta Legis praecepta, custodiens habiturus sit fructum verae circumcisionis », atque *Tol.* bene hinc confirmari asserit, « omni operanti bonum, i. e. servanti Legem, fore gloriam honorem et pacem, Iudaeo primum et Graeco, circumciso et incircumciso » (*v.* 10). Quibus praeierat *Chrys.* monens : « gentilem iterum dicit eum, qui idololatra quidem sit, sed pius ac virtute praeditus, a legalibus autem observationibus liber ».

Priorem suam conclusionem Apostolus per interrogationem proposuit; affirmativo autem responso, quod exspectat et ipsi Iudaei dare debent, alteram nunc addit conclusionem, qua poenam circumcisorum Legis transgressorum annuntiat : 27. *et iudicabit id, quod ex natura est praeputium, legem consummans, te qui per literam et circumcisionem praevaricator legis es.* Cum hodierna *Vulg.* multi moderni quoque interpretes praecedentem interrogationem quasi continuari censentes particulam interrogativam οὐχί (*nonne*) ante κρινεῖ (*iudicabit*) supplent; qua constructione sententiae sensus quidem non mutatur, sed pondus ac gravitas minuitur. Cum Graecis ergo aliisque multis, iunioribus et modernis, assertivam formam praeferimus atque particulae καί (*et*), qua responsum affirmativum continuatur, vim intendendi et augendi tribuimus (cfr *Beel.*) : Utique praeputium illius in circumcisionem reputabitur, immo praeputium te circumcisum iudicabit. Singularem quoque vim verbum κρινεῖ (*iudicabit*) loco suo in principio sententiae obtinet, siquidem legem talionis innuit, iuxta quam Iudaeorum non minus quam ethnicorum (cfr ad 1,24. 28) poena peccatis respondebit : non obstantibus suis Legis transgressionibus iudicabant Iudaei ethnicos, ideo ipsi ab ethnicis iudicabuntur. Nulla autem est ratio, cur verbum *iudicandi* hic nativo suo sensu privetur, id quod a multis fit, qui locum hunc de comparationis iudicio interpretantur, quatenus iudaici Legis transgressores, si cum ethnicis Legis factoribus comparen-

tur, poenis digni ostendantur (cfr *Matth.* 12,41); quin etiam toto contextu haec interpretatio excluditur. Toto enim in hoc capite Apostolus de ultimo iudicio loquitur (*vv.* 2,5 sqq. 12. 13. 16. 26.), in quo iuxta eius doctrinam omnes sancti cum Christo et in Christo capite suo mundum vere ac proprie iudicabunt impiosque condemnabunt (cfr *Comment.* in 1 *Cor.* p. 137 sqq.). Praeterea sine ullo dubio Apostolus ad iudicium respicit, quod Iudaei ob meliorem suam Legis cognitionem de ethnicis sibi arrogabant; atqui illud non erat comparationis iudicium, sed verum ac proprium iudicium sibi attribuebant. Itaque ut Iudaeorum superbiam confundat, Apostolus eis poenam annuntiat, qua ignominiosiorem vix sibi fingere potuerunt : ab iis ipsis, quos hodie ob Legis scriptae defectum velut caecos et insipientes et infantes despiciunt (*v.* 20) et ob praeputium velut impuros peccatores respuunt et condemnant, in futuro iudicio iudicabuntur et condemnabuntur.

Quam ignominiam non parum auget descriptione ethnici iudicis una ex parte et altera ex parte commemoratione beneficiorum Iudaeis collatorum. Ethnicum enim, quum vocatur ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία (*id quod ex natura est praeputium* i. e. qui natalibus, vi nativitatis suae ex parentibus ethnicis, est praeputiatus), tacite opponit ei qui *natura* quidem *Iudaeus* est (φύσει Ἰουδαῖος cfr *Gal.* 2,15) sed cuius circumcisio propter Legis transgressionem *praeputium facta est* (*v.* 25). Duo quippe, uti *Chrys.* ait, distinguit praeputia, unum quod quia ex natura est culpa caret, alterum quod ex voluntate et peccato ortum suum trahens culpabile est. Male cum *Syro* nonnuli acath. (*Koppe Olsh.*) vocabula ἐκ φύσεως, quae inter articulum et suum substantivum sunt posita, cum sequentibus τὸν νόμον τελοῦσα connectunt, ut sensus exoriatur : *praeputium quod ex natura* (i. q. *naturaliter* cfr *v.* 14) *legem consummat;* haec enim explicatio scriptum esse supponit : ἡ ἀκροβυστία (ἡ) ἐκ φύσεως τὸν νόμον τελοῦσα. Participium autem τὸν νόμον τελοῦσα hypothesin exprimit, qua impleta homo iudex esse potest : « homo natalibus suis praeputiatus, *si Legem* (sc. universam τὸν νόμον) *consummet,* i. e. perfecte impleat, iudicabit ». Altera deinde ex parte Paulus Iudaeum qui iudicabitur appellat τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου (*per literam et circumcisionem praevaricatorem legis*). Quemadmodum ergo in ethnico Legis factore illud commemoratur, quo a Legis observatione averti ac retineri videtur, ita in iudaico Legis transgressore illa praedicantur, quibus ad fidelem Legis observationem incitari debuit : accuratior sc. cognitio Legis, quam scriptam acceperat (γράμμα *litera* i. q. νόμος γεγραμμένος lex scripta), ac strictior obligatio, quam *circumcisio* ei imposuit. Praepositio διά cum genet. autem hic, uti saepe, statum indicat, in quo aliquis collocatus agit (4,11 etc. cfr ad 2 *Cor.* 3,11; 2,4;

5,7 etc.) : Iudaeus in statu Legis et circumcisionis degens, his divinis beneficiis non obstantibus, Legis praevaricator est. *Litera* (γράμμα), quum hoc in loco non, uti alibi (*v.* 29; 7,6; 2 *Cor.* 3,6. 7), spiritui opponatur, solum divinum illud beneficium in memoriam revocat, quod Iudaei ex Lege scripta cum certitudine divinam voluntatem cognoscant (cfr ad *v.* 17), sed non connotat, uti in aliis illis locis, Legem praeceptis suis dumtaxat viam monstrare, vires vero ad eam ambulandam non praestare. Quapropter etiam praepositioni διά c. genet. significationem instrumentalem attribuere non licet, ac si Apostolus dicere voluerit, Iudaeos *per Legem*, utpote per occasionem incitantem, quum eis peccati cognitionem daret, factos esse transgressores Legis (*Lap. Est*[2].); ut enim taceamus, hanc explicationem nullo modo ad alterum membrum (*per circumcisionem*) quadrare, clarum est, illa admissa culpam Iudaeorum potius minui quam augeri ac proin totam sententiam sua vi et gravitate privari.

Simili demum modo, quo supra (*v.* 11), Paulus generali consideratione doctrinam suam confirmat: mirari Iudaeis non licet, quod praeputiatus Legis factor iudex futurus sit in ultimo iudicio et condemnaturus circumcisum Legis transgressorem, quia Deus, apud quem non est acceptio personarum, ad externam rei apparentiam non attendit, sed internam rei veritatem solam respicit et approbat. 28. *Non enim qui in manifesto, Iudaeus est, neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio;* 29. *sed qui in abscondito Iudaeus est, et circumcisio cordis, in spiritu non litera; cuius laus non ex hominibus sed ex Deo est.* Aliquantulum obscurius, quia brevius, Apostolus loquitur, quum in duobus prioribus membris subiecta ex praedicatis complenda, in tertio et quarto praedicata ex subiectis supplenda relinquat. Completa ergo sententia haec fere est : *Non enim* Iudaeus, *qui in manifesto est* (i. e. qui nomine, circumcisione aliisque rebus externis Iudaeus esse apparet), *Iudaeus est* verus, *neque* circumcisio, *quae in manifesto* (i. e.) *in carne* apparet, *est circumcisio* vera; *sed qui in abscondito* (i. e. per cordis circumcisionem) *Iudaeus est,* is est verus Iudaeus, *et circumcisio cordis* (quae fit) *in spiritu* non *in litera* (i. e. quae fit per Spiritum gratia sua adiuvantem et sanantem, non iuxta nudam literam Legis, quae solam externam carnis circumcisionem diserte praecipit), vera est circumcisio; *cuius* (sc. veri Iudaei, qui esse potest sine externis Iudaismi signis) *laus non ex hominibus* (qui internum hominis statum ignorant) *sed ex Deo est,* qui iudicabit occulta hominum per Iesum Christum (*v.* 16). Sensus vero sententiae clarus est : Vera Iudaismi ratio in externis ritibus caerimoniisque non est sita, sed in interno statu, quem ritus illi ac caerimoniae significant. Quapropter a

Deo cordium scrutatore is solus tamquam membrum populi electi, cui datae sunt promissiones, agnoscitur, in quo interna illa adesse videt, etsi forte externa signa desint; contra vero ii, in quibus nuda signa externa sunt, ab eo pro veris Iudaeis haberi nequeunt. « Neque enim, inquit *Thom.*, verum signum est, nisi ei respondeat signatum ».

Verba *circumcisio cordis in spiritu non litera* cum *S. Aug.* (de spir. et lit. 8,13) explicavimus, quem plerique iuniores sequuntur nomine *spiritus* intelligentes S. Spiritum, « qui vitia rescindit » (*Syr.*), « per quem superfluae cogitationes a corde reciduntur » (*Thom.* cfr *Iust. Est. Lap.* etc., *M Ev. Ag. Dr.* etc. — *Mey. Phil. Weiss God.* etc.); eandem explicationem ex Graecis *Chrys. Oec. Theoph.* saltem innuunt; *Euth.* diserte proponit. Alteram explicationem *S. Aug.* (expos.) affert, « ut secundum spiritum, non secundum quod habet litera, lex intelligatur; quod utique contigit illis qui circumcisionem magis carnaliter quam spiritualiter acceperunt ». Verum nec verbis neque contextui satis respondet; unde a multis quidem iunioribus commemoratur, a paucis (*Herv. Cai.*) autem etiam approbatur. Tertia est expositio, quae *spiritum* hic *carni* opponi atque nomen *cordis* accuratius definire supponens spiritum intelligit humanum (*Tol.* etc., *Mai.* etc. — *Beza Ros.* etc.); at plane superflua esset haec appositio, quia quid circumcisio cordis esset, Iudaeis ex Veteris Test. doctrina satis erat cognitum (*Deut.* 10,16; 30,6; *Ierem.* 4,4); praeterea oppositio non tam est inter *carnem* et *spiritum*, quam inter *spiritum* et *literam* (cfr ad 2 *Cor.* 3,6).

b.) Promissionibus suis in vigore manentibus **Deus Iudaeis peccantibus iram inferre potest (3,1-8).**

3,1. *Quid ergo amplius Iudaeo est? aut quae utilitas circumcisionis?* 2. *Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* 3. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit.* 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas quum iudicaris.* 5. *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* 6. *(Secundum hominem dico). Absit: alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tamquam peccator iudi-*

3,1. Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς; 2. πόλυ κατὰ πάντα τρόπον. πρῶτον μὲν ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. 3. τί γάρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει; μὴ γένοιτο· 4. γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθής, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης, καθάπερ γέγραπται· Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. 5. εἰ δὲ ἡ ἀδικιά ἡμῶν Θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησιν, τί ἐροῦμεν; μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; κατὰ ἄνθρωπον λέγω. 6. μὴ γένοιτο· ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον; 7. εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι ἐπερίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρ-

cor? 8. Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona : quorum damnatio iusta est.

τωλὸς κρίνομαι; 8. • καὶ μὴ καθὼς βλασφημούμεθα, καθώς φασίν τινες ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακά, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; ὧν τὸ κρῖμα ἔνδικόν ἐστιν [1].

Quae Apostolus de circumcisione disputavit (2,25-29), omnia eo spectabant, ut vanam fiduciam destrueret, qua carnales Iudaei ob merum externum signum se iudicium effugituros esse sperabant; circumcisionis vero, prout a Deo erat instituta, utilitatem accuratius quidem non exposuerat, diserte tamen agnoverat. Verum quia simul docuerat, circumcisos et praeputiatos, qui malum operati essent, easdem luituros esse poenas et eandem, si bonum operati essent, mercedem esse obtenturos (2,9. 10), immo addiderat, cordis circumcisionem in ethnicis supplere posse carnis circumcisionem atque ethnicos Legis factores fore iudices Iudaeorum Legis trangressorum, facile aliquis colligere potuit, iuxta eius doctrinam distinctionem omnem Iudaeorum et ethnicorum plane destrui neque Iudaeos, quamvis populum a Deo electum constituerent, ullo modo ethnicis praestare. Iam vero hanc obiectionem, quam praevidit, B. Paulus pro transitu adhibet, ut ad alterius effugii, quod Iudaei in suis praerogativis forsitan invenire velint, refutationem veniat. Obiectioni enim respondens Iudaeos ethnicis omnem in modum praestare agnoscit, ac velut praecipuum eorum ornamentum affert, quod promissiones divinae eis sint concreditae (1. 2), quum tantum absit, ut praesens Iudaeorum infidelitas fidelitatem, qua Deus stat suis promissis, tollat, ut eam splendidius manifestatura sit (3. 4). Fusius hanc quaestionem hic non tractat postea accuratius eam explicaturus (cfr 9,6 sqq.); attamen a pari concludi non posse addit, Deum peccata

1. *VV. LL.* — 2. πρῶτον μὲν ὅτι (*primum quidem quia* vel quod) B D E G, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*, sed *textus rec.* : πρῶτον μὲν γὰρ ὅτι (*nam* primum quidem quia vel quod) cum ℵ A L, plerisque minusc. et PP., *Syr.* (codd.). Particula causalis ob testium, qui eam omittunt, praevalentem auctoritatem rectius praetermittitur. — 4. γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθής (*fiat* autem Deus verax) est communis lectio codd. graec.; solus G : ἔστω... (*sit*...). Imperativum etiam versiones antiquae omnes exhibent eumque ex latinis PP. tuentur *S. Hier.* (in Tit. 1,3), *Rufin.* (Orig. interpr. i. h. l.) *S. Ambr.* (de grat. III. 5,39) : *fiat autem Deus verax*; alibi tamen *S. Ambr.* (in Luc. VI. *n.* 3) legit : *sit autem Deus verax*. cfr *Comment.* — πᾶς δὲ ἄνθρωπος (*omnis autem homo*) est lectio communis et certa; pauci tantum codd. pro δὲ exhibent γάρ (*enim*) aut οὖν (igitur). — 7. εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια (*si enim veritas*) B D E G K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr.*; sed : εἰ δὲ ἡ ἀλήθεια (si *autem* veritas) ℵ A, pauci minusc., *Copt.* Hanc alteram lectionem *Tisch.* et *W H* in textum receperunt; verum haud recte (cfr *Comment.*). — 8. καθώς φασίν τινες (sicut aiunt aliqui) coniunctione καί (*et*) non praemissa B K et pauci minusc.; cum reliquis tamen omnibus codd. et verss. coniunctio omnino est retinenda.

Iudaeorum, quia divinae gloriae manifestandae inserviant, non esse puniturum (*v.* 5); nam si haec conclusio esset legitima, Deus potestate iudicandi ac puniendi plane privaretur, quandoquidem omnes peccatores eandem excusationem, suis peccatis clarius manifestatam esse Dei gloriam, praetendere possint (6. 7); quin etiam sequeretur, iuxta abominandam doctrinam, quam aliqui adversarii ab ipso proponi calumnientur, facienda esse mala ut eveniant bona (*v.* 8.).

Quoniam Apostolus contra iudaizantes pseudapostolos semper magna cum vi defendit, Ethnicochristianos fratribus suis, qui ex circumcisione crediderant, omni ex parte pares aequalesque esse, quia nimirum in Christo Iesu neque circumcisio quidquam valeat neque praeputium (*Gal.* 5,6; 6,15 etc.), mirum non est, quod timuerit, ne superiora sua verba ab adversariis malum in sensum detorquerentur, ac si circumcisionem etiam in vetere oeconomia nihil valuisse significarent. Quare sibi ipse hanc sententiam velut sequelam quandam doctrinae suae obiicere maluit, ut eam, praerogativis Iudaeorum diserte agnitis, immerito sibi affingi doceret: 1. *quid ergo* (si nimirum cordis circumcisione circumcisio carnis in ethnicis suppletur ac sola cordis circumcisio in divino iudicio approbabitur) *amplius Iudaeo est aut quae utilitas circumcisionis?* Prius membrum ex graeco (τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου;) aptius vertitur: *quae igitur praestantia Iudaeo est?* τὸ περισσόν autem (i. q. ἡ περισσεία *hebr.* יִתְרוֹן *Eccle.* 2,13 etc. aut יוֹתֵר *Eccle.* 6,8 etc.) articulo suo innuit, de praestantia agi, quam omnes in Iudaeo, quia ad populum a Deo electum pertineat, agnoscere debent. Nonnulli duas diversas interrogationes proponi putant, ad quarum priorem Apostolus hoc in loco, ad alteram autem inde a 4,1 vel 4,11 respondeat (*Thom. Est. Bisp. Dr.* etc.); de *iudaicae* autem circumcisionis utilitate infra (4,11 sqq.) Paulus non agit, ac particula ἤ (*aut*) eandem interrogationem aliis verbis repeti et praecedenti disputationi arctius adnecti insinuat. Nam si Iudaeo praestantia quaedam competit, sua sponte illucescit utilitas circumcisionis, qua homo populo electo tamquam membrum sese associans praestantiae illius particeps fiebat. Prior igitur interrogatio praecipua est, quapropter huic quoque structura responsi adaptatur: 2. *multum* (πολὺ sc. τὸ περισσόν, multa s. magna est praestantia illa) *per omnem modum* (κατὰ πάντα τρόπον), omni ex parte, qua populus aliquis alteri praestare potest. Ultima dictione nonnulli moderni acath. (cfr *God.*) latissimo sensu omnes vitae conditiones (« toutes les relations de la vie ») designari haud satis recte dicunt; de sola enim relatione ad salutem sermo est, ita ut latissimus sensus contextu excludatur: totius *religiosae* vitae ratione Iudaeus ethnico multum praestat, licet in

aliis forte rebus, quae ad salutem nihil conferunt, ab eo superetur. Quod responsum accuratius definitur : *primum quidem* (πρῶτον μέν) *quia credita sunt illis eloquia Dei* (τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ). Quae hoc in loco sit vis vocabuli πρῶτον (*primum*), in controversia est. Erroneam esse *Orig.* et *Sed.* sententiam, qui temporis ordinem indicatum censentes Iudaeos tempore prius quam ethnicos eloquia divina accepisse monent, sola iam verborum collocatio sufficienter docet. Moderni fere omnes vocabulum ad enumerationis ordinem referunt supponuntque, Apostolum varia Iudaeorum ornamenta (cfr 9,4. 5) enumerare voluisse, longiore tamen obiectionis cuiusdam quae se ei offerebat (*v.* 3 sqq.) refutatione impeditum esse, ne enumerationem continuaret, ideoque ad aliud argumentum priore relicto transiisse (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp. Dr. Sch.* etc. — *Mey. Weiss.* etc). Quae explicatio, quum verbis congruat, mihi quoque olim placuit; sed ne sine sufficiente ratione perturbatum scribendi (et cogitandi) genus Apostolo affingatur, vocabulo πρῶτον hic dignitatis ordinem significari cum plerisque antiquis nunc admittere malo. In eo utique antiquiores multi et iuniores a vero aberrarunt, quod πρῶτον pro adverbio haberent (i. q. *imprimis, praecipue*) ad particulam μὲν non attendentes (cfr 1,8 et ad 1 *Cor.* 11,18). Ab aliis autem πρῶτον recte pro adiectivo sumitur (i. q. *primarium, praecipuum*), quod ad praecedens τὸ περισσὸν refertur (πρῶτον μὲν τὸ περισσόν ἐστιν τοῦτο ὅτι... primaria quidem praestantia est haec, quod...). Μέν ergo hic ad augendam adiectivi notionem inservit, quatenus tacita quadam oppositione innuit, reliqua ornamenta, utpote minoris momenti, praetermitti; interdum enim μέν solitarium sententiam quandam oppositam cogitando suppleri iubet[1]. Altera quaedam controversia est de accuratiore sensu locutionis τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, quam plerique Graeci (*Chrys. Theod. Eus. Sever. Theoph. Oec*[1]. *Euth.*) cum nonnullis Latinis (*A*ter *Haym. Abael.* etc.) de sola Lege divinitus per Moysen data intelligunt. Attamen τὸ λόγιον, quo vocabulo profani scriptores oracula deorum potissimum designant, ab Alexandrinis ad hebr. אֹמֶר (vel) אִמְרָה vertendum adhibetur, ubi de divinis verbis sermo est sive sensu generali (אִמְרוֹת יְהוָה τὰ λόγια Κυρίου *Ps.* 11 [12], 7 etc.) sive sensu speciali de vaticiniis ac promissionibus (אִמְרֵי אֵל λόγια ἰσχυροῦ *Num.* 24,3 etc.). Uni-

1. Hanc constructionem *Theod.* sua paraphrasi iam innuit; *Eus.* et *Sever.* autem (in *Caten.* PP. gr.) diserte monent : τὸ μὲν πρῶτον οὐχ ἵνα δεύτερόν τι εἴπῃ καὶ τρίτον ἀλλ' ὅτι τοῦτο πρῶτον πάντων ἐστὶν καλῶν περιεκτικόν. Ex Latinis deinde *primum* pro adiectivo sumere videntur *A*ter (« maximae laudis eorum est, quod... », *Herv.* (« *ut alia praetermittam minora de temporalibus, hoc primum* et praecipuum pono »), *Abael.* (« hoc primum i. e. maximum illis fuit inter dona Dei ») *Iust. Ag.* etc. — Pro adverbio (i.q. *praecipue*) illud sumunt *Lomb. Thom. H Car* etc., *Tol. Est. Lap.* etc.

versaliore hoc sensu vox etiam in reliquis Novi Test. locis usurpatur (*Act.* 7,38; *Hebr.* 5,12; 1 *Petr.* 4,11) eodemque hic sumi potest, ut tota revelatio divina Iudaeis concredita esse dicatur (*Herv. Lomb Thom.* etc.). Nihilominus ad sequentia (*v.* 3 sqq.) attendentes illam cum *Phot.* (cfr *Oec*[2].) et *Pel.* iuniores ac moderni tantum non omnes de promissionibus messianicis divino eloquio contentis recte interpretantur. Nam αἱ ἐπαγγελίαι, promissiones de Messia venturo eiusque regno, quae infra (9,4) quoque inter populi iudaici ornamenta enumerantur, iure vocantur primaria Israelis praerogativa, quandoquidem iis potissimum innitebatur primum illud ius ad salutem messianicam, quod Iudaeis prae ethnicis competere Apostolus bis iam asseruit (1,16; 2,9. 10) et de quo fusius postea disseret (11,1 sqq.).

Verum promissionesne illae inter eorum ornamenta etiam nunc primum locum retinent, postquam maior eorum pars Messiam suum repulit et ab illius regno videbatur exclusa? Hanc obiectionem, quam sibi opponi posse vidit, Paulus ita praeoccupat, ut eam non tantum immerito afferri sed etiam suae confirmandae sententiae inservire demonstret : 3. *quid enim, si quidam (illorum)*[1] *non crediderunt* (ἠπίστησαν)? *numquid incredulitas* (ἡ ἀπιστία) *illorum fidem Dei* (τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ) *evacuabit? Absit.* Ad interpunctionem quod attinet, vix quidquam interest, utrum cum nonnullis duo priora vocabula (τί γάρ; *quid enim?*) signo interrogationis a reliquis separes ac membrum hypotheticum secundae interrogationi adnectas (*si quidam non crediderunt, numquid incredulitas* etc.), an cum aliis interpunctionem illam retineas, quam cum *Vulg. Clem.* etiam nonnulli graeci textus editores (*Lachm. Tisch.*) praetulerunt; sensus enim idem manet, aliquantulum tamen vividior est sermo, si voces τί γάρ solae quasi completam sententiam constituunt.

Quoniam secunda interrogatio constructione sua (sc. particula interrogante μή *num*) responsum negans postulat, quod etiam diserte additur (*Absit!*) nexus cum praecedentibus est manifestus : « Primariam populi iudaici praestantiam in promissionibus divinitus ei datis sitam esse, iure asserui; absurde *enim* obiicitur, eas aliquorum incredulitate valorem suum amittere ». Pronomen indefinitum τινές (*quidam*) autem cum aliqua litote ab Apostolo interdum adhibetur ad magnam, immo longe maiorem, partem populi designandam (cfr ad 1 *Cor.* 10, 7-10), atque simili modo hic sumatur oportet. De illa enim *incredulitate* (ἀπιστία) Paulus loquitur, qua universus fere populus cum suis sacerdotibus et senioribus Iesum tamquam Messiam vaticiniis propheta-

1. Genetivus *illorum*, quem graecus textus non exhibet, a primo latino interprete, ut videtur (cfr *Cypr.* *A*[ter] *Aug.* etc.), ad complendam sententiam iam est insertus, licet necessarius non sit.

rum promissum agnoscere noluit Evangelioque per Apostolos annuntiato fidem negavit (*non crediderunt* ἠπίστησαν); quare interrogat, num forte propter hanc incredulitatem Deus reliquas promissiones de benedictionibus messianicis *sit evacuaturus* (καταργήσει i. e. irritas redditurus, eas non implens), ita ut populus iudaicus hac praestantia nunc iam careat et quasi reiectus sit. De eadem obiectione in tota tertia sectione (9,1-11, 36) fuse disseret ac futuram Iudaeorum conversionem, quia dona ac vocatio Dei sint sine poenitentia, diligenter demonstrabit; hic autem brevissime eam dumtaxat attingit, quia ad argumentum praecipuum suum (*v.* 5 sqq.) pervenire vult.

Haud recte nonnulli verba de antiquorum Iudaeorum, qui ante Messiae adventum ad idololatriam defecerint, incredulitate interpretantur (cfr *Tolet.* etc.). Si illa enim intelligitur defectio, parum apte interrogatur, num propter illam Deus promissiones suas non sit impleturus; misso enim Messia praecipuas iam impleverat, reliquarum autem impletio non tam ab antiquorum quam a praesentium incredulitate dependebat. Longius a vero cum Graecis nonnulli moderni videntur aberrare, qui non de incredulitate, sed de inobedientia agi arbitrantur (ἀπιστεῖν i. q. non obedire, ἀπιστία contumacia, inobedientia) et *eloquia Dei* de sola Lege intelligentes explicant, continuis Legis transgressionibus antiquorum Iudaeorum non obstantibus Deum semper populo suam benignitatem exhibuisse ac tandem Messiam misisse. Cui interpretationi praeprimis obstat futurum καταργήσει (*evacuabit*), pro quo scriptus supponitur aor. κατήργησεν (*evacuavit*), quem nullus graecus codex exhibet[1]; deinde *fidem Dei* haud recte statuunt idem esse quod *benignitatem Dei* (cfr *Chrys. Euth.* etc.) aut *gloriam Dei* (cfr *Theod.* etc.), quum omnino intelligenda sit *fidelitas,* qua Deus promissionibus suis stat easque implet (cfr *Hebr.* 10,23; 2 *Tim.* 2,13; 1 *Cor.* 1,9 etc.[2]). Licet igitur vocabulis ἀπιστεῖν et ἀπιστία notio inobedientiae per se inesse possit, hic tamen significatio, quam *Vulg.* eis attribuit (ἀπιστεῖν *non credere* cfr *Act.* 28,24; *Luc.* 24,11; *Marc.* 16,11 etc.; ἀπιστία *incredulitas* cfr 4,20 *Matth.* 13,58 etc.), sola contextui congruit.

Obiectionem, quam nullius roboris esse interrogatione negante iam insinuavit, Apostolus cum detestatione quadam velut blasphemam ita

1. Antiquiores autem Latini multi (cfr *Haym. Abael. Herv. Thom.* etc.) legerunt perfectum *evacuavit* pro fut. *evacuabit; S. Aug.* semel habet *evacuabit* (c. adv. leg. II. 4) et semel *evacuavit* (c. Gaudent. I. 15,16); sed futurum recte tuetur *Vulg. Clem.* cum melioribus codd. (*Fuld. Amiat.* etc.); ceterum in latinis codd. saepissime *b* et *v* confunduntur.

2. Hoc solo in loco Novi Test. ἡ πίστις τοῦ Θεοῦ fidelitatem divinam significat, saepius autem πίστις hoc sensu in Vet. Test. de Deo praedicatur (*Os.* 2,20 [22], *Thren.* 3,23 etc.); de hominum fidelitate etiam in Novo Test. aliquoties πίστις adhibetur (*Tit.* 2,10; *Gal.* 5,22; *Matth.* 24,23).

reiicit, ut Iudaeorum incredulitate fidelitatem divinam potius commendari ostendat : 4. *absit! est* (cum *SS. Ambr. Hier.* etc. lege : *fiat*) *autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, quum iudicaris.* Errorem obiectum formula μὴ γένοιτο (i. q. חָלִילָה *absit*, ne fiat cfr ad *Gal.* 2,17) fortissime iam reprimit, repressionisque vim haud parum auget vehemente veritatis oppositae assertione[1] : « Deum propter Iudaeorum incredulitatem promissiones suas illis non esse impleturum, absit ut quis sibi persuadeat; contra vero omnino credatur Deus verax in omnibus suis dictis ac promissis, quantumcumque omnes homines sint (vel existimentur) mendaces ». Negationi μὴ γένοιτο (*ne fiat*), ut paronomasia habeatur, eiusdem verbi imperativus (γινέσθω) antithetice additur, qui hoc in loco, quum Deus in se mutari nequeat, logice uti aiunt intelligendus est (cfr *v.* 19. 26; 9,11 etc.) : Fiat in existimatione ac fide hominum, i. e. magis in dies agnoscatur et credatur Deus verax esse; vel etiam, si mavis : Fiat i. e. magis in dies appareat Deus verax continua promissionum impletione (φανερούσθω, δεικνύσθω *Theoph. Euth.* etc.). Alterum membrum (*omnis autem homo mendax*) quasi hypothetice adiectum esse plerique recte censent (cfr *Chrys.* etc., *Cai. Tolet.* etc., *Reith. Mai.* etc.), quo innuatur, tantum abesse, ut *aliquorum* incredulitas fidelitatem divinam sit evacuatura, ut ne *omnium* quidem perversitas eam evacuare possit. Veritas ac fidelitas semper erit ex parte Dei, ex sola parte hominum erit mendacium; « sicut ergo propter naturam hominis imperfectam non mutatur natura Dei perfectissima, ita nec propter hominis incredulitatem et mendacium Deus a sua veritate in dictis ac factis recedit sed immobilis manet » (*Tolet.*). Prius assertum (*Deus verax*) ex *Ps.* 85,15 vel *Exod.* 34,6 desumtum a nonnullis putatur, sed haud recte, quia verba parum consonant. Probabilior est aliorum sententia, Apostolum in altero (*omnis homo mendax*) ad *Ps.* 115,11 respexisse; neque tamen verba illa diserte allegavit, siquidem formula *sicut scriptum est* ad solum tertium assertum refertur : *ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas quum iudicaris*, quod accurate iuxta alexandrinam versionem, licet a massorethico textu aliquantulum dissentiat, ex *Ps.* 50 (51), 6 est transumtum.

Abruptae sententiae contextus ac nexus est hic : David a Nathan propheta admonitus crimina (adulterium cum Bethsabe et occisionem Uriae)

1. Latinus quoque textus hodiernus suo *est autem Deus verax*, quum verbum in principio sententiae habeat, vim quandam assertioni tribuit, sed multo minorem, quam imperativus *fiat*. Hanc ob causam iuniores quoque tantum non omnes (cfr *Salm. Tolet. Est. Iust.* etc.) imperativum praeferunt et hodiernum indicativum (*est*) mendo librariorum adscribunt ex perversa lectione imperativi (*esto*) exortum; cfr *VV. LL.*

detestatus eorum veniam a Deo enixe precatur (*vv.* 3. 4) eamque se obtenturum esse confidit, quia illorum gravitatem agnoscens de illis semper doleat (*v.* 5) et quia ad divinam iustitiam commendandam illa inservire videat (*v.* 6). Quam alteram rationem iuxta textum massorethicum ita declarat : « tibi soli peccavi et quod coram te malum est feci (i. e. confiteor me haec peccata commisisse; vel minus apte iuxta alios : in crimina illa me labi permisisti) *ut* (לְמַעַן eo consilio s. eum in finem ut) *iustus sis* (i. e. iustus agnoscaris) *in sermone tuo* (בְּדָבְרֶךָ i. q. ἐν τῷ λέγειν σε in loquendo), *purus sis* (i. e. purus agnoscaris) *in iudicio tuo* (בְּשָׁפְטֶךָ i. q. ἐν τῷ κρίνειν σε in iudicando). Sensus igitur massorethici textus videtur esse, Davidem aperte peccata sua confiteri, ut clarius appareat, iustam esse sententiam, quam Deus per prophetam suum contra ipsum pronuntiaverit, ac iustam esse poenam, quam per eundem ipsi annuntiaverit (cfr 2 *Reg.* 12,7 sqq.). A massorethico textu in eo Alexandrini maxime recedunt, quod ultimum vocabulum (בְּשָׁפְטֶךָ) non active reddant (ἐν τῷ κρίνειν σε) sed passive ἐν τῷ κρίνεσθαί σε (*quum iudicaris*), quia probabiliter pro infinitivo Kal (שְׁפֹט) legerunt infin. Niphal (הִשָּׁפֵט); hinc deinde factum esse videtur, ut verbum תִּזְכֶּה (purus sis) paraphrastice verterent νικήσῃς (*vincas*); qui enim, quando iudicatur, purus et innocens invenitur, causam suam vincere dicitur.

Differentia ergo duorum textuum non est magna, neque quidquam obstaret, quominus alexandrinum et latinum eodem sensu, quo massorethicum, explicaremus, si ad solum Psalmum attenderemus. Vix enim quidquam interest, utrum dicatur : « Deus in suo iudicio, quod agit, purus ac iustus esse invenitur » vel agnoscitur, an : « Deus vincit causam suam, quando homo sententias eius iudiciarias in dubitationem vocat sibique iudicium de eo arrogat ». Attamen haec explicatio, quamvis eam contextui Psalmi satis apte congruere non diffitear, quomodo paulino contextui adaptetur, equidem non video. Neque enim ad iustitiam, qua Deus homines iudicat peccatoresque punit, demonstrandam aut confirmandam Apostolus verba Psalmistae allegat, sed ad confirmandam fidelitatem, qua Deus, non obstante Iudaeorum incredulitate, promissiones eis factas sit impleturus. Arctior ergo illa interpretatio est, quae Psalmistae verba de sola iustitia Dei *iudicis* intelligit, atque altera est quaerenda, quae et Psalmi et nostri loci contextui congruat, nisi quis Paulum illa indebito modo allegasse impius censeat.

Iamvero *Chrys.* quidem aliique Graeci in illorum sensum hoc in loco accuratius non inquirunt, antiquiores autem et iuniores Latini multi (cfr *Prim. Haym. Abael. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Salm. Tolet. Est. Nat.* etc.), contextu diligentius considerato, recte monent, Davidem quoque facile sibi persuadere potuisse, promissiones divinas,

quas acceperat de regni domusque suae stabilitate ac de Messia ex suo semine exorituro, peccatis suis irritas esse redditas, Nathanum autem poenitenti annuntiasse, Deum una cum culpae reatu etiam illam punitionem, quae omnes promissiones retractasset (cfr *de Hummel.* in 2 *Reg.* 12,13), ei condonasse. Ad hanc igitur Davidis conditionem, quae conditioni Iudaeorum Messiam suum repudiantium similis fuit, attendentes verba Psalmi de iustitia latissimo sensu, i. e. de sanctitate essentiali infinitaque perfectione Dei, quae fidelitatem utique complectitur, intelligunt : « Confiteor me peccasse (vel etiam : peccare me permisisti), *ut iustificeris in sermonibus tuis,* i. e. ut iustus ac fidelis agnoscaris in omnibus tuis dictis et promissionibus, quandoquidem etiam mihi peccatori pacta tua serves, *et vincas quum iudicaris,* i. e. ab iis quoque, qui agendi rationem tuam suo iudicio subiicere audent, iustus ac fidelis declareris, quando te eis ipsis, a quibus tam graviter offensus es, promissiones tuas implere vident ». Dubium non est, quin haec explicatio, quae sola nostro loco est adaptata, etiam Psalmi contextui verbisque alexandrinae versionis apprime congruat; difficultatem tamen quandam creat textus massorethicus. Primum quidem eius membrum (ut iustus sis in loquendo) facile in hunc sensum trahitur, quia infinitivum בְּדָבְרֶךָ (ἐν τῷ λέγειν σε) de sententia in iudicio ferenda intelligere non cogimur; alterum vero (ut purus sis in iudicando) difficilius ei adaptatur. Quare dicendum videtur, lectionem massorethicam (בְּשָׁפְטֶךָ ἐν τῷ κρίνειν σε) esse erroneam et pro infinitivo Kal legendum esse infinitivum Niphal, nisi forte dicere malueris, literam ה, a qua infin. constr. Niph. incipit, a praepositione בְּ esse deglutitam solasque vocales esse mutandas; eiusmodi enim exempla aliqua reperiri statuit Massora (cfr *Gesenius* Hebr. Grammat. Ed. 25. ed. E. Kautzsch. 1889 p. 138).

Ut divinam fidelitatem incredulitate Iudaeorum evacuatum non iri (*v.* 3) ostenderet, S. Paulus ad Dei veracitatem appellavit, quae mendaci hominum natura non posset mutari (*v.* 4); licet enim fidelitas et veracitas haud plane idem sint, veracitas tamen fidelitatem quasi includit, quandoquidem omni ex parte verax non sit, nisi qui impletis quoque promissionibus suis efficit, ut facta verbis respondeant. Ad veracitatem porro divinam confirmandam Psalmistae verba assumsit, quibus essentialem Dei iustitiam ac sanctitatem, quae veracitatem quoque fidelitatemque includit, peccatis hominum clarius manifestari insinuatur. Ex generaliore autem hac sententia, ad quam argumentationem suam traduxit, nunc alteram desumit obiectionem, qua Iudaei, ut divinam iram a se avertant, in iudicio sese forsitan defendere conentur. Non obstante Iudaeorum incredulitate Deus implebit promissiones

eis datas, quin etiam eorum peccatum fidelitatem omnimodamque perfectionem Dei splendidius patefaciet : 5. *si autem iniquitas* (ἡ ἀδικία) *nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus* (ἄδικος) *est Deus qui infert iram? secundum hominem dico*. Quemadmodum de Deo loquens a specialiore ad generaliorem notionem (a fidelitate ad iustitiam), ita de Iudaeis loquens similiter ab incredulitate ad *iniquitatem* in genere (ἀδικία) testimonio Psalmistae allegato sermonem traduxit, quum David non incredulitatis sed aliorum criminum sese reum declaret. Uti enim nomine *iustitiae Dei* hic procul dubio intelligenda non est « iustitia qua Deus nos iustos facit », id quod cum *Iust*. unus alterve acath. (*v. Heug*. etc.) censet, neque satis apte sola intelligitur bonitas (*Chrys*. etc.) aut sola fidelitas divina (*Tolet*. etc.), ita nomine *iniquitatis* non sola intelligitur incredulitas, sed tota illa perversitas morum, qua Iudaeos iram divinam sibi attraxisse antea probavit (2,17 sqq.); ex persona Iudaeorum autem, qui iram Dei sese effugituros esse confidebant, interrogationem hanc proponi docet pronomen additum (iniquitas *nostra*). Licet vero *iniquitas* (ἀδικία) lato isto sensu sumatur oporteat, adiectivum *iniquus* (ἄδικος) strictiore sensu de iustitia vindicativa usurpatur; de Deo enim *qui infert iram* loquens se de Deo iudice loqui Apostolus satis clare manifestat, ita ut haec significationis mutatio in duabus sententiis, quamvis arcte cohaereant, nihil miri habeat.

Iudaeorum igitur quasi causam agens Apostolus sibi obiicit, Deum sine iniustitia peccata eorum punire non posse, quia haec divinis perfectionibus manifestandis inservierint ac proin gloriam Dei promoverint. Quid vero de hac obiectione sit sentiendum, primum iam interrogationis, qua eam proponit, constructione innuit, quippe quae negantem responsionem postulet. Clarius deinde illam robore carere insinuat, quum se eam *secundum hominem* proferre dicat, « i. e. secundum sensum humanum, ex persona hominis divina non capientis, cui facile, sicut experientia docet, huiusmodi quaestiones occurrunt » (*Est*. cfr *Iust*. etc., *Reith*. etc.). Uti aliis enim in locis, hic quoque hac locutione mere naturale ratiocinium designare videtur (cfr ad 1 *Cor*. 3,3; 9,8; *Gal*. 3,16); quod autem alii cum *S. Euch. Lugd*. (Instr. ad Salon. IV. 2. *M*. 50,803) coniiciunt, eum his verbis additis sese quodam modo excusasse, quod adiectivum *iniquus* cum nomine *Dei* connectens Deum iniuste agere *posse* supposuisset, id minus nobis probatur, quia ex aliena persona haec obiicit. Tertio demum in loco obiectionem cum indignatione reiicit et confutat : 6. *absit! alioquin* (si nimirum Deus Iudaeis peccatoribus, quorum peccatis gloria eius aucta est, sine iniustitia iram inferre non potest) *quomodo iudicabit Deus hunc mundum?*

Directo quidem argumento, si voluisset, eam reprobare potuisset respondens, id ex peccati natura aut ex peccantis voluntate non provenire, quod gloria divina promoveatur (sicut id provenit ex bono opere, quod ex sese et ex operantis voluntate perfectiones Dei in clariore luce ponit *Matth.* 5,16), sed id unice infinitae sapientiae ac virtuti deberi, qua Deus ipsis peccatis commissis velut occasione perfectionum suarum (fidelitatis, benignitatis, longanimitatis etc.) manifestandarum uti sciat ac velit (cfr *Salm. Est. Tol.* etc.). Verum ut superbos Iudaeos confundat, indirecto argumento absurditatem illius exceptionis, qua se tueri velint, eis ob oculos ponere mavult; si enim eorum exceptio quidquam valeret, divinum iudicium plane tolleretur, quum omnibus peccatoribus, uti statim (*v.* 7) addet, eodem cum iure, quo Iudaeis, excipere liceret, suis peccatis divinam gloriam esse auctam, sese ergo propter illa poenam non merere.

Nomen *mundi* (τοῦ κόσμου) interdum universitatem incolarum huius terrae (cfr 1 *Cor.* 1,27 etc.), interdum et quidem maxime, si pronomen demonstrativum praefixum habet, universitatem hominum perversorum gratiamque Christi respuentium designat (*hic mundus* οὗτος ὁ κόσμος cfr 1 *Cor.* 1,20 etc., sed etiam ὁ κόσμος cfr 1 *Cor.* 2,12 etc.); interdum demum contexta oratione significatio ita restringitur, ut soli ethnici omnes in oppositione ad Iudaeos sint intelligendi (cfr 11,12. 15). Omnes quidem hae significationes argumentationi Pauli per se congruunt; si prima sumitur, verbum κρινεῖ (*iudicabit*) proprium suum sensum retinet atque sensus est, Deum iudicium agere et singulis pro eorum operibus vitam aeternam aut poenam aeternam attribuere (2,6 sqq.) non posse, quia nulla aderunt opera, quae poenam mereantur, si iuxta obiectionem omnia opera, quibus gloria divina promovetur, impunita manere debeant. Ex contextu tamen de Deo inferente iram agitur (*v.* 5); quare verbum κρίνειν (*iudicare*) hic, uti in tota fere superiore pericope (cfr ad 2,1 sqq.), idem est quod κατακρίνειν (*condemnare*), ita ut nomen *mundi* aut secunda aut tertia significatione sumatur oporteat. Tertiam autem praeferimus, quia nostra argumentatio contra carnales Iudaeos dirigitur, qui sibi quidem, quia suis peccatis divina gloria esset aucta, veniam et impunitatem in futuro iudicio promittebant, ethnicos vero omnes velut exleges ac peccatores condemnatum iri dictitabant. Contextu igitur significatio nominis restringitur atque Apostolus ex eorum hypothesi argumentatur : « Contenditis Deum iudicaturum (i. e. condemnaturum) esse hunc mundum (i. e. ethnicos); atqui id fieri non potest, si vestra exceptio, quod vestris peccatis commendastis iustitiam Dei, ad vos liberandos sufficit ».

Quam argumenti Minorem confirmat personam quodam modo in-

duens ethnici cum Deo de sua condemnatione expostulantis : 7. *si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tamquam peccator iudicor?* i. e. « si meo mendacio factum est, ut veritas Dei clarius refulgeret atque melius cognita gloriam eius augeret, quo cum iure ipse ego (κἀγώ *gerade ich,* ac si solus in culpa sim) adhuc tamquam peccator condemnor, dum Iudaei, quia suis peccatis gloriam Dei auxerunt, ab omni poena absolvuntur? » Quemadmodum incredulitate Iudaeorum fidelitas Dei non evacuabitur sed clarius splendescet, ita ethnicorum *mendacio,* i. e. eorum idololatria, *veritas Dei,* i. e. veri Dei cognitio, non est sublata sed clarius refulsit; non minus igitur suo mendacio ethnici, quam Iudaei sua incredulitate, ad Dei gloriam promovendam contulerunt neque proinde condemnari possunt, si illi absolvuntur. Iamvero eadem ratione hic, qua 1,25 (*commutaverunt veritatem Dei,* i. e. veri Dei cognitionem, *cum mendacio,* i. e. idololatria) *mendacium* et *veritas Dei* inter se opponuntur, atque simili modo, quo cuncta Iudaeorum peccata nomine *incredulitatis,* ethnicorum peccata omnia nomine *mendacii* i. e. idololatriae comprehenduntur. Eo magis autem *veritas Dei in mendacio* (i. e. per mendacium) ethnicorum resplenduit, quo magis idololatria demonstravit stultitiam eorum, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei cum simulacris abiectissimarum creaturarum (1,21 sqq.).

Neque vero ex iudaica illa obiectione eam solam absurdam sententiam derivat, Deum ne unum quidem peccatorem condemnare posse omniaque peccata, quia ad divinam gloriam augendam conferant, extra poenam esse debere, sed ulterius progressus alteram non minus abominandam quam stultam doctrinam, quam sibi a nonnullis adversariis affingi scivit, legitime deduci innuit, peccata nimirum esse facienda, ut divina gloria augeatur : 8. *et* (cur) *non — sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere — faciamus mala, ut veniant bona? quorum damnatio iusta est.* Quamvis *Vulg. Clem.* signum interrogationis non posuerit et priorem quoque sententiae partem cum Graecis pro dehortatione (*et non*... faciamus i. q. *ne* faciamus μή... ποιήσωμεν) sumsisse videatur, iuniores tamen ac moderni interpretes, quos consului, ad unum omnes sententiam interrogative legunt (cfr *Cai. Salm. Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *Nat. Calm. Pic.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Dr.* etc.), idque rectissime, quia eiusmodi dehortationi in hoc contextu non est locus. Ad interrogationem autem complendam ex praecedente, cui coniunctione *et* (καί) arcte connectitur, particulam interrogativam *quid* (τί i. q. *cur,* τί μή quidni) repetunt, ita ut in latino textu, quum coniunctivus (*faciamus*) sit dubitativus, integra sententia, parenthesi non obstante, facile fluat : « Si peccata,

quia ad divinam gloriam augendam conferant, impunita manere ac proin naturam veri peccati amittere recte dicuntur, quidni faciamus mala, ut gloriam divinam augeamus, quum pro viribus eam promovere debeamus? » Impeditior quidem in textu graeco est oratio, in quo anacoluthum habetur; Apostolus enim scribere voluit : καὶ τί μὴ (καθὼς βλασφημούμεθα καὶ καθώς φασίν τινες ἡμᾶς λέγειν) ποιῶμεν τὰ κακά, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; per attractionem autem quandam Graecis satis usitatam (cfr *Winer* Gramm. Ed. 7 p. 583), verba illa, quae cum τί μὴ coniungere voluerat (τί μὴ... ποιῶμεν κτλ), coniunctione directae orationis (ὅτι) inserta, cum ultimo parentheseos infinitivo connexuit (καθώς φασίν τινες ἡμᾶς λέγειν ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ κτλ sicut aiunt quidam nos dicere : Faciamus mala etc.). Attamen anacoluthica hac constructione sensus sententiae ipse non mutatur; clarius vero ex illa apparet, quam indignatus Apostolus fuerit, quod aliqui abominandam illam doctrinam ipsi affingere auderent. Indignatione enim abreptus constructionem inchoatam abrumpit, ut illa ipsa verba ponat, quae calumniatores velut ab eo eiusque sociis prolata circumferebant; at calumniatoribus damnationis (aeternae) sententiam (τὸ κρῖμα) velut iustam poenam denuntiat : *quorum damnatio iusta est*. Quod si multi ultima haec verba non de Pauli calumniatoribus, sed de iis qui iuxta perversam istam doctrinam agant, intelligenda esse arbitrantur, non satis attendunt secundum grammaticas rationes pronomen *quorum* (ὧν) non posse nisi ad praecedens *quidam* (τινές) referri, neque ullam adesse rationem, cur nomen aliquod, ad quod referatur, mente fingamus et suppleamus (« facientes mala ut veniant bona »). Quid enim de doctrina ipsa et de iis qui eam sequuntur sentiendum esset, Apostolus suo *blasphemamur* clarissime iam declaravit, quo velut atrocem calumniam reiicit, quod ipse iuxta illam agere dicatur. Interrogantibus, quomodo adversarii Pauli eo devenerint, ut tam foedam ac nefariam doctrinam ab eo teneri, quin etiam doceri dictitarent, Patres iam respondent, in epistolis paulinis nonnullas occurrere sententias (cfr 5,20; *Gal.* 3,22 etc.), quas malevoli in istum perversum sensum detorquere potuerint; ex 2. Cor. autem satis constat, quanta cum improbitate iudaizantes omnia dicta et facta eius in malam partem trahere consueverint.

Quam recte totus hic locus (5-8) « obscurissimus atque perplexus et multis ad discutiendum et proferendum sensum verbis indigens » a *S. Eucher. Lugd.* (Instr ad Salon. II. 2. *M.* 50,803) dicatur, ex varietate apparet interpretationum, quae inde a Patrum aetate sunt propositae ac hodie proponuntur. Neque enim de universae pericopes argumento ac scopo neque de singularum sententiarum sensu ac nexu inter antiquos aut inter moder-

nos satis constat. Velut probabiliorem autem secuti sumus eam interpretationem, quam ex antiquioribus solus *Lyr.* innuere videtur, haud pauci tamen moderni cath., in levioribus tantum dissentientes, utpote faciliorem et concinniorem praeferunt (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp. LR.* etc.).

Maximam difficultatem creat *v.* 7., a cuius explicatione vix non totius loci interpretatio dependet. Iamvero praeter *Tolet.* paucosque alios cuncti antiquiores et iuniores cum Patribus, paucis quoque modernis consentientibus (*M Ev. Dr. Ag.*), in *v.* 7. (*si enim veritas Dei* etc.) nihil viderunt nisi clariorem aut specialiorem repetitionem obiectionis *v.* 5 iam propositae (*numquid iniustus est Deus inferens iram?*). Attamen explicare nequeunt, cur Paulus obiectionem, quam *v.* 6. magna cum vi iam repudiavit (*Absit*) ac refutare incepit (*alioquin quomodo iudicabit* etc.), *v.* 7. repetendam duxerit; ac multo minus explicant, cur eandem obiectionem causali particula (γάρ *enim*) introducere ac velut probationem quand am praecedenti *v.* 6. adnectere voluerit. Quod alterum incommodum nonnulli quidem antiqui librarii evitare conati sunt (cfr *VV. LL.*) coniunctioni causali adversativam (δέ *autem*) substituentes; sed hac substitutione tota difficultas non tollitur (prius enim incommodum remanet), neque explicatur, quomodo difficilior lectio (γάρ) in omnes fere codd. graecos et in omnes fere versiones irrepere potuerit. Iure merito igitur *Tolet.* in *v.* 7. obiectionem *v.* 5. repeti negavit; minus recte autem in *v.* 7. alteram obiectionis refutationem afferri statuit, ita ut *v.* 7. sit parallelus versui 6. et particula γάρ ad *v.* 5. referatur. Aegerrime enim, si ad solam grammaticam structuram attendimus, *vv.* 6. et 7. paralleli dici possunt neque ullo modo γάρ immediate ad *v.* 5. referri potest. Quibus accedit, quod ipsa sententiae (*v.* 7) explicatio, quam *Tol.* proponit, obscurior sit ac parum apta. Hac quippe ratione eam interpretatur : « Si Deus adeo verax est, ut non obstante mendacio hominis verax permaneat et veritatem suam conservet, quae tanto magis ostenditur, quanto magis homine mentiente et peccante ille sua promissa complet, certe verax etiam erit, quando eundem mendacem et infidelem tamquam peccatorem iudicat et punit ». Clarum enim est, hanc explicationem a verbis non minus quam ab argumentatione Apostoli longe aberrare, ita ut mirum non sit, quod nemo eam adoptaverit; severiorem tamen iudicem *Iust.* sese exhibet, qui eam « absurdum inventum » dicit.

Itaque in *v.* 7. neque obiectionis *v.* 5. propositae repetitionem habemus neque novam ac distinctam obiectionis refutationem, sed continuationem et confirmationem refutationis *v.* 6. inchoatae, uti explicavimus. Unde sequitur, etiam sententiam *v.* 6. ita esse exponendam, ut *v.* 7. ei velut confirmatio accedere possit. Haud recte ergo plerique hunc esse illius sensum statuunt : « Si propter causam memoratam Deus iniustus censendus est in vindicandis peccatis, igitur non erit idoneus qui iudicet mundum, quod est longe absurdissimum; sequela manifesta est, quia iudicem totius mundi iustissimum esse oportet » (*Est.* cfr *Lomb. Thom.* etc., *Cai. Lap. Salm.* etc., *M Ev.* etc.). Namque si haec explicatio admittitur, apta non relinquitur inter v. 7 et v. 6. connexio, neque sufficiens habetur obiectionis *v.* 5. pro-

positae solutio, siquidem iustitia divina ipsa ab obiiciente non addubitatur. Iudaei enim obiectio est haec : « *Si mea peccata, quibus gloria eius augetur, puniret,* Deus iniustus esset »; Paulus ergo inepte responderet : « Deus utpote iudex mundi est iustissimus », nam demonstrandum ei est, Deum etiam iustum esse futurum, si peccata puniat, quae ad eius gloriam augendam conferre dicuntur.

Demum addamus, Graecos a vero longe aberrasse, quum totam hanc pericopen eo tendere putarent, ut peccatis hominum non augeri divinam gloriam demonstraretur (cfr *Chrys. Theod.* etc.), antiquiores autem Latinos genuinum sensum non esse assecutos, quum in hac pericope demonstrari vellent, particulam *ut* (*v.* 4. *ut* iustificeris etc.) non esse finalem sed consecutivam, i. e. peccata non per se et directe, sed occasionaliter tantum ad augendam gloriam divinam conferre (cf *A[ter] Herv. Lomb. Thom.* etc.); de hac enim sententia, quae per se verissima est, Paulus hoc in loco non agit. Sed haec sufficiunt, postquam praecipuas ex levioribus dissensionibus in singulis sententiis explicandis iam attigimus.

3. — *Iudaei et Graeci teste S. Scriptura sub peccato sunt* (3,9-20).

3,9. *Quid ergo? praecellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse,* 10. *sicut scriptum est : Quia non est iustus quisquam :* 11. *non est intelligens, non est requirens Deum.* 12. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum.* 14. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est.* 15. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* 16. *Contritio et infelicitas in viis eorum :* 17. *et viam pacis non cognoverunt :* 18. *non est timor Dei ante oculos eorum.* 19. *Scimus autem, quoniam quaecumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur : ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo :* 20. *quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.*

3,9. Τί οὖν; προεχόμεθα; οὐ πάντως· προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑπὸ ἁμαρτίαν εἶναι, 10. καθὼς γέγραπται ὅτι Οὐκ ἔστιν δίκαιος οὐδὲ εἷς, 11. οὐκ ἔστιν συνιῶν, οὐκ ἔστιν ζητῶν τὸν Θεόν· 12. πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν· οὐκ ἔστιν ποιῶν χρηστότητα ἕως ἑνός. 13. τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν, ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. 14. ὧν τὸ στόμα αὐτῶν ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει. 15. ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα, 16. σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, 17. καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν. 18. οὐκ ἔστιν φόβος Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. 19. Οἴδαμεν δὲ ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ, ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ. 20. διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ ἐνώπιον αὐτοῦ· διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας [1].

1. *VV. LL.* — 9. προεχόμεθα (*praecellimus*) B ℵ K P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr.* etc.; minus aptus est coniunctivus deliberativus προεχώμεθα, quem exhibent A L; glossam quandam : τί οὖν (προ)κατέχομεν περισσόν (quid ergo tenemus amplius) receperunt D G cum nonnullis Patribus; quare etiam omiserunt verba quae sequuntur οὐ πάντως (*nequaquam*), quia ad eorum lectionem non quadrabant. — 11. 12. Ad participia συνιῶν, ζητῶν (vel potius ἐκζητῶν, uti cum melioribus testibus legatur oportet), et ποιῶν

Moribus vitiisque quum ethnicorum tum Iudaeorum suae aetatis descriptis S. Paulus satis quidem iam demonstravit universum genus humanum sub peccato esse neque ethnicos in crassis suis erroribus neque Iudaeos in praerogativis suis divinitus acceptis praesidium vel patrocinium invenire, quo sese a divina ira tueantur. Verum ut argumento suo maiorem vim auctoritatemque invictam conciliaret, S. Scripturarum testimonio de totius generis improbitate allato illud confirmare voluit. Praemonens igitur Iudaeos moribus suis ethnicos non superare, quia utrique sint sub peccato (*v.* 9), ante omnia Psalmistae verbis communem hominum iniquitatem in genere asserit (10-12), deinde speciatim aliis testimoniis Psalmistae recenset peccata oris, quibus homines communiter sint dediti (13.14), ac similiter Isaiae verbis peccata operis (15-17), ut demum Psalmistae textu radicem fontemque universalis corruptionis innuat (*v.* 18). Ne vero Iudaei haec omnia de solis ethnicis valere contendant, monet Apostolus Scripturas proxime ad eos spectare, quibus sint datae, et iuxta earum testimonium opera Legis neminem coram Deo iustificatura esse (19.20).

Pericopen hanc, quia de ethnicis et de Iudaeis agit iisque quasi est communis, tertiam argumentationis negativae Pauli sectionem esse diximus (*p.* 75); si quis tamen maluerit, aeque apte eam velut conclusionem secundae sectionis considerare poterit, quia Iudaeorum potissimum superbiam confundit eisque ultimum effugium eripit.

In praecedente particula (1-8) Apostolus concesserat quidem, Iudaeos maiora dona, quam ethnicos, a Deo accepisse ac praesertim eis relictas esse promissiones divinas, quum eorum incredulitas divinam fidelitatem non sustulisset, sed clarius esset manifestatura; at simul monuerat, inde non esse concludendum, eorum peccata, quamvis ad divinam gloriam manifestandam conferrent, a iusto iudice non punitum iri. Quam expositionis summam paucis complectitur, ut ad novam sectionem, qua praecedentem argumentationem totam confirmabit, sibi viam aperiat : 9. *Quid ergo? Praecellimus eos* (προεχόμεθα[1])? *Nequa-*

nonnulli optimae notae codd. articulum addunt, B vero cum aliis non minus bonis eum omittit; hac tamen varietate sensus non attingitur. — 14. ὧν τὸ στόμα αὐτῶν (quorum os *eorum*) solus fere B; etiam Alexandrini in loco allegato hunc hebraismum apud eos satis frequentem evitarunt. — 19. ὅσα ὁ νόμος λέγει (quaecumque lex *dixit*) B A D E G K L P, fere omnes minusc., *Syr. Arm.*; sed : ὅσα ὁ νόμος λαλεῖ (*quaecumque lex loquitur*) ℵ cum *It. Vulg. Copt.*

1. De verbi προεχόμεθα accurata significatione multum disputant acath. moderni; monent enim activum (προέχειν) quidem praecellendi significationem habere, προέχεσθαι autem, si sit medium, significare « praetextu uti » aut praetendere, si sit passivum, idem esse quod « superari ». Aliqui igitur passivam significationem praeferunt, ut aut ethnici interrogent : supe-

quam (οὐ πάντως). Duas interrogationes in unam non esse contrahendas (ac si sensus sit : qua in re superamus ethnicos? cfr *VV. LL.*) ex responso addito satis elucet; neque enim respondetur : nulla in re (οὐδὲν πάντως), sed : *nequaquam* (οὐ πάντως). Priore interrogatione lectores invitantur, ut ipsi ex praecedente expositione (1-8) legitimam conclusionem deducant (quid ergo sequitur?); altera cum suo responso nihil aliud sequi insinuat, nisi Iudaeos, si dona divinitus concessa considerantur (Lex, eloquia divina etc.), ethnicis multum praestare, verumtamen illa in re, in qua cardo versatur et circa quam tota disputatio inde ab 1,18 habetur, in vera nimirum iustitia, qua sola homines ab ira divina liberantur ac vita aeterna digni redduntur, nullo modo eos superare, quia praerogativis suis (scripta Lege, circumcisione etc.) a severo Dei iudicio non eximantur.

Itaque eodem modo, quo ethnici, Iudaei irae Dei obnoxii sunt : *causati enim sumus* (rectius ex graeco : *antea* enim causati sumus, vel potius : *antea enim accusavimus* προῃτιασάμεθα) *Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse*. Respicit Apostolus ad 1,18-32, ubi ethnicorum perversos mores descripsit, et ad 2,1-24, ubi similiter Iudaeos in futuro iudicio velut Legis suae praevaricatores punitum iri ostendit. Attende autem, eum hic clare indicare, quo sensu superiora sua verba sint intelligenda; *omnes* enim, Iudaeos ac Graecos, se antea accusasse dicit; quapropter, uti saepius supra monuimus, verba eius de solis philosophis ethnicis ac de solis scribis Iudaeorum interpretari non licet. Effugere quidem cum nonnullis *Est.* conatur, « gentilium, inquiens, et Iudaeorum praecipui, a quibus maxime erat exspectanda iustitia, quia prae ceteris hominibus sapientiam, uti philosophi, et Legis notitiam, uti nomodidascali, profitebantur, peccaverunt et a iustitia longe aberraverunt; igitur et omnes ceteri, quibus nec sapientiae studium cordi fuit, nec Legis divinae notitia contigit. » Mirum sane responsum, quod a sola intellectus cultura bonos purosque mores dependere hominesque eo iustiores, quo doctiores, esse insinuat! Numquid Paulus omnes ethnicos inquisitionibus philosophi-

ramurne a Iudaeis? aut Iudaei : superamurne ab ethnicis? aliqui medialem esse formam censentes explicant : suppetitne nobis excusatio peccatorum? vel : habemusne aliquid, quo peccata excusemus? etc. Attamen omnes has explicationes contextui vix ac ne vix quidem congruere recentissimi acath. plerique (cfr *God. Weiss*, *Grimm* etc.) iure merito agnoscunt atque ad eam verbi explicationem revertuntur, quam non tantum omnes antiquae verss. (Ital. Vulg. Syr. Cop. etc.) expresserunt, sed etiam graeci interpretes omnes secuti sunt. Recte *Grimm* (Lexic. graec. lat. in ll. N. T. Ed. 3. Lips. 1888 s. v.) medium προέχομαι vertit : « antecello in meum commodum, praesto laudibus, quae in meritum mihi vertantur », atque adnotat : « hanc vim medio huius verbi si ibi (*Rom.* 3,9) tribueris, in eius usu praeterea non obvio offendi nequit nec quidquam interpretationi plurimis probatae et sententiarum iunctura utique postulatae obstabit ».

cis vacare debere censuit omnibusque Iudaeis, nisi totum vitae tempus studio Legis darent, sufficientem Legis notitiam negavit? Omnes igitur, sive docti sive indocti erant, *sub peccato* esse accusavit, et quidem sub peccato actuali, uti recte *Cai.* adnotat, quia de originali in superiore disputatione sermo non est. *Sub* peccato autem esse dicuntur, non tantum quia peccatis erant dediti, sed etiam quia neque ethnici in suo naturae statu neque Iudaei in suo Legis statu quidquam habebant, quo omnia peccata evitare et a commissis sese liberare possent, ita ut vere sub dominio peccati essent. Fides enim ac gratia, qua aliqui Iudaei ac Graeci legem scriptam aut naturalem observare ac salutem adipisci potuerant (cfr 2,10. 13. 14 sqq.), ad statum Evangelii pertinet eisque ex dispensatione divina data est, quum vi status, in quo degebant, Iudaei non maius, quam ethnici, ius ad illam haberent.

Iamvero quod ex experientia, consideratis moribus ethnicorum ac Iudaeorum suae aetatis, asseruit, id etiam a Scriptura, quae « omnia sub peccato conclusit » (cfr ad *Gal.* 3,22), doceri monet, ita ut eius accusatio divinis testimoniis extra omnem dubitationem ponatur : 10. *sicut scriptum est : quia non est iustus quisquam,* 11. *non est intelligens, non est requirens Deum;* 12. *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Demonstrationem suam Paulus exorditur a *Ps.* 13,1-3 (cfr *Ps.* 52,1-4), cui deinde alia testimonia aliunde desumta addit. Inde a primis iam saeculis Latini quidem omnia haec testimonia, quae Paulus congessit (10-18), Psalmo 13. inseruerunt, sed *S. Hier.* (in Is. XVI. Prooem.) discipulam suam, S. Eustochium, attendere iubet, « non tam Apostolum de *Ps.* 13. sumsisse id quod in hebraico non habetur, quam eos qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, quaesisse aptum locum, ubi assumtum ab eo ponerent testimonium, quod absque auctoritate in Scriptura positum non putabant ». *Ven. Beda* (in Act. 1,20) autem de simili additamento, quod eius aetate in Ps. 108. legebatur, conquerens ait : « Quod nescio a quo primum imperito emendatore Psalmo 108. additum est; qui quum videret hos versiculos pariter a B. Petro positos (*Act.* 1,20) suum Psalterium pariter non habuisse, putare coepit falsatum se habere codicem et quod non habuerat superadiicere praesumsit. Eodem modo Psalmo 13. de epistola Pauli ad Rom. octo versus, quos ipse de universis Psalmis et Isaia propheta contexerat, adiecti sunt ».

Pro more S. Apostolus alexandrinam versionem ita sequitur, ut sensu eius fideliter retento interdum locutiones aliquantulum mutare non vereatur, ne explicationem addere cogatur. Prima statim sententia : *quia non est iustus quisquam* (vel accuratius ex graeco : *non est*

iustus ne unus quidem, οὐκ ἔστιν δίκαιος οὐδὲ εἷς) ab alexandrina (*non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, οὐκ ἔστιν ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός) tantopere differt, ut aliqui iuniores ac moderni Paulo ipsi eam attribuant, qui omnium testimoniorum summam suis verbis sit complexus (*Lap.* etc. — *Fritzsche* etc.). Verum id recte non dici manifestum est, siquidem Paulo suam ipsius sententiam neque velut Scripturam (γέγραπται *scriptum est*) allegare neque coniunctione directae orationis (ὅτι *quia*) introducere licuit. Psalmista autem eadem verba, ut suae descriptioni corruptionis universalis maiorem vim tribueret, bis posuerat (*Ps.* 13,1 et 3), Paulus vero ea in secundo loco accurate retinere (*v.* 12), sed in priore (*v.* 10) eorum sensum solum ita exprimere maluit, ut eum suae argumentationi congruere clarius ostenderet. In eo enim est, ut veram *iustitiam* in statu naturae et in statu Legis non haberi demonstret; eam autem non inveniri patet, si in statu naturae et in statu Legis ne unus quidem iuxta Psalmistam sit qui faciat bonum. Ceterum utriusque quidem sententia est generalis; at ex utriusque contextu « intelligenda est statu Legis aut naturae considerato; in his nemo inventus est sine peccato neque ab eo liberari potuit, nisi per id quod supra naturam et supra Legem erat, nempe per fidem Christi, quem Evangelium revelat, praedicat et manifestat » (*Tolet*), seu, uti habet *Est.*, intelligi debet « de humano genere, quale est ex sua origine et qualis unusquisque perseverat, donec iustitiae Dei per fidem Iesu Christi particeps fiat ». Namque Psalmista quoque de solis ethnicis non loquitur, sed etiam de longe maiore sui populi parte, quae eo tempore, quando carmen hoc composuit (in absalomica nimirum ut videtur rebellione), a rege divinitus sibi dato defecerat.

Porro in sequentibus quoque membris Apostolus a verbis Psalmistae discedit, quatenus negativum sensum, qui ex illius poetica descriptione rite colligitur (*Ps.* 13,2 : *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum*), negative ac brevissime reddit : *non est intelligens*, *non est requirens Deum*. Si deinde ad *Ps.* 13,1 attendimus (*dixit insipiens in corde suo : Non est Deus; corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis*, ἐν ἐπιτηδεύμασιν), ubi athei theoretici ac practici distingui videntur, recte, opinor, cum antiquioribus (cfr *Tolet.*) dicemus, priore membro ethnicos, qui verum Deum ignorant (*non est intelligens*), altero Iudaeos designari, qui Deum cognoscunt quidem, sed non sequuntur neque eius mandata observant (*non est requirens Deum*); hebr. מַשְׂכִּיל enim (συνιῶν *intelligens*) ad intellectum, דֹּרֵשׁ (ἐκζητῶν *requirens*) ad voluntatem proxime referuntur. Quod vero moderni nomine *intelli-*

gentis hominem probum in genere ac nomine *requirentis Deum* cultorem veri Dei designari volunt, id minus aptum est, quia secundum membrum, si haec significatio admitteretur, primum (*non est iustus*) tautologice repeteret. Quomodo vero ad tristem hanc conditionem pervenerint, sequentia verba docent, quae cum *Ps.* 13,3 accurate consentiunt: *omnes declinaverunt*, a recta nimirum via, in qua ambulare debebant, *simul* (ἅμα sc. omnes simul, eadem ratione) *inutiles facti sunt* (ἠχρειώθησαν, ἀχρεῖος est homo nihili, qui nullius est valoris ineptusque ad bonum agendum), *non est qui faciat bonum* (χρηστότητα) *usque ad unum* (ἕως ἑνός). Quae ultima verba ab antiquioribus, praeeunte *S. Aug.* (Enar. in Ps. 13), haud recte explicantur « exclusive, quasi diceret *praeter unum* qui scilicet solus fecit bonum redimendo genus humanum » (*Thom*[1]. etc.); respondent enim hebr. אֵין גַּם אֶחָד i. q. *ne unus quidem*, uti S. Paulus ipse iam *v.* 10. eadem alexandrini textus verba suo οὐδὲ εἷς reddiderat.

Tribus superioribus versibus (10-12) Apostolus potissimum universalitatem corruptionis testimonio Scripturae demonstrare voluit atque Psalmum elegit, in quo David revera de ethnicorum non minus quam de Iudaeorum perversitate conqueritur. Ita enim populi, qui ab ipso defecerat, mores describit, ut ethnicis plane similes facti esse videantur; quapropter hic Psalmus etiam paucis mutatis postea a iuniore poeta inspirato, tempore ut videtur regis Ezechiae, adaptatus est ethnicis hostibus (*Ps.* 52). In sequentibus Paulus ad singularia peccata transit; uti autem ethnicorum peccata describens (1,26 sqq.) docere noluit, omnia ac singula scelera recensita ab omnibus et singulis committi, ita hic quoque nihil aliud significat, nisi peccata quae enumerat esse communia ac passim alia ab aliis committi, in universum autem neminem, quamdiu in statu naturae aut sub Lege degat, ab omnibus esse immunem. Hinc ei curae non fuit, ut testimonia eligeret, in quibus de omnibus hominibus agitur, sed nonnulla sine scrupulo transumsit, in quibus iuxta proximum suum contextum de solis Iudaeis aut de parte tantum certaque classe Iudaeorum sermo est; neque enim amplius universalitatem corruptionis demonstrare, sed exemplis nonnullis, quanta et qualis sit corruptio, illustrare vult.

Incipit autem a peccatis oris testimoniaque sua ex Psalmis desumit; ex *Ps.* 5,11, qui probabiliter ad absalomicae rebellionis aetatem pertinet : 13. *sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant;* ex *Ps.* 139,4, quem tempori saulicae persecutionis multi recte attribuunt, tertium membrum : *venenum aspidum sub labiis eorum;* atque ex *Ps.* 9[b],7, quem ad origines regni davidici refero : 14. *quorum os maledictione et amaritudine plenum est.* Egregie adnotat *Tolet.* :

« artificiose omnia instrumenta sermonis refert Paulus, guttur, lingua, labia, os, ut peccata in verbis maxime damnet et homines in eiusmodi esse procliviores ostendat ». Bene quoque *Beng.* « observa, inquit, seriem sermonis ex corde manantis per *guttur, linguas, labia, totum os* ». Metaphorae *sepulchri patentis* duas explicationes *S. Aug.* (Enarr. in *Ps.* 5 *n.* 12) proponit : « Ad voracitatis significationem referri potest, propter quam homines adulatione mentiuntur; et mirabiliter dixit *patens sepulchrum*, quoniam semper illa inhiat voracitas, non ut sepulchra, quae receptis cadaveribus muniuntur. Potest et illud intelligi, quod mendacio et blanda adulatione trahunt in se, quos ad peccata illectant, et eos quasi devorant, quum in suam vitam convertunt ». Tertiam innuit *Pelag.* monens « sepulchra diligenter claudi, ne exhalatione sua generent pestem », patens igitur sepulchrum dici posse guttur, ex quo foetor perversorum sermonum ascendat. Prima S. Aug. explicatio de voracitate parum apta est longiusque quaesita; altera aptior quidem est, praefero tamen tertiam, quia λάρυγξ (*guttur*) hic hebr. גָּרוֹן respondet, quo non tam gula (φάρυγξ), i. e. instrumentum deglutiendi ac devorandi, quam organum vocis designari solet (cfr *Is.* 58,1; *Ps.* 68 [69], 4; 113ᵇ [115], 7; 149,6). In Psalmo proxime sermo esse videtur de calumniis, quibus Absalomis assectatores Davidem apud populum criminabantur; optime enim hac ratione alterum membrum (*linguis suis dolose agebant*) adnectitur, quod iuxta hebr. (*linguam suam laevem faciebant*) de blanditiis (cfr *Prov.* 28,23; 2,16 etc.) recte intelligitur, quibus Absalom eiusque amici populum ad suas partes alliciebant. Tertio membro (*venenum aspidum* i. e. virus viperarum *sub labiis eorum*) subdola ac perniciosa contentio eorum declaratur, qui *in* labiis quidem mel gerentes, *sub* labiis autem virus suum abscondentes omni qua poterant ratione iram Saulis contra Davidem inflammare conabantur. Quartum (*quorum os maledictione et amaritudine plenum est*) liberius, singulari nimirum (*cuius*) in pluralem (*quorum*) mutato, sed sine sensus alteratione, quia in Psalmo de impio in genere agitur, allegatum est.

Liberius quoque ex *Is.* 59,7. 8. Paulus testimonia quaedam allegat, quibus nonnulla peccata operis describit : **15.** *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem,* **16.** *contritio et infelicitas in viis eorum,* **17.** *et viam pacis non cognoverunt.* Iuxta alexandrinam versionem, quae a textu massor. (et *Vulg.*) in levioribus tantum dissentit, ita sonat : « pedes eorum *ad malitiam currunt,* veloces ad effundendum sanguinem *innocentem; cogitationes eorum cogitationes insipientium;* contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt ». Illo in loco propheta corruptionem populi describit, ut denegati divini auxilii

causam non in Deo esse collocandam doceat, verum in populi ipsius peccatis (cfr *Knabenb.* Comm. in Is. II. 402 sqq.). Praecipue vero impetum tumultumque malarum cupiditatum castigat, quo ad omnem malitiam ruant atque ad ipsum sanguinem innocentem effundendum festinent. Quia externa tantum peccata hic recensere voluit, Paulus intermedium membrum, quo propheta cogitationes improbas populo obiicit, praetermisit, ut cum Isaia et furorem reprehenderet, quo omnibus contritis ac devastatis vias, quibus incederent, implebant *contritione et miseria* vel potius *ruinis* (σύντριμμα שֹׁד *Vulg.* : vastitas) et *clade* (שֶׁבֶר *Vulg.* : contritio), et simul litium iurgiorumque studium, quo cum omnibus concertantes ac litigantes pace numquam fruebantur *pacisque viam ignorare* videbantur. Eundem in sensum *Tol.* membra explicat : « Tria dicuntur, primum quod levi facilique causa ad occidendum proximum inique moventur, alterum quod crebris malis, damnis et infortuniis se mutuo accipiunt, tertium quod mutua inter se et continua dissidia, contentiones, lites, rixas, bella exercent ». Quod vero alii in tertio Iudaeos vituperari censent, quia viam ignorent, quae ad pacem cum Deo habendam et ad salutem ducat, id nec prophetae nec Apostoli contextui satis congruit. Longam testimoniorum seriem Paulus terminat allegatis verbis *Ps.* 35,2, quibus radix indicatur, ex qua perversi omnes fructus illi nascuntur : 18. *non est timor Dei ante oculos eorum.* Quoniam illo in Psalmo iterum de impio in genere sermo est, sensu non mutato singularis (αὐτοῦ *eius*) in pluralem mutari potuit. *Timor Dei* autem est velut frenum, quo appetitus hominum in peccata proclivis reprimitur et cohibetur; quamprimum vero frenum illud deest, homo in peccatorum praecipitia, nullo impediente, velocissimo cursu sese immittet.

Omnibus igitur his testimoniis Paulus, uti supra diximus (ad *v.* 9), confirmare voluit, cunctos homines, sive sub lege naturae, sive sub scripta Lege mosaica degebant, sub peccato esse, quia neque in statu naturae neque in statu Legis praesidium haberent, quo a peccatis efficaciter retraherentur, aut subsidium, quo a peccatis commissis liberarentur. Ne vero Iudaei argumenti vim effugere conentur illaque omnia ad solos ethnicos pertinere neque suam ipsorum improbitatem probare contendant, Apostolus illa quam maxime ad eos ipsos pertinere demonstrat : 19. *scimus autem, quoniam quaecumque lex loquitur iis qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur et subditus* (accuratius *S. Aug.* in Gal. 3,21. 22; de gr. Chr. 8,9 : *reus* ὑπόδικος) *fiat omnis mundus* (i. e. integer mundus πᾶς ὁ κόσμος) *Deo.* Nomen *legis* duabus diversis significationibus hic usurpatur; priore quippe in loco praeter mosaicos libros, qui vulgo *Lex* (הַתּוֹרָה) appellantur, propheticas quo-

que aliasque canonis iudaici Scripturas complectitur, ex quibus Apostolus testimonia sua desumsit; in altero solum Pentateuchum vel potius ipsam Legem a Deo per Moysen filiis Israel datam designat, ratione cuius *sub Lege* (1 *Cor.* 9,24; *Gal.* 4,5 etc.), *ex Lege* (4,14. 16 etc.), *in Lege* esse dicebantur. Neque vero mirum videri potest, quod Paulus eadem in sententia duas diversas significationes nomini attribuerit, siquidem pro usitatiore appellatione *Scripturae* (ἡ γραφή, αἱ γραφαί) minus usitatam (Legis) elegit, ut idem nomen sibi ipsi acute opponens vim argumenti augeret. Ceterum suo *scimus* (οἴδαμεν) simili modo, quo 2,2, sententiam introducit, quam a nullo prudente in dubitationem vocari posse censet. Ac profecto evidens est, Deum, quum libros sacros populo israelitico traderet, illius utilitatem prae oculis habuisse; quapropter omnia, non tantum ea quae de Israelitis aut ad Israelitas directe dicuntur, sed ea quoque, quae *de* gentium (Chananaeorum, Assyriorum etc.) vitiis sceleribusque referuntur aut ad gentes dicta esse videntur, non earum causa, quippe quibus non innotescerent nec destinata essent, sed populi iudaici gratia, ad illius nimirum institutionem, exhortationem, comminationem, confusionem etc., scripta sunt. Quamobrem Apostolus inquirendum non esse ducit, utrum haec vel illa prophetae aut Psalmistae sententia directe de Iudaeis an de gentibus sit dicta. Constat enim omnia Iudaeis esse dicta eo fine, *ut omne os obstruatur,* non tantum ethnicorum, quos inexcusabiles esse supra iam sufficienter est demonstratum (1,20 sqq.), sed etiam Iudaeorum, qui variis excusationibus iudicium effugere conantur, et ut *omnis mundus* (universum hominum genus non ethnicum tantum sed etiam iudaicum) *Deo,* supremo iudici, *reus fiat,* i. e. reum se esse agnoscat. Graecum ὑπόδικος, quod *Vulg.* vertit *subditus,* teste S. Aug. autem *It.* aptius latino *reus* reddidit, significat eum, qui in iudicio causa sua cecidit, qui igitur poenis a iudice statutis obnoxius est. Cum *Theod.* haud pauci antiquiores et iuniores coniunctioni ἵνα (*ut*) consecutivum sensum attribuerunt (i. q. *ita ut*), sed cum *Chrys.* aliisque sensum finalem (eo consilio seu fine ut) retineamus oportet. Utique unicus finis, cur Deus per Scripturas populo iudaico loqueretur, non erat, ut ei omnem peccatorum suorum excusationem eriperet eumque ad culpae suae agnitionem adduceret; at inter varios fines, quos Deus habuit, ille quoque erat, quem solum Paulus hoc in loco affert, quia ad eius argumentationem solus sufficiebat.

Ultimam demum excusationem, quam Iudaei forsitan praetenderint, Paulus ita eis praeripit, ut praecedentem argumentationem negativam confirmans, qua neque in statu naturae neque in statu Legis veram iustititiam ac salutem inveniri demonstravit, simul aditum ad positi-

vam argumentationem sibi patefaciat, qua omnibus sine distinctione, Iudaeis ac Graecis, viam rationemque verae salutis adipiscendae in Evangelio manifestatam esse demonstrabit (*v.* 21 sqq.). Illi enim pharisaeo, qui semet ipsum coram hominibus iustificans (*Luc.* 16,15) ceteris omnibus se praetulit suis operibus Legis confisus (*Luc.* 18, 11 sq.), similes etiam Iudaei alii nonnulli excipere poterant, se non esse raptores, iniustos, adulteros, sed sese ieiunasse, decimas solvisse aliaque Legis divinitus datae mandata implevisse ac proinde dignos esse, quibus vita observatoribus Legis promissa adiudicaretur. At exceptionem istam nihil valere replicat Apostolus : 20. *quia* (hic melius : *nam* διότι cfr ad 1,19) *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; per legem enim cognitio peccati.* Brevissima quidem est refutatio, sed efficacissima, quia verba sunt Psalmistae, quibus Iudaei contradicere nequeunt. Eadem verba ex *Ps.* 142,2 desumta Paulus Antiochiae quoque in sua de legalibus controversia eodem fere modo allegavit (solis verbis *coram illo* praetermissis) et in epistola ad Galat. istam controversiam narrans repetiit. Quoniam illo in loco ea fusius explicavimus (cfr *Comment.* in epp. 2 ad Cor. et ad Gal. p. 455 sqq.) atque supra etiam iam ostendimus, Apostolum secum non pugnare, si hic quemquam *ex operibus Legis* iustificatum iri neget, illic *factores Legis* iustificatum iri asserat (cfr ad 2,13 p. 130 sq.), vix quidquam habemus quod hic addamus.

Uti ex Psalmi loco atque etiam ex futuro, quod Apostolus retinuit, clare apparet, de iudice iustificante i. e. iustum declarante agitur; per se autem evidens est, Deum non posse quemquam iustum declarare, quin *coram ipso* vere ac proprie iustus sit. Porro *Legis* nomine haud pauci antiquiores ac nonnulli iuniores cum *Theod.* solam legem ritualem designari haud recte arbitrantur. Nam praeterquam quod illa legis ritualis ac moralis distinctio Iudaeis erat inusitata, rectissime monet *S. Aug.* (de spir. et lit. 8,14 cfr 29,50) : « ne quisquam putaret, hic Apostolum ea lege dixisse neminem iustificari, quae in sacramentis veteribus multa continet figurata praecepta, unde etiam ipsa est circumcisio carnis, quam die octavo accipere parvuli iussi sunt, continuo subiunxit, quam legem dixerit et ait : *per legem enim cognitio peccati;* illa igitur lex est, de qua postea dicit : peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : non concupisces (7,7) ». Universa ergo Lex mosaica, immo potissimum moralia eius praecepta, intelligenda sunt. Neque vero ideo omnes quoque actus, quibus Lex impletur, *opera Legis* appellare nobis licet; sed hoc nomine Apostolus illos solos designat, qui a sola Lege dependent, quatenus nimirum homo aliquid, quod Lex praecipit, ob timorem poenae,

quam Lex comminatur, sine adiutorio Dei, quod est ex fide Iesu Christi, naturalibus suis viribus facit[1]. Toto ergo coelo a *bonis operibus* distant, in quibus perseverans homo vitam aeternam quaerit et invenit (cfr ad 2,7), licet his quoque Legis praecepta impleantur et hac ex parte similitudo inter illa adsit. Iamvero ex *operibus Legis*, quum sint mere naturalis ordinis, hominem *coram Deo* non iustificatum iri, i. e. a supremo iudice nec iustum nec vita aeterna, quae ordinis est supranaturalis, dignum declaratum iri Apostolus cum Psalmista asserens tacite concedit, eum coram hominibus, qui sola externa opera vident, radicem autem ex qua nascantur ignorant, pro iusto haberi posse.

Cur autem ex operibus, quae a sola Lege dependent, homo coram Deo non iustificetur, Paulus ita explicat, ut simul Legis utilitatem omnino agnoscat : *per Legem enim cognitio* (ἐπίγνωσις accurata cognitio) *peccati*. Quibus verbis, ut argumentum sit completum, adde : « *sed non iustitia Dei* » (cfr ad 1,17); hoc enim complementum indicatur ac postulatur verbis sequentibus : « nunc autem *sine lege iustitia Dei* manifestata est » etc. « Bona ergo est Lex, quia ea vetat quae vetanda sunt et ea iubet quae iubenda sunt » (*S. Aug.* expos. *n.* 13) efficitque, ut homines clarius et certius, quam ex sola lege naturali, quid sibi faciendum sit cognoscant; verum nec vires praebet homini lapso necessarias, quibus mandata omnia implens omnia peccata evitet, neque remedium, quo a peccatis commissis sese liberet. Quemadmodum medicus aegrotum sanaturus ei gravitatem morbi exponit, ut eum ad sanitatem magis desiderandam et ad remedia necessaria adhibenda excitet, ita Deus sanaturus genus humanum praeprimis ei dedit Legem, ut homines suam infirmitatem periculique in quo versarentur magnitudinem perspicientes impellerentur, ut ad Christum, quem daturus erat, accurrerent; atque ita Lex, quum claram peccati cognitionem det, paedagogus est ad Christum (cfr *Gal.* 3,24). Proxime quidem in hac sententia de Iudaeis agitur, quia de Lege mosaica Apostolus iuxta totum contextum loquitur; attamen ethnici quoque, qui natura duce et magistra ea quae Legis sunt facere possunt (2,14), comprehendi recte dicuntur; nam locutiones *omnis mundus* et *omnis caro* tam latae sunt et universales, ut eas de solis Iudaeis interpretari non liceat.

1. Cfr *S. Aug.* de spir. et lit. 8,13 : « Quicumque faciebant quod Lex iubebat non adiuvante spiritu gratiae, timore poenae faciebant, non amore iustitiae : ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere; potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impune, committere ».

§ 2. — *Argumentatio positiva.*

Per fidem Iesu Christi obtinetur iustitia (3,21-4,25).

Totum hominum genus irae divinae esse obnoxium, ethnicos enim veritatem in iniustitia detinentes in idololatriam esse prolapsos omnimodisque vitiis esse traditos, Iudaeos autem, suae Legis cognitione non obstante, iisdem vitiis esse deditos neque quidquam in suo statu possidere, quo iusti iudicis damnationem a se avertant — haec est summa argumentationis negativae, qua Apostolus clare ostendit, neque legi naturali neque Legi mosaicae virtutem iustificandi competere, hominibus igitur, ut ad veram iustitiam perveniant, quae coram Deo valeat eosque salute vitaque aeterna dignos reddat, aliam viam ineundam esse quae in Evangelio sit revelata. Iam ad positivam argumentationem transiens, quaenam sit haec via, praeprimis describit, veram nimirum iustitiam per fidem in Iesum Christum obtineri docens eamque omnibus paratam esse, ethnicis non minus quam Iudaeis, et quidem tamquam donum prorsus gratuitum, cuius pretium solvit Dominus sanguine suo (3,21-30). Deinde hanc viam veteri oeconomiae non tantum non repugnare sed cum illa plane consonare, quin etiam ab illa confirmari, ex Scriptura demonstrat (3,31-4,25).

1. — *Vera iustitia ex fide Iesu Christi est omnibusque credentibus gratis confertur* (3,21-30).

3,21. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est : testificata a lege et prophetis. 22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum : non enim est distinctio. 23. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem quae est in Christo Iesu, 25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum, 26. in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore : ut sit ipse iustus, et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.

3,21. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, 22. δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Χριστοῦ, εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας· οὐ γάρ ἐστιν διαστολή. 23. πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, 24. δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, 25. ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ ἑαυτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων 26. ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον

27. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. An Iudaeorum Deus tantum? nonne et gentium? Immo et gentium. 30. Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem.

καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ. 27. Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη. διὰ ποίου νόμου; τῶν ἔργων; οὐχί, ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως. 28. λογιζόμεθα οὖν δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. 29. ἢ Ἰουδαίων ὁ Θεὸς μόνων; οὐχὶ καὶ ἐθνῶν; ναὶ καὶ ἐθνῶν, 30. εἴ περ εἷς ὁ Θεός, ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως[1].

Descriptionem tristissimae conditionis, in qua ante Christi adventum genus humanum universum degebat, divinae irae ob multiplicia sua peccata obnoxium, B. Paulus generali sententia terminavit, qua omnem salutis spem hominibus praecludere videbatur : neminem quippe propriis suis viribus ex Legis operibus iustitiam esse adepturum, quia ex Lege cognitio quidem peccati sed nec eius ablatio nec virtus qua evitetur

1. *VV. LL.* — 22. διὰ πίστεως Χριστοῦ (per fidem *Christi*) solus B et forte Marcion (cfr *Tert.* c. Marc. V. 13); legi oportet cum reliquis testibus : διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ (*per fidem Iesu Christi*). — εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας (in omnes qui credunt) sine additam. B ℵ A C P, paucissimi minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de pecc. mer. I. 27,43; de spir. et lit. 9,15; c. duas ep. Pel. I. 8,13), codd. *Vulg.* (*Amiat. Dem. Harl.*) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.* : εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας (*in omnes et super omnes qui credunt*) cum D E F G K L P, omnibus fere minusc. et PP. graec., *It.* (*A^ter Pel.* etc.). *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* etc.) *Syr.* etc. Secunda lectio videtur praeferenda, quia facilius omissio quam additio unius membri explicatur; cfr *Comm.* — 25. διὰ τῆς πίστεως (*per fidem*) B E K L P, plerique minusc. et PP.; sed articulo omisso et sensu eodem remanente : διὰ πίστεως ℵ A C D F G, pauci minusc. — ἐν τῷ ἑαυτοῦ αἵματι (in *suo ipsius* sanguine) B cum paucis minusc.; *textus rec.* : ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι (in *eius* sanguine, vel iuxta *It. Vulg.* : *in sanguine ipsius*) cum reliquis testibus. — 26. πρὸς τὴν ἔνδειξιν (*ad ostensionem*) articulo inserto, quo prius membrum resumitur, B ℵ A C D P, pauci minusc. et PP.; sed articulum omittit *textus rec.* cum reliquis testibus, qui hoc membrum priori conformarunt. — ἐκ πίστεως Ἰησοῦ (ex fide *Iesu*) B ℵ A C K P, plurimi minusc., *It.* (*S. Aug.* de pecc. mer. I. 27,43 etc.), codd. *Vulg.* (*Fuld. Am.* etc.), *Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.*; sed ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ (*ex fide Iesu Christi*) cum *Theod.* legunt *Vulg.* (*Clem.* cum *Dem. Harl.* etc.) *Syr.* (codd.) *Copt.* — 27. ποῦ οὖν ἡ καύχησις (ubi igitur est gloriatio) pronomine σοῦ non addito est communis lectio codd. et verss., quae etiam apud Latinos interdum reperitur; ceterum duo graecolatini F G cum omnibus fere Latinis : ποῦ οὖν ἡ καύχησίς σου (*ubi igitur est gloratio tua*) cfr *Comm.* — 28. λογιζόμεθα οὖν (arbitramur *igitur*) B C K L P, plerique minusc., *Syr.*; sed rectius : λογιζόμεθα γάρ (*arbitramur enim*) ℵ A D E F G, haud pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.* cfr *Comm.* — δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον χωρὶς κτλ (*iustificari fide hominem* sine etc.) hoc verborum ordine B ℵ A C D E, aliqui minusc.; sed δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον πίστει χωρὶς κτλ (*iustificari hominem fide* sine etc.) F G, *It. Vulg. Copt. Aeth.*; demum *textus rec.* : πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς κτλ (*fide iustificari hominem* sine etc.) K L P, plerique minusc. et PP. Primus verborum ordo praeferendus est ob testium auctoritatem. — 29. μόνων (solorum) B, haud pauci minusc. et PP.; sed *textus rec.* : μόνον (*tantum*) cum ℵ A C F G K L P, plerisque minusc., *It. Vulg.* etc.; quae lectio teneatur oportet.

habeatur. Cui assertioni statim alteram non minus generalem opponit, qua thema sequentis argumentationis declarans animos lectorum iterum erigit : 21. *nunc autem sine Lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis.* Quod lex naturalis nullo modo praestare potuit neque Lex divinitus per Moysen data praestitit, id nunc post Domini adventum Evangelium praestat, siquidem « in eo revelatur iustitia Dei ex fide in fidem, sicut scriptum est : iustus ex fide vivit » (1,17). Ad propositionem igitur, quam in principio tractatus sui statuit, Apostolus revertitur, ut eam iam diligentius explanet ac demonstret. Unde dubium quoque non est, quin hic eadem ratione, qua supra (cfr ad 1,17), nomine *iustitiae Dei* causa formalis nostrae iustificationis designetur, i. e. donum illud divinum, quo renovamur spiritu mentis nostrae atque in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei translati non tantum iusti reputamur sed vere iusti efficimur.

In controversia autem est, quid particulae *nunc autem* (νυνὶ δέ) significent et quo verba *sine Lege* (χωρὶς νόμου) pertineant. Ad priorem controversiam quod attinet, quum νυνὶ δέ (uti apud profanos saepe νῦν δέ) a Paulo aliquoties in concludendo adhibeatur (i. q. atqui, vel : rebus autem ita se habentibus), nonnulli hanc significationem hic praeferunt, ut sensus sit : « quum is sit rerum status, ut ex operibus Legis nemo iustificetur, sine Lege manifestata est iustitia Dei » (cfr *Est. Dr.* etc. — *Mey. God.* etc.). Qui nexus nec aptus esse neque clarus videtur; quare cum plurimis antiquis ac modernis temporalem significationem rectius retinebimus. Eam enim mundi conditionem hucusque consideravit, quae ante Christi adventum fuit, et quamquam eadem etiam eo tempore apud omnes, qui Evangelium non receperant aut nondum audierant, perdurabat, sicut apud eosdem etiam hodie perdurat, nihil tamen obstat, quominus ab adventu Christi et Evangelio praedicato novam periodum inchoasse dicatur, quam periodo universalis corruptionis opponeret; sine ullo enim dubio statim (*vv.* 25. 26) duas illas periodos distinguet, uti illas alibi distinxit (*Gal.* 3,23-25; 4,1 sqq. etc.). Secundo deinde in loco quaeritur, num locutio *sine Lege* cum verbo connectenda sit (sine Lege est manifestata iustitia Dei, i. e. Lex in manifestatione iustitiae non habuit partem), an potius cum nomine cui praecedit (sine Lege iustitia Dei, i. e. iustitia a Deo ita concessa, ut a Lege non dependeat). Priorem nexum, qui satis aptum praebet sensum, cum *A^{tro}* multi praeferunt (*Haym. Herv.* etc., *Tol.* [qui haud recte interpretatur : « cessante Lege »] *Est. Pic.* etc., *Mai. M Ev. Sch.* etc. — *Mey. Weiss God.* etc.); alteram tamen, priore velut inepto plane reiecto, *S. Aug.* (de spir. et lit. 9,12; de grat. Chr. 8,9) praefert nonnullique iuniores ac moderni velut aptiorem iure

merito sequuntur (Cfr *Cai. Iust. Nat.* etc., *Klee Reith. Bisp.* etc.)[1]. Quoniam enim *ex operibus Legis* homines frustra iustitiam quaesivisse dixit, Apostolus aptissime addit, nunc manifestatam ac proin quaerendam esse iustitiam Dei, quae *sine Lege* sit, seu quam Deus per spiritum gratiae credenti conferat sine adiutorio Legis, i. e. non adiuto a Lege (*S. Aug.* l. c.).

Ultima verba *testificata a lege et prophetis* secundae iam pericopes (3,31-4,25) argumentum indicant; ut autem novitatis suspicionem a doctrina sua averteret, Paulum ea praemisisse recte *Chrys.* adnotat : « Ne quia nunc data est turberis, neve quasi res nova sit ac peregrina stupeas; iam olim enim Lex et prophetae eam testati sunt; et alia quidem testimonia iam attulit, alia allaturus est, in superioribus Habacuc adducens dicentem : *Iustus ex fide vivit,* in sequentibus Abrahamum et Davidem adducturus de ea nos edocentes ». Antequam vero illa testimonia exponit, diligentius qualis sit iustitia Dei ostendit. Etenim eam obtineri monet per fidem eamque omnibus sine ulla distinctione esse destinatam (*v.* 22); omnes quippe illa eodem modo carere illamque eadem via ex gratuito dono Dei accipere (23. 24), quum Christus passione sua pretium illius solverit (25. 26). Unde inanem esse Iudaeorum gloriationem concludit, quia Legis opera ad iustitiam nihil conferant (27. 28) atque Deus gentes non minus quam Iudaeos ex fide iustificet (29. 30).

Iustitiam Dei in evangelica praedicatione manifeste propositam descripturus Apostolus ante omnia Iudaeos docet, quanam via obtineatur et quibusnam conferatur : 22. *iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt* (*in eum*[2]), *non enim est distinctio.* Minus apte interpunctione sua *Vulg. Clem.* haec verba a praecedentibus plane separat, quandoquidem inchoatam sententiam (*v.* 21) continuant, subiecto eius per modum appositionis repetito, ut ei explicationem necessariam addant. Neque enim particula δέ (*autem*) hic est adversativa sed epexegetica ac latino *inquam* vel *scilicet* a nonnullis (cfr *Est. Beel.* etc.) haud male redditur : « iustitia Dei manifestata est..., iustitia, inquam, Dei (quae est) per fidem » etc. Iamvero iustitia Dei,

1. S. Doctor (ll. cc.) ita argumentatur : « Quomodo ergo *sine lege manifestata*, si *per legem testificata?* Non itaque sine lege manifestata, sed sine lege iustitia, quia iustitia Dei est, i.e. quae nobis non ex lege sit, sed ex Deo ». At argumentatio non omnino recta est; multa enim, quae in Novo Test. sunt manifestata, in Vetere sunt testificata, nam secundum S. Doctorem ipsum « Novum Test. in Vetere latet, et Vetus in Novo patet ».

2. Verba *in eum,* uti a graecis codd., ita a plerisque verss. atque etiam a nonnullis bonis *Vulg.* codd. (*Amiat.* etc.) omittuntur; velut glossa tamen apta retineri possunt atque etiam in versione *syr.* sunt addita.

i. e. quae a Deo originem trahit ideoque etiam coram Deo valet, *per fidem* (διὰ πίστεως cfr *v.* 28. 30. etc., *Gal.* 2,16), vel etiam *ex fide* (ἐκ πίστεως cfr *v.* 30; 1,17 etc., *Gal.* 2,16 etc.) aut *fide* (πίστει *v.* 28), esse dicitur, « non quasi ipsa fides ex nobis exsistat et per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt, sed quia in ipsa iustificatione, qua iustificamur a Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem; accedentem enim ad Deum oportet credere, ut dicitur *Hebr.* 11,6; unde et ipsa fides, quasi prima pars iustitiae, est nobis a Deo » (*Thom.*). Neque per fidem est iustitia, quasi fides sit causa formalis iustificationis nostrae; nam formaliter iustificamur per gratiam et caritatem, quae diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. (*v.* 24; 5,5; *Tit.* 3,6. 7 etc.). Sed per fidem est iustitia, quatenus « fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis » (*Conc. Trid.* sess. VI. cp. 8). Inter omnes enim dispositiones ad iustitiam accipiendam requisitas fides prima est tempore et necessitate, quum reliquae omnes fidei innitantur et ex fide quasi exoriantur. Qualis autem fides sit via ad iustitiam docet Paulus addito genetivo : per fidem *Iesu Christi,* i. e. in Iesum Christum (*Gal.* 2,16). « Optimo autem consilio, inquit *Tol.,* Paulus nomen Domini integrum expressit (cfr *VV. LL.*), ut qualitatem fidei significaret; debet enim esse fides perfecta, qua Christus Deus et homo atque omnium salvator et redemtor creditur, neque aliud nomen esse, in quo salutem et iustitiam habeamus praeter ipsum ».

Via autem haec fidei omnibus est aperta, ex quo tempore Apostoli in mundum universum exire omnique creaturae Evangelium annuntiare iussi sunt (*Marc.* 16,15; *Matth.* 28,19). Quare aditus quoque ad iustitiam Dei omnibus patet, id quod Paulus significat, quum eam esse dicit *in omnes et super omnes qui credunt.* Neque enim multas cognoscit vias, quibus homines ad iustitiam perveniant, ut aliam Iudaei, aliam ethnici ingredi possint aut debeant, sed eandem fidei viam omnes ingrediantur necesse est : *non enim est distinctio* in iustitiae adipiscendae ratione inter Iudaeos et Graecos. Nonnulli boni testes critici verba καὶ ἐπὶ πάντας (*et super omnes*) praetermittunt (cfr *VV. LL.*); at plerique moderni interpretes ea pro genuinis iure merito habent non tantum, quia sufficiente auctoritate critica nituntur, sed etiam quia stylo paulino apprime congruunt. Licet enim per se absolute necessaria non sint, quum solo priore membro (εἰς πάντας *in omnes*) universalitas iustitiae in Evangelio manifestatae iam clare enuntietur, non parvam tamen vim tribuunt sententiae : ad omnes scilicet qui credunt iustitia pervenit et super omnes qui credunt quasi effusa requiescit. Amat autem Paulus varias accumulare praepositiones, ut ideam aliquam

omni quasi ex parte consideratam definitamque efficacius inculcet (cfr 11,36; *Gal.* 1,1 etc.).

Quod si volueris, duo membra cum nonnullis modernis ita quoque distinguere poteris, ut priore (*in omnes*) universalitas iustitiae, quatenus omnibus *credere volentibus* offeratur, altera (*super omnes*) universalitas iustitiae, quatenus omnibus *credentibus* conferatur, designetur (cfr *Ag.* — *God.*). Mihi autem minus probatur haec explicatio, quia eidem participio (πιστεύοντας) duas diversas significationes satis arbitrarie attribuit. — Subtilius quoque quam verius aliqui antiquiores et iuniores priore membro universalitatem iustitiae, quae in omnes diffundatur, altero sublimitatem iustitiae, quae non ex humanis viribus sed desursum per fidem, quae ipsa quoque coeleste sit donum, super homines descendat, designatam vident (*Herv. Lomb. Thom.* etc., *Tol. Lap.* etc.); praepositio ἐπί enim hanc significationem non admittit. — Neque minus a vero cum *Theod.* et *Oec.* nonnulli aberrarunt, qui prius membrum ad Iudaeos retulerunt (*in omnes*), utpote qui apud se Christum, auctorem iustitiae, habuissent, alterum ad ethnicos, super quos vel potius ad (ἐπί) quos eadem gratia esset extenta; nam quomodo Paulus, qui in salutis et iustitiae negotio omnem Iudaeorum et ethnicorum distinctionem sublatam dicit, hic eam statuisset?

Omnibus ergo iustitia Dei est destinata omnibusque qui in Iesum Christum credunt confertur sine ulla distinctione Iudaeorum et Graecorum : 23. *omnes enim peccaverunt et egent* (ὑστεροῦνται) *gloria Dei*, 24. *iustificati* (δικαιούμενοι) *gratis per gratiam ipsius* (τῇ αὐτοῦ χάριτι ipsius gratia) *per redemptionem quae est in Christo Iesu* (διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ). Interpunctione sua *Vulg. Clem.* iterum haud recte duos hos versus separavit, quum unam sententiam efforment, quae in *v.* 23. inchoata in *v.* 24 continuatur atque ipsos *vv.* 25. 26 complectitur. A suo autem interprete, qui ob latinae linguae participio *praes. pass.* carentis penuriam graecum participium praes. (δικαιούμενοι) participio perf. (*iustificati*) reddiderat, editores Vulg. in errorem esse inducti videntur. Re enim vera, si participium *perf.* esset retinendum, duo vv. 23. 24 connecti non possent, quia iustificati carere vel egere gloria Dei inepte dicerentur. Verum aptissime hic, uti saepissime, praeeunte iam *Syr.* participium δικαιούμενοι verbo finito praes. (καὶ δικαιοῦνται *et iustificantur*) exponemus. Namque ut in iustificationis negotio inter Iudaeos et Graecos non esse distinctionem confirmet, Apostolus eundem esse statum utrisque, ex quo exire debeant, ostendit : *omnes enim peccaverunt;* eundem deinde esse terminum innuit, quem velut metam utrique attingere debeant, a quo tamen suis peccatis utrique retineantur : *et egent gloria Dei;* demum utrisque eandem esse viam addit, qua ab uno statu in alterum transferantur : *et iustificantur gratis* etc.

De primo membro, quo initium viae indicatur, ex negativa Pauli argumentatione abunde constat, siquidem Iudaeos et Graecos omnes

sub peccato esse demonstravit Scripturaeque testimoniis corroboravit. Secundo membro metam viae innui ex verbo ὑστερεῖν colligi potest, quippe quod proxime significat *posteriorem* (ὕστερον) *esse,* i. e. in cursu relinqui ac procul manere a meta, ac dein, maxime in pass., ad carendi vel egendi significationem transit, quatenus nimirum is qui metam non attingit etiam corona victori proposita destituitur eaque caret. Quid vero Apostolus nomine *gloriae Dei* velut metam designet, minus est certum; equidem ipsam vitam aeternam intelligere malo, quae saepe *gloria* appellatur (2,7. 10; 8,18. 21 etc.) recteque *Dei gloria* appellari potest, non tantum quia a Deo nobis est parata, sed etiam quia participatio quaedam ipsius gloriae divinae est. Sicut enim iustificati iam hac in terra in imaginem Christi transformantur a gloria in gloriam, gratia nimirum et caritate crescente (cfr 2 *Cor.* 3,18), ita etiam, quum Christus apparuerit, vita eorum, et ipsi apparebunt cum eo in gloria (*Col.* 3,4). Quod si obiicitur, gloriam Dei, qua peccator hac in terra carere dicitur, esse non posse rem futuram (cfr *Mai.* etc. — *Weiss* etc.), respondemus eam, quum certa spe et iure quodam acquisito a iustificatis iam nunc possideatur, a Paulo haud raro velut rem praesentem considerari (cfr ad 1,16; 2 *Cor.* 5,1 etc.); nihil ergo impedit, quominus hanc explicationem cum haud paucis antiquioribus teneamus (cfr *Chrys. Theoph. Oec*[1]. etc., *Cai*[1]. *Salm*[3]. *Lap*[2]. etc.).

Neque tamen negamus, probabilem quoque esse antiquiorum Latinorum interpretationem, qui nomine *gloriae Dei* ipsam iustificationis gratiam designatam vident[1], sive quia in gloriam Dei cedit, sive quia semen est gloriae aeternae, sive quia propter eam homo coram Deo laude et gloria dignus est (cfr *Sed. Gl int. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Salm*[1]. *Lap*[1]. *Iust.* etc., *M Ev*[1]. etc.). Quin etiam, si quis voluerit, cum iunioribus ac modernis nonnullis interpretari poterit gloriam, quae a Deo tribuitur iustificatis; « qui enim peccavit, non laudatur neque clarus est apud Deum; et dicitur hoc directe ad differentiam gloriae, quae habetur apud homines (cfr *Ioan.* 12,43; 5,44), quum quis, quamvis peccaverit, iustitias operum exercet » (*Cai*[2]. etc., *Mai.* etc. — *Weiss* etc.). Minus vero placet, quod alii iuniores ac moderni, qui ad latini, ut videtur, nominis *gloriae* usum nimis attendunt, gloriam Dei dicunt esse illud, quo quis coram Deo gloriari possit (cfr *Tol. Est. Pic.* etc., *Reith.*

1. Immerito *S. Aug.* (de pecc. mer. I. 27,43 et de spir. et lit. 9,15) velut auctor aut patronus huius sententiae ab omnibus fere iunioribus et modernis allegatur; in priore enim loco nudum textum (*egent gloria Dei*), nulla explicatione addita, allegat; in altero autem nihil habet nisi : « egent gloria Dei, non sua »; unde clare patet, eum gratiam non intellexisse. *S. Hier.* tamen (in Is. 14,5-5) gratiam intellexisse recte dicitur (« omnes enim sub peccato sumus *et egemus gratia Dei* »); atque inde ab eius tempore etiam in nonnullis codd. *Vulg.* pro *gloria Dei* legitur *gratia Dei*, unde facile explicatur, cur illa explicatio inter Latinos praevaluerit.

etc.); hoc enim si significare voluisset, Paulus vocabulum καυχήματος adhibuisset (cfr 4,2 etc.), quum eo sensu nomen δόξης nusquam adhibeat (etiam non 2 *Cor.* 8,23 et 1 *Thess.* 3,29). Neque magis nobis probatur, quod aliqui supranaturalem hominis cum Deo similitudinem (qua appellatione iustitiam originalem Adami peccato amissam designant) intelligant ad 1 *Cor.* 11,7 provocantes (*Bisp.* etc. — *Olsh.* etc.); nam de iustitia originali illo in ep. ad Cor. loco non agitur, neque aliud testimonium habetur, quo eam nomine δόξης significari probetur.

Initio ac termino viae commonstratis B. Paulus viam ipsam iustitiae Iudaeis Graecisque communem describit : *et iustificantur*, non mera aliqua externa declaratione sine interna transmutatione (uti protestantes volunt, ac si Deus hominem, qui vere iustus non est, pro iusto reputare et iustum declarare posset), sed vera peccatorum remissione interiorisque hominis sanctificatione ac renovatione, qua ex iniustis fiunt iusti et ex inimicis amici, ut sint heredes secundum spem vitae aeternae (cfr *Conc. Trid.* sess. VI. cp. 7). Proxime Apostolus iuxta contextum ad negativam iustificationis partem, remissionem silicet peccatorum, respicit, quae tamen a positiva, interna sanctificatione, separari nequit, quia infusione gratiae sanctificantis, uti statim addit, efficitur. Quae iustificatio deinde dicitur esse *gratuita :* iustificantur *gratis* (δωρεάν), per modum quippe gratuiti doni (δωρεά a δίδωμι) iustitiam accipientes. Quod non ita intelligendum esse, ut homo sua ex parte nihil agere teneatur omnesque praevii actus, quibus impius ad divinum donum accipiendum se praeparet ac disponat, prorsus excludantur, ex eo iam luculentissime apparet, quod iustitia *per fidem* in Iesum Christum esse atque *credentibus* conferri dicitur. Fides igitur antea adsit oportet, qua iniustus in Deum libere moveri incipit; ex fide autem, nisi homo ipse impedimentum ponit, sua sponte alii quoque actus exoriuntur, quibus iuxta Scripturae testimonia impius se ad iustitiam disponere debet : timor divinae iustitiae, quam suis peccatis provocavit, spes, qua Deum propter Christum sibi propitium fore confidit, amor, quo Deum tamquam omnis boni doni fontem diligere incipit, poenitentia, qua peccata commissa detestatur, emendationis propositum etc. (cfr *Conc. Trid.* sess. VI. cp. 6). Attamen omnes isti actus, quamvis Deum ad gratiam iustificationtis impio donandam aliqualiter movere recte dici possint, nullo modo impediunt, quominus iustificatio ipsa sit vere gratuita. Nam una ex parte actus ipsi quoque, quum a gratia plane dependeant, sunt divina dona gratuita, ita ut totum iustificationis negotium a primo fidei initio usque ad ipsam gratiae sanctificantis infusionem sit omnino a Deo, qui singulas gratias propter meritum Christi dat. Altera autem ex parte actus ipsi, quamvis iusti-

tiam ipsam praecedant et ante eam requirantur, eam nec producunt nec merentur. Aliud enim est hominem non iustificari nisi actibus quibusdam praecedentibus, aliud eum virtute vel merito istorum actuum iustificari. Prius omnino concedimus atque ipsi protestantes concedere debent, quum saltem fidem praecedere fateantur; alterum relate ad omnes actus praevios negamus, sicut protestantes illud relate ad fidem negare debent[1]. « Gratis autem, inquiunt *Patres Tridentini* (sess. VI. cp. 8), iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur ».

Gratis porro iustificantur *per gratiam ipsius* (αὐτοῦ χάριτι per ipsius gratiam); quibus verbis Apostolus duas iustificationis causas, efficientem ac formalem, recenset. Pronomine αὐτοῦ (*ipsius* sc. Dei) praemisso non sine emphasi efficientem causam primo in loco nominat; est enim « misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat signans et ungens Spiritu promissionis sancto » (*Conc. Trid.* sess. VI. cp. 7). Unica autem causa formalis « est iustitia Dei non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit » (l. c.), ipsa igitur *gratia* sanctificans, quae a Deo est (*ipsius* gratia) et qua a Deo donati renovamur spiritu mentis nostrae, ita ut eius infusione simul accipiamus peccatorum remissionem veramque iustitiam. Sunt quidem, qui verbis *per gratiam ipsius* solam efficientem causam designari dicant, quum nomen *gratiae* hic « gratuitam Dei bonitatem » significare velint (*Est.* etc.); licet autem non negemus, hanc significationem vocabulo aliquoties competere, nulla tamen hic est ratio, qua a frequentiore recedere coacti *gratuitum donum divinum,* quo formaliter iustificamur, intelligere prohibeamur (cfr *Lyr. Salm. Tol.* etc.). Quin etiam haec significatio hic aptior videtur, quia

1. Cfr *Tolet.* : « Si fides, qua ratione actus est (hominis), ex se iustitiam faceret, iustitia gratis non daretur; at id non habet, sed est medium quoddam ex divino beneplacito, per quod virtus Christi in credentibus operatur iustitiam; idcirco fides non tollit, quod gratis detur iustitia; idem dico de poenitentia etc. Quod etiam ex parte exemplo apposito declaro : ego pauperi scutum gratis porrigo, quod ille extensa manu a me accipit; si quis mihi obiiceret : tu gratis non dedisti, nam et pauper manum extendit nec accepisset nisi id fecisset, ridicula profecto esset obiectio; extensio enim manus non habet ex sese virtutem afferendi scutum extendenti; si enim id esset, quoties manum extenderet, scutum haberet; a virtute potius et liberalitate dantis est scutum, quamvis illi per manuum extensionem applicetur. Ita de fide et dispositionibus aliis dicimus, per quas virtus Christi ac liberalis et misericors voluntas Dei credentibus ac dispositis gratiam remissionis et reconciliationis impertitur; non ergo tollitur nec minuitur meritum Christi nec gratuita Dei voluntas per hoc, quod fides aut dispositiones hae requiruntur. Vana ergo est obiectio haereticorum contra nos, quasi meritum Christi et virtutem gratiae minuamus, quia ad gratiam hanc recipiendam necessarias dispositiones docemus, quum argumentum idem contra eos fidem saltem postulantes procederet, ac nos veram solutionem pro nobis et pro ipsis, qua parte fidem necessariam sentiunt, adhibuimus » etc.

Paulus illud *gratis* (δωρεάν) additis verbis *per ipsius gratiam* (τῇ αὐτοῦ χάριτι) quasi explicare recte dicitur : « iustificantur per modum *doni* (δωρεάν) et quidem *per gratuitum donum* Dei infusum » ; clarius enim nomen χάρις quam δωρεά donum esse gratuitum connotat.

Tertio in loco sequitur meritoria causa iustificationis : *per redemtionem quae est in Christo Iesu* (διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ scilic. γενομένης, quae *in* vel melius *a* Christo Iesu facta est; nimirum praepos. ἐν per hebraismum quendam apud Alex. et in Novo Test. aliquoties ponitur pro διὰ cum genet., quum hebr. בְּ respondeat). Nomen ἀπολυτρώσεως proprie liberationem captivi vel servi significat, quae per pretii (τὸ λύτρον *Matth.* 2,28, ἀντίλυτρον 1 *Tim.* 2,16; utroque in loco *Vulg.* minus apte vertit *redemtio*) solutionem efficitur. Primi quippe hominis peccato universum humanum genus iam divinae irae obnoxium erat factum atque a Deo quasi in potestatem servitutemque peccati traditum, propriis autem peccatis homines hanc servitutem duriorem reddiderant; sibi ipsis deinde relicti sese liberare ex ea non potuerunt, quia nihil habebant, quo liberationis suae pretium solverent Deoque satisfacientes eius iram a se averterent. Itaque Patris Unigenitus ipse venit, qui natura nostra assumta homo factus culpam totius generis humani in se suscepit atque in cruce morte sua Patri satisfaciens sanguinemque suum velut liberationis nostrae pretium eidem offerens nos ex servitute redemit iustificationemque nobis promeruit. *Gratis* igitur iustificamur ex parte nostra quidem, quum nihil agere potuerimus aut possimus, quo iustitiam mereamur; at gratis non iustificamur eo sensu, quod nullum pretium aut meritum intervenerit. Christus enim sanguinem suum effundens non tantum iustum ac sufficiens sed superabundans pretium divinae iustitiae solvit ac pretio magno nos redemit (1 *Petr.* 1,18; 1 *Cor.* 6,20); Pater autem coelestis ipse, quum pro sua benignitate ac misericordia Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui in eum crederet vitam aeternam haberet (*Ioan.* 3,16), nobis pretium nostrae redemtionis dedit.

Quae sequentibus accuratius exponens S. Apostolus simul finalem iustificationis nostrae causam, quae est gloria Dei et Christi, indirecte nobis indicat : 25. *quem* (Christum Iesum) *proposuit* (i. e. spectandum proposuit προέθετο) *Deus propitiationem* (ἱλαστήριον) *per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae* (melius : *ad demonstrationem iustitiae suae* εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ) *propter remissionem* (lege : *propter praetermissionem* διὰ τὴν πάρεσιν) *praecedentium delictorum* 26. *in sustentatione Dei* (vel *in patientia Dei* ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ), *ad ostensionem iustitiae eius* (lege : *ad demonstrationem iustitiae suae* πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ) *in hoc tempore, ut sit ipse iustus et*

iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Magna obscuritate hanc sententiam laborare, *Tol.* haud immerito asseruit ad multas omnium fere locutionum diversas explicationes attendens; de praecipuis pauca.

Anceps iam est verbum προέθετο, quippe quod iuxta alios significet *sibi proposuit* (cfr 1,13) atque de aeterno consilio (cfr *Eph.* 1,9) intelligendum sit, quo Deus Filium suum dare decrevit (cfr *Orig. Chrys. Theoph.* etc., *A^ter Haym. Herv*[1]. *Thom*[1]. etc., *Picon. Nat. Sch.* etc. — *Fritzsche God.* etc.), iuxta alios vero idem sit quod *publice spectandum proposuit*, quum de Christo publice in cruce proposito ac de eius passione per Apostolos praedicata agatur (cfr *Cyr Alex. Theod.* etc., *Herv*[2]. *Thom*[2]. *Dion.* etc., *Tol. Salm. Iust. Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Dr.* etc. — *Mey. Weiss* etc.). Utrumque per se apte dici potest, « Deum ab aeterno statuisse, ut Christus esset propitiatio » et « Deum in tempore Christum tamquam propitiationem manifestasse »; secunda tamen explicatio sola, uti *Tol.* recte monet, contextui consonat, siquidem « Apostolus de propitiatione iam exhibita et de Christo iam praesente loquitur, quem Pater iam exhibuit ac proposuit redemtorem omnium per fidem in sanguine eius ».

Anceps quoque est accusativus ἱλαστήριον, qui quum articulo careat ignoratur utrum sit masc. an neutr. generis. Unde tres quatuorve eius explicationes propositae sunt, quae omnes tamen eundem fere in sensum facile trahuntur, ut lis de accuratiore tantum nominis significatione agatur. Cum *Syr.* etiam interpres *It.* nomen pro masc. habuit; nam *A^ter Pel.* in suis codd. legerunt *propitiatorem*, quam lectionem etiam *Fuld.* aliique nonnulli *Vulg.* codd. retinuerunt, antiquiores non pauci latini commentatores secuti sunt (*Haym. Abael. Lomb. Thom. Lyr.* etc.) iunioresque nonnulli approbant (*Tol. Est. Lap*[2]. etc., *Reith.* etc.), ita ut ἱλαστήριος eis sit i. q. ἱλαστής; nescio vero, num hoc sensu usquam reperiatur. Graeci plerique illud pro substant. neutr. habuerunt ad Alexandrinorum loquendi usum respicientes; hi enim hebr. כַּפֹּרֶת verterunt ἱλαστήριον ad auream tabulam arcae foederis impositam designandam, supra quam Dominus inter duos Cherubim apparens Moysi interroganti respondebat (*Exod.* 25, 17-22) quamque in magno expiationis die quotannis summus sacerdos sanguine victimae propitiatoriae ad populum expiandum aspergere debebat (*Levit.* 16,11 sqq. cfr *Hebr.* 9,6); pro qua duplici operculi illius destinatione *S. Hier.* etiam duplici modo hebr. כפרת reddit, interdum *propitiatorium*, interdum *oraculum* illud appellans. Iamvero ad hoc propitiatorium, tamquam ad typum Christi propitiatoris, Paulum hic alludere cum plerisque Graecis (*Orig. Theod. Oec. Theoph. Euth.*) etiam iuniores aliqui censent (*Iust. Lap*[1]. *Calm.* etc[1].) : « quem

1. *S. Aug.* (de spir. et lit. 13,21) nostram sententiam hoc modo allegat : « quem proposuit Deus *propitiatorium* »; sed quo sensu nomen *propitiatorii* intellexerit, non indicat.

proposuit velut verum propitiatorium ». Quae explicatio nobis probaretur, si aut typicam hanc rationem Romanis tam cognitam fuisse constaret, ut Paulus eam, nulla explicatione addita, adhibere potuisset, aut verum propitiatorium antitypicum a typico aliquo modo distingueretur, sive articulo sive epitheto quodam (τὸ ἀληθινὸν ἱλαστήριον). Itaque praeeunte *Chrys.*, qui illo Vet. Test. propitiatorio non commemorato ἱλαστήριον nostro in loco sacrificiis propitiatoriis veteris oeconomiae opponit, cum plerisque modernis nomine illo significari hic censemus vel piaculum in genere vel rectius *sacrificium piaculare seu propitiatorium* (cfr *Pic. Mai. Beel. M Ev. Bisp.* etc.). Simili modo τὰ σωτήρια (sc. ἱερά) sunt sacrificia pacifica, quibus salus obtinetur (*Exod.* 20,24), χαριστήρια sacrificia quibus gratiae aguntur etc. Latinum *propitiatio*, quo alibi graecum ἱλασμός (sacrificium expiatorium) redditur (1 *Ioan.* 2,2; 4, 10 etc.), eandem significationem admittit.

Porro altera quaestio est de verbis *per fidem in sanguine ipsius* (διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι) connectendis. Haud pauci duas has locutiones non tantum cum praecedente nomine *propitiatorium* (ἱλαστήριον) sed etiam inter se arcte coniungunt, ut significetur sacrificium propitiatorium, quod operatur « per fidem, quae est de sanguine eius pro nobis effuso » (*Thom.*), vel « per fidem passionis eius » (*Lap.*), vel etiam « per fidem, quae innititur morti, quae fuit per sanguinis effusionem » (*Cai.*). Verum non tantum insolentior constructio (cuius tamen simile exemplum cfr *Gal.* 3,26), sed sensus quoque minus aptus est, quandoquidem haec figura, ut fides in sanguinem Christi significet fidem in Christum sanguinem suum effundentem, alibi a Paulo non adhibetur. Alii porro duas locutiones inter se non connectunt, ambas tamen velut parallelas ad praecedens nomen trahunt: « Christus victima *in se* piacularis est per suimet sanguinis effusionem, et *hominibus* piacularis est per fidem quam ei habemus » (*Beel.*), vel melius cum *Tol. Nat. Reith.* etc. : « quem proposuit victimam propitiatoriam, quae *sanguine suo* effuso virtutem suam exsereret *per fidem* i. e. in credentes ». Quae constructio priore est aptior atque admitti mereretur, si cum B legendum esset ἐν τῷ ἑαυτοῦ αἵματι (*in suo ipsius sanguine* cfr *VV. LL.*). Alii eundem fere sensum obtineri putant ambas locutiones velut inter se parallelas cum verbo *proposuit* (προέθετο) connectentes (*Bisp.* etc.); at Deum « *per fidem* Christum *proposuisse* propitiationem » parum recte dicitur, licet eum *fidei* nostrae proposuerit. Itaque prior quidem locutio (*per fidem*) cum nomine (*propitiatorium*) connectatur oportet, alteram vero (*in sanguine ipsius*) ad verba *quem proposuit* vel forte melius ad solum relativum (*quem*) trahemus, ut sensus sit : « quem *in suo sanguine* (i. q. sanguinem suum effundentem) in propatulo posuit tamquam victimam piacularem, quae virtutem suam exsereret *per*

fidem i. e. in credentes », vel etiam « cuius fructus per fidem i. e. credentibus applicatur » (cfr *Salm. LR.* etc.). Quemadmodum olim Moyses in deserto exaltavit populoque proposuit serpentem aeneum, cuius aspectu omnes a serpentibus percussi sanarentur (*Num.* 21,9), ita nunc Pater in Calvariae loco exaltavit totique generi humano velut victimam piacularem proposuit Filium suum in cruce sanguinem effundentem, cuius fide omnes a peccatis suis mundarentur ac sanctificati vitam aeternam obtinerent (cfr *Ioan.* 3,14. 15).

Cur vero Pater ita egerit, B. Paulus duobus membris, quae ab iisdem verbis (*ad ostensionem iustitiae suae*[1]) incipientia inter se parallela sunt, ita exponit, ut eum divinam suam iustitiam quum temporis, quod passionem praecessit, tum aetatis praesentis respectu demonstrare voluisse declaret. Iam ad prius membrum quod attinet, Paulus antea (1,18-3,20) fuse ostendit, tota aetate ante Christi adventum genus humanum, quod in primis suis parentibus a Creatore suo iam defecerat, innumeralibus peccatis accumulatis longius semper ab eo recessisse, usque dum fere integrum in foedam idololatriam prolapsum turpissimis criminibus se contaminasset ipsumque boni malique discrimen oblivioni dedisset, atque illi ipsi, quos sibi prae reliquis in populum peculiarem elegerat, plerique gentium impietatem aemularentur. Procul quidem dubio Deus odium infinitum, quo pro sua sanctitate omnimodaque sua iustitia omne peccatum aversatur ac punit, illa aetate manifestare non cesserat, tum calamitatibus gravissimis haud raro aut in universum genus humanum aut in singulas quasdam nationes immissis, tum negatis subtractisque gratiis, quibus peccatores sese reddiderant indignos. Verum multo clarius ac dilucidius divina longanimitas et patientia per totam illam aetatem sese manifestaverat, quatenus Deus, dissimulato iustitiae suae rigore tempora ignorantiae quasi non curans (*Act.* 17,30), omnes gentes vias suas malas ingredi dimisit (*Act.* 14,15) illiusque populi, quem omnibus beneficiis cumulaverat, continuam cordis duritiem contumaciamque toleravit. Quare fieri potuit, ut homines, quum tot tantaque flagitia hac in terra condignis poenis

1. *Vulg. Clem.* cum plerisque graecis editionibus verba *in sustentatione Dei* (ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ) ad *v.* 26 trahit; sed quoniam in fine *v.* 25 nullum habet interpunctionis signum, verba autem *in sustentatione Dei* a sequentibus minore interpunctione separat, satis innuit, duo membra eo quo diximus modo esse distinguenda. Perversa versuum separatio ex erronea nonnullorum interpretum (cfr *Thom.* etc.) explicatione exorta est, qui verba *in sustentatione Dei* ad secundum membrum trahere conati sunt. — In graeco utique textu in priore membro legitur εἰς ἔνδειξιν, in altero πρὸς τὴν ἔνδειξιν, verum praepositiones εἰς et πρός eodem omnino sensu hic adhibentur ac recte a *Vulg.* eadem praepositione latina *ad* redduntur; articulus autem in secundo membro est additus, quia Paulus ad ἔνδειξιν iam commemoratam respicit.

vindicari non viderent, contemtis patientiae benignitatisque divinae divitiis, quibus ad poenitentiam adduci debebant (2,4), in peccatis perseverarent ac de divina sanctitate iustitiaque dubitantes Deum peccata non curare stulte sibi persuaderent. Ad hunc autem errorem destruendum ac removendum Deus Filium suum in cruce velut victimam piacularem sanguinem effundere voluit, ut omnimodam suam iustitiam sanctitatemque evidentissimo et clarissimo argumento demonstraret. Hic videtur esse sensus, quem priore membro Paulus enuntiat: *ad demonstrationem* (εἰς ἔνδειξιν) *iustitiae suae propter praetermissionem* (διὰ τὴν πάρεσιν) *praecedentium peccatorum* (τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων i. e. peccatorum ante Christi adventum passionemque commissorum) *in patientia Dei* (ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ). Quemadmodum enim Deus infinitam suam caritatem clariore argumento, quam Unigeniti sui Filii incarnatione demonstrare non potuit, ita infinitam suam sanctitatem iustitiamque, qua peccatum odit ac punit, evidentius ostendere non potuit, quam quum Filii incarnati sanguine omnia peccata, quae in praeteritis generationibus pro longanimitate sua toleraverat et quodammodo praetermiserat, expiari vellet.

Cum hac verborum explicatione moderni plerique consentiunt in levioribus tantum discrepantes; ab ea autem antiquiores iunioresque longe recedunt inter se quoque dissentientes. Praecipuas eorum opiniones ita proponemus, ut simul nostram interpretationem accuratius exponamus ac vindicemus. *Iustitia Dei* a plurimis Latinis (cfr *Herv. Thom.* etc., *Tol. Est. Iust.* etc.) hic, uti *v.* 21 et 1,17 etc., intelligitur illa, qua Deus impium formaliter iustificat, donum ergo divinum, quo homo renovatur spiritu mentis suae. Quae nominis significatio quam parum nostro contextui congruat, solus iam nexus cum praecedente nomine (εἰς ἔνδειξιν *ad ostensionem*) satis docet; ἔνδειξις enim non tam est manifestatio quam *demonstratio* quae argumentis efficitur (cfr ad 2 *Cor.* 8,24); atqui iustitia, qua formaliter iustificamur, passione Christi non est demonstrata sed promerita. Si quis vero contenderit, iustitiam hanc recte dici in sanguine Christi manifestatam et revelatam, id quidem non nego, attamen moneo, Paulum, si id significare voluisset, vocabulis φανέρωσις vel ἀποκάλυψις usurum fuisse (*v.* 21 πεφανέρωται, 1,17 ἀποκαλύπτεται). Alii igitur attributum divinum designari rectius tenent, inter se tamen non consentiunt; nonnulli cum *Orig.* intelligunt iustitiam proprio sensu, qua nimirum Deus peccata non remittit nisi iusta satisfactione accepta, nonnulli cum *Theod.* benignitatem, qua Deus diuturna cum patientia peccata hominum toleravit, nonnulli cum *A^tro* fidelitatem, qua Deus iuxta promissiones suas

hominès a peccatis liberat, nonnulli demum (cfr *Reith. Beel.* etc.) sanctitatem, qua Deus peccatum odio habet. Verum cum *Chrys.* iustitiam latiore sensu (uti supra *v.* 5) intelligere malumus, ita ut sanctitas, quae peccatum aversatur, iustitia quae condignam peccati vindictam ordinisque laesi reparationem exigit, aliaeque perfectiones morales comprehendantur. Coarctandae enim significationis nulla adest ratio; ad omnimodam quippe suam iustitiam demonstrandam Deus Filium suum morientem mundo palam proposuit, idque *propter praetermissionem praecedentium delictorum.*

Probe enim animadvertatur oportet, Apostolum non dixisse διὰ τὴν ἄφεσιν sed διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων[1]. Priore nomine (ἄφεσις ab ἀφιέναι *dimittere*) a Paulo (cfr *Col.* 1,14; *Hebr.* 9,22; 10, 8 etc.) et ab aliis Novi T. scriptoribus (*Matth.* 26,28; *Marc.* 1,4; *Luc.* 1,77; 3,3 etc.) *remissio* seu *condonatio* peccatorum designari solet, quare hic quoque idem nomen adhibitum esset, si de eadem re sermo esset. Alterum vero (πάρεσις a παριέναι *praetermittere*, *relaxare*), quod neque in alexandrina versione neque alibi, nisi hic, in Novo Test. legitur[2], apud profanos duas habet significationes pro duplici verbi παριέναι vi; est enim aut *praetermissio* vel neglectio, aut *paralysis* vel languor. Quam secundam significationem cum *Chrys.* adoptantes iuniores Graeci (*Theoph. Oec. Euth.*) et Latini quidam (*Salm. Tol.* etc.) animi debilitatem vel paralysin intelligunt, quae ex praecedentibus peccatis a Deo pro sua longanimitate toleratis nata sit; at Deum iustitiam (vel sanctitatem etc.) suam in Christi morte *propter animi languorem ex prioribus delictis natum* demonstrasse, parum apte dicitur. *Orig.* vero, quamvis vocabulum diserte non explicet ac Rufinus pro La-

1. *Italae* interpres videtur legisse διὰ τὴν πρόθεσιν, quum verteret: « *propter propositum praecedentium delictorum in patientia Dei* (cfr *S. Aug.* de lit. et spir. 13,21; de peccat. mer. et rem. I. 27,43; *Ater Pel.*). *S. Aug.* hanc lectionem non explicat. *Pel.* autem in hunc modum: « propterea passus est Christus, ut *propositum Dei* sedaret, *quo tandem punire decreverat* homines »; contra *Ater* intelligit « *propositum benignitatis, quo Deus censuit peccatoribus subvenire* tam iis, qui sunt apud superos quam iis qui in inferno tenebantur; utrosque diutissime exspectavit evacuans sententiam, qua iustum videtur omnes damnari, ut ostenderet nobis, quod olim decreverat liberare genus humanum per Christum ». Quas explicationes lectione ipsa non esse meliores patet.

2. Unde mirum non est, quod *Syrus* vocabulum non intellexerit et in versione sua transiluerit; vertit enim: « propter peccata nostra, quae antea peccavimus ». Coniicere quoque licet, *Italae* interpretem (cfr not. praeced.) nomen πάρεσις non intellexisse ideoque aliud vocabulum forma simile (πρόθεσις) substituisse. Huius enim nominis in paulinis epistolis satis frequentis hoc in loco nullum habetur vestigium neque in codd. graecis neque in versionibus. Ob eandem rationem, quia quid esset πάρεσις non intelligebant, aliqui librarii, uti ex superstitibus codd. apparet, scripserunt διὰ τὴν πώρωσιν (propter excaecationem) vel διὰ τὴν παραίνεσιν (propter exhortationem) etc.; quas lectiones mendosas esse demonstratione non indiget.

tinorum more in sua versione nomine *remissionis* utatur, procul dubio iuxta priorem significationem *praetermissionem* designatam vidit. Modum enim, quo Deus altera in vita peccatum tractat (illud scilicet puniens), modo, quo illud hac in terra tractat (scilicet illud tolerans), opponi arbitratur, eandemque significationem haud pauci moderni hic recte tenent (cfr *Mai. Beel. Bisp. LR. Simar* Theol. des h. Paulus. Ed. 2. p. 62. 118 sq. etc.[1]).

Significationem enim *remissionis* vel condonationis, quam nemo Graecus vocabulo unquam attribuit, contextus quoque reprobat, ita ut antiquiorum ac plerorumque iuniorum Latinorum explicationes admitti nequeant. Namque praeprimis non intelligitur, quo cum iure Paulus de solorum *praecedentium* (προγεγονότων *antea* factorum, scil. ante Christi passionem commissorum) peccatorum *remissione* loqui censeatur, quum Dominus propter *omnium* peccatorum *remissionem* passus sit. Quod si respondetur : « Dicit *praecedentia*, tum quia non remittuntur nisi peccata iam commissa [id per se intelligitur neque profecto Apostolus ob hanc rationem vocem addere potuit], tum quia par est, eos quibus remissa sunt peccata non amplius fore peccaturos » (*Ag.*), vel « *praecedentia* solum nominat, ut insinuet, deinceps post effusum et semel applicatum unicuique Christi sanguinem non esse peccatis vivendum sed iustitiae » (*Est.*) etc., nescio an haec similiaque effugia potius quam responsa cuiquam sufficiant. Nemo enim non videt, sequelam ab *Ag. Est.* etc. indicatam non tam ex eo legitime derivari, quod Pater propter peccatorum, quae ante Christi mortem commissa erant, remissionem Filium suum pati ac mori voluerit, quam ex eo, quod nostra peccata, quibus ipsi obnoxii eramus, ex virtute sanguinis Christi in baptismo nobis ipsis sint remissa; ita enim Paulus argumentari solet (cfr 6,1-14 ; *Hebr.* 10,28 sqq. etc.). Neque magis, si de remissione agitur, apte explicatur cur addantur verba ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ

1. Nonnulli moderni duo nomina (πάρεσις et ἄφεσις) distinguenda quidem censent atque recte priore *praetermissionem* significari tenent, parum recte tamen eam definiunt. Cum *Reith.* enim ex. gr. *Sch.* (p. 138 sq.) praetermissionem explicans ait : « Longanimitas Dei peccata tempore ante Christum *praetermisit*, i.e. *morte aeterna non punivit* » (« die Langmuth Gottes hat die Sünden in der vorchristlichen Zeit *vorbeigelassen*, d. h. also nicht mit dem ewigen Tod gestraft »). Quam sententiam in sua universalitate erroneam utique ad peccata *iustorum* ante Christum viventium restringit, quippe quibus praevisa mortis dominicae merita sint applicata. Hoc sensu propositio vera quidem est, sed nostro loco explicando non idonea, quia Paulus se de solis iustorum illorum peccatis loqui nullo verbo indicat. Quare haud recte quoque addit, Paulum hoc in loco nomen πάρεσις adhibuisse, ut inter peccatorum remissionem, quae facta sit ante Christum, et remissionem, quae hoc tempore fiat, distingueret. Priori igitur *praetermissionis* significationi *Sch.* adiungit significationem *remissionis*, id quod fieri non posse evidens est; peccatum quod *remittitur* non potest *praetermitti*, quia ipsa remissione deletur.

(*in sustentatione* vel melius : *in patientia* vel *longanimitate Dei* cfr 2,4). Nam remissio peccati ad longanimitatem aut patientiam Dei non pertinet, verum ad eius misericordiam; praetermissio autem, qua Deus peccatum ad tempus tolerat neque statim adaequate punit, quum se illud videre quasi dissimulet, est effectus patientiae divinae. Inter modernos, qui de praetermissione agi concedunt, non desunt quidem, qui locutionem ἐν τῇ ἀνοχῇ per hyperbaton quoddam cum participio προγεγονότων connectant, ut sensus sit « propter praetermissionem peccatorum, quae antea, tempore scilicet longanimitatis Dei, commissa sunt »; at non tantum constructio durior sed etiam sensus minus aptus est. Tempus enim participio iam sufficienter est indicatum, neque tam quaeritur, quando vel cur peccata sint commissa, quam cur vel quando praetermissa. Hinc explicationis gratia Paulus verba illa adiecit accuratiore constructione neglecta; neque enim dixit ἐν τῇ ἀνοχῇ αὐτοῦ (in patientia *sua*), uti dixit τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ (iustitiae *suae*), sed ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ (in patientia *Dei*).

Verum expiatio criminum scelerumque, quae in praeteritis generationibus pro longanimitate ac patientia sua quodam modo neglexerat, non erat unicus vel totus finis, quem Deus prosecutus est, quum Filium suum in cruce morientem tamquam victimam propitiatoriam proponeret; alterum enim Apostolus priori addit membrum parallelum, quo plenius accuratiusque doceat, quid Deus intenderit : *ad demonstrationem iustitiae suae in hoc tempore* (ἐν τῷ νῦν καιρῷ), *ut sit ipse* (εἰς τὸ εἶναι αὐτόν i. q. *ut se ipsum exhiberet* vel *ut ipse esse appareret* cfr ad *vv.* 4. 19 etc.) *iustus et iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi* (τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ, i. q. τὸν πιστεύοντα εἰς Ἰησοῦν, *credentem in Iesum* cfr ad 2,8 τοῖς ἐξ ἐριθείας, 4,4 οἱ ἐκ νόμου etc., *Gal.* 3,7 etc.). Eiusdem vero formulae epanalepsi (εἰς ἔνδειξιν... πρὸς τὴν ἔνδειξιν cfr *supra p.* 191 *n.* 1) hoc membrum priori parallelum esse perspicue indicatur; neque ulla est ratio, cur prius membrum continuantes prima nostra verba (πρὸς τὴν ἔνδειξιν... ἐν τῷ νῦν καιρῷ *ad demonstrationem... in hoc tempore*) aut a locutione ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ (ut sensus sit : « *in patientia Dei,* quam exercuit *ad demonstrationem* ») aut a locutione διὰ τὴν πάρεσιν (« *propter praetermissionem...,* quae facta est *ad demonstrationem* ») ita dependere cum nonnullis statuamus, ut sententia finalis (εἰς τὸ εἶναι κτλ. *ut sit* etc.) ad priorem formulam (εἰς ἔνδειξιν) pertineat; quin etiam hic verborum nexus, licet per se admitti possit, constructionem ex clara ac simplici impeditam contortamque reddit, sensum autem gignit haud multo quidem diversum, minus tamen aptum.

Duobus igitur membris parallelis Apostolus duas aetates, quas fre-

quenter distinguit, antemessianicam et messianicam, certo quodam modo inter se opponit, ut diversa ratione, qua Deus ad utramque sese habet, descripta indirecte ostendat, quantopere priori praestet altera, utpote in qua benignitatis maxime ac misericordiae divinae consilia exsecutioni mandentur omniumque ante oculos ponantur. Etenim Deus, qui in tota aetate antemessianica, innumeris toleratis dissimulatisque criminibus ac vitiis, divitias patientiae et longanimitatis suae splendide manifestaverat, ut peccatores ad poenitentiam adduceret (2,4), in plenitudine temporis illa quoque sua attributa, quae praetermissione ista peccatorum quasi obscurata erant, non minus splendide manifestare et demonstrare decreverat. Quapropter adveniente illo momento, quod huic manifestationi assignaverat, *in hoc tempore* scilicet messianico, non tantum sanctitatem, qua ab omni omnino peccato abhorret, iustitiaeque rigorem, quo omne peccatum adaequate puniens ordinem violatum restituit, sed etiam infinitam suam benignitatem ac misericordiam apparere voluit, qua hominibus summa bona, ad quae ius nullum habent, summa cum liberalitate confert. Itaque quando Iesum Christum in cruce pro totius mundi peccatis morientem proposuit, una ex parte demonstrare voluit ipsoque facto evidentissime demonstravit, quanta esset sua iustitia ac sanctitas, quum proprii sui Filii sanguine nostras iniquitates expiandas duceret; attamen altera ex parte, quum Filium suum morientem vellet esse victimam propitiatoriam, quae virtutem expiantem suam in credentes exsereret cuiusque fructus credentibus gratis applicarentur, simul luculentissime demonstravit, quanta esset benignitas sua ac misericordia. Ex sola quippe illius sacrificii virtute eos, qui in Christum credunt, sine ullis propriis eorum operibus meritisque praeviis iustificare decreverat. Duplex igitur potest dici finis, quem Deus Unigenitum suum patientem tamquam propitiationem per fidem proponens prosecutus est, siquidem iustum sanctumque sese exhibere voluit, qui peccata omnia odio haberet et puniret, sed etiam misericordem ac benignum, qui credentes in Filium suum gratis iustificaret.

Quem duplicem finem Apostolus iam innuit, ubi Deum Iesum Christum *propitiationem per fidem in sanguine ipsius* proposuisse dicit. Namque *sanguine*, i. e. cruenta morte Christi, demonstratur sanctitas et iustitia divina, quae condignam peccatorum satisfactionem postulat; ipso autem modo, quo Deus mortis illius fructus nobis applicari voluit (*per fidem* i. e. credentibus), demonstratur eius misericordia et benignitas. Unde ultimo membro finali nostra explicatio duarum istarum appositionum (διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι cfr ad *v.* 25 p. 190) confirmatur atque satis apparet eas inter se non dependere. Neque minus eodem membro finali confirmatur, *iustitiam*, quam

Apostolus sacrificio expiatorio Christi demonstratam dicit, neque gratiam iustificantem, qua homo formaliter iustus constituitur, intelligi posse, neque solam iustitiam iudicialem vel vindicativam Dei aut solam eius sanctitatem vel bonitatem etc., sed complexum perfectionum moralium divinarum esse intelligendum. In Christo enim, utpote victima propitiatoria, cuius meritis credentes iustificantur, omnia attributa divina, etiamsi intellectui nostro finito inter se pugnare videantur (infinita longanimitas, quae praeteritorum saeculorum peccata praetermisit et quasi neglexit, infinita sanctitas, quae omne peccatum summo odio aversatur, infinita iustitia, quae adaequatis poenis ordinem peccato violatum restituit, infinita misericordia, quae remissis peccatis veniam peccatori concedit etc.) conciliantur ac demonstrantur. Quamobrem in priore membro finali (εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον *ut sit ipse iustus*) adiectivum *iustus* eodem lato sensu de omnimoda divina perfectione morali sumatur oportet; ad alterum autem (καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ *et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi*) attendens *S. Chrys.* locutionem ἡ ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ egregie amplificat: « Quemadmodum enim, inquit, ad divitiarum demonstrationem pertinet, non tantum divitem esse sed et alios ditare, et ad vitae demonstrationem non tantum vivum esse sed etiam mortuos vivificare, et ad demonstrationem fortitudinis non tantum fortem esse sed etiam debiles roborare, ita ad iustitiae quoque demonstrationem pertinet, non tantum iustum esse sed alios quoque, qui in peccatis putruerunt, iustos subito reddere ». Bonum quippe, uti aiunt, est diffusivum sui, neque in supremo gradu invenitur, nisi in alios sese diffundat. Ceterum ex hac *Chrys.* explicatione evidenter elucet, eum hoc in loco nomina *iustitiae* et *iusti* eo, quo nos interpretati sumus, sensu intellexisse.

Iustitiam in Evangelio revelatam obtineri absque Legis operibus atque omnibus credentibus sine ulla Iudaeorum ac Graecorum distinctione gratis a Deo conferri, quum Christus cruento suo sacrificio pretium eius solvisset, Apostolus hucusque (*vv.* 21-26) exposuit. Tanti autem beneficii toti generi humano collati consideratione commotus quasi triumphans concludit, omnem gloriationem Iudaeis nunc esse praecisam, quia nemo sibi suisque meritis iustitiam debeat (27. 28) neque cuiquam alterum velut huius gratiae incapacem contemnere liceat (29. 30). In descriptione iustitiae ab eius universalitate inchoaverat (22. 23), ut deinde eam gratuitum Dei donum esse doceret (24-26); ordine inverso nunc primum ex gratuita eius donatione ac deinde ex eius universalitate argumentatur. Duarum autem argumentationum eadem est structura, quum conclusiones suas vividis interrogationibus responsisque explicet (*vv.* 27. 29) eisque pacatiore sermone confirmationem quandam addat (*vv.* 28. 30). Qui ad artificiosam hanc totius loci structuram attenderit, is in *v.* 28. particulam causalem γάρ (*enim*), quam praeter omnes latinos etiam nonnulli ex optimis graecis codd. tuentur

(cfr *VV. LL.*), particulae ratiocinativae οὖν (*ergo*) praeferre nobiscum non dubitabit, idque eo magis, quia recentiores critici (*Tisch. W H*) eandem ob solas rationes criticas iam praeferunt.

Ad sententiam ergo immediate praecedentem, qua nos propter merita, quae Christus cruenta sua morte acquisivit, gratis iustificari docuit, respiciens B. Paulus superbiam Iudaeorum, qui sibi ipsis suisque Legis operibus iustitiam attribuunt, fervidiore oratione confundit: 27. *ubi est ergo gloriatio* (*tua*)? *Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Quo porro cum iure id asserat, docet addens: 28. *arbitramur* (melius : *censemus* λογιζόμεθα, i. q. rationibus perpensis iudicamus cfr 2,3) *enim, iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Recte *Theod.* adnotat: « gloriationem vocat altos Iudaeorum spiritus nimiamque arrogantiam; quasi enim soli divina providentia fruerentur, sese iactabant ». Dubium non est, quin hic Iudaeos maxime confundere velit (cfr *vv.* 1. 9. 19. 29); quamvis igitur pronomen *tua*, quo haec relatio ad Iudaeos clarius exprimi videtur, genuinum non sit (cfr *VV. LL.*), eius additione sensus non mutatur, quia illa relatio etiam graeco articulo (ἡ καύχησις) innuitur. Ac revera Graeci, qui illud in suis codd. non legerunt, totum locum de Iudaeis iam interpretati sunt (cfr *Orig. Chrys. Theod. Theoph.* etc.). Mirum vero est, quod *S. Aug.*, qui in suo latino cod. illud habuit (cfr de spir. et lit. 10,17), sententiam generaliore sensu explicandam duxerit de omnibus, « qui quum sibi iuste videntur vivere, ita gloriantur, quasi non acceperint ». Quae explicatio iunioribus quidem ac modernis quibusdam probatur, sed immerito; licet enim verbis nude spectatis congruat, apostolicae argumentationi totiusque loci seriei minime consonat. Interrogatio enim nostra (*ubi est ergo gloriatio?*) superiori (*v.* 9. *praecellimus eos?*) omnino respondet, et sicut ibi illam ob morum corruptionem negavit, quam Iudaeis Graecisque communem esse demonstraverat, ita hic eam negat, quia Iudaeos suis Legis operibus ad iustitiam non pervenire iam exposuit. Omnem ergo Iudaeorum gloriationem *exclusam esse*, i. e. locum non habere et quasi domo eiectam esse respondet[1], ut

1. *S. Aug.* (l. c.) dubitat, annon Apostolus « gloriationem dixerit *laudabilem*, quae in Domino est, eamque *exclusam*, i.e. non pulsam ut abscederet sed expressam ut emineret; unde et exclusores dicuntur quidam artifices argentarii : hinc est illud in Psalmis : *ut excludantur ii qui probati sunt argento* (*Ps.* 67,31), hoc est : ut emineant qui probati sunt eloquio Domini ». Cui dubio non posse esse locum, non tantum contexta oratio evidenter docet, verum ipsa quoque verba. Nusquam enim in Scripturis, ne in ipso quidem Psalmi textu allegato, *excludere* idem est quod *efficere ut aliquid emineat;* uti graecum ἐκκλείειν ubique significat aut « eum qui foris est ab aditu vel ingressu (domus etc.) arcere » aut « eum qui intus est eliminare ». Haud recte igitur antiquiores nonnulli (*Lomb. Thom.* etc.) auctoritate S. Aug. seducti alteram istam explicationem velut probabilem priori addiderunt.

ulterius deinde inquirat, quomodo, i. e. *per quam legem* vel potius *per cuius generis legem* (διὰ ποίου νόμου) exclusa sit; *qualis* ergo sit lex, quae successerit illi Legi, de cuius operibus Iudaei gloriabantur.

Duo autem legum genera Paulus distinguit, quorum prius vocat *legem factorum* vel rectius *legem operum* (τῶν ἔργων, nulla nimirum erat ratio, cur interpres consuetam nominis ἔργου versionem hic mutaret), alterum *legem fidei*. Qua de distinctione *S. Aug.* (de spir. et lit. 13,21 sqq.) satis fuse disserens praeprimis eorum errorem reiicit, qui Legem mosaicam ideo et eatenus legem operum nominari arbitrati sunt, quia et quatenus quam plurima praecepta caerimonialia et ritualia contitineret. Deinceps *legem operum* eam esse innuit, quae quid omittendum faciendumve sit, poenis praemiisve propositis, praecipiat, sed auxilium, quo hominis vires praeceptis implendis pares reddantur, nec ipsa praebeat nec unde hauriatur doceat; *legem fidei* vero esse eam, quae per fidem ad Christum recurrere nos iubeat, ut et iustitiam obtineamus, quae coram Deo valeat, et divinam gratiam, qua adiuti voluntatem Dei implere possimus. « Quod *operum lex,* inquit, minando imperat, hoc *fidei lex* credendo impetrat. Illa dicit : Non concupisces (*Exod.* 20,17), ista dicit : Quum scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum, adii Dominum et deprecatus sum (*Sap.* 8,21). Ipsa (sc. lex fidei) est illa sapientia, quae pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum (*Iac.* 1,17). Ac per hoc *lege operum* dicit Deus : Fac quod iubeo; *lege fidei* dicitur Deo : Da quod iubes » etc. Atque similiter alibi (in Ps. 118. serm. 10,5) : « Haec est lex fidei, qua credimus et oramus per gratiam nobis donari, quod per nosmet ipsos implere non possumus;... in *lege* itaque *factorum* est Dei iubentis iustitia, in *lege* autem *fidei* subvenientis misericordia ». Ex operum autem lege, quamprimum homines suis viribus relicti aliquod praeceptum sibi impositum impleverunt, exoritur gloriatio ac superbia, qua fit, ut Dei iustitiam ignorantes et suam constituere quaerentes iustitiae Dei non sint subiecti (cfr 10,3).

Eiusmodi lex operum erat mosaica, quam ex fide esse Apostolus negat, quia externa opera praecipiens cognitionem quidem peccati, sed neque illius remissionem neque vires ad illud vitandum conferat (*v.* 20; 10,5 sqq.; cfr ad *Gal.* 3,12 etc.). Neque tamen recte cum *S. Aug.* plerique Paulum, si interrogat, num lege operum exclusa sit Iudaeorum gloriatio, Legem ipsam mosaicam intelligere arbitrantur. Cum aliis (cfr *Thom. Salm.* etc.) potius tenendum est, eum interrogare, num forte in Legis illius, de cuius operibus hucusque gloriati sint Iudaei, locum altera lex eiusdem generis successerit, quae, quia maiora et praeclariora

opera iam postulet, inanem reddat gloriationem de prioris operibus. Namque primum interrogatio, num Lege Iudaeorum exclusa sit Iudaeorum gloriatio (aut etiam, num lege naturali Graecorum exclusa sit Graecorum gloriatio), parum apta esse nobis videtur, nisi forte cum nonnullis (*Reith.* etc.) haud recte censeas, Legem mosaicam quasi sub duplici respectu considerari, quatenus una ex parte opera praecipiat (lex operum), altera ex parte paedagogus sit ad Christum (lex fidei). Deinde praecedens interrogatio, *quali* lege gloriatio sit exclusa, postulat, ut ulterius generali quodam modo inquiratur, num operum lege aliqua sit exclusa. Demum attende, in suo responso (διὰ νόμου πίστεως *per legem fidei*) B. Paulum articulum non adhibuisse, ad solum ergo genus legis attendisse; unde etiam in interrogatione (τῶν ἔργων; *factorum?*) supplere non licet διὰ τοῦ νόμου τῶν ἔργων; sed indefinite supplendum est : διὰ νόμου τῶν ἔργων; (per operum legem aliquam?), ita ut definita lex operum non designetur. Iam vero gloriationem omnem non operum lege aliqua exclusam esse, Apostolus confirmat ad superiorem doctrinae expositionem (*v.* 21 sqq.) appellans : *arbitramur* (lege : *censemus*) *enim, iustificari hominem per fidem sine operibus legis.*

Supra (p. 197 sq.)ex universi huius loci structura ostendimus, lectionem *enim* (γάρ) alteri *(igitur* οὖν) esse praeferendam; idem porro patet, si contextus proximus consideratur. Nam ex doctrina sua, quod homo gratis sine operibus Legis iustificetur. Paulus colligit, gloriationem Iudaeorum esse exclusam (ubi *ergo* est gloriatio); nonne perfectus esset circulus, si nunc ex gloriationis exclusione colligeret, hominem iustificari sine operibus? Confirmationis igitur gratia repetit doctrinam, ex qua illam conclusionem derivavit, ita ut sola lectio *enim* teneri debeat. In hac sententia autem ((δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου), uti ex vocabulorum ordine, quem velut testatiorem (cfr *VV. LL.*) omnes critici hodie admittunt (*Lachm. Treg. Tisch. WH.*), clare iam elucet, praecipuum pondus inesse verbis δικαιοῦσθαι et χωρὶς ἔργων νόμου (*iustificari, sine operibus legis*), quippe quae primum et ultimum locum occupent, aliud autem nomen (πίστει *per fidem*) non nisi velut secundarium quoddam complementum inseri ad viam indicandam, qua homo sine operibus Legis iustificetur. Idem porro ex tota argumentatione apparet : confirmare enim Apostolus vult, gloriationem esse exclusam; atqui exclusa est non tam, quia iustitia *est ex fide*, quam quia *non est ex operibus Legis;* hisce nimirum homo ad eam obtinendam nihil omnino confert, ac proinde de ea obtenta gloriari ei non licet.

Haec monere voluimus, ut *Lutherum* revera Scripturam adulterasse et corrupisse ostenderemus, quum hunc textum, ut novam suam haeresin de sola fide iustificante stabiliret, ordine verborum plane immutato ac vocabulo *sola* (allein) inserto hunc in modum verteret : « tenemus igitur hominem iustificari sine legis operibus *sola fide* » (so halten wir es nun, dass

der Mensch gerecht werde ohne des Gesetzes Werke *allein durch den Glauben*). Quodsi *Clem. Alex.* (Strom. III. 4 *M.* 8, 1144) vehementer in eos iam invehitur, qui solum « tono vocis inter legendum pervertant Scripturas ad proprias voluntates et quorumdam accentuum et punctorum transpositione ea, quae prudenter et utiliter dicta sunt, ad suas trahant delicias », immerito moderni acatholici (*Mey. Weiss*, *Lut.* etc.) conqueruntur, quod a catholicis Lutherus corruptionis Scripturarum iniuste sit accusatus[1], ac si non ob eam solam causam ordinem verborum inverterit vocabulumque inseruerit, ut paulinam sententiam ad suum haereticum sensum trahere posset.

Ceterum fatemur eum gravius, quam vocis illius insertione, interpretatione sua falsa peccasse, quando singulis vocibus novos et inauditos sensus attribuebat. *Iustificari* enim ei nihil est nisi aliquem, qui vere iustus non est, iustum a Deo declarari; *fides* ei nihil est nisi fiducia quaedam misericordiae divinae peccata obtegentis propter Christum; *opera Legis* ei non sunt sola illa, quae homo ante fidem et gratiam acceptam facit, sed omnia omnino, quae homo etiam iustificatus et gratia divina adiutus facere potest, ita ut eius fides iustificans caritatem bonaque opera cuncta a toto salutis negotio prorsus excludat. Quam ultimam sententiam non minus absurdam quam impiam utique eius sequaces, paucissimis exceptis, reiiciunt et cum *Beng.* monent: « Cave tamen sinistre rem accipias; sola fides iustificat, at *nec est nec manet sola;* intrinsecus operatur et extrinsecus ». Eo scilicet in sensu hominem sola fide iustificari aiunt plerique iuniores acath., ut praeter fidem nulla alia dispositio ad iustitiam accipiendam requiratur. Sed haec quoque sententia quomodo ex nostro loco probetur, difficile est dictu, quum Apostolus dumtaxat *de operibus Legis* loquatur, quae nemo catholicus umquam inter dispositiones ad iustificationem requisitas recensuit. Quod autem B. Paulus fidem solam hic nominat, id non maiorem creat difficultatem, uti suo iam tempore *S. Aug.* in toto fere libello *de fide et operibus* fuse ostendit, quam quod B. Petrus solam poenitentiam (*Act.* 2, 38), B. Philippus solam fidem in divinitatem Iesu Christi (non fidem fiduciariam acath.) etc. postulasse leguntur (*Act.* 8, 37). Intelligi quippe volunt impleta omnia, « quae licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda » (*S. Aug.* l. c. 9,14). Demum addamus fidem praecipue a Paulo iuxta *S. Aug.* (de praedest. sanct. 7,12) nominari, « quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera », immo ex qua, uti iam antea monui-

1. Aliqui tamen acatholici moderni insertionem vocis *sola* aperte iam vituperare audent; inter quos *God.*, postquam praemonuit : « Si l'accent était sur le mot *par la foi*, il devrait avoir ensuite en opposition *et non par les œuvres*, plutôt que *sans les œuvres;* ce dernier régime, en effet, suppose que l'idée principale est celle de *être justifié* et non celle de *foi* », haec habet : « L'adjectif *seule* ajouté au mot *foi* par plusieurs versions (à la suite de celle de Luther) *ne convient pas au contexte*, car comme le dit Oltramare [ipse quoque acath.] l'expression *par la foi seule* s'opposerait à *la foi jointe aux œuvres*, idée tout à fait étrangère à l'argumentation actuelle ». Mirum quod plerique acath. moderni, in rebus grammaticis tam scrupulosi, evidentem hanc constructionis sensusque perversionem negent magis mirum quod aliqui catholici quoque moderni eam non videant.

mus, reliquae dispositiones, nisi homo ipse impedimentum ponat, sua quasi sponte nascantur (cfr *Bellarm.* Controv. de iustific. I. 12 sqq. etc.).

Hominem sine Legis operibus iustificari asserens Paulus universalitatem iustitiae in Evangelio revelatae iam insinuavit. Perbene quippe *Chrys.* : « Non dixit *Iudaeum* aut *eum qui ex Lege est*, sed orationis limites extendens ac toti orbi portas salutis aperiens dixit *hominem*, nomine naturae communi usus ». Ad quam universalitatem probandam ita nunc transit, ut eodem argumento iustitiam gratuitam esse confirmans Iudaeorum sibi solis eam vindicantium superbiam retundat : 29. *an* (rectius : *aut* ἢ) *Iudaeorum Deus tantum? nonne et gentium? Immo et gentium,* 30. *quoniam quidem* (εἴπερ *siquidem*, vel ἐπείπερ *quandoquidem*) *unus est Deus qui iustificat* (δικαιώσει melius : *iustificabit*) *circumcisionem ex* (ἐκ) *fide et praeputium per* (διά) *fidem.* Particula ἢ (*aut*) novam interrogationem verbis immediate praecedentibus (*sine operibus Legis*), quibus praecipuam sententiae vim inesse diximus, tam arcte connectit, ut ea confirmet : *aut*, si scilicet sine operibus Legis homo iustificari negetur, Iudaeorumne solorum Deus est Deus? Argumentum nimirum ex eo procedit, quod ii soli opera Legis ad iustitiam necessaria vel utilia asserere possunt, qui unum eundemque Iudaeorum ac Graecorum Deum esse negent. Deum enim omnibus, quorum Deus est, dona sua eodem modo sine personarum acceptione offerre et conferre supponens Paulus aditum ad iustitiam, quae donum Dei est (*iustitia Dei* quippe vocatur), omnibus patere innuit, ad quos Dei dominium, providentia, iustitia aliaque eius attributa sese extendunt. Atqui si iustitia ab operibus Legis penderet, aditus ad eam iis solis pateret, quibus solis Lex est data; ad solos ergo Iudaeos dominium etc. Dei sese extendere videretur. Iamvero id absurde asseri Apostolus non probat, quia ne ipsi quidem Iudaei, quamvis sese utpote a Deo in peculium electi supra gentes exaltarent, eas divino dominio subiici et divina providentia regi negabant. Tamquam rem igitur per se claram asserit (*siquidem* vel *quandoquidem*), unum esse omnium Deum, atque concludit eum etiam omnes eadem ratione iustificare. Futurum (δικαιώσει *iustificabit*) normam declarat generalem, quae nunc adhibetur semperque adhibebitur.

Olim iam interrogatum est, cur *circumcisio,* i. e. Iudaei, *ex* fide, *praeputium,* i. e. ethnici, *per* fidem iustificari dicantur. *S. Aug.* (de spir. et lit. 29,50) « illud non ad aliquam differentiam dictum esse censet, tamquam aliud sit *ex fide,* aliud *per fidem*, sed ad varietatem locutionis; alio enim in loco gentes quoque *ex fide* iustificari dici » (*Gal.* 3,8); Graeci quoque plerique distinctionem nullam agnoscunt.

Quorum sententiam praeferimus, licet alii cum *Orig.* ita distinguant, ut Iudaei *ex fide* iustificari dicantur, « quia iam ex privilegio et dispensatione in eis inceperit haec fides », gentes autem *per fidem,* « quia utpote infideles de novo receperint fidem » (*Tol.* cfr *Thom.* etc.) At haec distinctio quomodo praepositionibus istis exponatur, non video.

2. — *Iustitiam Dei ex fide esse omnibusque credentibus sine distinctione dari Vetus Testamentum iam testatur* (3,31-4,25).

Iustitiam Dei, quae a Legis operibus non dependeat, testificatam esse a Lege et prophetis (*v.* 21), Apostolus nunc demonstrare aggreditur ad Abrahami maxime exemplum provocans, quem vere iustum fuisse Iudaei, contra quos tota haec argumentatio est, negare non poterant. Ex Abrahae autem iustificatione primum elucet, iustitiam esse gratuitam ex fide, et non ex operibus debitam, id quod Psalmistae quoque testimonio confirmatur (3,1-4,8). Iisdem deinde Psalmistae verbis et Abrahami exemplo edocemur, eam ad circumcisos non restringi, quum Abraham ante circumcisionem sit iustificatus et promissiones ei eiusque semini datae a Lege non dependeant (4,9-16). Demum eodem exemplo cognoscitur, qualis sit fides, qua omnes iustitiam Dei obtinere possint ac debeant (4,17-25). Tertia argumentationis sectio cum secunda intime est connexa, quum in ipsa sententia, qua secundam terminat, S. Paulus Abrahae fidem describere incipit, ita ut tertiam media in sententia inchoare cogamur; sed tam leve est hoc incommodum, ut ad illud evitandum illa, quae argumento suo cohaerent, seiungere opus non sit.

1.) — *Abrahami exemplo et Psalmistae testimoniis iustitiam credentibus gratis dari constat* (3,31-4,8).

3,31. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed legem statuimus.* 4,1. *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* 2. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* 3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo : et reputatum est illi ad iustitiam.* 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* 5. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei.* 6. *Sicut et David*

3,31. Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ νόμον ἱστάνομεν. 4,1. τί οὖν ἐροῦμεν (εὑρηκέναι) Ἀβραὰμ τὸν προπάτορα ἡμῶν κατὰ σάρκα; 2. εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα· ἀλλ' οὐ πρὸς Θεόν. 3. τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; Ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. 4. τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα· 5. τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην. 6. καθάπερ καὶ Δαυεὶδ λέγει τὸν μακα-

dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus : 7. Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. 8. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.

ρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων· 7. Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι· 8. μακάριος ἀνὴρ οὗ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν[1].

Obiectione quadam, quam ex iustitiae in Evangelio revelatae descriptione ipse derivat, S. Paulus viam sibi aperit, ut doctrinam suam cum veteris oeconomiae revelatione plane consentire eamque confirmare demonstret (3,31). Quomodo enim Abraham, quem patrem suum Iudaei venerabantur, iustitiam obtinuerit, inquirens (4,1) eum non ex operibus iustificatum esse docet (*v.* 2), sed ex fide, quae teste Scriptura *ei imputata sit in iustitiam* (*v.* 3). Quibus verbis insinuari ostendit, eum ex gratia ita iustificatum esse, ut opera ad iustitiam obtinendam nihil contulerint (4. 5). Similiter quoque Davidem monet celebrare

1. *VV. LL.* — 4,1. τί οὖν ἐροῦμεν εὑρηκέναι Ἀβραάμ (*quid ergo dicemus invenisse Abraham*). Infinitivum εὑρηκέναι quem solus B cum uno minusc. (ex errore ut videtur librarii) omittit, hoc in loco inseruimus cum ℵ A C D E F G, haud multis minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*, quamvis *textus rec.* eum ante duo ultima vocabula (εὑρηκέναι κατὰ σάρκα invenisse secundum carnem) habeat cum K L P, plerisque minusc. et PP., *Syr.*; cfr *Comment.* — Ἀβραὰμ τὸν προπάτορα ἡμῶν (Abraham *progenitorem* nostrum) B ℵ A C, pauci minusc., *Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν (*Abraham patrem nostrum*) cum D E F G K L P, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Syr.* (codd.). Moderni critici editores (*Lachm. Treg. Tisch. W H*) priorem lectionem praeferunt, quia non explicari posse censent, cur librarii antiquissimi, si Paulus πατέρα scripsisset, nomen hoc Abrahae tam consuetum in alterum (προπάτορα) mutaverint, quod alibi omnino non occurrit nec in Vetere nec in Novo Test. Bonum quidem est argumentum, at rem non plane evincit, quia a graecis scriptoribus ecclesiasticis saepissime cognomen hoc Abraham attribuitur atque ideo a librariis facile admitti potuit; ceterum quaestio est levissimi momenti. — 2. πρὸς Θεόν (*apud Deum* vel : *ad* Deum) sine articulo B ℵ A C D F G, sed *textus rec.* cum reliquis omnibus codd. graecis articulum addit. — 3. ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραάμ (credidit *autem* Abraham) B ℵ A C E K L P, plerique minusc., *Copt. Syr.* (codd.); particulam δέ (*autem*) omittunt D F G, aliqui minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.* — 5. εἰς δικαιοσύνην (*ad iustitiam*), sine ullo additamento, est lectio communis omnium codd. graec. ac Patrum sicut etiam omnium verss. praeter latinam, quae iuxta omnes fere codd. (excepto *Amiat.*) addit : *secundum propositum gratiae Dei*, ac si interpres legisset : εἰς δικαιοσύνην κατὰ τὴν πρόθεσιν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ (*cfr* 2 *Tim.* 1,9). Cum antiquioribus iunioribusque Latinis etiam aliqui acath. (*Beza*, *Beng.* etc.) additamentum hoc censent esse genuinum, atque dubium non est, quin sententiam reddat clariorem oppositionemque, quae inter hunc versum et praecedentem habetur, faciat concinniorem (οὐ κατὰ χάριν ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα — κατὰ τὴν πρόθεσιν τῆς χάριτος). Attamen quoniam necessarium non est, ob testium criticorum, qui illud omittunt, auctoritatem pro genuino haberi vix ac ne vix quidem potest. Optima tamen est glossa, quam ex margine in textum irrepsisse arbitramur.

beatitudinem hominis, cui Deus gratis sine operibus iustitiam conferat (*v.* 6.) idque testimonio allato probat (7. 8).

3,31. *Legem ergo destruimus* (καταργοῦμεν irritam facimus, auctoritate sua privamus cfr 3,3) *per fidem? Absit; sed legem statuimus* (ἱστάνομεν stabilimus, auctoritatem eius tuemur). Obiectio, qua ad alteram argumentationis sectionem Apostolus transitum facit, ex eius doctrina sponte nascitur. Quoniam enim Legis opera ad iustificationem nihil conferre docuit, facile aliquis sibi persuadere potuit, dogmate de fide sine Legis operibus iustificante non tantum Legem strictiore sensu intellectam (i. e. praecepta Legis) superfluam inutilemque reddi, sed etiam totam veterem revelationem (Legem latiore sensu cfr ad 3,19), quae universa circa Legis praecepta versabatur et ad fidelem eorum observationem inculcandam et urgendam tendebat, auctoritate ac vi sua privari ac proinde everti ac destrui. Quam illationem cum indignatione reiiciens (*absit!*) tantum abesse respondet, ut Legem (veterem revelationem) dogmate suo de fide iustificante convellat, ut illius potius auctoritatem tueatur ac stabiliat, quandoquidem hoc dogma (id quod statim ostendet) in ipsa vetere revelatione iam sit propositum, ita ut illius negatione Lex ipsa destruatur. Hunc sententiae sensum ac nexum, quem plerique moderni (licet de accuratiore nominis *legis* interpretatione dissentiant) iuremerito receperunt, *Theod.* iam indicavit: « multis enim, inquit, retro saeculis et Lex et prophetae de fide praedixerunt; fidem ergo suscipientes confirmamus Legem; atque huius asserti afferens probationem, quum plurima prophetarum testimonia allegare posset, ad ipsam Iudaeorum radicem statim venit ac patriarcham Abraham iustitiam per fidem acquisivisse ostendit ».

Ad hanc explicationem duo sunt adnotanda : primum nomine *fidei* hic designari doctrinam de fide sine Legis operibus iustificante (*per fidem* i. q. per doctrinam nostram de fide expositam). Id quippe ex huius sententiae nexu cum praecedentibus elucet, quod Paulus ideo Legem destruere putatur, quia *docet*, fidem, et non Legis opera, ad obtinendam iustitiam requiri. Alterum est, nomen *Legis* in utroque membro, in obiectione non minus quam in responso, latiore sensu de tota vetere revelatione intelligendum esse. Neque enim nobis modernorum nonnullorum sententiae probantur, qui nomen strictiore sensu in obiectione, latiore in responso interpretantur (*Mai.* etc.), aut illud in obiectione ambigue positum esse, in responso definite de tota revelatione sumi volunt (*Beel.* etc.); merum enim haberemus sophisticum effugium, quod Paulo et multo magis S. Spiritu est indignum. In responso, ut nexum cum sequentibus habeamus, sensu latiore sumatur necesse est;

ergo eodem sensu in obiectione sumatur oportet, nec quidquam affertur, cur id fieri posse negemus. Ab hac autem interpretatione plerique antiquiores et iuniores recedunt, quia nexum sententiae cum iis quae praecedunt iisque quae sequuntur plane negligunt. Alii nimirum cum *Orig.* et *A^tro^* nomine *Legis* maxime promissiones praedictionesque in vetere revelatione contentas, nomine *fidei* autem ipsam novam revelationem intelligunt; « firmatur enim status Legis, quando istud, quod futurum dixit, fides advenisse testatur » (*A^ter^*). Alii cum *Chrys.* et *Aug.* nomen *Legis* maxime de praeceptis, nomen *fidei* de ipsa gratia fidei interpretantur : « Lex non evacuatur sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur » (*S. Aug.* de spir. et lit. 30,52); paullo aliter *Chrys.* : « Lex hominem iustum facere voluit, sed non potuit; fides autem adveniens id praestitit; simulac enim quis credidit, iustificatus est; igitur Legis voluntatem stabilit fides et id, cuius causa Lex omnia faciebat, gratia ad finem deducit ». Pro variis significationibus, quas nomina Legis et fidei recipere possunt, haud difficile est alios indicare modos, quibus Lex fide stabilitur, sed contexta oratio eam solam admittit explicationem, quam *Theod.* iam indicavit.

Ostendendum igitur Apostolo nunc est, dogmate suo Legem non destrui sed confirmari, quatenus haec ipsa quoque doceat, hominem operibus non iustificari, i. e. primam iustitiam non adipisci, sed fide. Quod ut praestet, Abrahami affert exemplum, quem amicum Dei (*Is.* 41,8 cfr *Iac.* 2,23) ac proin vere iustum coram Deo fuisse constabat cuiusque semen se esse Iudaei gloriabantur. Eum ergo iustitiam non ex operibus velut mercedem debitam, sed gratis ex fide accepisse Scripturae testimonio demonstrat. Haud satis recte aliqui cum *Chrys.* censent, exemplo Abrahae excellentiam dignitatemque iustitiae, quae ex fide est, illustrari; iure enim *Tol.* monet, de hac excellentia Apostolum non potuisse agere, antequam iustitiam ex fide esse demonstravit, hucusque autem eam descripsit quidem sed argumentis non stabilivit. Longius a vero recesserunt multi antiquiores et iuniores, qui ab *A^tro^*, ut videtur, in errorem inducti, Paulum hic quaestionem supra (3,1) propositam, quae sit utilitas circumcisionis tractare putarunt (cfr *Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Est. Iust. Pic*[2]. etc.); in toto enim capite circumcisio *Iudaeorum* non attingitur, ac solo *v.* 11 ad obiectionem quandam praecavendam de circumcisionis. quam *Abraham* accepit, significatione obiter agitur. Itaque cum aliis Patribus (*Orig. Theod. S. Aug.* in Ps. 31. enarr. 2,2 sqq.) iuniores nonnulli (*Salm. Tol.* etc.) ac moderni tantum non omnes recte tenent, Paulum argumentis scripturisticis, atque imprimis Abrahami exemplo, contra Iudaeos probare, dogma de fide sine Legis operibus iustificante in vetere revelatione iam con-

tineri. In explicanda tamen argumentatione apostolica, quae admodum concisa est ideoque subobscura, haud parvus est interpretum dissensus; pro more praecipuorum tantum recensebimus sententias, praesertim quia magis de argumentationis forma, quam de eius sensu et scopo disceptatur. A prima sententia dissensus iam exoritur; ab interrogatione enim Apostolus exorditur, quae si nuda verba considerantur, vaga et ambigua esse videtur, contextu autem clara redditur et ad unum sensum limitatur : 4,1. *quid ergo* (οὖν) *dicemus invenisse* (εὑρηκέναι adeptum esse [1]) *Abraham, patrem nostrum* (τὸν πατέρα ἡμῶν, vel : *progenitorem nostrum* τὸν προπάτορα ἡμῶν) *secundum carnem?*

Duobus potissimum erroribus multi quum antiquiores iunioresque tum moderni hanc sententiam obscurarunt viamque ad totam argumentationem intelligendam sibi praecluserunt. Coniunctionem οὖν (*ergo*) enim consueta sua significatione illativa privantes contextum perverterunt et verba κατὰ σάρκα (*secundum carnem*) ad infinitivum εὑρηκέναι (*invenisse*) trahentes constructionem interrogationis perturbarunt. Ac primum quidem moderni multi particulam οὖν hic soli transitioni ab uno argumento ad alterum inservire erronee statuerunt (*Mai. Beel. Bisp. Dr.* etc. — *Weiss* etc.); nam is particulae usus, quamvis frequens in historico dicendi genere (cfr ex. gr. *Ioan.* 1,22. 40; 2,18. 20. 22 etc.), idoneo exemplo ex paulinis epistolis desumto probari nequit. Similiter antiquiores iunioresque multi errarunt coniunctione οὖν interrogationem praecedentem (3,1 *quae utilitas circumcisionis*) resumi arbitrati (*Herv. Thom.* etc., *Cai. Est.* etc.); licet enim Paulus quoque interdum sententiam parenthesi interruptam coniunctione οὖν resumat, hic tamen inde a 3,1 nullum est interruptae orationis vestigium, atque interpretes illi potius putarunt, Apostolum ad alteram argumentationis partem, priore absoluta, transire. Quia vero circumcisionis hic diserte non fit mentio, verba κατὰ σάρκα (*secundum carnem*) eum in sensum interpretanda esse sibi persuaserunt; unde illa cum infinitivo εὑρηκέναι (*invenisse*) coniunxerunt, ut interrogetur, quid Abraham invenerit *secundum circumcisionem*, atque respondeatur, cum per circumcisionem *nihil* invenisse (cfr *A*[ler] « carnem dicens circumcisionem significavit »; sim. *Herv. Est. Iust.* etc.). Quam explicationem moderni illi, qui eodem modo verba ista ad infinitivum trahunt, velut arbitrariam iure reiiciunt, quia *caro* nusquam definitam

1. Ab alexandrinis interpretibus et a Novi Test. scriptoribus activum verbum εὑρίσκειν, quum hebr. verbo מָצָא respondeat, sensu obtinendi et adipiscendi saepe usurpatur (*Luc.* 1,30: *Act.* 7,46; 2 *Tim.* 1,18 etc. cfr *Gen.* 6,8; 18,3 etc.); ceterum medium εὑρίσκεσθαι a profanis scriptoribus eodem fere sensu adhibetur.

circumcisionis significationem habet, atque cum *Theod.* (« *secundum carnem* dicit eam iustitiam, quae est in operibus, quoniam per corpus opera peragimus ») et *Thom.* (« secundum carnem i. e. secundum circumsionem carnalem aliasque observantias carnales ») dictionem κατὰ σάρκα hic significare volunt *secundum naturalem hominem*, ut interrogetur, quid Abraham suis naturalibus viribus vel suis operibus naturalibus invenerit, atque iterum respondeatur eum nihil hac via invenisse (cfr *Mai. Beel. Bisp.* etc.). Verum haec explicatio priore non minus est arbitraria, siquidem locutio κατὰ σάρκα, apud Paulum satis frequens, duplici tantum sensu ab eo adhibetur (cfr ad 1,3) : aut enim physicam hominis originem naturalemque eius cognationem significat (9,3. 5; *Gal.* 4,23. 29 etc.) aut humanam naturam ita designat, ut eam ad terrestria vel etiam ad peccatum inclinari connotet (8,1. 4. 5. 12. 13; 2 *Cor.* 1,17; 5,16 etc.). Iamvero alteram hanc significationem ad hunc locum non quadrare evidens est; quare nihil restat, nisi ut priorem admittentes eum verborum nexum adoptemus, quem verborum ordo iuxta meliores testes criticos (cfr *VV. LL.*) suadet quemque cum plerisque Patribus (*Orig. Chrys. Dam.* etc., *S. Aug.* in Ps. 31. enarr. 2,2 etc.) multi iuniores ac moderni praetulerunt (cfr *Salm. Tol.* etc., *Reith. LR. Sch.* etc. — *Goeb. Lips.* etc.). Paulus quippe, utpote Iudaeus cum Iudaeis disputans, Abrahamum vocat *patrem nostrum secundum carnem*. Carnalem autem eius paternitatem hic commemorans altiorem ei competere paternitatem spiritualem iam insinuat, qua non solorum nec omnium Iudaeorum sed omnium quum Iudaeorum tum Graecorum illorum sit pater, qui fidei eius vestigia sectantes ad iustitiam perveniant (*v.* 10 sqq.).

Itaque coniunctioni οὖν (*ergo*) sensum suum illativum relinquentes interrogationem hanc praecedenti assertioni arcte subiungimus. Asseruerat scilicet Apostolus, veterem revelationem suo dogmate de iustitia per fidem sine Legis operibus adipiscenda confirmari, atque interrogat : *quid ergo,* quum dogma illud veteri revelationi plane consonare asseramus, *Abrahamum, patrem nostrum carnalem, adeptum esse dicemus?* In hoc nexu pronomen interrogativum *quid* (τί), etsi per se vagum sit, ad unum illud limitatur, de quo solo tota quaestio agitatur, i. e. ad iustitiam, ita ut etiam interrogare potuerit : quam iustitiam ergo Abrahamum obtinuisse dicemus, num eam, quam Iudaei velut debitam mercedem operum Legis exspectant, an eam, quam ex fide esse et velut gratuitum donum credentibus a Deo conferri asserimus? Negativum igitur responsum, id quod forma quoque interrogationis satis iam innuit, Apostolus non exspectat; quid vero respondendum

sit, manifestum est : dicamus oportet eum iustitiam quae ex fide est invenisse. Etenim si aliter res se haberet, i. e. si ex operibus esset iustificatus, dogma de fide sine operibus iustificante non amplius cum veteris oeconomiae revelatione consonaret neque eam stabiliret, siquidem Abrahae iustificatio erat exemplar vel typus iustificationis, quae erat in vetere oeconomia, sicut eam typum esse iustificationis, quae est in nova oeconomia, Paulus mox demonstrabit (*v.* 12. 23 sq.).

Quoniam igitur iuxta contextum haec unica potest dari responsio, opus non erat, ut verbis diserte declararetur. A superfluo ergo additamento abstinens Apostolus eam datam esse supponit eamque, in argumentatione sua pergens, veritati consonare demonstrat, quia teste Scriptura Abraham non ex operibus sed ex fide sit iustificatus : 2. *si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam* (ἔχει καύχημα habet gloriandi materiam, seu : habet unde glorietur); *sed non apud Deum* (melius : *ad Deum* πρὸς Θεόν); 3. *quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo et reputatum est* (ἐλογίσθη) *illi ad iustitiam.* Aptissimus igitur et arctissimus iuxta nostram interpretationem est nexus inter *vv.* 1. et 2., atque particula causalis γάρ (*enim*) in principio *v.* 2. suum habet locum, quia responsum in ipsa quasi interrogatione (*v.* 1) contentum iam probatur. Illi vero, quos interrogationi negative respondere diximus, aut omnem fere nexum tollunt, quum particulam γάρ mere « suppletivam » esse (*Est.* etc.), i. e. nihil significare, asserant, aut varia supplere cogantur, ut ad causalem nexum perveniant (cfr ex. gr. *Bisp.* : « nihil iuxta carnem invenit; num forte invenit iustitiam? Minime vero; *si enim* ex operibus » etc., aut *Mai.* : « nihil iuxta carnem invenit; nam iustitiam hac via non invenit; *si enim* ex operibus » etc.); verum tam aenigmatice Apostolus non argumentatur. Similiter in *vv.* 2. et 3. inter se connectendis multi antiqui et moderni magnam inveniunt difficultatem variaque iterum supplent, ut causalem coniunctionem γάρ in principio *v.* 3 positam explicent. Nexus tamen in aperto est neque ullum supplementum postulat, dummodo ad concisum loquendi modum Apostoli attendatur. Namque in *v.* 2. Maiorem et Minorem legitimi syllogismi habemus, atque in *v.* 3. additur Minoris probatio, quae deinde *vv.* 4. 5 accuratius exponitur. Syllogismus autem cum sua probatione est hic : « Si Abraham ex operibus iustificatus est, gloriari potest; atqui non potest gloriari ad Deum (*v.* 2); nam Scriptura testatur, fidem ei reputatam esse in iustitiam (*v.* 3), i. e. eum iustitiam non accepisse velut mercedem operibus suis debitam (*v.* 4) sed velut gratuitum donum Dei, in quem credidit » (*v.* 5). Singula diligentius inspiciamus.

Obiter tantum praenotamus, Apostolum hic de *operibus* Abrahae

(non de *Legis* operibus eius) loqui, quia in eo, quum ante Legem degeret, de *Legis* operibus proprio sensu sermo esse nequit; ceterum eiusdem generis opera intelligit, quae opera Legis in iis appellat, qui sub Lege constituti sunt (cfr ad 3,20). Neque igitur S. Paulo S. Iacobus contradicit asserens, Abrahamum ex operibus esse iustificatum *et non ex fide tantum.* Nam Iacobus de operibus loquitur, quibus fides cooperabatur et consummabatur, i. e. viva et per caritatem informata demonstrabatur (cfr *Iac.* 2,17 sqq.); Paulus vero, quum opera opponat fidei, eiusmodi opera a iustificatione excludit, quae ante fidem et sine fide facta ordinis sunt mere naturalis, fidem vero ad iustificationem requirit, quae non mortua est sed per caritatem operatur (*Gal.* 5,6). Itaque « Iacobus contra eos, qui nolebant bene operari de sola fide praesumentes, ipsius Abrahae opera commendavit, cuius Paulus fidem commendavit » contra eos, qui de operibus suis mere naturalibus praesumentes talium operum virtute ac merito se iustitiam obtenturos confidebant (cfr *S. Aug.* in Ps. 31 enarr. 2,3-6).

Maiorem difficultatem plerisque creat totius *v.* 2. constructio; *Chrys.* sententiam iam dixit obscuram, sed obscuritas ex eo potissimum exoritur, quod tantum non omnes antiqui et moderni ultima eius verba (*sed non apud Deum*) pro secunda apodoseos parte habeant, qua explicetur, cuiusnam generis sit gloria Abrahami, si ex operibus iustificatus supponatur : « *Gloriam habet* apud semet ipsum (vel iuxta alios : apud homines, vel etiam : parvam etc.) *sed non apud Deum* ». Verum haec obscuritas disparet, si cum nonnullis (cfr *Reith. Beel. Sch.* etc.) ultima illa verba pro completa sententia sumamus, quae, uti iam diximus, velut Minor praecedenti Maiori subiungatur. Qua admissa constructione obscuritas illa sola remanet (si obscuritas dici potest), quae aliis quoque in sententiis interdum ex Apostoli conciso, vel potius elliptico, dicendi genere enascitur (cfr ad 2,28). In Minore nimirum post verba ἀλλ' οὐ (*sed non*) ex Maiore supplenda sunt verba ἔχει καύχημα (*habet unde glorietur*), ut hic sit completus syllogismus: « Si *Abraham ex operibus iustificatus est, habet unde glorietur; at non* habet unde glorietur *apud Deum* (πρὸς Θεόν *S. Aug.* l. c. significantius: *ad Deum*, i. e. adversus Deum); ergo ex operibus iustificatus non est ». Pro more conclusionem, utpote evidentem, Paulus diserte non enuntiat; neque Maiori ullam probationem addit, quia illam certam claramque esse censet. Re enim vera nemo illam in dubium vocabit, qui consideraverit, hominem de re, quam suis ipsius viribus debet ac velut mercedem suis operibus debitam accipit, legitime gloriari idque etiam *apud* vel *ad* eum, qui mercedem illam solvere tenetur neque sine iniustitia retinere potest; homini autem gloriari non licere de re, quam sine ullis suis meritis

velut beneficium mere gratuitum accipit, atque multo minus ei de eiusmodi dono gloriari licere *ad* benefactorem suum, a quo illud gratis accipit (cfr 1 *Cor.* 4,7). Iamvero Iudaei, quos Paulus impugnat, naturalibus suis viribus ad iustitiam, quae coram Deo valeat, pertingere volebant iustitiamque veram pro mercede suis Legis operibus debita habebant. Ex illorum igitur sententia ponit Maiorem et cum illis, ut efficacius eos confutet, interim supponit, hominem operibus suis naturalibus veram iustitiam obtinere posse. Eam quippe hypotheticarum sententiarum formam adhibet (εἰ ἐδικαιώθη, ἔχει), quae hypothesin esse possibilem insinuat : « Si Abraham, uti vos dicitis, suis ipsius operibus veram iustitiam adeptus est, necessario sequitur, eum de sua iustitia, quam solis suis viribus debet et velut legitimam suorum operum mercedem accepit, non tantum apud homines sed etiam *ad ipsum Deum* iure gloriari, a quo iustificatus esse supponitur ». At hanc Iudaeorum hypothesin falsam esse apparet, quia necessaria illa sequela in Abrahamo non adfuit, uti in Minore additur: *atqui non habet unde glorietur ad Deum.* Utrum ad homines gloriari potuerit necne, Paulus non inquirit, quia ad eius argumentationem nullius erat momenti; sed eum non habere, unde *ad Deum* glorietur, statim probat, quum ex Scripturis ostendat, eum iustitiam tamquam gratuitum donum a Deo accepisse.

Alias explicationes a plerisque proponi iam monuimus. Atque Latini quidem antiquiores iunioresque plurimi Paulum hac ratione argumentari cum *Orig.* et *S. Aug.* (l. c.) arbitrantur : « Si Abraham ex operibus iustificatus est et non ex fide, habet unde se iactet apud homines tamquam iustum, sed non apud Deum, quia talis iustitia non est iustitia Dei; atqui in confesso est, Abrahamum habuisse gloriam apud Deum; non igitur ex operibus iustificatus est » (*Est.* cfr *Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr., Cai. Iust. Lap. Pic. Nat., M Ev. Bisp. Mai.* etc.). Ad nexum deinde cum sequente *v.* 3 inveniendum alii cum *Orig.* tenent, Minorem, quam ex suis suppleverunt, ex eo probari, quod Abraham iuxta Scripturas ex fide iustificatus sit ideoque gloriam coram Deo habuerit; alii vero cum *Aug.* Minorem probatione non indigere putant atque particulam causalem γάρ in principio *v.* 3. positam plane negligunt (cfr *Est.* etc.), aut alia quaedam ex suis supplent, quibus nexum causalem obtineant (cfr *M Ev. Mai.* etc.). Attamen haec interpretatio primum in eo iam peccat, quod verbum δικαιοῦν (*iustificare*), quo Paulus in toto hoc tractatu semper veram iustificationem significat, hoc in loco de putata quadam iustificatione usurpari sumat. Neque minus erronee supponit, καυχᾶσθαι πρὸς Θεόν (gloriari *ad* Deum) idem esse atque καυχᾶσθαι ἐν Θεῷ vel ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ (gloriari *in* vel *coram* Deo). Praeterea Apostolus, si gloriam apud Deum gloriae apud homines opponere voluisset, procul dubio scripsisset : καύχημα μὲν ἔχει, ἀλλ' οὐ πρὸς Θεόν (gloriam *quidem* habet, sed non

apud Deum); quin etiam scribere debuisset : εἰ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, εἶχεν ἄν (si ex operibus iustificatus *esset, haberet* gloriam), siquidem iuxta hanc explicationem de re non vera agitur. Denique illi, qui *v.* 3 probari putant, Abrahamum ex fide esse iustificatum et ideo *gloriari potuisse,* non satis considerant, quae alibi Paulus docet : « Gratis estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis (Dei enim donum est), non ex operibus, *ut ne quis glorietur* » (*Eph.* 2,8); iustificatio ergo ex fide, quia gratuitum est Dei donum, homini non potest esse materia gloriandi *ad* Deum; sicut vita aeterna quoque, quamvis tamquam merces iis, qui bene operati sunt, iuxta promissionem Dei tribuatur, non est materia gloriandi *ad* Deum, quia opera ipsa, quibus tamquam merces attribuitur, gratis nobis donantur a Deo, quippe « qui nostra velit esse merita quae sunt ipsius opera » (cfr *Conc. trid.* sess. 6. de iustific. c. 16).

Alteram interpretationem Graeci vulgo sequuntur, haud meliorem tamen, ni fallor, licet verbum δικαιοῦν hic, uti in reliqua epistola, de vera iustitia quae coram Deo valeat recte intelligant. Etenim ostendi arbitrantur, Abrahamo ex fide iustificato maiorem fuisse gloriandi causam, quam Abrahamo ex operibus iustificato, quia operantis gloriatio in ipso terminetur, credentis autem gloriatio tota ad Deum tendat. « Duae, inquit *Chrys.*, sunt gloriandi causae (καυχήματα), una ab operibus, altera a fide; quum ergo Paulus dicit : *si ex operibus iustificatus est, habet causam gloriandi sed non ad Deum,* ostendit illum etiam a fide causam gloriandi eamque multo maiorem habere posse;... qui enim in operibus gloriatur, suos ipsius labores proferre potest; qui vero de sua fide in Deum gloriatur, multo excellentius gloriandi studium prodit, quum Deum glorificet et celebret ». Quae quasi explanans *Theod.* : « Bonorum operum perfectio operantes ipsos coronat, Dei autem benignitatem non manifestat; fides vero utrumque revelat, credentis affectum in Deum et Dei ipsius benignitatem, qui fidem approbans credentem declarat victorem » (similiter *Dam. Phot. Oec. Theoph. Euth.*). Qua in explicatione Graeci cum antiquioribus Latinis contra Pauli doctrinam (*Eph.* 2,8.9) erronee supponunt, homini de sua fidei iustitia *ad* Deum gloriari licere. Erronee quoque de eiusmodi operibus hic agi admittunt, quae ex gratia, ac proinde ex fide, procedant; nam illa ad veram iustitiam conferre insinuant. Cum S. Iacobo igitur de illis Abrahae operibus loquuntur, quibus eius fides cooperabatur quibusque consummabatur; Paulus autem de operibus loquitur, quae mere naturalis sunt ordinis, fideique ipsi opera illa opponit. Demum haec explicatio non minus, quam prior, nexum cum sequentibus negligit.

Mediam quandam viam inter duas illas explicationes *Tolet.* tenere conatur. Triplicem enim iustitiam distinguens (falsam, veram sed imperfectam, perfectam) Paulum de vera sed imperfecta, quam Abraham ex operibus habuerit, iustitia loqui censet. Unde hanc sententiae explicationem dicit esse « manifestam » : « Si non aliam Abraham habuit iustitiam, quam quae ex operibus est, profecto nihil eximii habuit, quoniam gloriatio eius apud homines esse potuit, quia aliqua iustitia est, sed non apud Deum, quia

imperfecta est et a peccato non liberat neque reconciliat Deo; *hoc enim fides efficit*, sicut Scriptura dicit : credidit Abraham » etc. Ubinam autem Paulus triplicem illam iustitiam distinguat, *Tolet.* non indicat neque potest indicari. Ceterum iisdem difficultatibus, quibus prima laborat, eius quoque interpretationem premi patet.

Itaque syllogismi sui Minorem (Abrahamum non habuisse, unde gloriaretur ad Deum de sua iustitia) Apostolus ex eo probat, quod Scriptura, quum operibus eius praetermissis eum ex fide iustitiam adeptum esse testetur, iustitiam ei collatam donum Dei plane gratuitum esse insinuet, de quo (iuxta 1 *Cor.* 3,7 et *Eph.* 2,8. 9) gloriari nequeat : *Credidit* autem *Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* Verba *Gen.* 15,6, quibus de eodem argumento alibi quoque (cfr ad *Gal.* 3,6) utitur (uti similiter *Iac.* 2,23), pro more allegat iuxta alexandrinam versionem (ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην[1]), quae a primigenio textu constructione tantum secundi membri discedit, quatenus pro activa (*reputavit* [sc. Deus] *eam* [sc. fidem] *illi iustitiam*, vel : in iustitiam), sensu non mutato, passivam elegit. Praecipua sententiae vis verbo *credidit* (ἐπίστευσεν) inest, id quod ex addita explicatione (*vv.* 4. 5) satis elucet, in qua credens operanti opponitur. Fides autem haec iuxta Geneseos contextum proxime ad praedictionem illam refertur, qua Deus Abrahamo conquerenti, quod filium non haberet hereditatemque suam servo relicturus esset, filium heredem numerosamque progeniem promisit (« *Suspice coelum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum. Credidit Abram* » etc.). Attamen simili modo, quo Iacobus eadem verba allegans simul alios Geneseos locos, quibus Abrahae fides demonstrabatur, prae oculis habuit (*Iac.* 2,21 cfr *Gen.* 22,1 sqq.), ita Paulus quoque, licet hoc solum testimonium alleget, alia simul comprehendere videtur. Namque infra (*v.* 17 sqq.) fidem, quae patriarchae in iustitiam reputata sit, accuratius describens non tantum similem praedictionem de numerosa progenie postea factam allegat (*v.* 17 cfr *Gen.* 17,4[2]), sed praecipue ad

1. In alexandrinae versionis codd. quidem legitur : καὶ ἐπίστευσεν (*et* credidit, uti in hebr. וְהֶאֱמִן); atqui paulina lectione ἐπίστευσεν δέ (credidit *autem*) non tantum *Iac.* 2,23 sed etiam antiquiores PP., ubi Geneseos verba allegant, consentiunt (cfr *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 10; *S. Iust.* c. Tryph. 92; *S. Iren.* c. haer. IV. 5,3; *Orig.* in Ioan. tom. XIX. 1). Quoniam praeterea duo antiquissimi codd. alexandrini (B ℵ) in hoc Geneseos loco deficiunt, haud immerito *Tisch.* coniicit, aetate Christi etiam in alexandrina versione verba eo modo adfuisse, quo a Paulo et Iacobo citantur; nulla enim eis potuit esse ratio mutandae particulae. Quod si aliqui moderni acath. (*Weiss* etc.) arbitrantur, Paulum particulam mutasse, ut verbum ἐπίστευσεν maiore cum vi in principio sententiae poneret, non attendunt eum omissione particulae idem obtinere potuisse. Eam autem, licet ad argumentationem necessaria non sit, retinens se fideliter sacra verba transcribere innuit.

2. Hac occasione Deus patriarchae nomen, quod eo usque gesserat (*Abram*), in alterum

modum, quo Abraham promissioni nativitatis Isaaci crediderit, attentionem legentium convertit (*v.* 19-21 cfr *Gen.* 17,15 sqq.). Eadem ratione altero in loco iisdem verbis *Gen.* 15,6 allegatis statim primam praedictionem Abrahae factam addit, ex qua simul argumentetur (*Gal.* 3,6. 8; cfr *Gen.* 12,3). Quare non de solo fidei actu, qui *Gen.* 15,5. 6. commemoratur, sed de tota fide, qua inde a prima sua vocatione (*Gen.* 12,1) patriarcha semper intellectum voluntatemque auctoritati Dei revelantis, promittentis, praecipientis subiiciebat, Paulum cogitasse censemus, ut eam initium et fundamentum et radicem totius iustitiae Abrahae fuisse insinuaret. Uti ex fide, qua Deo ipsum vocanti et ex patria exire iubenti sese subdidit, prima iustitia erat, quae nondum iustificato collata est, ut iustus fieret, ita ex fide etiam erat iustitiae augmentum, quod postea novis revelationibus credenti et ex fide formata operanti collatum est, ut iustior fieret. Hoc sensu *Salm.* bene ait « Apostolum non inquirere, *quando* Abraham iustificatus sit coram Deo; quum autem ibi (*Gen.* 15,6) asseratur *iustus ex fide*, sequitur quod iustificatus erat gratis ex fide et non ex operibus praecedentibus ». Quod si quis censeat, Paulum magis ad primam iustificationem Abrahae, Iacobum magis ad crescentem eius iustitiam attendisse, non reluctabor, quia Paulus revera statim (*v.* 5 sqq.) se de impii iustificatione proxime loqui ostendit. Nihilominus utriusque doctrinam de iustificatione generalem esse arbitror, ita ut et primam iustificationem iustitiaeque augmentationem complectatur. Nostra tamen verba, quamvis iuxta proximum contextum ad unum fidei actum restringi videantur, ambo ad integram Abrahae fidem designandam elegerunt, quia de singulis eius actibus vera sunt atque brevissime una cum fide, quae iuxta obiectum suum formale (auctoritatem Dei loquentis) semper eadem in Abraham fuit, fructum quoque (iustitiam quae coram Deo valeat) indicant, quem Deus credenti velut donum gratuitum concessit (cfr *Reith. Mai.*).

Haud multum ab hac explicatione iuniores aliqui recedunt, qui verba *Gen.* 15,6 hic a Paulo « non tantum ad immediate praecedentia sed *ad omnia antecedentia* (etiam *Gen.* 12,1 sqq. 7 sqq.; 13,14 sqq.) referri » dicunt; « velle

quod promissioni respondebat commutavit (*Abraham* i. e. pater multitudinis *Gen.* 17,5). Iamvero Paulus et Iacobus, licet verba *Gen.* 15,6 tam fideliter recitent, ut ne particulam δέ quidem, qua ad argumentationem non indigebant, praetermiserint, patriarcham tamen eo nomine iam appellant, quod aliquot annis postea accepit (ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραάμ) a versione alexandrina (ἐπίστευσεν δὲ Ἄβραμ) discedentes. Plerique eos ita egisse putant, quia illud nomen *Abrahae* « tritum erat ore Iudaeorum et auribus gratum » (*Est.*): nescio tamen. annon rectius ideo id fecisse dicantur, quia significare voluerunt, se non de unico hoc fidei actu sed de tota eius fide loqui, qua typus est omnium credentium.

enim Scripturam asserere, Abrahamum tam primo iustificatum esse per fidem, quum primo (*Gen.* 12,1 sqq.) Deo credidit, quam secundo iustificatum, i. e. iustiorem factum esse, per fidem, qua secundo et deinceps credidit Deo loquenti » (*Lap*[3]. cfr *Tol.* etc.). Arctior tamen haec explicatio est; neque enim ad *sola* antecedentia Paulus respexisse dicendus est, qui in fidei Abrabae descriptione ad sequentes quoque probationes fidei alludit (cfr *vv.* 17 sqq.). Longius multi alii iuniores ac moderni recedere videntur, quum Paulum de solo actu fidei *Gen.* 15,6 commemorato cogitasse asserant. Ac profecto pauci quidam ex eis longissime recedunt; verba enim de prima iustificatione ita explicant, ut patriarcham, quamvis iam saepius antea fidem suam probasset, gratiam iustificantem non nisi in tertia vel quarta hac fidei probatione accepisse arbitrentur; ita praesertim *Ag.* (p. 209-221), qui fuse hanc sententiam propugnat ac Patres quoque eandem tenuisse parum recte censet; praeter *Orig.* enim, qui similem sed non eandem tenet, nullus Pater ei favet; contra vero communis eorum, uti omnium fere interpretum, doctrina est, Abrahamum iam in prima sua vocatione iustitiam fidei accepisse, id quod multi ex *Hebr.* 11,8 iure merito comprobant (cfr *Lap*[1]. *Tol. Iust. Est.* etc.). Alii vero, quamvis testimonium *Gen.* 15,6 de uno actu fidei ibi commemorato intelligant, verbis potius quam re a nobis dissentiunt. Nam in *Gen.* 15,6 sermonem esse tenent de augmento iustitiae, quod Abrahamo credenti collatum sit, Paulum autem verbis illis velut argumento a minore ad maius uti : « Si Abraham iam iustus augmentum iustitiae non ex operibus sed ex fide et per gratiam fidei accepit, ergo multo magis prima iustitia obtineri nequit viribus naturae, sed debetur fidei ac gratiae » (*Lap*[2] *Perer. Est. Pic. M Ev.* etc.). Concedunt igitur sensu generaliore, quam quem in Geneseos loco iuxta proximum contextum habere videntur, Paulum verba adhibuisse, quum ex illis per sensum consequentem ad primam iustificationem concludi vellet; simili autem modo nos dicimus, Paulum illis in verbis uti integram fidem ita integram iustitiam Abrahae (si vis, per sensum consequentem) designatam vidisse.

Fides ergo Abrahamo dicitur *reputata in iustitiam* (ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην), i. e. a benignissimo Deo ita acceptata, ut illius respectu altius donum (iustitiam) ei conferret et in eius rationes inferret. « *Fidem reputari in iustitiam* idem est, quod fidem, quae per se iustitia non est neque iustitiam facit, a Deo acceptari ad iustitiam communicandam, quatenus haec formaliter consistit gratia et caritate per Spiritum S. diffusa » (*Tol.*). Etenim locutio λογίζεσθαί τί τινι, quam *Vulg.* hic eodem in contextu variis verbis reddit (alicui aliquid *reputare* cfr *vv.* 3. 5. 9. 10 etc., vel *imputare* cfr *vv.* 4. 8, vel *accepto referre* cfr *v.* 6), proprie significat « alicui aliquid in rationes referre » vel in rationibus notare (anrechnen, mettre sur le compte de qqn). Additis autem verbis εἴς τι (*ad aliquid*) per hebraismum quendam ab Alexandrinis et Novi Test. scriptoribus pretium quasi indicatur, quo res, quae reputari di-

citur, a reputante aestimatur et acceptatur quodque ideo in rationes infertur. Porro iustitia prohibet, ne res minoris, quanti in se valet, aestimetur; unde reputans illud saltem pretium, quo res vulgo aestimatur, in rationibus notare ex iustitia tenetur; ex benignitate tamen altiore pretio illam aestimare atque altius hoc pretium in rationes referre ei utique licet; gratuitum enim hoc est donum, quod alteri facit. Iamvero id in Abrahae iustificatione accidisse (ac similiter in omnium nostrum iustificatione accidere) Paulus illis Geneseos verbis indicatum videt. Abraham Deo numerosam sibi progeniem praedicenti ac promittenti credidit, atque Deus hunc fidei actum in rationes patriarchae retulit; attamen pro sua benignitate ac misericordia (ad futuram propitiationem Filii sui incarnati prospiciens) actum illum altiore pretio aestimavit acceptavitque, quum pro illo, licet nec iustitia esset nec iustitiam promereretur, iuxta Scripturae testimonium iustitiam in rationibus patriarchae notaret. Atqui Deus in hominis rationes nihil referre potest nisi quod hic possidet; unde ex Geneseos verbis rite colligitur, Deum ex mera benignitate Abrahamo respectu fidei illius iustitiam tamquam donum gratuitum contulisse, seu eius fidem acceptasse tamquam aptam dispositionem, ut ei gratiam iustificantem et caritatem per Spiritum S. gratis infunderet. Hac autem formula (*fides imputatur ad iustitiam*) praecavetur, ne quis fide iustitiam mereri sibi persuadeat, id quod facile aliquis putare potuisset, si *pro fide rependi iustitia* diceretur. Ex Dei enim benevolentia omnino gratuita confertur credenti iustitia.

Hoc sensu S. Paulum verba Geneseos intellexisse et ab omnibus intelligi voluisse clare apparet, quum in explicatione addita mercedi, quae operibus debeatur operantibusque secundum debitum ex iustitia in rationes referatur, iustitiam credentibus gratis collatam opponit, ut clarius doceat Abrahamum non habuisse, unde de sua iustitia ad Deum gloriaretur : 4. *ei autem qui operatur* (τῷ δὲ ἐργαζομένῳ) *merces non imputatur* (λογίζεται) *secundum gratiam sed secundum debitum;* 5. *ei vero qui non operatur, credenti autem* (τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δέ, clarius ac melius : *ei vero qui non operatur sed credit*) *in eum, qui iustificat impium, reputatur* (λογίζεται) *fides eius ad iustitiam* (*secundum propositum gratiae Dei*). Quia in his sententiis ὁ ἐργαζόμενος et ὁ πιστεύων (*operans* et *credens*) inter se opponuntur, verbum ἐργάζεσθαι (*operari*) hic a Paulo velut terminum technicum adhiberi cum plerisque dicamus oportet (cfr *A*[ler] etc., *Chrys.* etc., *Thom.* etc., *Tol.* etc.), simili modo, quo substantivum ἔργα (*opera*) in tota hac argumentatione de operibus naturalibus adhibet, quibus ante fidem et sine fide aliquis iustitiam obtinere studet. *Operans* igitur hic significat eum,

qui operibus naturalis ordinis occupatur in iisque versatur, ut iustitiam acquirat; cuiusmodi erant, uti ex Evangeliis satis constat, Pharisaei, qui totum suum studium in externa Legis observantia collocabant de eaque quasi de iustitia gloriabantur. Cum *S. Aug.* (expos. n. 21) quidem nonnulli iuniores ac moderni « de quolibet operario, qui opere suo mercedem acquirit, ut arando, texendo, aedificando » (*Est.* etc., *Beel.* etc.) Paulum in priore sententia loqui censent, sed ad manifestam operantis et credentis oppositionem non attendunt. Ad communes tamen operarios Apostolus alludit, quatenus iis, qui naturalibus suis viribus iustitiam obtinere nituntur, eodem modo quo omnibus operariis, mercedem ex iustitia in rationes referri dicit. Communibus operariis similes ius habent ad *mercedem*, quae eis proinde *secundum gratiam*, i. e. ex benevolentia et benignitate, in rationes referri non potest, sed *secundum debitum*, i. e. ex commutativa iustitia, in eas inferri debet. Quia autem ius ad eam habent eamque sibi ipsi suis viribus acquisiverunt, de ea etiam gloriari possunt ad ipsum illum, qui eam solvere ex iustitiae lege tenetur. Aliter vero res in eo se habet, *qui non operatur sed credit*, i. e. qui operibus naturalibus (seu operibus Legis) quidem caret neque in eiusmodi operibus versatur aut confidit, ut iustitiam obtineat, sed fidem habet Deo loquenti, et ex fide iustitiam se obtenturum esse sperat credens *in eum qui iustificat impium.* Huic enim, quum operatus non sit, merces in rationes ex iustitia referri nequit, sed *fides,* qua confortatus de divina potentia non dubitans Deo dat gloriam (cfr *v.* 19 sqq.), ex divina benignitate *reputatur ad iustitiam*, i. e. a Deo tanti aestimatur, ut credenti gratis det donum multo perfectius, gratiam sc. iustificantem, quippe ad quam ne ipsa quidem fides per se ullum ius tribuat, nisi ex benigna voluntate Dei, qui ob praevisam Christi satisfactionem cunctos in Christum credentes iustificare decrevit.

Bene *Thom.* : « Credenti in eum, qui iustificat impium, computabitur haec eius fides ad iustitiam non quidem ita, quod per fidem iustitiam mereatur, sed quia ipsum credere est primus actus iustitiae, quam Deus in eo operatur; ex eo enim, quod credit in Deum iustificantem, iustificationi eius subiicit se et sic recipit eius effectum. Et haec expositio est literalis et secundum intentionem Apostoli, qui facit vim in hoc quod *Gen.* 15. dictum est : *reputatum est illi ad iustitiam,* quod consuevit dici, quando id, quod minus est ex parte alicuius, reputatur ei gratis ac si totum fecisset ». Itaque iis, qui ex fide iustificati sunt, de iustitia accepta, utpote de gratuito dono divino, ad Deum gloriari non licet; Abraham igitur, iuxta Scripturae testimonium gratis iustificatus ex fide, non habuit unde ad Deum gloriaretur (*v.* 2), atque lege fidei omnis gloriatio exclusa est (3,27). Verba in *Vulg.* addita : *secundum propo-*

situm gratiae Dei (κατὰ τὴν πρόθεσιν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ) genuina quidem non esse videntur (cfr *VV. LL.*), sensum tantum verbi λογίζεται (*reputatur*), quod ad Pauli mentem benignitatem Dei gratis homines ex fide iustificantis connotat, clarius declarant. Gratiosum quippe decretum (πρόθεσις *propositum* i. q. decretum cfr ad 8,28; 9,11 etc.) in memoriam revocant, quo Deus ab aeterno homines gratis iustificare statuit per fidem in Christum. Apte quoque praecedenti κατὰ ὀφείλημα (*secundum debitum*) opponuntur, ita ut ceu optima glossa in latino textu, in quo inde a primis fidei temporibus leguntur, iure merito retineantur.

Supra (3,21) Apostolus doctrinam de iustitia Dei, quae non operibus sed fide acquiratur, *a lege et prophetis testificatam* dixerat duobus nominibus universas Veteris Test. Scripturas significans (cfr *Matth.* 5,17; 7,12; 22,40 etc.). Ex priore earum parte, ex Lege, i. e. ex libris mosaicis, exemplum Abrahae attulit fide sine operibus iustificati; ex altera earum parte, ex prophetis, quod nomen hic latiore sensu sumitur, alterum testimonium nunc addit ad canticum quoddam Davidis provocans, quem S. Petrus quoque prophetam (strictiore sensu) appellaverat (*Act.* 2,30). Davidem vero prae aliis S. Paulus ideo forsitan citaverit, quia auctoritate Abrahamo vix inferior a Iudaeis habebatur. Intime quidem *v.* 6. cum praecedente *v.* 5. connectitur atque statim (*v.* 9) Apostolus ad Abrahami iustificationem revertitur, ut ex ea universalitatem iustitiae, quae ex fide est, demonstret; nihilominus *vv.* 6-8 haud satis recte a nonnullis pro parenthetica confirmatione earum habentur, quae de Abrahamo dicta sunt. Novum enim constituunt argumentum, quo veteris oeconomiae cum nova consensus in doctrina de iustificatione probatur. Is nempe Paulo est mos argumentandi, ut varia, quae affert, testimonia arcte inter se connectat. Itaque ut iustitiam gratuitum donum Dei esse ex veteribus Scripturis confirmet, Davidem cum sua explicatione verborum *Gen.* 15,6 consonare monet: 6. *sicut et David dicit beatitudinem hominis* (λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου), *cui Deus accepto fert* (λογίζεται imputat) *iustitiam sine operibus.*

Formula λέγειν τὸν μακαρισμόν τινος (dicere beatitudinis praedicationem in aliquem, i. e. celebrare beatitudinem alicuius) granditate sola verborum a simpliciore locutione μακαρίζειν τινά (beatum praedicare aliquem) differt; grandiorem autem plenioremque formulam Apostolus forsitan elegerit, ut beneficii a Deo gratis collati magnitudinem dignitatemque efferret. Tota autem vis est in sententia relativa, qua homo describitur, quem David beatum, ac proin etiam iustum coram Deo, dicit. Pseudoreformatores ex ea potissimum collegerunt, iustitiam non esse donum divinum homini inhaerens, quo formaliter renovetur mente cordis sui

et ex iniusto fiat vere iustus, sed hominem externe tantum iustum dici ab ipsius Christi iustitia, quam per fidem (vel potius per fiduciam) suam velut per manum apprehendat quamque Deus deinde ei externe imputet, ita ut pro iusto habeatur quamvis peccator maneat, quum peccata eius non vere deleantur, sed dumtaxat obtegantur neque amplius imputentur[1]. Ac profecto Deus nostro in loco homini *imputare iustitiam* (λογίζεσθαι δικαιοσύνην in rationes referre iustitiam) dicitur; sed quid haec verba significent (ut praetermittamus de imputatione τῆς δικαιοσύνης Χριστοῦ nihil dici), ex toto contextu evidens est. Namque inepta constructio esset, si verba nostra (*Deus homini imputat iustitiam sine operibus*) alium exhiberent sensum atque immediate praecedentia, quibus coniunctione καθάπερ (*sicut*) plane consonare ac respondere significantur (*ei qui non operatur sed credit, reputatur fides ad iustitiam*); atqui iustitiam esse donum credentibus gratis collatum, ista verba sonant, ergo idem nostra sonant, nec plus nec minus. Fidem quidem nostris in verbis Paulus non nominat, quia in verbis Davidis quae allegaturus est diserte non nominatur, sed eam subintelligendam esse (iustitiam ex fide sine operibus) ad unum omnes consentiunt. Illud tamen *sine operibus*, quod etiam in verbis davidicis non est expressum, addendum duxit, quia id maximae ei curae est, ut iustitiam gratis donari, minime vero operibus naturalibus mereri, vetere testimonio comprobet. Demum *iustitiam* in rationes referri directe dicit, quia eam antea a Deo gratis dari debere, ut in rationes referri possit, per se clarum est. Quod vero Deus « iustitiam *quae ipsa non adsit* » (eine *an sich nicht vorhandene* Gerechtigkeit) in rationibus notasse dicatur, id aliqui moderni acath. (*Weiss* etc.) absurdissime ex suis addunt. Quomodo Deus iustissimus ac veracissimus hominem, qui vere iustus non est, iustum declarare potest? Num forte Deus res non videt, sicuti sunt, hominemque qui iustus non est iustum esse erronee putat?

Quibus praetermissis ad Davidis verba transeamus a Paulo allegata: 7. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata;* 8. *beatus vir, cui non imputavit* (λογίσηται *Amiat.* etc. : imputabit) *Dominus peccatum.* Verba haec ex *Ps.* 31,1. 2 desumta sunt, quem David iuxta omnium fere interpretum (rationalistis, uti patet, exceptis) sententiam composuit, postquam a Nathano propheta admonitus de duplici suo crimine poenitentiam egerat remissionemque pec-

1. De hac acatholicorum doctrina fuse agunt *Tolet.* (l. h. l.), *Salm.* (in ep. ad Gal. disput. VII.), *Bellarm.* (Controv. de iustific. l. II.) etc., ex modernis *Moehler* (Symbolik § 14) etc. Cfr quid contra eorum errores statuerit *Conc. Trid.* sess. V. decret. de pecc. orig. *n.* 5; sess. VI. decret. de iustif. cpp. 7.16. can. 11.12.

catorum suorum invenerat (2 *Reg.* 12,1 sqq.). Quoniam nec fides nec opera in eis diserte commemorantur, ac de sola remissione peccatorum sermo est, aliquis mirari poterit, quod Paulus ex iis probare velit « Deum homini imputare *iustitiam non ex operibus* ».

Attamen praeprimis animadvertatur oportet, Paulum supponere, uti docet Ecclesia, peccata non remitti nisi gratiae sanctificantis infusione. In hoc enim ordine, in quo per gratiam Dei degimus, non potest esse homo, qui eodem temporis momento et peccato careat et iustitia, neque inter statum peccati et statum gratiae tertius quidam status intermedius habetur. « Iustificatio, uti egregie *Bellarm.* (de iustific. II. 6) ait, motus quidam est de peccato ad iustitiam et nomen accipit a termino ad quem ducit, uti omnes alii similes motus, illuminatio, calefactio etc.; non igitur potest intelligi vera iustificatio, nisi aliqua praeter remissionem peccati iustitia acquiratur; quemadmodum nec vera erit illuminatio nec vera calefactio, si tenebris fugatis vel frigore depulso nulla lux nullusque calor in subiecto corpore subsequatur ». Similiter alibi (in Ps. 31,1.2) : « Sicut sol corporalis non expellit tenebras nisi lucem infundat, sic etiam sol iustitiae et Pater hominum non remittit peccata nisi per gratiam sive iustitiam quam infundit ». Deinde perpendatur oportet, peccatorem in se nihil invenire, unde Deo offenso satisfaciat neque opera eius Deo placere posse. Quodsi omnia iam opera naturalia obtinendis gratiis supranaturalibus per se omnino imparia sunt, multo minus peccatorem operibus suis naturalibus remissionem criminum suorum obtinere evidens est. David autem Deo, qui per prophetam ei magnitudinem peccatorum commissorum ob oculos posuit gravesque poenas annuntiavit, credidit et poenitentia commotus magna cum contritione confessus est : *peccavi Domino* (2. *Reg.* 12,7-13) : en fides aliaeque dispositiones requisitae, quae sua sponte (nisi obex ponatur) ex fide exoriuntur. Unde de David quoque dicere sacer scriptor potuisset : « credidit David Deo et reputatum est ei ad iustitiam ». Nam statim postquam poenitens, intellectu voluntateque auctoritati Dei per prophetam loquentis submissis, se Domino peccasse confessus est, audire meruit : « Dominus transtulit (הֶעֱבִיר remisit, *Alex.* : παρεβίβασεν removit) peccatum tuum ».

Tribus porro nominibus synonymis peccatum in textu primigenio designatur (פֶּשַׁע rebellio, *Alex.* : αἱ ἀνομίαι *iniquitates*, חֲטָאָה *Alex.* : αἱ ἁμαρτίαι *peccata*, עָוֹן pravitas *Alex.* : ἁμαρτία *peccatum*) ac similiter tribus verbis synonymis declaratur remissio (נָשָׂא *auferre*, *Alex.* ἀφιέναι *remittere;* כָּסָה *tegere*, *Alex.* ἐπικαλύπτειν velare vel obtegere; לֹא חָשַׁב *Alex.* οὐ λογίζεσθαι *non imputare*); quin quartum quoque membrum Psalmista addiderat : *nec est in spiritu eius dolus*. Quatuor igitur sti-

chis synonymis David gratiam a Deo acceptam describit atque duobus affirmativis opponit duos negativos, ut nihil iam peccati remansisse significet. *Remissum* est peccatum, et ideo *non imputatur,* atque *tectum* dicitur, quatenus plane abolitum neque amplius *in spiritu adest.* Etenim *S. Iust.* (c. Tryph. 141) contra Iudaeos iam monet, verba Psalmistae (*cui Deus non imputabit peccatum*) « hanc habere vim, ut is qui peccatorum poenitentiam agat eorum *remissionem* (ἄφεσιν) a Deo accipiat, nequaquam vero, quemadmodum Iudaei sibi persuadeant, ut Deus illis, etiamsi peccatores maneant, non sit imputaturus peccatum, dummodo Dominum agnoscant ». Ad alterum vero membrum (*quorum tecta sunt peccata*) quod attinet, *S. Aug.* (Quaest. in Heptat. II. 108) peccata per confessionem exprimenda esse docet, « ut per gratiam quae data est Ecclesiae, *aboleantur, hoc est tegantur,* unde dicitur : beati quorum tecta sunt peccata »; atque clarius alibi (in Ps. 31 enarr. *n.* 9) : « Cooperta sunt peccata, *tecta sunt, abolita sunt;* si texit Deus peccata, noluit advertere, si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; noluit agnoscere, maluit ignoscere. *Nec sic intelligatis,* quod dixit : peccata cooperta sunt, *quasi ibi sint et vivant.* Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur; quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? » etc. Quibuscum consentiens *Euseb. Caes.* (in Ps. 31,1) : « Tanto studio et liberalitate Deus erga poenitentes utitur, ut non solum *remittat* sed etiam *tegat* eorum peccata *et ne vestigium quidem eorum relinquat* » (καὶ μηδὲ ἴχνη τούτων καταλείπειν). Alia similia testimonia plurima, quibus genuinus sensus locutionum *peccata tegere* et *peccatum non imputare* declaratur, afferre supersedemus, quia per se clarum est, Pseudoreformatorum explicationem, qui peccata ita *tegi* et *non imputari* dixerunt, ut eorum poenis condonatis secundum reatum culpae remaneant, cum sana ratione non minus quam cum divina revelatione pugnare.

Id unum adnotemus, iuxta *Thom.* tria in peccato posse distingui, *offensam Dei*, quae *remittatur,* ipsum *inordinatum,* quo reatus culpae inductus est, *actum,* qui, quum semel sit factus, infectus fieri nequeat sed *tegatur* manu misericordiae divinae, ut quasi pro non facto habeatur, *reatum poenae*, cuius respectu peccatum dicatur *non imputari* scilicet ad poenam. Alii aliter distinguere malunt sed omnes, ni fallor, subtilius quam verius, quum suas distinctiones scholasticas in poetica verba Psalmistae ingerant. A vero procul recedunt, qui in primo membro de peccatis gravibus, quae remittantur, in secundo de venialibus, quae tegi dicantur quia cum gratia sanctificante in animo adesse possint, in tertio de gratia, qua protegente homo deinceps in peccata

non labatur, agi arbitrantur (*Tol.* cfr etiam *Bellarm.* in Ps. 31 etc.); haec enim contextui et scopo uti Pauli, ita Psalmistae parum consonant.

2.) — *Abrahami ante circumcisionem iustificati exemplo docetur iustitiae, quae ex fide est, universalitas* (4,9-16).

4,9. *Beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet, an etiam in praeputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam.* 10. *Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio.* 11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei quae est in praeputio : ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad iustitiam :* 12. *et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio patris nostri Abrahae.* 13. *Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini eius, ut heres esset mundi : sed per iustitiam fidei.* 14. *Si enim qui ex lege, heredes sunt : exinanita est fides, abolita est promissio.* 15. *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.* 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum...*

4,9. Ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομήν, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; λέγομεν γάρ· Ἐλογίσθη τῷ Ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. 10. πῶς οὖν ἐλογίσθη; ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ; οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ, 11. καὶ σημεῖον ἔλαβεν περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας εἰς τὸ λογισθῆναι αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην, 12. καὶ πατέρα περιτομῆς, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσιν τοῖς ἴχνεσιν τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ. 13. οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι κόσμου, ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως. 14. εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι, κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία· 15. ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται· οὗ δὲ οὐκ ἔστιν νόμος, οὐδὲ παράβασις. 16. διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως, ἵνα κατὰ χάριν, εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, ὅς ἐστιν πατὴρ πάντων ἡμῶν [1]...

1. *VV. LL.* — 9. ἐπὶ τὴν περιτομήν (*ad circumcisionem*) sine ullo addito est communis ac certa lectio codd. graec., quibuscum meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Demid. Flor.* etc.) consentiunt quum legant : *beatitudo ergo haec in circumcisione an etiam in praeputio?* Attamen D E legunt ἐπὶ τὴν περιτομὴν μόνον (ad circumcisionem *tantum*) atque praeter hoc adverbium cum codd. *Harl. Tol.* etc., consentiente *A*[tro], a *Vulg. Clem.* etiam verbum additur (*in circumcisione tantum manet*) cfr *Comm.* — λέγομεν γάρ (dicimus enim), coniunctione ὅτι non addita, B ℵ D; sed *textus rec.* : λέγομεν γὰρ ὅτι... (*dicimus enim quia...*) cum A C E F G K L P, omnibus fere minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*, quorum testium auctoritas praevalet. — 10. ἐν περιτομῇ ὄντι (in circumcisione *exsistenti*) est communis ac certa lectio codd. graec. et plerarumque verss., quam etiam *It.* secuta est (*A*[ter] *: quum esset* in circumcisione) et ex *Vulg.* cod. *Fuld.* (in circumcisione *quum esset*); attamen F G participium ὄντι praetermittunt et cum iis consentiunt plerique codd. latini, quos sequitur *Vulg. Clem.* — 11. σημεῖον ἔλαβεν περιτομῆς (*signum accepit circumcisionis*) B ℵ D E F G K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Copt.*; sed (ad facilitandam ut videtur interpretationem) σημεῖον ἔλαβεν περιτομήν (signum accepit *circumcisionem*) A C, pauci minusc., multi PP., *Syr. Arm.* cfr *Comm.* — εἰς

Quemadmodum exemplo Abrahami ac Davidis verbis Apostolus iustitiam esse donum gratuitum, quod credentibus conferretur, demonstravit, ita iisdem testimoniis universalitatem illius nunc probat. Etenim illam non ad solos circumcisos sed ad praeputiatos quoque pertinere ex Psalmi loco allegato concludit (*v.* 9) et Abrahami exemplo confirmat, quippe qui ante circumcisionem sit iustificatus ex fide et circumcisionem in confirmationem iustitiae ex fide obtentae acceperit (10. 11ª), ut eum omnium credentium, quum praeputiatorum tum circumcisorum, patrem esse appareret (11ᵇ. 12). Revera promissiones quoque Abrahae seminique eius factas Legi non alligari addit, sed iustitiae fidei (*v.* 13); si enim Legi alligatae essent, iam dicendae essent abolitae, quia Lex iram operetur (14. 15). Fidei autem Deus eas ideo alligavit, ut firmae rataeque manerent toti semini Abrahami, i. e. non Iudaeis tantum sed etiam ethnicis credentibus (*v.* 16).

Simili modo, quo superiorem (cfr ad *v.* 1), hanc quoque sectionem ab interrogatione Apostolus exorditur, quae ex praecedentibus sententiis colligitur et novae argumentationis summam indicat. Nam ex davidico testimonio concludit, iustitiam quam Deus credentibus gratis confert, universalem esse; conclusionem autem per modum interrogationis proponit, quae quid respondendum sit, ipsa satis clare innuit: 9. *beatitudo* (ὁ μακαρισμὸς) *ergo haec in circumcisione* (*tantum manet*) *an etiam in praeputio?* vel clarius et accuratius ex textu primigenio: *beatitudinis ergo praedicatio haec*, qua sc. David beatum dicit hominem cui Deus imputat iustitiam sine operibus (*v.* 6), *ad circumcisionemne* (i. e. ad circumcisos) *an etiam ad praeputium* (i. e. ad praeputiatos) pertinet? Ex particula καί (*etiam*) secundo interrogationis membro inserta (ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν) apparet, in priore membro locutionem ἐπὶ τὴν περιτομήν (*ad circumcisionem*) exclusive esse sumtam, ita ut adverbium μόνον (*tantum*), quod cum paucis graecis multi latini codd. addunt (cfr *VV. LL.*) per se sit superfluum, licet velut bona glossa retineri possit. In textu graeco verbum deest, sed facillime supplemus ἐγένετο cum *S. Clem. Rom.*, qui nostrum locum imitatus scripsit: ὁ μακαρισμὸς οὗτος ἐγένετο ἐπὶ τοὺς ἐκλελεγμένους κτλ (haec beatitudinis praedicatio ad electos *facta est*, vel *pertinet* 1 *Cor.* 50), nisi

τὸ λογισθῆναι αὐτοῖς (ut reputetur illis) B ℵ A, pauci minusc., ex *Vulg.* codd. aliqui (*Demid. Tol.* etc.) *Copt.*; sed rectius *textus rec.*: εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς (*ut reputetur et illis*) cum C D E F G K L P, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Arm. Aeth.* — 15. οὗ δὲ οὐκ ἔστιν νόμος (ubi *autem* lex non est) B ℵ A C, pauci minusc. nonnulli PP. (*Theod. Theoph.* etc.), *It.* (*S. Ambr.* ep. 73,1 *Orig.* interpr.) *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.*: οὗ γὰρ οὐκ ἔστιν νόμος (*ubi enim non est lex*) cum D E F G K L P, plerisque minusc., *It.* (*A*[ter] *S. Aug.*) *Vulg. Syr.* (codd. plerique) cfr *Comm.*

quis forte cum *Theoph.* supplere maluerit πίπτει (*cadit* in) vel cum *Oec.* ἦλθεν (*venit*) vel cum modernis λέγεται (*dicitur v.* 6) aut ἐστίν etc. Quae supplementa omnia sunt apta; quod autem iuniores librarii latini minus apte verbum *manet* suppleverint (cfr *VV. LL.*), id ex eo provenit, quod in latina versione μακαρισμός haud recte latino *beatitudo* reddatur (significat enim *beatificationem* i. e. beatitatis praedicationem, cfr ad *Gal.* 4,15) et praepositio ἐπὶ c. accus. non accurate latino *in* c. ablat. declaretur. Hinc factum est, ut multi totum sententiae sensum non sint assecuti. Neque enim viderunt, Apostolum, qui ex Abrahami iustificatione *et* ex Davidis testimonio gratuitam esse iustitiam demonstravit, nunc eodem modo (uti iam diximus) ex Davidis proxime verbis colligere iustitiam esse universalem, ut idem deinde Abrahami ante circumcisionem fide iustificati exemplo uberius explanato confirmet. Quem nexum moderni quoque multi non perspexerunt, quum coniunctionem οὖν (ergo) hic dictum aliquod praecedens resumere (quodnam?) et sententiam nostram dumtaxat transitioni ad exemplum Abrahae inservire dicerent (*Bisp. Dr.* etc. — *Mey. Weiss* etc.). At particula οὖν sensum suum illativum retinet, atque sententia nostra completum constituit argumentum. Nempe David sine ulla limitatione et sine ulla Iudaeorum gentiliumque distictione modo generali beatum dicit *hominem* (*v.* 6), cui Deus imputet iustitiam sine operibus; quare suo iure Paulus concludit, iustitiam illam, quae ex fide est, solis Iudaeis non esse destinatam sed eam esse universalem. Quod autem hanc conclusionem per interrogationis formam proponat, id profecto non creat difficultatem; nam interrogatio ipsa responsum continet et iuxta contextum nihil responderi potest, nisi Davidis beatificationem etiam ad praeputiatos pertinere, qui credunt (3,22. 29 sq.).

Quod responsum ut Legi quoque consonare ostendat Legeque confirmet (attende ad sequentem particulam γάρ *enim* et cfr ad *v.* 2), ad Abrahami iustificationem revertens eam primum generali modo in memoriam revocat: *dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam.* Qua in sententia neque subiecto (*fides*) neque praedicato (*reputata est ad iustitiam*) praecipuam vim inesse, uti multi moderni volunt, sed dativo (*Abrahae*), sequentia docent, in quibus de ipsius Abrahae persona agitur. Interrogatur quippe : **10.** *quomodo* (πῶς) *ergo reputata est? in circumcisione an in praeputio?* vel clarius in secunda interrogatione iuxta textum primigenium et antiquam versionem (cfr *VV. LL.*) : *quum esset in circumcisione an in praeputio?* Secunda porro interrogatione adverbium interrogativum πῶς (*quomodo*) ita definitur, ut totius interrogationis sensus sit : « Quo in statu, num in statu circumcisionis an in statu praeputii, Abraham ex fide iustificatus est? »

Si post suam circumcisionem iustificatus esset, cum aliqua utique veritatis specie asseri posset, iustitiam non conferri nisi circumcisis ethnicosque circumcidi debere, ut deinde ex fide iustificentur; atqui verba, quibus Scriptura Abrahamum ex fide iustitiam obtinuisse testatur (*Gen.* 15,6), de patriarcha nondum circumciso dicta sunt, circumcisio autem plus quatuordecim annis postea ei iniuncta est (*Gen.* 17,9 sqq.).

« Si igitur Abraham adhuc incircumcisus exsistens iustificatus est per fidem, manifestum est, quod iustitia fidei, per quam gratis remittuntur peccata, non est solum in circumcisione sed etiam in praeputio, i. e. in gentilitate » (*Thom.*). Hoc significare vult Paulus, si interrogationi suae ipse respondet : *non in circumcisione sed in praeputio* sc. iustificatus est ex fide. Sed haec non est nisi prior responsi pars, cui alteram addit, qua cavillationem quae fieri possit praeoccupaturus significationem circumcisionis Abrahae exponit, ut tandem responsum suum compleat fine explicato, cur Deus Abrahamum praeputiatum ex fide iustificari et ex fide iustificatum circumcidi voluerit. Praeprimis igitur, ne quis circumcisionem Abrahae prorsus superfluam fuisse erronee concludat, idem suum responsum continuans[1] Apostolus quid illa sibi voluerit explanat : 11. *et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei quae est in praeputio* (τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ rectius : *quae fuerat in praeputio;* verbum enim praeteriti temp. supplendum esse patet, quia de Abrahamo ante circumcisionem credente sermo est). Abrahamo igitur circumcisio *signum* (σημεῖον) fuisse dicitur; nam genet. περιτομῆς (*circumcisionis*) est genetivus appositionis (cfr ad *Cor.* 1,22) : *signum i. e. circumcisionem accepit* (minus apte alii : circumcisionem tamquam signum accepit); quod non perspicientes aliqui librarii scribere maluerunt : καὶ σημεῖον ἔλαβεν περιτομήν (cfr *VV. LL.*). Cuiusnam autem generis signum fuerit, docet appositio *signaculum* (σφραγῖδα sigillum) *iustitiae fidei* (τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως i. q. τῆς δικαιοσύνης τῆς ἐκ πίστεως 9,30; 10,6 *iustitiae ex fide*) *quae fuerat in praeputio.* Ad quae verba alludens egregie iam *S. Iust. M.* (c. Tryph. 23) « Abraham, in-

1. Cum *Vulg. Clem.* etiam plerique editores textus graeci et omnes fere interpretes a *v.* 11 novam sententiam inchoant, quam maiore interpunctione a praecedente separant. Quod minus apte fieri censeo; nam prius membrum sententiae finalis (aut, uti alii volunt, consecutivae) quae statim sequitur (εἰς τὸ εἶναι πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας *ut esset pater omnium credentium per praeputium*) a primis *v.* 11 verbis (καὶ σημεῖον ἔλαβεν περιτομῆς *et signum accepit circumcisionis*) non dependet, siquidem Abraham circumcisus non est eo fine aut eo modo, ut esset pater credentium praeputiatorum. Quare duas eiusdem responsi partes, quae minore tantum interpunctione separandae sunt, adesse statuimus : *non in circumcisione sed in praeputio* iustificatus est Abraham, *et signum accepit circumcisionis* etc.; priori deinde parti respondet prius sententiae finalis membrum (*ut esset pater omnium credentium per praeputium*), alteri alterum (*et esset pater circumcisionis* etc.).

quit, quum in praeputio esset, propter fidem, qua credidit Deo, iustificatus et benedictus est, uti Scriptura demonstrat; circumcisionem autem in signum, non ad iustitiam accepit, uti Scriptura et rerum gestarum series nos cogunt confiteri ». Primum credidit, deinde iustificatus est, demum in manifestationem et probationem iustitiae ex fide obtentae circumcisus est; haec est rerum gestarum series, quam Paulus lectoribus suis ex Genesi notam esse supponit.

Sigillo res interdum obsignantur, ut claudantur et ad tempus occultentur (cfr *Apoc.* 5,1 etc.), interdum ut confirmentur et indubitatae reddantur (cfr 1 *Cor.* 9,2; *Ioan.* 3,33 etc.); unde duae nostri loci explicationes diversae antiquitus iam sunt propositae. Priorem quippe significationem praeferens *Orig.* circumcisionem sigillum fuisse censet, quo iustitia, quae ex fide est, in antiqua oeconomia occultaretur, donec in nova per Evangelium manifestaretur. Quam explicationem antiquiores quoque et iuniores Latini multi (ex *Gl ord.*) afferunt quidem, sed aeque ac reliqui Graeci (cfr *Chrys. S. Cyr. Alex.* in Ioan. IV. 7, *Theod. Oec. Theoph.* etc.) omnes fere alteram iure merito praeferunt, ut *circumcisio Abrahae* (de hac sola enim sermo est) dicatur sigillum iustitiae, quia testimonium fuit, quo eam adesse demonstrabatur. Neque enim dumtaxat sigillum vocatur, sed etiam *signum;* atqui signum (σημεῖον) rei occultandae non inservit, verum ei indicandae et manifestandae. Ablatione nimirum praeputii iuxta intentionem Dei confirmabatur et manifestabatur, omnem impuritatem ex Abrahami credentis animo esse ablatam. Qua cum explicatione optime conciliatur, quod in *Gen.* 17,11 circumcisio *in signum foederis*, quod cum eo Deus pepigit, Abrahamo praescripta esse legitur. Foedus enim cum homine impuro et in peccatis degente Deus sanctissimus inire nequit; quemadmodum igitur Deus, uti recte *S. Cyr. Alex.* (l. c.) monet, filios Israel sanctificari et in signum internae puritatis, qua eos instructos esse voluit, vestimenta lavare iussit, antequam eis Legem promulgaret cum eisque foedus pangeret (*Exod.* 19,10 sqq.), ita Abrahamum prius ex fide iustificari ac deinde in confirmationem et manifestationem iustitiae acceptae circumcidi voluit, antequam eum ad foedus ineundum admitteret. Itaque circumcisio signum est quum iustitiae antea ei collatae tum foederis postea cum eo initi. Haud eadem autem ratione Abrahamo et Iudaeis circumcisionem signum fuisse ac symbolum Paulus innuit; Abrahamo signum fuit puritatis, quae in animo eius iam aderat, Iudaeis signum erat puritatis, quam Deus ab eis postulabat (cfr ad 2,25). Quoniam in hac epistolae parte ad interrogationem superiorem (3,1 *quae utilitas circumcisionis* sc. Iudaeorum?) responderi (erronee) arbitrabantur (cfr ad 3,1 et 4,1), multi antiquiores et iuniores (cfr *Abael. Lomb. Thom.* etc., *Iust. Est.* etc.) studiose hic inquirunt, utrum in vetere oeconomia circumcisio (simili modo quo in nova baptismus) puritatem illam, quam Deus a Iudaeis postulabat, etiam effecerit, i. e. peccata quoque (praesertim peccatum originis) gratiae sanctificantis infusione abstulerit, necne. Quam in quaestionem ingredi super-

sedemus, quia eam huius loci non esse evidens est, quum S. Paulus, uti *Salm.* rectissime observavit, de Iudaeorum circumcisione eiusque efficacia non agat, sed de solius circumcisionis, quam Abraham iustificatus accepit, significatione. Scholasticis igitur theologis eam totam relinquimus discutiendam, atque id adnotasse sufficit, alios affirmativam, alios negativam sententiam tenere, alios mediam viam inire (ceterum cfr ad 7,9 *n.*).

Verba τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ (*iustitiae fidei quae fuerat in praeputio*) duas admittunt constructiones, quae ambae aptae sunt sensumque quoque per se aptum gignunt. Appositionem scilicet (τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ) aut cum priore genetivo regente (τῆς δικαιοσύνης *iustitiae* quae fuerat in praeputio) aut cum altero recto (τῆς πίστεως *fidei* quae fuerat in praeputio) arctius connectere per grammaticam licet. Priorem nexum *Est.* cum paucis praefert, alterum cum *Thom.* ac plerisque secuti sumus utpote contextui magis adaptatum. Namque solo facto historico, licet ex eo iustitiam fidei etiam praeputiatis esse destinatam clare iam constet, non contentus Apostolus, ut responsum suum compleat eique maiorem auctoritatem conciliet, finem quoque indicat, quem Deus prae oculis habuit, quando speciali sua providentia res patriarchae ita disponebat ac regebat, ut hic prius ex fide, quam in statu praeputii habuit, iustificaretur ac deinde in confirmationem iustitiae ex illa fide obtentae circumcideretur. Iam vero hic finis divinus non tam donum ex fide acceptum, i. e. iustitiam, quam ipsam fidem, iuxta Paulum proxime spectat. Abrahamum quippe hac ratione a Deo constitutum esse *credentium* patrem docet, cui omnes, sive praeputiati sint sive circumcisi, *fide* assimilari debeant, ut ius ad hereditatem Abrahamo ac semini eius promissam acquirerent. Uti supra iam innuimus, sententia finalis duobus membris constat, quae duabus responsi partibus correspondent; prius autem membrum pertinet ad praeputiatos : Abrahae praeputiato iam fides ad iustitiam reputata est (*v.* 10), *ut sit* (εἰς τὸ εἶναι melius : *ut esset*) *pater omnium credentium per praeputium* (δι' ἀκροβυστίας i. e. in statu praeputii cfr ad 2,27 διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς), *ut reputetur* (εἰς τὸ λογισθῆναι melius : *ut reputaretur*) *et illis* (καὶ αὐτοῖς nimirum sicut patri eorum Abrahae, cuius filii facti sunt, fide sua ei assimilati cfr ad *Gal.* 3,7) *ad iustitiam;* vel eodem plane sensu (cfr ad *v.* 6) iuxta communiorem lectionem graecam : *ut imputaretur et illis iustitia.* Graeca locutio εἰς τὸ cum infinit. a nonnullis hic consecutive sumitur : ex eo, quod Abraham in praeputio ex fide iustificatus est, consequitur ut omnes, qui eadem ratione in praeputio credentes fide ei assimilantur, eius filii sint ac proin ut eis idem quoque donum (iustitiae) ex fide imputetur, quo capaces fiant hereditatis Abrahae obtinendae (cfr *Thom. Cai.* etc.); ab aliis fi-

naliter explicatur : ideo Abraham... iustificatus est, *ut esset* pater etc. (*Chrys.* etc., *Tol. Est.* etc., moderni plerique). Utraque explicatio per se admitti potest (cfr ad 1,20), neque magna exoritur, sive prior sive altera eligitur, sensus differentia, quum eadem res secundum priorem in historica sua exsistentia, secundum altera in intentione divina consideretur. Alteram tamen cum plerisque praeferendam indicavimus, primum quidem quia nulla hic adest causa, cur formulam εἰς τὸ c. inf. consueto suo sensu finali privemus, ac deinde quia sententia maiorem habet vim ad Iudaeorum superbiam confundendam, si Deus eum in finem Abrahamum praeputiatum ad fidem et iustitiam adduxisse dicatur, ut omnium praeputiatorum credentium pater fieret. Ob easdem quoque rationes in altero membro, quod quasi parenthetice inseritur (εἰς τὸ λογισθῆναι κτλ *ut reputaretur et illis fides ad iustitiam*), finalem explicationem praetulimus. Iuxta divinam ordinationem enim Abraham, ex fide in praeputio habita iustificatus, pater gentilium credentium constitutus est, ut hi eadem via, qua ille, iustitiam sine circumcisione ex fide adipiscerentur. Ad divinum enim finem Paulum in hac argumentatione attendere clare apparet ex *v.* 23 sq.

Iudaeorum superbiam, qui ob originem circumcisionemque suam sibi solis dignitatem filiorum Abrahae et ius ad benedictiones messianicas ei promissas vindicabant, Apostolus in priore sententiae finalis membro haud leviter iam confudit, quum a praeputiatis exorsus his quasi primum ius ad illam dignitatem competere insinuaret; gravius autem eam confundit in altero membro, saltem secundum graecum textum, quem cum iunioribus ac modernis tantum non omnibus (cfr *Cai. Salm. Tol. Est. Iust. Nat. Pic.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp.* etc.) latinae versioni huius loci praeferimus ideoque primo in loco exponemus graecorum interpretum (*Orig. Chrys. Theoph. Oec.* etc.) vestigia prementes. Circumcisionem quippe ad dignitatem illam nihil conferre Paulus docet, quandoquidem circumcisi ipsi *praeputiato* Abrahamo *fide* assimilari debeant, si genuini filii eius esse et ius ad promissiones ei seminique eius factas habere velint. Haec enim est primigenii textus versio cum suo contextu : Abraham in confirmationem iustitiae, quam ex fide in praeputii statu habita obtinuerat, circumcisionem accepit (*v.* 11), ut esset... 12 *et pater circumcisionis, iis qui non ex circumcisione tantum sunt, sed et ipsi sectantur vestigia illius, quae in praeputio erat, fidei patris nostri Abrahae;* εἰς τὸ εἶναι... καὶ πατέρα περιτομῆς, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον ἀλλὰ καὶ τοῖς (lege : καὶ αὐτοῖς) στοιχοῦσιν τοῖς ἴχνεσιν τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ. Sicut igitur Abraham ex fide, quum praeputiatus esset, iustificatus est, ut esset pater credentium gentilium, ita post iustificationem suam et

in eius confirmationem circumcisus est, ut esset pater Iudaeorum credentium; unica ergo ratio paternitatis illius sita est in fide, quam Abraham iam habuit et ex qua iam iustificatus est, quum esset praeputiatus. Dicitur autem circumcisus, ut esset *pater circumcisionis* i. e. circumcisorum; abstractum enim nomen περιτομῆς (*circumcisionis*) pro concreto iterum positum est (cfr *v*. 9; 3,30 etc.). Neque tamen omnium circumcisorum Abrahamum esse patrem neque quemquam vi solius circumcisionis genuinum filium eius esse Paulus articulo ante genetivum περιτομῆς omisso leviter indicat, clare autem docet addita conditione, quae praeter circumcisionem in Iudaeis requiratur. Potuit quidem sententiam genetivo continuare (πατέρα περιτομῆς, τῶν οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον pater circumcisorum, eorum [scilicet] qui non ex circumcisione tantum sunt etc.), sed orationem varians, ut conditionem illam fortius exprimeret, dativo commodi sententiam continuare maluit: « ut esset pater circumcisorum, relate ad illos (vel : illis) videlicet, qui non tantum sunt circumcisi sed *et ipsi* (eodem modo quo praeputiati) fidem, quam praeputiatus habuit, patris nostri Abrahae imitantur ».

Difficultatem quandam grammaticam creat articulus dativo στοιχοῦσιν praemissus, quum indicare videatur, de duabus personarum classibus hic agi, de iis qui ex circumcisione sint et de iis, qui vestigia fidei Abrahae sectentur; id quod sua interpretatione *Theod.* solus inter Graecos exprimit. Alii Graeci omnes articulum velut negligentius positum considerasse ideoque neglexisse videntur; *Salm.* eum expungendum censet, moderni variis subtilitatibus grammaticis eum explicare conati sunt. At cum *W H* censemus, eum iam ab uno ex primis librariis mendose pro pronomine αὐτοῖς scriptum esse [1], atque hanc lectionem velut probabiliorem secuti sumus. Ceterum illum articulum causam fuisse *Beel.* haud immerito suspicatur, cur unus alterve librarius in praecedente membro pro τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον scriberet οὐ τοῖς ἐκ περιτομῆς μόνον, ut οἱ ἐκ περιτομῆς quoque tamquam classis distincta personarum grammatice exhiberentur et alteri classi τοῖς στοιχοῦσιν κτλ opponerentur. Ex eiusmodi autem codice derivata est versio latina, de qua iam dicemus.

Latina lectio in suo contextu haec est : Abraham in praeputio credens iustificatus est et circumcisionem velut sigillum iustitiae fidei, quae erat in praeputio, accepit, ut esset pater omnium credentium praeputiatorum, 12. *et sit* (lege : *esset*) *pater circumcisionis non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei, quae est* (lege : *erat*) *in praeputio, patris nostri Abrahae.* Qui hanc lectionem sequuntur, prima verba varium in modum explicant : alii enim cum *A*[tro] Abrahamum appellari putant « *patrem circumcisionis* spiritualis, quae fit praecisione vitiorum » (*Lyr. Dion.* etc.),

1. Quamdiu codices literis uncialibus sine ulla vocum distinctione exarabantur, etiam diligens librarius duas primas notas vocabuli αὐτοῖς facillime praetermittere potuit, si similes literae praecedebant, uti hic : ΑΑΑΑΚΑΙΑΥΤΟΙΣΣΤΟΙΧΟΥΣΙΝ; cfr *Introd. gener.* in U. T. libros sacr. p. 284 sqq. (Edit. 2. p. 303 sqq.).

alii eodem modo, quo nos, genetivum abstr. *circumcisionis* pro concreto « circumcisorum » positum censent (*Herv. Lomb. Thom.* etc.), alii Abrahamum vocari volunt « patrem, i. e. auctorem et institutorem circumcisionis, quae fuit signum foederis inter Deum et Abraham posterosque eius pacti » (*Lap.* etc.). In reliquis autem verbis explicandis consentiunt, Abrahamum patrem dici « non tantum his, qui sunt ex *carnali* circumcisione, i. e. *Iudaeis*, sed et his, qui *corde* circumcisi sunt, non carne, i. e. *gentilibus*, qui sectantur vestigia fidei Abrahae » (*Herv.* etc.). Quidquid de priorum verborum explicatione statuitur, duobus incommodis ultima verba semper laborant. Praeprimis enim insinuant, Abrahamum esse patrem spiritualem omnium, qui carne sunt circumcisi, i. e. omnium Iudaeorum, sicut est pater spiritualis omnium gentilium credentium. Verum id contra mentem Pauli esse patet, cui illi soli, qui sunt ex fide, veri vel spirituales filii Abrahae sunt (cfr ad *Gal.* 3,7). Neque evitabis hoc incommodum, si aut cum nonnullis dixeris, in priore membro de carnali, in altero de spirituali paternitate agi (quia idem nomen eadem in sententia duobus sensibus plane diversis adhiberi nequit), aut cum *Prim.* legeris : « non iis tantum, qui ex circumcisione sunt *fideles* », quia haec vox textui arbitrarie inseritur. Alterum incommodum est, quod hac lectione admissa exoriatur tautologia. Abrahamum enim patrem praeputiatorum credentium esse, Paulus nudis verbis iam *v.* 11 assuerit; ad quid igitur nunc repeteret, eum non tantum Iudaeorum, sed etiam gentilium, qui eius fidem imitentur, esse patrem? Quapropter mirum non est, quod iuniores ac moderni fere omnes pro lectione latina graecam sequi malint.

Clarus enim ac planus est sensus *vv.* 10-12, quem supra exposuimus, prout eum ex *Chrys.* paucis verbis *Theoph.* complectitur : « Quum in praeputio esset, Abraham credidit et iustificatus est, ut hoc pacto credentium praeputiatorum pater esset; deinde accepit circumcisionem, signum et sigillum iustitiae fidei, quam in praeputio habuit, ut esset pater circumcisorum illorum, qui ingrediuntur per vestigia fidei, quam habuit, dum adhuc incircumcisus erat. Qua (fide) si carent, frustra (Iudaei) circumcisionem gloriae sibi ducunt; similes quippe sunt illis, qui crumenam ostentant sigillo quidem munitam sed pecuniae vacuam ». Clare quoque iuxta hanc expositionem exemplum Abrahae docet, iustitiam a circumcisione non dependere nec solis circumcisis tribui, sed fide niti ac iuxta legem a Deo stabilitam omnibus credentibus, sive praeputiatis sive circumcisis, concedi, qui praeputiati Abrahami fidem imitentur eique ratione fidei assimilentur.

Singularem ergo locum in salutis oeconomia Abraham occupat. Ante eum alii iam ex fide iustitiam obtinuerant, uti multi post eum ante Christi adventum fide iustificati sunt (cfr *Hebr.* 11,4 sqq.); at nullus ex eis, quamvis eorum fides celebretur, pater constitutus est omnium credentium. Solus Abraham, qui et in statu praeputii et in statu circumcisionis iustus ex fide fuit, hanc dignitatem obtinuit. Quapropter Deus cum eo, postquam eius fidem probavit, pactum absolutum, etiam iuramento confirmatum (*Hebr.* 6,13. 14 cfr *Gen.* 22,16 sqq.) iniit, ut semen eius multiplicaretur sicut stellae

coeli et in semine eius benedicerentur omnes gentes. Semen autem intellexerat spirituale, Christum nimirum, qui secundum carnem ex Abrahamo originem traxit, omnesque qui per fidem Christo, capiti suo, velut membra inseruntur unumque cum eo corpus efficiunt (cfr ad *Gal.* 3,23-28).

Attamen iustitiam universalem esse omnibusque credentibus conferri Apostolus altero ex capite confirmat. Simili quippe modo, quo antea nec Legem scriptam (2,1-24) neque circumcisionem (2,25-29) Iudaeos peccantes ab ira divina eximere docuit, nunc ordine inverso neque circumcisionem carnis (*vv.* 10-12) neque Legem (*vv.* 13-16) ius ad dignitatem verorum filiorum Abrahae ac proin ad hereditatem Abrahae tribuere docet. Paternitatis nimirum Abrahae rationem totam non in circumcisione sed in fide sitam esse dixerat, idque nunc, a notione filii ad connexam notionem heredis transiens, ex eo comprobat, quod hereditatis quoque ratio non in Legis operibus sed in iustitia fidei sit sita : 13. *non enim per legem promissio Abrahae aut semini eius, ut heres esset mundi, sed per iustitiam fidei* (supple : *facta est* ἐγένετο, vel : *est* ἐστίν). Quemadmodum Abraham non in statu circumcisionis sed in statu praeputii credens iustificatus est, ut omnium credentium, etiam praeputiatorum, pater esset, ita promissiones quoque *per legem* (διὰ νόμου), i. e. « merito servatae Legis » (*A*[ler]), seu Lege mosaica interveniente et adiuvante, non accepit, sed *per iustitiam fidei* (διὰ δικαιοσύνης πίστεως), i. e. mediante iustitia, quam fides parit (cfr *v.* 16 ἐκ πίστεως ex fide), idque ideo ut eas ad omnes pertinere appareret, qui fide iustificati sunt, sive Legem scriptam habent sive illa carent.

Ad originem quidem promissionum hic, uti *Gal.* 3,15 sqq., Apostolus respicit, sed non plane eodem modo, quo ibi, ex ea argumentatur. Ibi enim ex natura testamenti divinitus confirmati, quo promissiones continebantur, concludit illud Lege quadringentis et triginta annis postea data neque irritum reddi neque mutari potuisse, Legem ergo non requiri, ut quis promissionum particeps fiat. Hoc autem in loco ex causa, qua quasi impellente Deus promissiones dedit, argumentum desumit. Si Abraham propter Legem mosaicam habitam et observatam illas accepisset, iure utique colligeretur, neminem praeter Iudaeos, quibus Lex data erat, illarum partem esse habiturum; verum quia diu ante promulgatam Legem et sine ullo Legis postea promulgandae respectu credenti et ex fide iustificato patriarchae (atque in eo simul semini eius) sunt dictae, consequens est, ut ad omnes, qui ex fide iustificantur, pertineant et a Lege non dependeant. Ab hac communiore sententiae explicatione (cfr *Theod. Theoph.* etc., *A*[ler] *Prim.* etc., *Herv. Lyr.* etc., *Tol. Est. Iust.* etc., *Reith. Beel. MEv.* etc.)

pauci dissentiunt, qui nomen *promissionis*, ut nexum cum sequente sententia inveniant, improprie de re ipsa promissa interpretantes hunc verborum sensum esse statuunt : « Res Abrahae promissa (hereditas mundi) ei aut semini eius non per Legem, i. e. per Legis custodiam, sed per iustitiam fidei *danda est* » (cfr *Thom. Cai. Salm. Ag.*). At licet haec per se verissime dicantur atque etiam ex nostra sententia per sensum quem vocant consequentem legitime deriventur, ipsis tamen verbis non sunt expressa, nisi admittatur eorum constructio parum apta; ad nexum autem cum sequente sententia stabiliendum nos hac explicatione non indigere, ex dicendis patebit.

Ad singula ut transeamus, primum ex toto contextu clare apparet, *legem* hic intelligi mosaicam, quatenus fidei opponitur; a sua enim Lege Iudaei ius suum ad Abrahae hereditatem derivabant. Quod si unus alterve modernus a communi hac explicatione recedens ob articulum omissum (διὰ νόμου) « legem aliquam, quaecumque fuerit, sive mosaicam sive aliam » intelligere vult (*Ag.*), haud satis attendit, in innumeris fere paulinarum epistolarum locis, atque in hac ipsa pericope (cfr *v.* 14 οἱ ἐκ νόμου 2,12. 13. 14. 17. 23 etc. etc.), nomen νόμου sine articulo, maxime in casibus obliquis, de mosaica Lege usurpari.

Difficilius dictu est, de quanam *promissione* sit sermo; neque enim inter illas, quae Abrahae sunt dictae, ulla est, qua ei et semini eius hereditas *mundi* promittatur. Unde, uti *Salm.* iam adnotat, alii de *Gen.* 12,3 (*in te benedicentur universae cognationes terrae*), alii de *Gen.* 15,7 (*eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam*), alii de omnibus promissionibus simul sumtis cogitarunt. Ad quam difficultatem solvendam animadvertatur oportet, de promissione Abrahae *et* semini eius facta sermonem esse; siquidem sensus verborum τῷ Ἀβραὰμ ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ (Abrahae *aut* semini eius), quum in sententia negativa legantur, iuxta graecum (et latinum) loquendi usum a Novi Test. scriptoribus retentum (cfr 9,11; *Eph.* 5,3; *Act.* 1,7; 11,8 etc.), idem est, qui in affirmativa foret verbis τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ (Abrahae *et* semini eius). Itaque Apostolum hic, uti *Gal.* 3,16, proxime ad duas illas praedictiones respexisse censemus, quibus « Abrahae *et* semini eius omnis terra Chanaan in possessionem aeternam » promittitur, nimirum ad *Gen.* 13,15 et 17,8, et maxime ad secundum locum, ex cuius contextu statim alia verba allegat (*v.* 17 cfr *Gen.* 17,4). Neque vero negamus, eum simul reliquas promissiones, quum omnes arctissime inter se cohaereant, ante oculos habuisse, uti eum omnes probationes fidei Abrahae attendisse et quasi coniunxisse diximus (cfr ad *v.* 3). Terra Chanaan autem, quae lacte et melle fluens filiis Israel promissa erat requies ac possessio, in qua securi ab omnibus hostibus degerent et

absque ullo timore habitarent (*Deut.* 12, 9 sq. etc.; *Ps.* 94,11 etc.; cfr *Hebr.* 4,1 ssq.), Apostolo est typus quum regni messianici ipsius, quod sese a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos terrae extendens (*Ps.* 71,8) totum mundum complexurum est[1], tum omnium spiritualium benedictionum, atque ipsius aeternae quoque requiei ac beatitudinis, spiritualibus filiis Abrahae promissarum, quas velut membra regni messianici obtenturi sint (cfr ad *Gal.* 3,16). Quo typico sensu terram Abrahamo eiusque semini promissam eo facilius intelligere potuit, quia simul promissum erat, in Abrahamo eiusque semine omnes nationes terrae benedictum iri (*Gen.* 12,3. 1. 7; 18,18 etc.), et quia ex Abrahae semine iuxta divinas promissiones exortus est Messias, cui tamquam hereditas ac possessio gentes omnes ac termini terrae competunt (*Ps.* 2,8). Parum tamen recte nonnulli antiquiores ad illas praedictiones, quibus benedictionem *in* semine, i. e, *per* semen, fore promittitur, potissimum attendentes nomine *seminis* hoc in loco ipsam personam Christi « principaliter » designari statuerunt (*Thom*[1]. etc.). Nam de eiusmodi promissionibus proxime agitur, quae Abrahae eiusque semini ita sunt dictae, ut ex illis habeant ius ad dona promissa (cfr ad *Gal.* 3,16). Nomine ergo *seminis* directe et immediate « omnes qui per gratiam Christi spiritualiter sunt semen Abrahae » (*Thom*[2].) hic designantur, seu si mavis Christus mysticus, i. e. omnes qui Christo fide velut membra inserti eo ipso « semen Abrahae sunt, secundum promissionem heredes » (cfr ad *Gal.* 3,29). Quod vero aliqui moderni acath. semen Abrahae hic dicunt esse naturalem eius progeniem, i. e. omnes ac solos Iudaeos (*Beck, Weiss* etc.), id plane absonum est totamque argumentationem Apostoli evertit.

Ex hac sententia necessario consequitur, promissiones neque a Lege mosaica dependere neque ad eos solos, qui Legem habent, spectare, sed fidei alligari ideoque ad omnes credentes pertinere, qui Abrahae fidem imitantur. Quam conclusionem, utpote apertam ac manifestam, verbis declarare Apostolus pro more supervacaneum ducit; eam autem statim iuxta utrumque membrum confirmat a negativo incipiens (*vv.* 14. 15) et ad affirmativum transiens (*v.* 16). Ac primum quidem ex ipsa natura et indole Legis duo argumenta desumit, quorum prius simile est illi, quod Galatis proposuit (*Gal.* 3,18 *si ex lege est hereditas,*

1. Iudaeis quoque haec typica significatio nota erat, sed carnali suo sensu promissionem depravantes de regno materiali somniabant, quod totum mundum complecteretur. Iuniores rabbini eandem typicam explicationem conservarunt; cfr *Bemidbar rabba* XIV. f. 202,3 « Hortus conclusus est *mundus*, quem Deus tradidit Abrahamo, cui dictum est : et eris benedictio » (*Gen.* 12,2); *Tanchuma* p. 165,1 « Abrahamo patri meo Deus possidendum dedit coelum et terram »; *Mechilta* in *Exod.* 14.31 « hereditate non possedit Abraham pater noster mundum hunc et futurum, nisi per fidem » etc. Cfr *Wetstein* i. h. l.

iam non ex promissione; Abrahae autem per promissionem donavit Deus » hereditatem), quodque principio supra (*vv.* 4. 5) enuntiato innititur, Legis nimirum operibus mercedem ex iustitia deberi, credentibus donum gratuitum ex mera benignitate conferri : 14. *si enim qui ex lege sunt* (οἱ ἐκ νόμου) *heredes sunt, exinanita est* (κεκένωται evacuata i. e. virtute et efficacia sua privata est) *fides, abolita est* (κατήργηται cessavit) *promissio.* Fieri nequit, ut hereditas simul sit tum ex Lege tum ex fide ac promissione, quia simul et eadem ratione non potest esse merces ex iustitia operanti debita et donum credenti gratis ex liberalitate ac benignitate concessum. Atqui si iuxta Iudaeorum opinionem illi soli, *qui ex lege sunt,* i. e. qui Legem mosaicam habent eamque viribus suis naturalibus implere student, hereditatem assequerentur, hereditas dicenda esset merces operantibus debita ex iustitia. Fides igitur nihil amplius, quod ad hereditatem spectat, conferre posset omnique sua virtute esset privata. Quod non nisi absurdissime dici, Paulus hic non amplius demonstrat, quia antea sufficienter iam demonstravit, iuxta Veteris Test. ipsius doctrinam iustitiam ac proin hereditatem ex fide esse (*vv.* 2-8). Similiter autem promissio dicenda esset cessasse seu abolita esse, si ex Lege esset hereditas. Lex enim a Deo data et a populo acceptata constituit contractum bilateralem, quum populus ad eam implendam se obligaret ac Deus vicissim se obligaret ad mercedem dandam Legem implentibus. Promissio autem est contractus unilateralis, quo Deus sese ex mera liberalitate ad hereditatem credentibus gratis conferendam obligavit (cfr ad *Gal.* 3,20).

« Fidem, inquit *Tolet.*, dicit fore *exinanitam,* quia inutilis facta esset, si non per fidem iustitia ac benedictio sed per Legem futura esset; *promissionem* quoque dicit fore *abolitam,* i. e. quasi infectam et destructam et irritam, quia quod promissum est ex gratia, non ex gratia sed ex Lege daretur. Pugnat enim quod ex Lege est et quod ex fide et promissione est; hoc enim est gratia, illud iustitia » (cfr *Est. Iust.* etc., *Reith. Mai. Beel.* etc.). Hanc sententiae interpretationem, quae communior est, veriorem quoque esse clare elucet ex *v.* 16, ubi ad positivum membrum transiens Apostolus ex dictis (*vv.* 14,15) concludit hereditatem « ex fide esse, ut sit secundum gratiam », i. e. ut non tamquam merces secundum debitum ex iustitia operantibus, sed tamquam gratuitum donum credentibus tribuatur.

Porro quum ibidem addit, eam « secundum gratiam esse, ut firma sit promissio omni semini », simul nobis innuit, quis sensus sit secundi argumenti, quo negativum conclusionis membrum confirmat : 15. *lex enim iram operatur; ubi enim* (οὗ γὰρ vel iuxta testatiorem lec-

tionem cfr *VV. LL.* : οὗ δὲ *ubi autem*) *non est lex, nec praevaricatio.* Plerique hac sententia explicari vel probari praecedentem (*abolita est promissio*) volunt; scilicet promissionem, si a Lege dependeret, abolitam esse, quia Lex, quum impleri nequeat, iram divinam provocans Deum cogat, ut promissa non det. Attamen hic nexus mihi non probatur (cfr etiam *Tol.* etc., *Reith. Mai. Beel.* etc.), quia parum apta, ne dicam inanis, esset eiusmodi probatio. Nam sive Lex impleri potest sive impleri non potest, immo sive iram sive benedictionem operatur, iuxta Paulum promissio hereditatis, si hereditas a Lege dependere coepisset, semper dicenda esset abolita; etenim iuxta eum hereditas tamquam donum gratuitum credenti promissa erat, ex illa autem hypothesi tamquam debita merces operanti daretur (cfr ad *Gal.* 3,18. 21). Si quis vero Paulum hic supponere affirmaret, hereditatem ab initio iam sub conditione Legis impletae promissam esse, vix non ineptior esset probatio addita. Neque enim conditionalis promissio aboleri vel cessare dicitur, si propter conditionem non impletam promissa non dantur; si vero conditio apposita impleri plane nequit, recte quidem eiusmodi promissio ab initio iam irrita et illusoria fuisse dicitur, sed *abolita esse* vel cessasse (κατηργῆσθαι) absurde diceretur.

Quae quum ita sint, cum aliis, quos nominavimus, hanc sententiam praecedenti confirmationis aut explicationis gratia adiungi negamus, eamque eidem ita parallelam esse tenemus, ut altero argumento negativum conclusionis ex *v.* 13 derivatae membrum confirmans hereditatem a Lege non dependere doceat. Argumentum porro ex indole et effectu Legis nude in se spectatae desumitur, quam Apostolus hic divinam *iram operari*, i. e. efficere vel provocare dicit, sicut eam alibi occidere, maledictionem afferre etc. asserit (cfr ad 2 *Cor.* 3,6, ad *Gal.* 3,10 etc.). Lex quippe mosaica, prout hic nuda et non tantum separata a fide sed ei opposita consideratur, cognitionem quidem peccati praebet (3,20), vires autem ad illud vitandum homini non confert. Quin etiam virtus peccati est (cfr ad 1 *Cor.* 15,56) et transgressionum gratia (τῶν παραβάσεων χάριν), i. e. ad eas augendas manifestandasque, posita dicitur (cfr ad *Gal.* 3,19), quatenus suis prohibitionibus concupiscentiam auget (cfr ad 7,7 sqq.) atque ita homini occasio est frequentiorum et maiorum peccatorum vel transgressionum (παραβάσεων). Hoc igitur sensu *Lex iram operatur* seu provocat divinam, ac proinde Deum, si a Lege dependeret hereditas promissa, impediret, ne promissam daret, immo eum cogeret, ut illam negaret. Prius igitur sententiae membrum clarum est; quid vero alterum sibi velit (οὗ γὰρ [vel : οὗ δέ] οὐκ ἔστιν νόμος, οὐδὲ παράβασις, *ubi enim* [vel : *ubi autem*] *non est lex, ibi nec praevaricatio* vel transgressio est), minus est perspicuum, uti iam

ex eo apparet, quod iuxta alios praecedenti per particulam causalem (γάρ *enim*) velut confirmatio vel explicatio addatur, iuxta alios eidem per particulam adversativam (δέ *autem*) quodam modo opponatur. Plerique cum nostra *Vulg.* et graeco *textu rec.* priorem nexum causalem retinentes hoc membro probari censent, mosaicam Legem iram operari. Lege nimirum quacumque positiva effici volunt, ut peccatum gravitate crescat, quatenus naturam praevaricationis seu transgressionis (παραβάσεως) praecepti non tantum ex natura cogniti sed etiam externe promulgati induat[1]. Quae explicatio ob duplicem maxime rationem mihi non probatur. Primo enim in loco haud satis intelligitur, cur Paulus negative dixerit : « ubi non est lex, nec praevaricatio »; nam iuxta istam explicationem potius dicere debuit : « ubi lex, ibi et praevaricatio, ita ut ad peccatum contra legem naturalem accedat transgressio legis externe promulgatae ». Gravior est altera ratio ; neque enim Paulus dixit, quod iuxta hanc explicationem dixisse supponitur : « lex (positiva) *maiorem* iram operatur », sed generali modo « lex iram operatur ». Atqui ira Dei etiam revelatur super ethnicos, qui mosaica Lege aut alia divinitus data praeter naturalem carebant (1, 18 sqq.), et qui sine Lege mosaica peccaverunt, sine Lege perire, i. e. irae divinae obnoxii esse dicuntur (2,12). Ad iram igitur divinam provocandam non requiritur, ut legis externe promulgatae seu positivae adsit transgressio.

Itaque alteram lectionem (ubi *autem*) praeferentes hoc membrum velut Minorem praecedenti tamquam Maiori subiungi (*autem* δέ hic i. q. *atqui*) atque conclusionem *v.* 16 enuntiari arbitramur, ut hic sit syllogismus completus, cuius prima tantum lineamenta Paulus pro conciso suo loquendi modo indicavit : Lex (mosaica) iram operatur ideoque impedit Deum, ne hereditatem det, si haec a Lege servata dependet; atqui *ubi non est Lex,* uti in promissione absoluta, quae in re vicissim danda non nititur, neque igitur a Legis impletione dependet, *ibi nec praevaricatio est* aut esse potest, quae Deum ab hereditate danda

1. Cfr *S. Aug.* de grat. et lib. arb. 10,22 : « *Lex iram operatur;* hoc autem dixit, quia *ira Dei maior est in praevaricatorem*, qui per legem cognoscit peccatum et tamen facit; talis quippe homo praevaricator est legis, sicut et alio in loco dicit : ubi enim non est lex, nec praevaricatio est ». Quem secuti *Herv.* : « Qui legem non acceperunt, *iniqui* (si peccant) vocari possunt, *praevaricatores* non possunt; iudicantur utrique secundum merita sua, attamen ira Dei *maior* est in praevaricatores, qui per legem cognoscunt peccatum et tamen faciunt »; *Thom.* : « Etsi aliquis, lege non data, peccare possit contra id quod naturaliter iustum est faciendo, non tamen praevaricator dicitur nisi legem transiens. Attamen omnis peccator *potest dici* praevaricator, in quantum legem naturalem transgreditur; *gravius est* autem transgredi simul legem naturae et legem scriptam, quam solam legem naturae; et ideo lege data sine gratia adiuvante *praevaricatio crescit et maiorem iram promeruit* ». Similiter *Lomb. Lyr.* etc., *Tol. Iust. Pic.* etc., *Reith. Mai. Bisp. Beel. M Ev.* etc.

retineat; 16. *ideo* (hereditas est) *ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui* (lege : *quod*[1]) *ex Lege est solum, sed et ei qui* (lege : *quod*) *ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum.* Graecus textus aliquantulum differt : διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως, ἵνα κατὰ χάριν, εἰς τὸ εἶναι βέβαιαν : *ideo ex fide, ut secundum gratiam sit,* (idque eo fine) *ut firma sit* etc. Eodem modo etiam *Amiat.* aliique boni codd. *Vulg.* sententiam legunt (cfr *Est.*), quamvis plerique, altera coniunctione finali (*ut*) omissa, generalem quidem sententiae sensum non mutent, minus accurate tamen eum declarent totamque argumentationem reddant minus concinnam. Quemadmodum supra enim innuimus, Paulus duo argumenta *vv.* 14. 15 proposita hic complectitur, ut affirmativum membrum conclusionis ex *v.* 13. derivatae confirmet, ac simul duplicem finem (proximum et remotiorem) indicat, quem Deus, quum hereditatem ex fide esse vellet, spectavit.

Ac primum quidem eam non ex Lege sed *ex fide* esse voluit, ut eam *secundum gratiam* esse, i. e. ut gratuitum benevolentiae suae donum esse appareret, neque merces operibus Legis ex iustitia debita putaretur. Donum deinde gratuitum, et non mercedem debitam, eam esse voluit, *ut firma esset promissio omni semini* Abrahae, i. e. omnibus, qui Abrahamo fide assimilati germanum eius semen spirituale sunt. Si enim a Lege hereditas promissa penderet, ita ut velut merces operantibus daretur (*v.* 4), non tantum omnes, qui Legem non habent, a promissione essent exclusi, sed illis quoque, qui Legem habent, promissio firma certaque non esset, quia *Lex iram operatur* suos asseclas ad transgressiones quasi provocans. Verum hereditas, quae sine Legis impletae conditione credentibus velut donum gratuitum promissa est, non tantum ad eos se extendit, qui Legem non habent, sed etiam illis qui eam habent firma est. Lex enim ad alium quendam rerum ordinem pertinet neque per se quidquam ad dandam vel negandam rem promissam confert; *ubi autem Lex non est, nec est praevaricatio,* quae Deum ab iis, quae sese gratuito daturum esse promisit, gratuito dandis retineat. Bene *Theoph.* : « Gratia non habet praevaricationem, sicut Lex, ut incerta ac dubia sint promissa; quoniam igitur totum hoc negotium a gratia et misericordia divina pendet, merito illa, quae donantur, firma dicuntur omni semini, i. e. omnibus credentibus non tantum circumcisis, verum etiam praeputiatis ».

1. Grammaticis regulis *vulgata* versio huius membri non consonat; etenim duo pronomina *ei* respondent nomini *semini*; scribendum igitur erat, omni semini, non ei (sc. semini) *quod* ex lege est solum, sed et ei (sc. semini) *quod* ex fide est Abrahae ». Quod enim, uti *Tol.* refert, aliqui Latini pronomina illa ad nomen *Abrahae* retulerint, ut duos Abraham, unum ex lege, alterum ex fide, distinguerent, id absonum est.

Quas duas seminis classes Apostolus distinguit, firmam esse dicens promissionem *omni semini, non ei quod ex lege est solum, sed et ei quod ex fide est Abrahae.* Quae verba, quamvis superioribus (*v.* 12) similia esse videantur, sensu ab iis plane differunt. Ibi enim de Iudaeis solis fidelibus sermonem esse diximus, qui « non tantum ex circumcisione sint, sed etiam vestigia fidei Abrahae sectentur », ita ut una sola credentium classis iuxta duplicem, qui ei competit, characterem describatur. Hic vero duae credentium classes, Iudaeorum et ethnicorum, distinguuntur; etenim adverbium μόνον (tantum) hic non uti supra (*v.* 12) ad sola ultima verba (non ex Lege tantum), sed ad totum prius membrum pertinet, id quod ex verborum ordine satis apparet : *non ei tantum, qui ex Lege est, sed et ei, qui ex fide est.* Mirum videri potest, quod hic in priore classe (*non ei solum qui ex lege est*) non fiat fidei mentio; at hereditatem *ex fide* esse asserens, ut promissio firma sit *omni semini,* Apostolus satis clare iam declaravit, se de semine spirituali, i. e. de credentibus, loqui. Quare in priore quidem membro mentio fidei superflua fuit; in altero tamen (*sed et ei qui ex fide est*) mentionem fidei addidit, quia ethnici non nisi fide sua filii Abrahae constituuntur, Iudaei credentes autem etiam ratione originis suae ad semen Abrahae pertinent.

3.) — *Qualis fuerit fides Abrahamo in iustitiam reputata* (4,17-25.)

4,16. Ideo ex fide (est haereditas), ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, *qui pater est omnium nostrum* 17. (*sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te*) *ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt;* 18. *qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum.* 19. *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, quum iam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae.* 20. *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo :* 21. *plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere.* 22. *Ideo et reputatum est illi ad iustitiam.* 23. *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam :* 24.

4,16. Διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως, ἵνα κατὰ χάριν, εἰς τὸ εἶναι βέβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, ὅς ἐστιν πατὴρ πάντων ἡμῶν, — 17. καθὼς γέγραπται ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε, — κατέναντι οὗ ἐπίστευσεν Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα· 18. ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν κατὰ τὸ εἰρημένον· Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου, 19. καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει κατενόησεν τὸ ἑαυτοῦ σῶμα νενεκρωμένον, ἑκατονταετής που ὑπάρχων, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας· 20. εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλὰ ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ 21. καὶ πληροφορηθείς, ὅτι ὃ ἐπήγγελται δυνατός ἐστιν καὶ ποιῆσαι. 22. διὸ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. 23. οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, ὅτι

sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis : 25. *qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.*

ἐλογίσθη αὐτῷ, 24. ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζεσθαι, τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, 25. ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἐγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν[1].

Tertiam hanc pericopen Apostolus secundae arctissime adiungit eadem in sententia priorem concludens ac novam inchoans (cfr p. 201). Postquam enim Deum ideo promissam hereditatem a iustitia fidei ac proinde a fide ipsa dependere voluisse docuit, ut promissio *omni* semini Abrahae spirituali, i. e. omnibus qui fide ei assimilarentur, firma esset, ac deinde ad hoc semen ethnicos quoque pertinere novo testimonio scripturistico confirmavit, fidem patriarchae describere incipit, ut eandem fidem in eius posteris, si hereditatem consequi velint, requiri insinuet (16. 17.). Humanis igitur rationibus, quae promissionis impletioni obstare videbantur, spretis Abrahamum in fide sua non vacillasse monet (18. 19), sed plena intellectus subiectione Deum revelantem glorificasse (20. 21). Quia tam perfecta fuit, fides Abrahamo reputata est in iustitiam (*v.* 22); at quae de eius fide Scriptura tradit, ea propter nos quoque scripta esse Apostolus addit, ut nos eandem fidem imitati iu-

1. *VV. LL.* — 17. ἐπίστευσεν (*credidit*) est communis certaque lectio; ἐπίστευσας (credidisti) haud recte exhibetur a F G. *It.* (*A^kr Pel.*), nonnullis bonis *Vulg.* codd. (*Fuld. Demid. Tol.* etc.), multisque antiquioribus interpretibus latinis (*Haym. Herv. Thom.* etc.). — οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου (*sic erit semen tuum*) sine additamento iterum est communis et certa lectio; allegationem continuantes F G cum nonnullis minusc., *It.* (*Pel.*) et *Vulg. Sixt.* addunt : ὡς οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὸ ἄμμον τῆς θαλάσσης (sicut stellae coeli et arena maris). — 19. καὶ κατενόησεν (et consideravit) sine ulla negatione B ℵ A C, pauci minusc., aliqui PP., *It.* (*Orig.* interpr. etc.), meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.), *Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; attamen textus rec. : καὶ οὐ κατενόησεν (*nec consideravit*) cum D E F G K L P, plerisque minusc. et PP., *It.* (*A^kr Pel.* etc.). *Vulg.* (*Clem.* cum *Demid. Tol.* etc.) *Syr.* (codd.); cfr *Comment.* — νενεκρωμένον (emortuum) particula ἤδη (iam) praetermissa B F G, pauci minusc., *It.* (*Orig.* interpr. etc.). *Vulg.* (*Clem.* cum plerisque) *Syr. Aeth.*; sed *textus rec.* : ἤδη νενεκρωμένον (*iam* emortuum) cum ℵ A C D E K L P, plerisque minusc., *Copt. Arm.* A *Vulg.* illud *iam* ad sequentem sententiam trahitur (quum *iam* fere centum esset annorum), in qua graecus nullus illud habet. — 21. καὶ πληροφορηθεὶς (*et* plenissime sciens) B ℵ A C D K L P, omnes fere minusc., et PP, *Copt. Syr. Arm.*; sed particulam καί (*et*) omittunt graecolatini (E F G) cum *It.* et *Vulg.* — 22. διό (ideo) particula καί (et) non addita B D F G, *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed communior lectio est διὸ καί (*ideo et*) ℵ A C E K L P, omnes fere minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.). — 23. ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ (quia reputatum est illi) est communior lectio, quam ex *Vulg.* codd. sequuntur *Fuld. Amiat.*; sed E cum paucissimis minusc. graec. et omnibus reliquis Latinis addit : εἰς δικαιοσύνην (*quia reputatum est illi ad iustitiam*).

stificemur credentes in omnipotentem Deum, qui suscitavit Iesum Christum pro nobis traditum a mortuis (23-25).

Duas spiritualis seminis Abrahae classes, credentium Iudaeorum et credentium ethnicorum, quibus firmam et certam esse hereditatis promissionem dixerat, B. Paulus in fine *v.* 16 comprehendit, ut rationem iterum inculcet, qua patriarcha tam numerosam familiam obtinuerit, simulque sibi viam ad describendam eius fidem aperiat : *qui* (Abraham) *est pater omnium nostrum* 17. — *sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te — ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos et vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt,* — vel in ultimo membro iuxta graecum (καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα) accuratius : *et vocat ea quae non sunt ac si sint,* vel *essent*. Sibi, qui utpote Iudaeus origine ad priorem classem pertinebat, epistolae lectores romanos, qui plerique ethnici fuerant, associans Abrahamum dicit *patrem omnium nostrum* « non secundum physicam generationem sed secundum cognationem fidei » (κατ' οἰκείωσιν πίστεως *Theoph.* cfr *Chrys.* etc.). Verum quia spirituali hac paternitate universalitas hereditatis promissae innitebatur (igitur iustitiae quoque, de qua maxime agitur), Apostolus probationi ex patriarchae historia iam allatae (*vv.* 11. 12) alteram disertiorem ex Dei ipsius verbis addidit : *quia patrem multarum gentium posui te*. Coniunctionem ὅτι (*quia*), nisi eam hic mere recitativam esse, i. e. introductioni orationis directae inservire, dicere malueris, ex alexandrina versione, quam rursus accurate sequitur, retinuit. In allegato quippe loco (*Gen.* 17,5) Deus his verbis explicat, cur patriarchae nomen *Abram* (pater excelsus) in *Abraham* (pater multitudinis) mutet. Proxime ibi procul dubio de naturali progenie patriarchae sermo est, qui non tantum duodecim tribuum Israel, sed etiam tribuum ab Ismaele (*Gen.* 25, 12 sqq.) filiisque Cethurae (*Gen.* 25,1 sqq.) et ab Esau (*Gen.* 36,1 sqq.) procreatarum pater secundum carnem fuit. Plenam tamen suam veritatem verba illa non sortiuntur, nisi typico sensu de spirituali semine intelligantur; sollemniora enim ac grandiora sunt, quam quae parvarum istarum tribuum nomadum paternitate impleta dici queant. Maiore autem cum iure Paulus hic a literali ad typicum sensum transiit, quia patriarchae paternitas spiritualis naturali tota innititur (cfr *Tol. Est.* etc.). Namque Abraham ideo, uti antea iam diximus, quia secundum carnem est pater Christi, pater simul omnium eorum est, qui sunt Christi, i. e. eorum qui ex fide sunt ac fide viva Christo capiti suo velut membra inserta unam cum eo constituunt personam mysticam (cfr *Gal.* 3,26 sqq.).

De spirituali autem paternitate se loqui significat eiusque fundamen-

tum iterum indicat, quum Abrahamum omnium nostrum vocat patrem *ante Deum cui credidit*. Etenim testimonium scripturisticum (uti *Vulg. Clem.* sua interpunctione recte insinuat) parenthetice est insertum; unde verba *ante Deum* cum iis, quae parenthesin praecedunt, connectantur oportet. Parum vero apte antiquiores multi lectione erronea (cfr *VV. LL.* : *cui credidisti*) seducti allegationem quasi continuari putarunt verbaque illa (*ante Deum* etc.) cum allegatis coniunxerunt. Coram hominibus igitur — haec est Apostoli sententia — solarum quidem israeliticarum agnatarumque tribuum pater est, sed coram Deo, i. e. ex iudicio et decreto Dei, pater est omnium credentium, idque *quia credidit;* fide enim sua factus est pater eorum, qui ipsi fide sua, qua ei assimilantur, in Christum sunt inserti. Deum porro, cui credidit patriarcha, Paulus duobus epithetis velut omnipotentem describit (*qui vivificat mortuos et vocat ea quae non sunt ac si essent*), quoniam ex persuasione de divina omnipotentia (quemadmodum statim uberius exponet) exoriebatur firmitas fiduciae, qua Abraham illa, quae Deus promiserat, futura esse confidebat. Illa autem epitheta elegit, quae et infinitam virtutem divinam clare enuntient, atque ad historiam Abrahae quadrent allegataque Scripturae verba quodammodo explicent. Emortuam enim generandi vim patriarchae uxorisque eius Deus ad novam vitam resuscitavit, atque gentes, quae nondum aderant neque ex Abrahamo sene procreari posse videbantur, vocavit ac si coram iam adessent, quando ei dixit : *patrem* multarum gentium *posui te*. In priore quippe membro (*qui vivificat* etc.) ad nomen *patris*, in altero (*qui vocat* etc.) ad praeteritum *posui* maxime attendit.

In primis verbis sententiae (*ante Deum*) explicandis secuti sumus antiquiores Latinos, quibuscum moderni fere consentiunt. Graeci vero illud κατέναντι (*ante*) idem esse quod ὁμοίως (similiter, *ad instar*) aiunt (cfr *Chrys. Theod. Theoph.* etc.); quos secuti aliqui etiam ex iunioribus Latinis Abrahamum patrem omnium credentium dici censent ad instar Dei, « ut sicut Deus omnium est pater creatione, ita Abraham fieret omnium pater exemplo fidei » (*Est.* cfr *Tol.* etc.). Attamen adverbium κατέναντι (pro quo profani semper adv. κατεναντίον adhibent) in versione alex. satis frequens hebraico לְנֶגֶד vel לִפְנֵי (*ex adverso, coram*) respondet eodemque sensu in Novo Test. semper usurpatur (*Marc.* 11, 2; 13,3: *Luc.* 19,30; 2 *Cor.* 2,17; 12,19); quare non apparet, quo cum iure *Chrys.* dixerit : τὸ κατέναντί ἐστιν ὁμοίως. Eodem quidem modo, quo Latini, *Phot.* (cfr *Oec.*) adverbium explicat, sed integram locutionem κατέναντι Θεοῦ ad verba καθὼς γέγραπται trahit, ut « Scripturam, quia *ante Deum* et ex persona Dei dicta sit, fide dignam esse » doceatur; verum formula καθὼς γέγραπται, Paulo usitatissima, eiusmodi appositione non indiget neque eam admittit. — Constructio porro, qua Paulus

hic utitur, attractio sc. dativi (κατέναντι οὗ ἐπίστευσεν Θεοῦ pro κατέναντι Θεοῦ ᾧ πίστευσεν) rarior quidem est, sed etiam profanorum in usum recepta; quapropter aliae explicationes (ex. gr. κατέναντι οὗ i. q. κατέναντι τούτου ὅτι propterea quod, aut πιστεύειν κατέναντί τινος credere coram aliquo etc.) non tantum superfluae sed etiam ineptae sunt.

Ultima sententiae verba, in quibus interpretandis *A^trum* aliosque Latinos secuti sumus, diversissime explicantur. Vivificationem mortuorum aliqui de peccatorum iustificatione (cfr *Orig.* etc.) aut speciatim de Iudaeorum conversione (cfr *Herv. Thom.* etc.) intelligunt; alii sensu proprio eam ita explicant, ut habeatur comparatio quaedam : sicut Deus mortuos ad vitam revocare potest, ita ex gentibus facere potest filios Abrahae (cfr *Chrys.* etc.); alii ad sacrificium Isaaci patri eius imperatum alludi putant (cfr *Tol. Est.* etc.), alii alio modo. Item locutio « vocare ea quae non sunt ac si sint » ab aliis de vocatione gentium ad fidem intelligitur (cfr *Orig.* etc.), ab aliis de aeterna hominum, qui nondum sunt, electione et praedestinatione ad vitam aeternam (cfr *Perer.* etc.), ab aliis de creatione (cfr *Chrys.*) etc. Verum explicationem quam dedimus utriusque membri quum verbis tum contextui consonare, reliquas magis minusve arbitrarias esse censemus.

Postquam hac ratione sermonem ad fidem, qua Abraham iustificatus est, reduxit, Apostolus in ea describenda immoratur, quia similis debet esse fides qua nos iustificamur (*v.* 23 sqq.). Egregie *Herv.* : « Incipit commendare fidem Abrahae, ut eam imitemur; saepe enim iam dixerat eum credidisse, et nunc pergit ostendere, quomodo et quam firmiter crediderit ». Solo Dei promittentis verbo nixus, humanis contemtis rationibus, quae divinae promissioni obstabant, patriarcha illa esse futura credidit, quae ei praedicta erant : **18.** *qui contra spem* (παρ' ἐλπίδα) *in spem* (ἐπ' ἐλπίδι cum *Pel. Prim. H Car.* etc. lege : *in spe*) *credidit, ut fieret pater* (εἰς τὸ γενέσθαι πατέρα i. e. credidit se futurum esse patrem) *multarum gentium secundum quod dictum est* (*ei*) : *Sic erit semen tuum.* Quae in verba bene *Theod.* : « Sterilem uxorem seque et illam prae senectute imbecilles videns, ita ut iuxta humanam existimationem nulla suscipiendorum liberorum spes superesset, neque ullum in antiquitate inveniens exemplum quo ad spem erigeretur, cum fide tamen divinam promissionem accepit. *Contra spem* scilicet Apostolus dicit eam, quae est secundum naturam humanam; *in spe* autem eam, quae promissioni divinae innititur ». Ad constructionem sententiae quod attinet, verba ἐπ' ἐλπίδι per se quidem ita cum verbo πιστεύειν connecti possunt, ut obiectum fidei quod creditur significent (cfr 9,33; 10,11; 1 *Tim.* 1,16 etc.), ac revera *Vulg. Clem.* suo *in spem credidit* hunc nexum videtur insinuare. Huic tamen constructioni praeprimis obstat, quod sensum parum aptum gignat, nisi nomini *spei* significationem *rei speratae* (cfr ad *Gal.* 5,5) cum nonnullis (*Lap.* etc.) tribue-

ris; id vero si feceris, pulchrum oxymoron (*contra spem in spe*) plane destrues, quum priore in loco nomen spei consueta sua significatione sumi oporteat. Praeterea si haec constructio admitteretur, sequentia verba (εἰς τὸ γενέσθαι κτλ *ut fieret* etc.) finali sensu exponenda essent, id quod non licet; neque enim Abraham eo fine promissioni divinae credidit, ut multarum gentium pater fieret. Rectius igitur cum antiqua versione latina illud ἐπ' ἐλπίδι cum verbo ἐπίστευσεν ita connectemus, ut fundamentum quasi declaret, quo fides patriarchae nitebatur, atque cum Graecis censemus, obiectum fidei verbis εἰς τὸ γενέσθαι κτλ. enuntiari[1]. Humanae quippe rationes impletioni promissionis divinae obstare neque ullum locum spei relinquere videbantur; naturali autem spe destitutus (sine spe vel *contra spem* παρ' ἐλπίδα) supranaturali spe, quam ex Dei promittentis omnipotentia omnimodaque perfectione considerata hausit, fretus (*in spe* i. q. sperans ἐπ' ἐλπίδι cfr *Tol. Est.* etc.) *credidit* se multarum gentium futurum esse patrem suumque semen fore sicut stellas coeli iuxta promissionem : *sic erit semen tuum*[2].

Quae praestantia fidei Abrahae ut clarius appareat, Paulus illud *contra spem in spe* quasi exponens ostendit, quomodo patriarcha, quamvis difficultates naturales perspexerit, fide tamen non vacillaverit (*v.* 19), atque omni exclusa dubitatione fide confortatus Deum glorificaverit agnitione potentiae eius (20.21). Ita enim pergit : 19. *et non infirmatus est fide nec consideravit* (vel melius iuxta probatiorem lectionem graecam cfr *VV. LL.* : καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει κατενόησεν cum antiquioribus *Vulg.* codd. : *et non infirmatus fide consideravit*, i. q. fide non vacillante consideravit) *corpus suum emortuum*, *quum* (*iam*) *centum fere esset annorum*, *et emortuam vulvam Sarae*. Sine ullo dubio Apostolus ad promissionem illam respicit, quae *Gen.* 17,15 sqq. legitur. Quando nimirum Deus patriarchae nonaginta novem annos iam habenti (*quum centum fere esset annorum*) ex uxore nonagenaria filium Isaac nasciturum praedixit, qui futurus esset in nationes, « cecidit Abraham in faciem suam et risit dicens in corde suo : Putasne centena-

1. Quamvis frequens sit locutio πιστεύειν εἰς τινα vel τι credere in aliquem vel aliquid), fatendum tamen est, alium locum in Scripturis non reperiri, in quo obiectum creditum praepositione εἰς *cum infinit.* exprimatur. Quia vero huic constructioni per se nihil obstat ac praeter cunctos graecos interpretes etiam *Syrus* eam hoc in loco admisit, cum plerisque modernis (cfr *Reith. Mai. Beel.* etc. — *God. Weiss, Goeb.* etc.) eam praeferimus. Aliqui iuniores (cfr *Est.* etc., *Ag.* etc.) ipsa quoque latina verba (*ut fieret* etc.) eodem modo interpretantur, licet id per grammaticam non licere videatur.

2. Apostolus accurate allegat *Gen.* 15,5 : *Sic erit semen tuum.* Quod autem multi codd. et interpretes latini cum paucis graecis addunt : *sicut stellae coeli et arena maris*, id ex *Gen.* 22,17 ad adverbium *sic* explicandum insertum est ac velut glossa superflua a Vulg. correctoribus iure praetermissum.

rio nascetur filius et Sara nonagenaria pariet? » Abraham igitur difficultates naturales, quae iuxta hominum existimationem promissioni obstabant, et animadvertit et consideravit (κατενόησεν), quum verbis suis eas indicaret; sed fide non vacillante eas consideravit atque hanc promissionem non minore cum fiducia suscepit, quam priorem, quae de Ismaele ei tredecim annis antea facta est (*Gen.* 15,4 sqq.).

Sunt quidem, qui cum *S. Hier.* (c. Pelag. III. 12) in Abrahami risu eiusque verbis dubitationem quandam fideique imperfectionem deprehendere velint; at non tam dubitationem, quam exsultationem admirationemque de promissionis magnitudine risu verbisque eius declarari, alii Patres plerique recte tenent[1]. Quemadmodum enim verba B. Virginis angelo respondentis : « Quomodo fiet istud » etc. (*Luc.* 1,34) a Zachariae verbis : « Unde hoc sciam » etc. (*Luc.* 1,18), quamvis similia esse videantur, sensu prorsus differre et non dubitantis sed stupentis admirantisque fuisse ex diversis angeli responsis evidens est (cfr *Mald. Schanz, Knabenb.* etc.), ita risum Abrahae a Sarae risu (*Gen.* 18,10 sqq.) differre ex eo elucet, quod Deus ridenti Abrahamo promissionem confirmavit novamque eius petitionem exaudivit, ridentem Saram vituperavit. « Riserat enim, inquit *S. Aug.* (de civ. Dei XVI. 31), pater, quando ei promissus est (Isaac) *admirans* in gaudio; riserat et mater, quando per illos tres viros iterum promissus est, *dubitans* in gaudio; quamvis exprobrante angelo, quod risus ille, etiamsi gaudii fuit, tamen plenae fidei non fuit, post ab eodem angelo in fide etiam confirmata est ». Melior igitur huius loci lectio cum Moysis narratione ad amussim consonat, neque recte moderni aliqui acath. (*Mey. Goeb.* etc.) Apostolum hic ad *Gen.* 15,5 sq. potius quam ad *Gen.* 17,17 attendisse censent; prior enim promissio illa facta est diu antequam Abraham centum fere esset annorum et antequam corpus eius esset emortuum, id quod ex narratione de Ismaelis generatione (*Gen.* 16,1 sqq.) luculentissime apparet.

Minus apte cum mosaica narratione lectio graeci text. rec. et Vulg. Clem. consonat, qua Abraham impedimenta *non considerasse* dicitur. Ad similem tamen sensum trahitur, si cum antiquioribus interpretibus

1. Cfr *S. Ambr.* de Abrab. I. 4,12 : « Quod autem promisso ex Sara filio risit Abraham, non incredulitatis sed exsultationis indicium fuit »; II. 11,86 : « Risus laetitiam declaravit viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis; non enim dubitantis hic risus fuit sed credentis »; *S. Aug.* de civ. Dei XVI. 26,2 : « Risus Abrahae exsultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis; verba quoque eius illa in animo suo non sunt dubitantis sed admirantis »; *S. Chrys.* in Gen. hom. 40,2 : « Videns miram promissionem et potentiam promittentis perpendens cecidit in faciem suam et *risit*, i.e. voluptate perfusus est »; in Rom. hom. 8,5 : « Non dixit (Paulus) : non fuit incredulus, sed : non haesitavit, i. e. non dubitavit, etiamsi tot impedimenta essent ». Similiter alii multi.

explicas : « non consideravit ad discernendam promissionem » (*Thom.*), vel « non sic consideravit, ut propterea diffideret aut assensum fidemque adhibere divinae promissioni differret » (*Est.* cfr *Tol. Iust. Pic. Beel. M Ev.* etc.). Durior tamen, ne dicamus coacta, est haec explicatio; unde altera lectio, quae etiam maiore testium auctoritate commendatur, ob internas simul rationes est praeferenda. Ad difficultatem deinde, quod Abraham, quum post Sarae mortem Ceturam uxorem duxisse ex eaque sex filios genuisse narretur, corpus emortuum habuisse dici nequeat, duplici modo *S. Aug.* (de civ. Dei XVI. 28) iam respondet; primo enim in loco coniicit, Abrahamum, etsi prae senectute sua ex muliere vetula, uti fuit Sara, gignere non potuerit, respectu iuvenculae, uti fuit Cetura, ad gignendum non fuisse impotentem; uti communior autem ita longe probabilior est altera eius responsio, « gignendi donum, quod a Domino (per miraculum) recepit, etiam post obitum mansisse uxoris » (cfr *Sed. Thom. Tol. Est.* etc., *M Ev. Mai.* etc. — *Weiss* etc.).

Tantum vero abfuit, ut Abraham vacillante fide impedimenta naturalia consideraret, ut nulla admissa dubitatione fide perfecta Deum glorificaret : 20. *in repromissione*[1] *etiam* (lege : *autem* δέ) *non haesitavit* (τῇ ἀπιστίᾳ incredulitate), *sed confortatus est fide dans gloriam Deo*, 21. *plenissime sciens quia quaecumque promisit* (cum *A*^tro etc. lege : *quae promisit* ὃ ἐπήγγελται) *potens est et facere*. Priori membro, quo Abrahamum spretis impedimentis naturalibus *contra spem* credidisse significavit, Apostolus alterum opponit (cum graeco enim textu consentiens etiam vetus latina versio in principio *v.* 20. particulam adversativam *autem* δέ exhibet cfr *A*^ter *Prim.* etc.), quo verba *in spe* exponens perfectam patriarchae fidem negative ac positive commendat. Praeprimis enim *in promissione Dei*, vel potius *ad Dei promissionem quod attinet* (εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ, simili sensu praepositio εἰς saepius adhibetur 15,2; 2 *Cor.* 11,10 etc.), dubitationi, quae in ipsa incredulitate ultimam suam radicem habet ex eaque exoritur (cfr *Matth.* 21,21), locum non concessit : οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ i. e. incredulitate illa nota et inter homines tam vulgari (attende ad articulum τῇ ἀπιστίᾳ) adductus non est, ut in se ipso quasi divisus anceps haereret aut huc illuc iactatus de promissione ambigeret. Omnis ergo dubitatio plane excluditur, neque intelligo, quomodo recens quidam acath. (*Weiss*) ex his verbis colligat, Paulum in Abrahae responso (*Gen.* 17,17) dubitationem quandam momentariam deprehendisse. Neque tantum

1. Sine ulla sensus differentia latinus interpres substantiva *promissionis* et *repromissionis* pro graeco ἐπαγγελία adhibet cfr Gal. 3,18; 4,23 etc.

non haesitavit aut dubitavit patriarcha incredulitate, sed *confortatus est fide*. Plerique interpretes haec verba superioribus *non infirmatus fide* (μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει) respondere volunt, ut Abraham *in* fide crevisse dicatur. Rectius vero, uti ipsa constructio satis iam docet, ea immediate praecedentibus (*non haesitavit incredulitate*) opponi ita dicemus, ut ablativus *fide* (τῇ πίστει) sit ablat. instrum. : *per fidem* nimirum, quam divinae promissioni adhibuit, internum *animi robur accepit* (ἐνεδυναμώθη), ut difficultates naturales, quas promissioni sibi factae obstare perspexit, despiciens *gloriam daret Deo*. Deum enim glorificat, qui id solum de eo sentit credit praedicatque, quod Deo est dignum eique vere competit : Abraham ergo, quum audita promissione, quae iuxta naturae leges impleri non potuit, fide perfecta omnipotentiam divinam contemplans omni dubitationi aditum praecluderet animumque Deo loquenti plane subiiceret, summam Deo gloriam tribuit. Hanc explicationem Apostolus insinuat, quum patriarcham *certissime scivisse* (πληροφορηθῆναι persuasum fuisse) dicit, Deum non tantum promisisse sed etiam suam promissionem implere posse. Haud immerito enim *Tol.* adnotat : « illud *potens est et facere quae promisit,* non solum potentiam significat sed etiam effectum, ut sit sensus : potens est implere et implebit ». Fides igitur, qua interne confortatus Abraham Deo gloriam dedit, non potentiam solam sed etiam veracitatem divinam complectebatur.

Itaque propriam suam impotentiam et indignitatem plane intelligens (cfr ad *v.* 5) sese totum et intellectu (*v.* 18 sq.) et voluntate (*v.* 20) Deo per fidem subiecit; quia autem tam perfecte credidit, 22. *ideo et reputatum est illi ad iustitiam* (cfr ad *v.* 3). Aliqui cum *Tol.* censent, ultimum membrum sententiae supra (*v.* 3 ex *Gen.* 15,6) allegatae iterum allegari atque coniunctionem *et* (καί) non tam ad Apostoli argumentationem, quam ad allegationem pertinere; attamen allegationis nullum est vestigium. Paulus potius verba ista velut sua adhibens coniunctione καί (*et*) relationem causalem, quae inter Abrahae fidem perfectam eiusdemque iustitiam gratis acceptam intercedit, clarius insinuat. Satis frequenter enim locutio διὸ καί vel διὰ τοῦτο καί (*ideo et*) hoc sensu usurpatur (cfr 1,24 text. rec.; *Hebr.* 13,12; *Luc.* 1,35; 11,49; *Act.* 10,29 etc.). Eodem quidem modo, quo *Gen.* 15,6 (cfr supra *v.* 3), subiectum verbi ἐλογίσθη (*reputatum est*) desideratur et ex praecedentibus suppleatur necesse est; neque tamen idem subiectum supplere licet. Uti enim ibi simplex verbum *credere* (τὸ πιστεύειν) ex praecedente membro (*credidit* Abraham Deo) velut subiectum addendum esse contextu edocemur, ita hic iuxta contextum ex tota perfectae fidei descriptione praecedente subiectum desumamus oportet, quum perfectam

fidem, qua sese totum Deo subdiderat, patriarchae in iustitiam reputatam esse Apostolus docere velit.

Neque enim fide qualicumque, sed ea sola qua confortatus gloriam dedit Deo, Abraham iustificatus est, ac similem in nobis requiri Apostolus nunc monet, quia ea, quae S. Scripturae de eius iustificatione retulerunt, de nostra iustificatione valeant : 23. *non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi* (*ad iustitiam*), 24. *sed et propter nos, quibus reputabitur* (εἰς μέλλει λογίζεσθαι quibus reputabitur ex decreto Dei, vel etiam : *quibus reputandum est* cfr 8,13; *Matth.* 17,22; *Marc.* 13,4; *Luc.* 9,44; 1 *Thess.* 3,4 etc.) *credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis.* Illud *ad iustitiam*, quod in *v.* 23 ad complendam sententiam a multis latinis paucisque graecis codd. inseritur, sensui quidem plane congruit, ita ut bonum glossema constituat, ob antiquiorum tamen codd. auctoritatem (cfr *VV. LL.*) rectius omittitur, sicut etiam in seq. *v.* 24 ad verbum *reputabitur* omissum est. Ceterum sententiae sensus est planus. Quod supra (*v.* 11 sqq. 16) insinuavit, Abrahamum ex fide iustificatum figuram esse ac typum omnium credentium, id Paulus hoc in loco expressius repetit illo principio nixus, quod saepius inculcat, primarium Scripturarum auctorem Deum in eis inspirandis id intendisse, ut omnia quae scriberentur ad nostrum omnium salutem promovendam inservirent (15,4; 1 *Cor.* 10,11; 2 *Tim.* 3,16). Itaque etiam illa, quae Spiritu S. movente ac dirigente Moyses de Abrahae iustificatione retulit, ad nostram simul eruditionem exhortationemque conscripta sunt, licet proxime ad patriarchae laudem et commendationem spectent. Illius enim fidem admirantes donumque ei ob hanc fidem divinitus collatum celebrantes edocemur, quid nobis faciendum sit, atque admonemur, ut eadem via ad eundem finem tendamus idemque donum nos obtenturos esse confidamus, quum nobis quoque similiter credentibus fides imputanda sit ad iustitiam. « Sic ergo *propter eum*, ut sit nobis in exemplum, et *propter nos*, ut sit nobis in iustificationis spem » (*Thom.*).

Sicut Abrahae igitur iustificatio, nostra quoque est prorsus gratuita; nam nobis, uti illi, nullis meritis praecedentibus fides imputatur ad iustitiam, fides autem, quae in nobis requiritur, eadem est, quae fuit Abrahae, sive eius obiectum formale, Dei revelantis promittentisque auctoritatem (veracitatem ac fidelitatem), sive eius obiectum materiale, Dei omnipotentiam, consideras. Quin etiam nostra fides fidei Abrahae in eo est similis, quod ille in divinam omnipotentiam corpus suum emortuum vivificaturam crediderit (*v.* 19), nos in eandem omnipotentiam Iesum Christum a mortuis resuscitantem credamus. Isaaci quoque ex emortua matris vulva nativitas, quam certo futuram

Abraham contra spem in spe credidit, figura quaedam est resuscitationis Domini a mortuis, quam certo factam esse credere debemus, ut nobis credentibus iustitia a Deo conferatur. « Cur enim, inquit *Chrys.*, scriptum id esse dixit, nisi ut nos eadem ratione iustificatum iri disceremus? Eidem quippe Deo credimus easdem res revelanti, etsi non relate ad easdem personas ». Quae quodammodo explicans *Theoph.* : « Quemadmodum, inquit, Abraham corpus suum emortuum credidit foecundum reddi, ita et tu crede, Iesum mortuum esse et resuscitatum, et imputabitur tibi quoque fides ad iustitiam aeque ac progenitori tuo Abraham ».

Ultima demum verba (*credentibus in eum qui suscitavit Iesum a mortuis*) accuratius definiturus Paulus « mortis et resurrectionis Christi causam exponit, ut manifestet, unde fides virtutem accipiat iustificandi » (*Tolet.*). Fides resurrectionis Christi quidem, uti bene adnotat *Nat.*, omnium mysteriorum fidem complectitur, quatenus Christi resurrectio velut sigillum est omnium quae fecit pertulitque, docuit ac promisit; praeprimis tamen resurrectionem eius credere non possumus, nisi simul eius mortem, qua salutem nobis promeruit, credamus. His duobus autem factis, morte ac resurrectione Domini, totum redemtionis opus innititur : nisi enim Christus mortuus esset et resurrexisset, iustitiam, quae coram Deo valet, assequi non possemus. Quamobrem in fidei, quae nobis ad iustitiam imputanda sit, descriptione Paulus duo ista facta etiam diserte commemorat : iuxta divinum enim decretum, inquit, fides nobis imputabitur (μέλλει λογίζεσθαι) ad iustitiam credentibus (τοῖς πιστεύουσιν vel : quia credimus, vel : si tales simus, qui credamus) in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, 25. *qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit* (melius : *et suscitatus est* καὶ ἠγέρθη) *propter iustificationem nostram*. Christus semet ipsum quidem pro nobis tradidisse (in mortem) alibi dicitur (*Gal.* 2,20; *Eph.* 5,2) atque etiam a Iuda Iudaeisque in mortem traditus dici potest (*Ioan.* 19,11; *Matth.* 20,19 cfr *Thom.*); at hoc in loco, uti ex contextu apparet, ab eo in mortem traditus esse insinuatur, a quo eum resuscitatum esse credimus, i. e. a Patre, qui mundum ita dilexit, ut Filium suum unigenitum daret. ac proprio Filio non pepercit sed pro nobis eum tradidit (8,32; *Ioan.* 3,16 etc.).

A Patre autem in mortem traditus est *propter delicta nostra* (διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν), i. e. ut peccata nostra in corpore suo super lignum perferret (1 *Petr.* 2,24) ac nostra causa, quum peccatum non fecisset nec peccatum cognosceret (1 *Petr.* 2,22; 2 *Cor.* 5,21), peccatum factus vicaria ac satisfactoria sua morte delicta nostra expiaret (praepositione διά c. acc. causa finalis indicatur). In priore hoc membro interpretando

omnes consentiunt; haud levis autem est interpretum dissensus, si quaeritur, quo sensu Apostolus addiderit, Christum *resuscitatum esse propter iustificationem nostram* (διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν i. e. ut nos iustificaret). Illud quidem inter omnes cath. ac plerosque acath. convenit, verba ita interpretari non licere, ut Christus, qui morte sua remissionem peccatorum nobis promeruit, resurrectione sua nobis iustificationem seu gratiae sanctificantis infusionem meruisse dicatur. Itaque verba *propter iustificationem nostram* non tam exponenda sunt: « ut nobis iustitiam acquireret », quam: « ut nos iustitiae participes redderet ». Namque omnia, sanctificationem glorificationemque non minus quam peccatorum remissionem, Christum passione ac morte sua cruenta nobis meruisse et acquisivisse, resurgendo autem mereri non potuisse constat, « quia in statu resurrectionis non fuit viator sed comprehensor » (*Thom.*); iustificati vero sumus in sanguine ipsius, et quum peccatores essemus, Deo reconciliati sumus per mortem Filii eius (5,9. 10).

Quare nemo quoque verba ita cum *A*^tro^ interpretari audebit, ut eos, qui ante passionem Domini sint baptizati, solam peccatorum remissionem accepisse, eos autem, qui post resurrectionem sint baptizati, iustificationem adeptos esse dicat; neque enim verbis paulinis neque doctrinae catholicae haec sententia consonat. Qua explicatione praetermissa praecipuas aliorum sententias paucis exponamus. Difficultatem, quod Paulus peccatorum remissionem morti, iustificationem resurrectioni attribuere videtur, eludunt potius quam solvunt ii, qui cum Graecis (cfr *Chrys. Theoph. Oec.*) passionem et resurrectionem Christi velut unam actionem Christi completam considerant, qua simul ac semel meruerit peccatorum remissionem et iustificationem (cfr *Lap. Tir. Pic*[2]. etc.); ad singularem enim loquendi modum Apostoli non satis attendunt. Praeeunte *S. Aug.* (cfr serm. 231,2: « crucifixus est, ut in cruce *ostenderet* veteris hominis nostri occasum, et resurrexit, ut in sua vita *ostenderet* nostrae vitae novitatem ») haud pauci Apostolum similitudinem, quam peccati interitus cum Christi morte, vitae novae infusio cum eius resurrectione habeat, solam significare voluisse arbitrantur (cfr *Gl ord. Lomb. Thom.* etc., *Ag. LR. Sch.* etc.). Nescio tamen an haec explicatio verbis Pauli satis congruat, qui ad hunc sensum declarandum simili modo, quo 6,4 sqq., potius scribere debuisset: « Mortuus est, ut nos peccato moreremur, et resurrexit, ut nos iustitiae viveremus ». Neque satis haec explicatio corrigi videtur, si cum *Est.* (cfr *Pic*[1]. etc.) dixeris: « Traditus in mortem est, ut sua morte poenam peccatis nostris debitam aboleret, resurrexit vero, ut sua resurrectione typum quendam nobis praeferret resurgendi ad iustitiam »; secundi enim membri explicatio admodum est coacta, ne dicam arbitraria.

Alii multi, iterum praeeunte *S. Aug.* (c. Faust. XVI. 29), resurrectionem hoc in loco a Paulo velut argumentum efficax fidei, qua iustificamur, considerari volunt. Quam explicationem hunc in modum exponit *Cai.* : « Nisi Christus resurrexisset, non fuissemus nos iustificati a peccatis nostris, quamvis mortuus fuisset ac solvisset pretium pro nobis, quoniam non credidissemus; sed ex eo quod resurrexit, credimus ac per hoc pervenit ad nos iustificatio » (cfr *Prim. Herv.* etc., *Sasb. Perer. Nat.* etc., *Reith. MEv.* etc.). Cui interpretationi, quam aptam probabilemque esse censemus, alteram similem, quae nobis probabilior esse videtur, ex *Tolet.* (cfr *Mai.* etc.) adiungimus : « Dicitur Christus mortuus propter delicta nostra, quia morte sua pretium peccatorum nostrorum solvit, nec solum pretium peccatorum, sed etiam pretium iustitiae ac salutis. Hoc totum tamen satis non erat, ut nos huius redemtionis effectum consequeremur; oportebat enim haec annuntiari mundo, ut credentes et ea exhibentes, quae ordinata a Deo erant tamquam media, quibus virtus redemtionis applicaretur, iustitiam et salutem consequeremur. Si enim Christus mortuus tantum esset ac pretium redemtionis exhibuisset, omnes periremus, sicut multi nunc pereunt, qui notitiam redemtionis non habent. Oportebat ergo mittere per mundum Apostolos et annunciatores salutis ac redemtionis, ut hi, qui redemti erant, iustificarentur ac salutem consequerentur fide et remediis institutis a Deo. Propter hoc ergo resurrexit Christus; nam (ex ordinatione Dei) ante resurrectionem non erant Apostoli mittendi nec salus facta annuncianda. Ideo dicitur *resurrexisse propter iustificationem* nostram, nempe ut redemtio per mortem eius facta nobis applicaretur et nos fructum eius participaremus... Aeterna nimirum sua dispositione Deus decrevit, ut Spiritus S. non descenderet nec Apostoli salutem mundo annuntiarent nisi post Christi resurrectionem, ut, quamvis morte fuerit facta redemptio et satisfactio completa ex parte Christi, non tamen communicaretur hominibus generaliter et in universum nisi post resurrectionem; tunc enim tradita est potestas Evangelii omnibus praedicandi, baptismi omnibus dandi, remittendi peccata » etc.

SECTIO SECUNDA.

QUANTA SIT EVANGELII VIRTUS IN SALUTE CONFERENDA SEU DE FRUCTIBUS IUSTITIAE FIDEI (5,1-8,39).

Postquam thesin suam, Evangelium virtutem Dei esse in salutem omni credenti, i. e. veram iustitiam, a qua salus aeterna dependet, non nisi per fidem evangelicam in Iesum Christum obtineri, omnibus autem credentibus, sive Ethnici fuerint sive Iudaei, pari modo conferri, in superioribus demonstravit, B. Apostolus ad eam explanandam commendandamque transit. Quem in finem proprietatibus vel potius utilitatibus fructibusque iustitiae quae ex fide est enumeratis descriptisque accuratius ostendit, quae sit salutis per Evangelium credentibus allatae vera natura ac ratio, ac proinde *quanta* sit Evangelii virtus in salutem [1]. Quadripartita autem est haec sectio, quum quatuor fructus enumerentur fusiusque exponantur. Ac primum quidem eos, qui ex fide sunt iustificati, a divina ira liberatos pacem ad Deum ac spem futurae gloriae per Christum habere Apostolus monet (5,1-21). Deinde eos neque amplius esse servos peccati, utpote cum moriente Christo peccato mortuos et ad novam iustitiae vitam resuscitatos (6,1-23), neque amplius ob eandem rationem sub Legis servitute degere docet (7,1-25). Quarto demum in loco ad primum quodammodo fructum reversus, quae et quanta sit beatitudo ac dignitas hominis ex fide in Christum renati, diligentius explicat; nihil enim iam damnationis eum habere sed Spiritu S. accepto eum filium adoptivum esse Dei et coheredem Christi futuraeque suae gloriae certum (8,1-30). Tot vero tantasque utilitates, quas fidei iustitia secum affert considerans totam sectionem magnifico epilogo terminat, quo iustificatis nihil asserit esse timendum, omnia vero speranda (8,31-39).

1. Cfr *Cai.* : « Declarata illa particula : *Iustitia enim Dei revelatur in eo* (1,17), declaratur nunc illa alia ibidem proposita : *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti* (1,16); tractat autem hoc usque ad cap. 9. excl. Unde proponit salutem in quatuor bonis, quae habent iustificati ex fide per Iesum Christum, tractaturus per haec capitula haec quatuor bona, quae habemus per gratiam annuntiatam Evangelio. In hoc enim manifeste apparet, quod Evangelium potentia Dei est in salutem omni credenti ».

§ 3. — *De primo iustitiae fructu seu de iustificatorum pace cum Deo ac spe gloriae* (5,1-21).

Iram suam Deum in omnes infideles, quum ethnicos tum Iudaeos, revelare B. Paulus in negativa sua argumentatione ostenderat; ad quam demonstrationem nunc respiciens primum fructum, quem iustitia fidei secum affert, dicit esse pacem cum Deo ac gloriae futurae spem, quae ab illa pace dependet. Duae autem sunt huius expositionis partes; in priore enim Christum nos ab ira divina liberasse Deoque reconciliasse, pacem igitur nostram cum Deo restituisse ac futurae nostrae gloriae spem nobis recuperasse ostendit (5,1-11). Ne quis vero difficultatem in eo inveniat, quod Christus vicaria sua morte pro nobis satisfecisse nosque Deo reconciliasse dicatur, in altera parte salutem, quam Christus pro omnibus satisfaciens nobis acquisivit, cum condemnatione, quam primus noster parens, Adam, peccato suo in omnes suos posteros attraxit, ita comparat, ut per Christi obedientiam effectus inobedientiae Adami sublatos esse appareat (5,12-21).

1. — *Christus credentibus pacem cum Deo gloriaeque spem acquisivit* (5,1-11).

5,1. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum : 2. per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. 3. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur : 4. patientia autem probationem, probatio vero spem : 5. spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis. 6. Ut quid enim Christus, quum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? 7. Vix enim pro iusto quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori. 8. Commendat autem caritatem suam Deus in nobis : quoniam quum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, 9. Christus pro nobis mortuus est :

5,1. Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχωμεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, 2. δι᾽ οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, καὶ καυχώμεθα ἐπ᾽ ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, 3. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, 4. ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα· 5. ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει, ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν· 6. εἴ γε Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανεν. 7. μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν· 8. συνίστησιν δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς, ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανεν.

multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. 10. *Si enim quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* 11. *Non solum autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*

9. πολλῷ οὖν μᾶλλον δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς. 10. εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ· 11. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ, δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν [1].

1. *VV. LL.* — 1. ἔχωμεν (*habeamus*) B ℵ A C D E K L, haud pauci minusc. et PP. gr., *It.* (*Pel. Prim. Orig. interpr.*), *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; sed *text. rec.* legit: ἔχομεν (habemus) cum F G, plerisque minusc. et nonnullis PP. gr., *It.* (*A*[ter] *Sed.*) *Syr.* (codd.). Non obstante magna testium criticorum auctoritate, qua prior lectio praevalet, plerique moderni *interpretes* iure merito alteram lectionem ob internas rationes praeferunt; cfr *Comm.* — 2. ἐσχήκαμεν εἰς τὴν χάριν ταύτην (habuimus ad gratiam istam) B D E F G, paucissimi minusc., *Aeth.*; sed rectius *text. rec.*: ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην (habuimus *per fidem* in gratiam hanc) cum ℵ A C K L P, plerisque minusc. et PP. gr., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.* — τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ (gloriae Dei) est communis lectio codd. gr. et verss., quibuscum *It.* consentit (*A*[ter] *S. Cypr.* de exh. mart. 9.); dissentit autem *Vulg.*, quae legit: *gloriae filiorum Dei*, quae lectio glossemati originem debere videtur; cfr *Comment.* — 3. ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι (sed et *gloriantes*) B C cum uno alterove minusc.; sed cum *text. rec.* lege: ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα (*sed et gloriamur*) ℵ A D E F G K L P, omnibus fere minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.* — 6. εἴγε (si quidem) solus B; vicina est lectio εἰ γάρ (si enim) quam ex Gr. exhibet *S. Isid. Pel.* (ep. II. 117) et ex Lat. *S. Aug.* (ep. 149,7) cum cod. *Fuld.*; longius recedens *textus rec.*: ἔτι γάρ (adhuc enim) cum ℵ A C D E K P (L legit ἔτι δέ adhuc *autem*), plerisque minusc. et PP., *Arm.*; sed ex his testibus praecipui (ℵ A C D E) particulam ἔτι eadem in sententia post ἀσθενῶν (cum B F G et *It. Vulg.*) repetunt, dum iuniores testes illam in principio tantum sententiae exhibent; demum εἰς τί γάρ (*ut quid enim*) F G cum *It. Vulg.* Quum tanta sit lectionum varietas neque ulla lectio auctoritate testium alias plane vincat, nos ultimam praeferendam censemus, ex qua aliarum origo facilius explicatur quaeque contextui magis congruere videtur; cfr *Comment.* — 8. συνίστησιν κτλ (*commendat* etc.). B, cuius textum transcribere solemus, subiectum sententiae (ὁ Θεός *Deus*) praetermittit, quod aut ante εἰς ἡμᾶς (*in nobis*) cum D E F G L, paucis minusc., *It. Vulg.*, aut post εἰς ἡμᾶς cum ℵ A C K L P, plerisque minusc., *Copt.* suppleatur necesse est. — Illud *secundum tempus*, quod *Vulg. Clem.* in fine *v.* 8 exhibet, non tantum ab omnibus graecis codd. aliisque verss., sed etiam a melioribus *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Demid. Harl. Tol.* etc.) praetermittitur. — 9. πολλῷ οὖν μᾶλλον (*multo igitur magis*) B ℵ A C E K L P, plerique minusc., *Vulg. Syr.*; minus recte particulam οὖν (igitur) omittunt D F G, pauci minusc., *It. Cop. Arm.* — 11. καυχώμενοι (gloriantes) B ℵ C D E K P, multi minusc., *Copt.*; sed καυχώμεθα (*gloriamur*) F G (qui erronee exhibent καυχῶμεν, quae forma non est usitata) L, sat multi minusc., *It. Vulg. Syr. Arm. Aeth.* Quum eadem fere sit ex utraque parte auctoritas (contra antiquiores codd. graecos omnibus fere versionibus militantibus), ex contextu de genuina lectione iudicandum est (cfr *Comment.*); ceterum haud satis constat, utrum interpretes *It. Syr.* etc. in suis codd. graecis verbum finitum (καυχώμεθα) legerint, an simili modo, quo Patres graeci (*Chrys. Theod.* etc.), ad participium καυχώμενοι verbum ἐσμέν suppleverint.

Primum igitur fructum, quo iustitia fidei sese commendat, Paulus pacem dicit esse cum Deo, qua per Christum, per quem etiam ad iustificationis gratiam pervenerint, iustificati fruantur, atque futurae gloriae spem (1.2); quae spes tanta sit, ut iustificati de ipsis quoque tribulationibus gloriari possint, quandoquidem mercedis aeternae, quippe cuius arrham, Spiritum S., iam acceperint, certi sint (3-5). Quam assertionem argumento quasi a fortiore probat; maximum enim caritatis suae documentum ait Christum nobis exhibuisse pro nobis, quum adhuc impii essemus, morientem (6-8); unde nos concludere vult, multo magis nunc, quum sanguine eius simus iustificati, nos liberos fore a divina ira (*v.* 9), nosque, utpote Deo morte Filii eius reconciliatos, a Filio glorificato salutem esse adepturos (*v.* 10), quin etiam de ea iam nobis gloriandum esse in Deo, quia eam certa spe iam teneamus (*v.* 11).

1. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus* (lege : *habemus*) *ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Arcte novam sectionem Paulus priori adiungit primis suis verbis ea complexus, quae in superioribus demonstravit; nos enim *ex fide iustificari* est conclusio, quae praecedente argumentatione legitime colligitur. In via autem, qua iustitiam adipiscimur, monstranda et explananda non amplius moratur, sed ad lectores, quos aeque ac se ipsum iam ex fide iustificatos esse novit, conversus primo in loco, ut quae quantaque sit felicitas iustificatorum declaret, illud beneficium ponit, quod cum iustificatione intime est coniunctum ac reliquorum quasi fundamentum constituit : *pacem habemus ad Deum.* Natura eramus filii irae (*Eph.* 2,3) abalienati a Deo eiusque inimici (*Col.* 1,21); eo ipso autem, quod ex fide sumus iustificati, in gratiam Dei sumus recepti eique reconciliati salvi sumus ab ira eius, translati, quippe ex statu inimicitiae ad Deum in statum pacis ad Deum, ut cum eo iam tamquam amici eius vivamus. Fuerunt qui *pacem ad Deum* hic intelligerent Christianorum inter se concordiam, quae ad Deum esse dicatur, quia ei sit grata acceptaque, quatenus nimirum « inter se non disceptent neque alii de antiquae Legis operibus, alii de nova Christi vocatione praesumtive glorientur » (*Haym.* cfr τινές apud *Chrys., Oec*[2]. etc., *Herv. Lomb*[1]. etc.). Quam explicationem vix non omnes cum *Chrys.* recte reiiciunt velut verbis ipsis contextuique parum consonam. Satis clare enim Apostolus se de ea pace ad Deum vel cum Deo loqui insinuat, quam homo possidet, quando ab ira Dei salvus (*v.* 9) neque amplius ex eius inimicis est (*v.* 10). Haec autem pax est beneficium divinum, quod *per Dominum nostrum Iesum Christum* habere dicimur, quia Deus in Christo nos sibi reconciliavit non imputans nobis peccata nostra (cfr ad 2 *Cor.* 5, 18).

Qui ad genuinum, quem proposuimus, sensum locutionis *pacem ad Deum habere* attenderit, lectionem *habeamus* (ἔχωμεν) parum aptam dicere non dubitabit, quamvis magna testium auctoritate sese commendet atque a modernis textus graeci editoribus criticis (*Lachm Treg. Tisch. WH*) sit recepta. Namque pax, de qua agitur, Dei est donum ab eoque dependet, qui hominem sibi reconciliat in suamque gratiam amicitiamque recipit atque ipse Christum proposuit propitiationem in sanguine ipsius (3,25); atqui ab homine eam dependere dicendum esset, ita ut quodammodo homo Deum in suam gratiam reciperet, si exhortativus *habeamus* hoc in loco esset retinendus. Quam difficultatem nonnulli effugere quidem conantur verbo *habendi* (ἔχειν) sensum *retinendi conservandique* attribuentes Paulique sententiam ita interpretantes, ut pacem, quam in iustificatione accepimus, nostra ex parte evitatis peccatis conservare iubeamur : « *Pacem habeamus* i. e. ne ultra peccemus neque ad priora revertamur; hoc enim est bellum habere ad Deum » (*Chrys.* etc.). At Apostolus, si id monere voluisset, pro ἔχωμεν (*habeamus*) alio verbo aptiore (κατέχωμεν retineamus, τηρῶμεν conservemus) procul dubio usus esset. Praeterea hoc in loco, uti bene *Est.* adnotat, « nondum adhortationi sed doctrinae intendit Apostolus »; id quod satis apparet, quum orationem suam indicativis (et gloriamur... sed et gloriamur) continuet indeque a *v.* 6. (atque etiam iam *v.* 2) nos pacem cum Deo revera habere demonstret, minime vero nos eam habere aut conservare *debere* moneat. Haud sine ratione igitur iuniores ac moderni interpretes, cath. et acath., non obstante criticorum testium auctoritate, indicativum (*habemus* ἔχομεν) praetulerunt (cfr *Cai. Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *Beel. Mai. Bisp. Ag.* etc. — *God. Weiss. Lips.* etc.).

Antequam vero fusius accuratiusque exponat, quae et quanta sit iustificatorum pax, Apostolus nos eam per Iesum Christum mediatorem habere quasi parenthetice confirmat : 2. *per quem et habemus* (melius : *habuimus* ἐσχήκαμεν) *accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Ad initium quippe iustificationis respicit, ut per eundem, per quem initium sit, etiam dona connexa obtineri insinuet. Particula *et* (καί) igitur, quam antiquiores Latini multi haud recte praetermiserunt (cfr *Prim. Sed. Haym. Abael. Lomb. Thom.* etc.), correctores romani vero restituerunt, argumentativam vim habet atque haud dubitari posse innuit, quin iustificati pacem cum Deo per eundem habeant, per quem ipsam iustificationem obtinuerint. Eodem quidem temporis momento, quo iustificatur, homo ex inimicitiae divinae statu in statum pacis amicitiaeque cum Deo transfertur; logice tamen amicitia infusionem gratiae sanctificantis, qua peccata remittuntur, consequitur. Hinc videtur esse, cur Apostolus temp. perfecto usus dicat : *habuimus* (ἐσχήκαμεν) *accessum in gratiam istam in qua stamus,* i. e. ad iustificationis gratiam, quam nunc possidemus et in qua perseveramus, accedere potui-

mus et accessimus, idque, uti iterum iuxta doctrinam suam antea expositam addit, *per fidem.* Ad quae ultima verba apposite adnotat *Est.*: « Etsi fides sit initium et pars quaedam iustificationis, recte tamen et convenienter dicimur per fidem habere accessum et ingressum ad gratiam iustificationis, quemadmodum per ostium ingredi dicimur domum, quamvis ipsum ostium pars domus sit. Sensus enim est, fide velut initio iustificationis eo nos ulterius adduci, ut ceteris donis accedentibus simpliciter iusti simus ac Deo accepti ad vitam aeternam; quemadmodum intrando per ostium eo quis promovetur, ut sit intra domum ». Recte autem *Chrys.* gratiam, ad quam per fidem accessum habuimus, illam esse docet, « qua dignamur cognitione Dei, ab errore liberati veritatem cognoscimus, omnia demum bona assequimur, quae per baptismum nobis obtigerunt ».

Substantivum προσαγωγή a nonnullis sensu transitivo (i. q. actus adducendi, adductio) sumitur : « Per Christum habuimus, quod Deus nos adduxit » (cfr *Chrys. Oec.* etc.); multo tamen concinnior est oratio, si eodem modo, quo in reliquis duobus N. T. locis, in quibus occurrit (*Eph.* 2,18; 3,12), intransitive sumitur (i. q. accessus, aditus). Per se patet, verba *in gratiam istam* haud recte a nonnullis cum expressione *per fidem* connecti; nusquam enim in S. Scriptura *in gratiam credere* (πιστεύειν εἰς τὴν χάριν) aliquis dicitur aut de *fide in gratiam* (ἡ πίστις εἰς τὴν χάριν) sermo est, quamvis locutiones istae per se haud sint ineptae ac rectam explicationem admittant. Neque illorum interpretatio nobis probatur, qui sententiam relativam *in qua stamus* ad dictionem *per fidem* referunt (cfr *A*[ler] etc.); verborum enim ordo obstat, neque ulla adest ratio, quae insolentiorem ordinem hic praeferendum esse suadeat.

Post hanc brevem confirmationem, quam quasi parenthetice insertam esse diximus, S. Paulus primum iustificationis fructum describere pergit : pacem habemus ad Deum... *et gloriamur in* (ἐπί) *spe gloriae* (*filiorum*) *Dei;* 3. *non solum autem, sed et gloriamur in* (ἐν) *tribulationibus, scientes* etc. Antiquiores ac iuniores interpretes multi hanc sententiam cum relativa proxime praecedente coniungunt (*in qua stamus et gloriamur*), atque pauci moderni eam ad alteram relativam remotiorem trahunt (*per quem accessum habuimus... et gloriamur*). Licet autem his constructionibus aptum sensum gigni non negemus, cum *Cai.* tamen ac plerisque modernis (cfr *Mai. Beel. Sch.* etc.) primariam sententiam his verbis continuari censemus, ita ut primus fructus uberius describatur. A praecipuo enim argumento suo aberrasse Apostolus esset dicendus, si omnia quae usque ad *v.* 5, quin etiam usque ad *v.* 11, sequuntur, ad unam ex secundariis sententiis relativis pertinerent. Itaque iuxta nostra constructionem, quae concinnitate sese commendat[1], novo membro addito quantum sit pacis nostrae cum Deo restitutae

1. Quod nihilominus ab antiquioribus non sit admissa, id non est mirum, quia pravam codicum suorum lectionem sequentes in *v.* 1. exhortationem (ἔχωμεν *habeamus*) invenerunt;

pretium explicat. Eo ipso enim, quod a Deo in gratiam amicitiamque iterum sumus admissi, etiam futurae gloriae spem, quam in Adamo amiseramus, recuperavimus, ita ut iustificati, quum ab ira divina simus liberati, non amplius aeternae poenae terroribus anxiemur, sed de recuperata spe gloriae gloriemur. Verbum καυχᾶσθαι (gloriari) ab Alexandrinis plerumque quidem pro hebr. התהלל, interdum autem pro הרנין (cfr *Ps.* 31,11) aut עלז (*Ps.* 149,5) usurpatur, ut iubilum exsultationemque connotet, atque hoc sensu hic recte sumitur. Construitur autem ad indicandum obiectum, de quo aliquis laetabundus gloriatur, aut cum praep. ἐπί (cfr *Ps.* 48,6; *Prov.* 25,14 etc.) aut cum praep. ἐν (*Ps.* 149,11 etc.), atque utramque constructionem Paulus, qui plerumque alteram praefert (*v.* 11; 2,23; 1 *Cor.* 3,21 etc.), hic coniungit (καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι, καυχώμεθα ἐν θλίψεσιν), quia praepositiones variare amat. *Gloria,* de cuius spe iustificati gloriantur, simili modo, quo 3,23, iuxta veriorem lectionem (cfr *VV. LL.*) vocatur *gloria Dei* non tantum, uti supra (ad 3,23) diximus, quia a Deo nobis est parata, sed etiam quia participatio quaedam ipsius gloriae divinae est. Quae gloria, quum omnibus filiis adoptivis Dei sit parata, etiam *gloria filiorum Dei* appellatur (8,21), unde hodierna latina lectio re a graeca non differt.

Neque tamen hic subsistit Paulus, sed ut pacis cum Deo pretium magis augeat exornetque, iustificatos *non solum* de spe futurae gloriae exsultare ac gloriari, *sed etiam gloriari in tribulationibus* praesentibus addit. Elliptica locutio οὐ μόνον δέ, ad quam praecedens sententia, uti patet, supplenda est, haud admodum est rara (*v.* 11; 8,23; 9,10; 2 *Cor.* 8,19; cfr 1 *Tim.* 5,13) atque clare indicat novum obiectum adiungi, de quo gloriandum sit. A vero ergo aberrant, qui aut in priore membro verbis ἐπ' ἐλπίδι rationem, cur gloriandum sit (*Tol. Est.* etc.), aut in secundo membro verbis ἐν ταῖς θλίψεσιν tempus, quando gloriandum sit (*Ag.* — *Volk. Beck.* etc.), declarari arbitrantur. Pax cum Deo animos iustificatorum tanta fiducia replet, ut non tantum de spe futurae gloriae sed de illis ipsis tribulationibus praesentibus, quibus spes illa exstingui ac destrui videtur, laetabundi glorientur. Tantum enim abest, ut tribulationes spem exstinguant, ut iustificati optime sciant, illas spem augere, id quod sorita quodam[1] Paulus exponit ac

parum apte autem exhortativo indicativus adnecteretur (*habeamus et gloriamur*) neque aptius exhortatio post insertam confirmationem continuaretur; quare vix unus alterve graecum καυχώμεθα pro coniunctivo habuit.

1. *S. Aug.* (de doctr. christ. IV. 7) hic gradationis figuram agnoscere mavult; ut enim Apostolum eloquentia non caruisse ostendat, adducto nostro loco toto (5,3-5) ita disserit: « Hic si quis, ut ita dixerim, imperite peritus praecepta artis eloquentiae Apostolum secutum fuisse contendat, nonne a Christianis doctis indoctisque ridebitur? Et tamen agnoscitur hic figura, quae κλίμαξ graece, latine vero a quibusdam est appellata *gradatio,* quoniam

demonstrat: *scientes, quod tribulatio patientiam operatur, 4. patientia autem probationem, probatio vero spem.* De tribulatonibus loquitur, quas iustificati « aut propter Christum, aut propter iustitiam ipsam sive a persecutoribus, sive a daemonibus, sive boni exsequendi causa a carne ipsa patiuntur » (*Tol.*). Iam vero *tribulatio patientiam* (ὑπομονήν constantiam) *operari* (κατεργάζεσθαι) dicitur, « non sic quidem, quod tribulatio sit eius causa effectiva, sed quia tribulatio est materia et occasio exercendae patientiae » (*Thom.* cfr *Cai. Tol. Est. Iust.* etc.), vel potius constantiae. Nomine quippe ὑπομονῆς hic, uti plerumque, virtus illa intelligitur, qua homo calamitatibus vexationibusque, quibus premitur, non fractus in fide pietateque fortis constansque perseverat (ὑπομένει cfr ad 2,7). Absolute tamen Apostolus tribulationem constantiam operari asserit, quia lectores suos gratia adiutos occasione sibi oblata certe usuros esse confidit. Porro *patientia probationem* (δοκιμήν) operatur, i. e. constantia, qua tribulationes propter Deum perferimus, efficit, ut probati simus ac probata spectataque indoles nostra innotescat. Sicut aurum enim aut argentum igne examinatum probum esse cognoscitur ac velut purum approbatur, ita homo Deo acceptus in camino humiliationis exploratus probatur i. e. genuinus Dei servus esse cognoscitur (cfr *Eccli.* 2,5). Bene *Thom.* : « si quis, inquit, in rebus corporalibus et temporalibus patienter (ac fortiter) sustinet propter bona consequenda aeterna, sufficienter ex hoc probatur, quod talis plus amat bona aeterna quam temporalia ».

Substantivum δοκιμή (*probatio*) duplici sensu a Paulo usurpari solet (cfr *Comment.* in 2 *Cor.* 2,9 p. 66), activo i. q. exploratio, qua num quis certam qualitatem habeat investigatur (2 *Cor.* 8,2), ac passivo, ita ut explorationis faustus exitus seu probata spectataque indoles, quae innotuit, declaretur. Alter hic sensus, qui Paulo frequentior est, etiam huic loco congruit; priore autem latinum *probatio* adhibetur, si *Iac.* 1,3 nostram sententiam quasi invertens ait: *probatio* (τὸ δοκίμιον id fere quod ἡ δοκιμή) *fidei vestrae operatur patientiam* vel constantiam (ὑπομονήν); tribulationibus scili-

scalam dicere noluerunt, quum verba et sensa connectuntur alterum ex altero, sicut hic ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione spem connexam videmus. Agnoscitur et aliud decus, quoniam post aliqua pronuntiationis voce singula finita, quae nostri *membra* et *caesa*, Graeci autem κῶλα et κόμματα vocant, sequitur *ambitus* sive *circuitus*, quem περίοδον illi appellant, cuius membra suspenduntur voce dicentis, donec ultimo finiatur. Nam eorum, quae praecedunt circuitum, membrum illud est primum : *quoniam tribulatio patientiam operatur*, secundum : *patientia autem probationem*, tertium : *probatio vero spem*. Deinde subiungitur ipse circuitus, qui tribus peragitur membris, quorum primum est : *spes autem non confundit*, secundum : *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, tertium : *per Spiritum S. qui datus est nobis*. At haec et huiusmodi in elocutionis arte traduntur; sicut ergo Apostolum praecepta eloquentiae secutum fuisse non dicimus, ita quod eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus ».

cet Deus quasi explorat fidem nostram, utrum genuina sit necne, atque hac ratione efficit, ut constantes nos exhibeamus. Iacobi igitur sententia praecedenti sententiae Pauli (*tribulatio patientiam operatur*), nostrae vero sententiae altera Iacobi respondet : *patientia opus perfectum habet*. Itaque duo Apostoli, quamvis verbis dissonare videantur, re consonant (cfr *V. Beda* in *Iac.* 1,3.4; *Thom. Tol. Iust.* etc.).

Demum *probatio spem* operatur, quandoquidem efficit, ut spes, quae iam adest, non tantum vigeat roboreturque (*Chrys.* etc.), verum etiam crescat et augeatur. Qui enim tribulationibus fortiter constanterque superatis probatus est ac proinde experientia didicit, se nullis calamitatibus, etiamsi varie tentatus sit, a iustitia ac fidei virtute esse dimotum, is mirum in modum animo erigitur in spem gloriae. Nam una ex parte Deus homini, quem probavit et invenit dignum se (*Sap.* 3,5), augmentum spei largitur, altera autem ex parte talis homo iure merito firmius confidit promissioni Domini, copiosam fore in coelis mercedem eorum, quibus hostes nominis ipsius maledixerint quosque persecuti sint[1] (*Matth.* 5,11. 12).

Ratione explicata, cur de tribulationibus gloriemur, Apostolus argumentatione sua ad primariam suam assertionem (*iustificatos de spe gloriae Dei gloriari*) reductus, eidem nunc inhaerens eos de illa iuremerito gloriari ostendit : 5. *spes autem* (ἡ δὲ ἐλπίς spes de qua agitur, non tantum probatorum, sed omnium iustificatorum) *non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis*. Nexum cum praecedentibus bene exponit *Tol.* : « Ne quis diceret, parum esse quod non re sed spe detur, Paulus hoc reiicit; non est, inquit, spes nostra, qualis humana, quae hominibus nititur; haec saepe fallax est et confundit saepe, dum homines iis, quae sperabant, defraudantur ac se vane sperasse seroque veritatem cognovisse erubescunt. At nostra spes talis non est; nunquam enim confundit neque qui sperarunt sese speratis bonis unquam defraudatos sentient neque unquam decepti erubescent ». Per metonymiam (effectus pro causa) spes divina non confundere dicitur, quatenus non fallit neque efficit, ut sperans aut de vanitate spei suae aut de deceptione, quam passus est, erubescat; vel iuxta *Thom.* « spes haec, qua speramus gloriam filiorum Dei, non confundit quia non deficit, nisi homo ei deficiat; ille

1. Egregie *Ag.* : « Sic miles aliunde bonus et regi acceptus sperat ab eo promissam remunerationem servitutis exhibitae; post bellum vero confectum victoriamque reportatam, ubi strenue se gesserit, maiorem concipit spem fore, ut optatum (ac promissum) praemium obtineat. Hinc patet, spem, licet primario Dei gratia nitatur, secundario tamen etiam bonis operibus maxime patientiae et humilitatis, plurimum augeri et confirmari, contra quam Novatores existimant ».

enim dicitur a spe sua confundi, qui deficit ab eo quod sperat ».

Porro iustificatos spe sua velut inani non frustratum iri, B. Paulus efficaci argumento probat ex caritate Dei desumto, quippe a qua gloriae speratae obtentio dependeat quamque sibi dona futura non esse negaturam ex donis iam acceptis iure colligant. « Futuris, inquit *Chrys.*, fidem facit per ea quae iam data sunt. Absit enim ne quis dicat : Quid si Deus bona nobis largiri nolit? Quod enim ea largiri possit, scimus utique omnes; unde vero scimus, quod etiam velit? Ex iis quae iam facta sunt. Ex quibusnam factis? Ex amore nobis iam exhibito. Quid igitur fecit? Spiritum S. dedit; ideo quum dixisset : *spes non confundit*, Paulus huius rei demonstrationem addidit dicens : *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Non dicit : *data est*, sed : *diffusa est* [vel potius : *effusa est* ἐκκέχυται] ubertatem doni significans. Quod enim maximum erat donum, hoc dedit; non coelum terramque et mare, sed quod his omnibus pretiosius est quodque ex hominibus angelos, filios Dei ac fratres Christi facit. Quid hoc est? *Spiritus S. qui datus est nobis* Nisi enim nos post labores summis exornare vellet coronis, nobis ante labores tanta dona non dedisset. Nunc igitur amoris sui magnitudinem nobis demonstravit, quum non sensim ac pedetentim nos honoraret, sed ipsum fontem bonorum nobis daret idque ante certamina ». Recte quidem *Tol.* adnotat, vim argumenti paulini in eo non esse, quod Deus nos diligat (nam quum inimici essemus, etiam nos dilexit dilectionemque misso Filio suo demonstravit), sed in eo, quod Deus amorem suum erga nos iam ostenderit Spiritu S. dato, quo reconciliati et amici Dei facti simus; errat autem, si *Chrys.* verba alio sensu esse interpretatum censet, id quod allegatum locum legenti facile patet.

Ad accurationem sententiae intelligentiam quod attinet, in controversia est, utrum *caritas Dei* intelligenda sit illa, qua Deus nos diligit, an illa, qua nos Deum diligimus; utramque quippe significationem locutio admittit, quia genetivus *Dei* aut subiectivus aut obiectivus esse potest; utraque per se apta quoque est, quia et caritas Dei erga nos ac nostra erga Deum per Spiritum S. in cordibus nostris effundi recte dicitur. Priore solo sensu locutionem interpretantur ex Graecis *Chrys. Theoph.*, ex Latinis *A*[ter] *Pel. Cai. Tolet. Iust.* ac moderni plerique (*Mai. Reith. Beel. Bisp. LR. Sch.*); altero solo sensu ex Graecis *Theod. Phot.*, ex Latinis *S. Aug.* (cfr de spir. et lit. 32,56 : « Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut iustitia Dei, qua nos iusti efficimur, et Domini salus, qua nos salvos facit, et fides Christi, qua nos fideles facit »), quem sequuntur ex antiquioribus multi (*Herv. Abael. Dion. Salm. Bel-*

larm. Controv. de reparat. grat. I. 8 etc.) et ex modernis *Ag.*; utroque demum sensu locutionem hic aeque probabiliter posse intelligi aut etiam utrumque sensum hic esse coniungendum censent ex Graecis *Orig. Oec. Euth.*, ex Latinis *Prim. Sed. Haym. Gl ord. Lomb. Thom. Perer. Est. Lap. Nat. Pic.*, quibus ex modernis accedunt *M Ev. Dr.* Priorem tamen sensum (caritatem Dei erga nos) omnino esse retinendum, contextus docet, ad quem *S. Aug.*, cuius magna auctoritate reliqui Latini seducti videntur, forsitan non satis attenderit. Namque dubium non est, quin Paulus in sequentibus ex caritate, qua Deus nos amplectitur, argumentetur, nulla vero est ratio, cur eum *v.* 5. eandem locutionem, quam *v.* 8. in eodem contextu de divina erga nos dilectione adhibet, de nostro erga Deum amore intellexisse dicamus. Immerito dein obiicitur, quod *Conc. trid.* verba Pauli de caritate erga Deum nobis infusa nobisque inhaerente explicaverit; neque enim Patres tridentini paulinum locum allegant vel interpretantur, sed verbis tantum paulinis ita utuntur, ut illa argumento suo, cui exprimendo per se quam maxime sunt idonea, quodammodo accommodent[1].

Itaque Deus amorem suum erga illos, qui iustificantur, Spiritu S. dato maxime manifestat, qui illis et sigillum divinae adoptionis sit (cfr ad 8,15 et ad *Gal.* 4,6) et arrha divinae hereditatis (*Eph.* 1,14 cfr *Comment.* in 2 *Cor.* 1,22 p. 48 sq.); atque hoc sensu caritas Dei in cordibus nostris effusa dicitur per Spiritum S., qui datus est nobis. Iamvero eis, quos Deus Spiritu S. dato amicos, immo filios suos esse declaravit quibusque eodem Spiritu S. dato arrham futurae gloriae hereditatisque iam concessit, promissam hereditatem negare non potest. Itaque iustificatorum spem fallacem, quae eos confundat, non esse, sed firmam certamque, ex hac argumentatione rite colligitur.

Eandem autem plerique interpretes sequentibus *vv.* 6-11 ita continuari arbitrantur, ut Apostolus, postquam firmitatem spei iustificatorum ex amore probavit, quem Deus Spiritu S. dato eis exhibuit, nunc altero argumento eandem firmitatem ex amore Dei pro eis, quum adhuc peccatores essent, Filium suum morti tradentis confirmet (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Herv. Thom.* etc., *Tol. Iust.* etc., *Beel. Mai.* etc.). Quae sententia nobis non probatur; rectius enim eum ad primariam

1. *Conc. Trid.* sess. VI. decr. de iustif. cp. 7. : « Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini N. Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhaeret; unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem ».

suam assertionem, iustificatos pacem cum Deo habere et de spe futurae hereditatis gloriari (1. 2), iam reverti illiusque probationem addere dicemus. Sine probatione enim illam relinquere non potuit, in argumentatione autem, quae sequitur, eum non tam spei firmitatem quam primarium suum assertum ante oculos habuisse, ex *vv.* 9. 10 evidenter elucet. A summo igitur amoris documento, quod Deus mundo exhibuit, quando unigenitum suum Filium pro impiis mori voluit, initium sumit (6-8), ut hoc fundamento nixus concludat, illos qui iam iustificati sunt multo magis et de sua pace cum Deo et de sua hereditatis spe gloriari posse (9-11).

Iuxta *Vulg.* Apostolus ab interrogatione rhetorica exorditur, qua divinam caritatem in Christi morte manifestatam admiratur ac celebrat: 6. *ut quid enim* (εἰς τί γάρ ad quid enim, cur enim) *Christus*, *quum adhuc infirmi* (ἀσθενεῖς) *essemus, secundum tempus* (κατὰ καιρὸν i. q. opportuno tempore) *pro impiis* (ὑπὲρ ἀσεβῶν in gratiam impiorum) *mortuus est?* Huic enim interrogationi nihil responderi posse supponit, nisi id factum esse ad divinae caritatis magnitudinem commendandam (cfr *v.* 8). Quae amoris excellentia ut clarius perspiciatur, duo mortis Christi momenta in hoc *v.* exponit: tempus quo Christus mortuus est (*quum adhuc infirmi essemus*), et causam, propter quam mortem subiit (*pro impiis*), quibus velut tertium momentum gravitatem facti ipsius in *v.* sequente addit (*vix enim pro iusto quis moritur* etc.). Nominibus *infirmorum* et *impiorum* non tantum easdem personas sed etiam eadem ratione designari multi putant, quia *infirmi* a Paulo illi dicantur, qui morbo impietatis vel peccati laborent (cfr *Theod.:* οἱ περικείμενοι τὴν τῆς ἀσεβείας νόσον, *Pel.:* peccatorum ac scelerum languoribus pressi, *Thom.:* infirmi infirmitate peccati, *Est.:* variis peccatorum languoribus detenti, etc.). Quae haud recte dicuntur; nam *infirmos* Paulus hic potius homines ante Evangelium annuntiatum degentes vocat, utpote qui non tantum viribus propriis, quibus ad salutem pervenirent, fuerint destituti, sed etiam non habuerint, a quo roborarentur et adiuvarentur. Quae infirmitas ipsa quidem peccatum non erat, in peccato autem suam radicem habebat atque etiam, ut ex iis quae antea disputavit luculenter constat, homines ad peccata adducebat, immo vero effecerat, ut omnes, Iudaei ac Graeci, sub peccato essent (3,9 etc.). Eo igitur tempore, quo homines experientia de sua infirmitate edocti de salute obtinenda quasi desperabant (*quum infirmi essemus*), ergo revera opportuno tempore (*secundum tempus*), Christus ad eos salvandos mortuus est. Expressione *secundum tempus* (κατὰ καιρόν) scilicet priora verba (*quum adhuc infirmi essemus*) accuratius definiuntur, id quod iam *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,7) sua interpretatione (*op-*

portuno tempore) recte insinuavit. Quod vero alii cum Graecis expressione κατὰ καιρὸν tempus morti Christi a Patre praedefinitum (i. q. tempore statuto) significari censent (*Tol. Est.* etc., *Mai. Beel. Reith* etc.), id minus aptum est, quia appositio plane otiosa esset, siquidem caritas Dei erga nos in eo non apparuit, quod Christus tempore divinitus praedefinito, sed tempore nobis opportuno mortem subiit. Multo minus utique cum antiquioribus Latinis dicere licet, locutionem *secundum tempus* significare « ad tempus breve » (quia tertia die Christus erat surrecturus) vel « ultima mundi aetate » etc. (cfr *A*[ter] *Prim. Sed.* etc. *Gl ord. Thom.* etc.); neque enim verbis nec sententiae hae explicationes congruunt.

Itaque iuxta Apostolum magnitudo caritatis divinae primum ex eo cognoscitur, quod Christus opportuno tempore, quando genus humanum omnimodam suam infirmitatem iam cognoverat, pro eo mortuus sit; apertius autem ex eo cognoscitur, quod *pro impiis*, i. e. in eorum gratiam et utilitatem, qui utpote impii (ἀσεβεῖς) inimici Dei erant, mortem subierit. Quod caritatis testimonium, ut quam singulare ac vere unicum sit, evidentius appareat, Paulus gravitatem facti quasi a contrario ex iis, quae inter homines fiunt, illustrat. Revera incredibilis est bonitas et inaudita clementia Christi pro impiis sanguinem suum fundentis, 7. *vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Id utique fieri posse concedit, ut aliquis pro bono iustoque viro servando suam ipsius vitam profundat, licet id « metu mortis cuncta terrente » (*S. Hier.* l. c.) adeo rarum sit, ut longo saeculorum cursu vix unquam contigerit. Id autem concedens satis clare simul insinuat, plane inauditum esse neque verisimile videri, ut quis ad impium a debita mortis poena servandum se ipsum morti tradat. Unde sua sponte illucescit, quam insignis ac singularis fuerit mors Christi sanguinem suum fundentis, ut eis salutem praestaret, quos impios Deique inimicos esse sciebat.

Disputant interpretes, utrum in *v.* 7. de persona, an de re iusta ac bona agatur, ac similiter utrum nomina *iusti* (δικαίου) ac *boni* (ἀγαθοῦ) eadem significatione adhibeantur, an potius nomine *boni* altior gradus *iusti* significetur, ut bonus sit is qui plus dat, quam iure dare tenetur (cfr *Matth.* 20,15) vel etiam is qui ad beneficia praestanda est propensus (ἀγαθός i. q. χρηστός beneficus). Ad priorem quaestionem quod attinet, de personis agi cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) plurimi recte tenent (dissentientibus *S. Hier.* l. c. aliisque); id enim oppositio horum nominum ad *impios* versus praecedentis et ad *peccatores* versus sequentis docet. In altera autem contra *Pel.* paucosque alios cum Graecis ac *S. Hier.* censemus, iustum ac bonum hic non esse diversae si-

gnificationis, quia duo adiectiva saepe eodem sensu usurpantur neque huius loci contextus diversam eorum significationem postulat.

Lectionem *Vulg.* in *v.* 6. explicando secuti sumus, quae graecolatinorum (F G) omniumque *It.* et *Vulg.* codicum auctoritate nititur (cfr *VV. LL.*), atque reliquas lectiones antiquitate vincit, siquidem ineunte saec. 3. interpres *S. Iren.* (c. haer. III. 16,9) eam iam exhibet. — Sensu ab illa non differt lectio *textus rec.* : ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανεν, dummodo cum plerisque admittatur, particulam ἔτι per hyperbaton a suo loco esse remotum et ad genetivum absol. pertinere (« namque Christus, quum *adhuc* infirmi essemus, secundum » etc.). Illo tamen incommodo laborat, quod minore testium auctoritate fulciatur ac vivido stylo Pauli, qui interrogationibus argumentari amat, parum congruat. — *Tisch.* melioribus codd. graecis nixus particulam ἔτι et in principio sententiae et post ἀσθενῶν ponit, ita ut semel ad totam sententiam ac semel ad genetivum absol. pertineat. Quae lectio si admitteretur, primum ἔτι γάρ vertendum esset *insuper enim;* sed haec interpretatio et temere concederetur et contextui, quem exposuimus, non consonaret. — *WH* cum B pro ἔτι γάρ legunt εἴγε (*quandoquidem*), qua lectione hanc sententiam praecedenti parum apte adnectere coguntur : « caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum nobis datum, quandoquidem Christus, quum adhuc infirmi essemus, pro impiis mortuus est ». — Qui demum cum *S. Isid. Pelus.*, *S. Aug.* etc. pro ἔτι γάρ legunt εἰ γάρ (*si enim*), ii et sufficiente testium auctoritate destituuntur et durum anacoluthum, deficiente apodosi, admittere debent. Sin autem apodosin in *v.* 9. (*multo igitur magis* etc.) sequi dicunt, impeditam faciunt constructionem, quum longa parenthesi protasin hypotheticam a sua apodosi separent. — Ceterum quaecumque ex his lectionibus praefertur, sensus loci in universum fere idem manet.

Quod interrogatione sua (*v.* 6) insinuaverat et comparatione (*v.* 7) probaverat, divinam caritatem plane singularem in Christo pro impiis moriente esse manifestatam, id Apostolus nunc clarioribus verbis repetit, ut concludat, ob eximiam hanc Dei caritatem iustificatos multo maiore cum iure de sua pace cum Deo confidere posse : 8. *commendat autem caritatem suam Deus in nobis* (εἰς ἡμᾶς erga nos), *quoniam quum adhuc peccatores essemus* (*secundum tempus*[1]) *Christus pro nobis mortuus est;* 9. *multo igitur magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Praecipuum sententiae prioris pondus inest verbo συνίστησιν, quippe a quo magna cum vi inchoetur, atque simul pronomini ἑαυτοῦ (τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην *suam ipsius* caritatem),

1. Verba *secundum tempus*, quum neque graecorum neque antiquiorum *Vulg.* codicum (cfr *VV. LL.*) neque Patrum auctoritate commendantur, rectius omittuntur; ex *v.* 6. huc videntur irrepsisse.

quippe quo caritas Deo propria velut prorsus singularis ac sui quasi generis ab humana caritate distinguatur. Graecum porro συνίστησιν hoc in loco latine rectius redditur *demonstrat* (cfr 2 *Cor.* 7,11; *Gal.* 2,18) quam *commendat,* quamquam altera haec versio immeritissimo a nonnullis acath. (*Fritzsche* etc.) dicitur inepta. Sensus igitur huius sententiae, quae adversativa coniunctione δέ (*autem*) immediate praecedenti, in qua de summo sed rarissimo gradu amoris humani est sermo, opponitur, hic est : *Suam ipsius caritatem,* quae ad solos iustos bonosque, sicut humanus amor, nequaquam restringitur, *Deus nobis* (εἰς ἡμᾶς erga nos) demonstravit argumento semper manifesto, quod vim suam nunquam amittit (hinc praes. συνίστησιν *demonstrat*), nimirum *eo quod* (ὅτι elliptice pro ἐν τούτῳ ὅτι) *illo tempore, quo adhuc peccatores eramus,* i. e. « non solum peccavimus, sed peccatis peccata addidimus et in statu peccati eramus » (*Tol.*) ideoque nihil nisi poenam exspectare potuimus, *Christus pro nobis* (ὑπὲρ ἡμῶν in nostram utilitatem, ut nos a iusta poena liberaret) *mortuus est.* Quam divinam caritatem, tam praeclaro argumento olim testatam demonstratamque atque etiam hodie manifestam, hoc tempore, quo iam fructum mortis Christi percepimus, multo minus nobis licet in dubium vocare. Tenendum potius est, nos *multo magis nunc,* postquam ex statu peccati egressi per Christum accessum habuimus ad iustificationis gratiam, in qua stamus (cfr *ad v.* 2), utpote *iustificatos in sanguine* (per sanguinem) *ipsius, salvos fore ab ira* divina, « quae nihil est aliud quam iusta Dei vindicta » (*S. Aug.* de Trin. XIII. 16,21 cfr ad 1,18), *per ipsum,* nos ergo pacem habere ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum (cfr *ad v.* 1). « Numquid is, inquit *Chrys.*, qui inimicis suis ita pepercit, ut Filio suo non parceret, nunc iustificatis non patrocinabitur »?

Multis quidem eximiisque beneficiis aliis Deus caritatem, qua homines ab aeterno amplectitur, demonstravit ac praesertim incarnatione rebusque gestis omnibus Filii sui; mortem tamen Christi solam Apostolus commemorat, quia maius caritatis documentum excogitari nequit, quam quod Pater innocentissimum suum Filium pro vilibus creaturis iisque peccatoribus sanguinem fundere voluerit. Mortem autem Christi B. Paulus hoc in loco (et 8,32 cfr *Ioan.* 3,16; 1 *Ioan.* 4,9. 10) infinitae Patris caritati attribuit, uti alibi Christi ipsius caritati (*Gal.* 2,20; cfr *Apoc.* 1,5); utrumque rectissime. Sicut enim Pater inter varios modos, quibus mundum peccato obnoxium redimere potuit, incarnationem cruentamque mortem Unigeniti eligens firmissimo argumento, quod refelli aut addubitari nulla ratione potest, immensam suam caritatem demonstravit, ita Christus non minus firmo argumento eandem caritatem manifestavit, quando propter nos nostramque salutem decreto

Patris liberrime sese subiiciens semet ipsum humiliavit factus obediens usque ad mortem (*Phil.* 2,7) ac proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemta (*Hebr.* 12,2). Id insinuat Paulus, ubi Patrem in Christo mundum sibi reconciliasse dicit (2 *Cor.* 5,19), atque hoc sensu recte *S. Aug.* (de Trin. XIII. 11,15) « omnia, inquit, simul et Pater et Filius et amborum Spiritus pariter et concorditer operantur; tamen iustificati sumus in Christi sanguine et reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius ».

Ab hac argumentatione, qua iustificatos ostendit per mortem Christi ab ira divina salvos esse ac pacem cum Deo habere, Paulus ulterius progrediens simili argumento iustificatos de salutis futurae spe iure confidere ac gloriari (cfr *v.* 2) docet : 10. *si enim quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Recte *Chrys.* iam monet, verba *v.* 10. nudam repetitionem praecedentis sententiae non esse; in priore utique membro Paulus praecedentem conclusionem ita repetit, ut eam simul explicet clarioremque reddat, in altero autem novam conclusionem addit. Priorem vero clariorem reddit nomini *peccatorum* substituens nomen *inimicorum* ac praedicato *salvos fore ab ira* substituens *reconciliari cum Deo.* Qua permutatione clare ostendit, se in praecedente conclusione priorem partem primariae suae assertionis (iustificatos pacem cum Deo habere *v.* 1) demonstrare voluisse; reconciliatione quippe pax est restituta cum Deo et iustificati ex statu inimicorum Dei in statum amicorum Dei sunt translati. Quia autem iustificati iam sunt amici Dei, ideo etiam multo magis de divina caritate, quam in statu inimicorum iam experti sunt, confidere sibique salutem speratam promittere possunt. Eodem quidem verbo (σωθησόμεθα *salvi erimus*) salus in utraque conclusione exprimitur, at non eodem plane sensu. Namque additis verbis ἀπὸ τῆς ὀργῆς (*ab ira*) in priore (*v.* 9) ad negativam suam partem, sc. ad libertatem a poena peccatis debita, restringitur; in altera (*v.* 10) vero, quum omnis restrictio desit, pleno suo sensu ac praesertim positivo intelligatur oportet de gloria (filiorum) Dei, qua iustificati in coelo fruentur et in cuius spe iam nunc glorientur (*vv.* 2. 10). Quod clare ex nova quoque oppositione apparet, quam Apostolus huic argumento inserit. Morti quippe, qua pro impiis suscepta Christus peccatoribus Deique inimicis iustificationem ac reconciliationem promeruit, gloriosa vita opponitur, cuius Christus a mortuis resuscitatus iustificatos reddet participes. Qui enim, quum peccatores et inimici essent, per morientem Christum (*v.* 9. *in sanguine ipsius, v.* 10. *per mortem Filii eius*) iustificati Deoque reconciliati sunt, ii multo magis nunc, quum iam amici Dei sint, per Christum gloriose

viventem et regnantem (*in vita ipsius*) gloriam filiorum Dei, quam sperant, obtinebunt[1]. » Mors eius, inquit *Orig.*, mortem inimicitiae illi dedit, quae erat inter nos et Deum, et reconciliationis initium; resurrectio autem et vita ipsius confert salutem credentibus » (cfr ad 4,25), vel uti *Herv.* (cfr *Chrys.* etc.) habet : « Si mors ipsius tantum potuit, ut illud faceret quod difficilius erat, tunc vita, i. e. resurrectio et gloria eius, illud facere poterit, ubi minor difficultas est ».

Attamen Paulus supra (*v.* 2) non tam dixerat, iustificatos gloriam (filiorum) Dei adepturos esse, quam eos iam nunc in gloriae illius spe, utpote firma et certa, gloriari asseruerat. Quapropter argumentatione sua nondum contentus eam nova gradatione complet : 11. *non solum autem, sed et gloriamur* (vel iuxta plerosque codd. graec. : *gloriantes* καυχώμενοι cfr *VV. LL.*) *in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Iuxta plerasque versiones, uti etiam iuxta graecos PP, qui ad participium καυχώμενοι verbum ἐσμέν supplent (καυχώμενοί ἐσμεν i. q. καυχώμεθα), ad membrum ellipticum (*non solum autem*) praedicatum praecedentis sententiae (*reconciliati salvi erimus* καταλλαγέντες σωθησόμεθα) trahere debemus, ut sensus sit : reconciliati non tantum gloriam filiorum Dei consequemur (futuro tempore), sed etiam gloriamur (praesente iam tempore) in Deo, sc. in eius caritate, quae tot beneficiis nos iustificatos iam cumulavit, ut futurae gloriae, quam promisit, assequendae firmam certamque spem teneamus. Ne quis vero hanc gloriationem accuset arrogantiae, fundamentum certae huius spei esse merita Christi additur, per quem ipsam reconciliationem iustificati iam sint assecuti.

Illud quidem in hac explicatione difficultatem creare dicitur, quod tempus futurum a praesente non clarius sit distinctum; ad illum enim quem exposuimus sensum exprimendum scribi oportuisse : οὐ μόνον δὲ σωθησόμεθά ποτε, ἀλλὰ καὶ νῦν καυχώμεθα (non solum autem *aliquando* salvi erimus, sed etiam *nunc* gloriamur). Licet autem ita scribi potuisse non plane negemus (minus apta tamen esset constructio, quia particulis temporalibus nimiam vim tribueret), temporis differentiam ipsis verborum formis (σωθησόμεθα et καυχώμεθα) sufficienter indicatam esse censemus. Accedit quoque, quod Apostolus in sententiam relativam (*per quem nunc reconciliationem accepimus*), uti iam *Orig.* adnotavit, « non

1. Egregie *Nat.* hanc sententiam amplificat : « Si enim Christus Dei Filius nos Patri reconciliavit pro nobis moriens, quando inimici divinaeque irae ob peccatum obnoxii eramus, multo magis reconciliatos salvabit vivens vita immortali ac gloriosa, regnans sine fine, sedens ad dexteram Patris et interpellans pro nobis tamquam advocatus noster. Quid enim potius agat, cui omnis potestas tradita est, quam ut plena ac perfecta animi corporisque salute donet eos, pro quibus in gratiam Patris restituendis tam multa gessit et passus est ? »

sine causa illud *nunc* inseruit, sed ut ostenderet gloriationem nobis non solum in futuro sed et in praesente datam esse ». Quod vero praeterea obiicitur, autoritate codicum graec. de lectione participii καυχώμενοι constare, a paulino autem loquendi usu abhorrere, ut participium verbo ἐσμέν sola mente addito pro καυχώμεθα adhibeatur, id non creat difficultatem, quia priore asserti parte data vel concessa negamus alteram. Sine ullo enim dubio etiam 2 *Cor.* 7,5 participium θλιβόμενοι pro verbo finito est positum, ita ut ἐσμέν mente addi necesse sit, ac nostro loco prorsus similis est usus participii in 2 *Cor.* 8 19 (cfr etiam supra ad 3,24). Quae quum ita sint, cum Graecis (*Orig. Chrys. Theod. Theoph. Oec. Euth.*) ac plurimis antiquioribus iunioribusque Latinis hanc explicationem praeferimus, quam *Vulg.* nostra sua lectione commendat, idque maxime quia universi loci contextui apprime consonat. Tribus enim primarii asserti (*v.* 1. 2) membris (pacem habemus ad Deum, gloriam Dei obtinebimus, in certa gloriae futurae spe gloriamur) tria argumenta, quae per gradationem quandam se excipiunt, accurate respondent, uti ex supra dictis luculenter patet.

De reliquo in hac sententia cum prioribus connectenda et explicanda magnus est interpretum dissensus [1]. Inter antiquos iunioresque Latinos non defuerunt, qui *v.* 11. immediate cum *vv.* 2. et 3. connecterent : « gloriamur in spe gloriae, non solum autem, sed et in tribulationibus; non solum autem, sed et in Deo » (cfr *Thom* [1]. etc.; *Tol. Lap.* etc. — *Beng.* etc.). Quis vero sibi persuadebit, totam pericopen inde a *v.* 3 usque ad 10. non esse nisi parenthesin, qua Paulus probat nos in tribulationibus posse gloriari? Ex iis qui lectionem graecam sequentes participium pro verbo finito positum esse negant, nonnulli ad membrum ellipticum (οὐ μόνον δέ) ex praecedente sententia verba καταλλαγέντες σωθησόμεθα ita supplent, ut verbum σωθησόμεθα etiam ad participium καυχώμενοι pertineat atque hic sensus exoriatur : « non solum reconciliati, sed etiam gloriantes salvi erimus ». Ad hoc supplementum iure merito ineptum recte dicitur, quia participio καταλλαγέντες, quo Apostolus

1. Idque inter eos quoque, qui rectum nexum tenent. Cfr *S. Aug.* de Trin. XIII. 16,21 : « Non solum autem salvi erimus, sed et gloriamur, non in nobis sed in Deo, nec per nos, sed per Dominum nostrum Iesum Christum ». Parum apte *Theod.* : « Non solum vitam aeternam exspectamus, sed etiam in praesenti, utpote Dei familiares effecti, gloriamur Christi res gestas perpendentes, qui mediator noster factus pacem nobis reconciliavit ». Neque multo aptius *Chrys.*, qui etiam ad tempora ab Apostolo adhibita non satis attentus fuit : « Non solum salutem consecuti sumus (lege : consequemur), sed etiam de hoc ipso gloriamur, de quo quispiam putaverit nos erubescere. Quod enim in tanta nequitia degentes salvi facti sumus (lege : salvi erimus), signum est nos multum diligi ab eo qui nos salvat. Neque enim per angelos aut archangelos, sed per Unigenitum nos reconciliavit; itaque et quod reconciliavit, et tales reconciliavit, idque per Unigenitum suum, neque tantum per Unigenitum sed per eius sanguinem, id mille nobis gloriae coronas nectit », i. e. certam reddit nostram spem, ut de ea gloriari possimus.

rationem cur salvi futuri simus indicat, non potest esse parallelum participium καυχώμενοι, quo eiusmodi ratio nequaquam indicatur. Quare alii cum *Est.* solum verbum σωθησόμεθα supplent : « non solum autem salvi erimus, sed etiam gloriantes salvi erimus ». Quae constructio, licet aptior sit, contextui non congruit, in quo de futura gloriatione nostra non agitur; Apostolus autem, si hic eam addere voluisset, sine ullo dubio scripsisset : οὐ μόνον δὲ (σωθησόμεθα), ἀλλὰ καὶ καυχησόμεθα. De nonnullorum modernorum acath. supplementis (ex. gr. *Rück.* etc., qui ex *v.* 9 supplet : οὐ μόνον δὲ σωθησόμεθα ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα κτλ, aut *Reiche* : οὐ μόνον δὲ κατηλλάγημεν καὶ σωθησόμεθα, ἀλλὰ καὶ κτλ) opus non est dicere, quia neminem latet, quam parum sint apta.

2. — *Sicut per Adamum condemnatio, ita per Christum salus* (5,12-21).

5,12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset.* 14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.* 15. *Sed non sicut delictum, ita et donum : si enim unius delicto multi mortui sunt : multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* 16. *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum : nam iudicium quidem ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi.* 20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia :* 21. *ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia*

5,12. Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον· 13. ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου, 14. ἀλλὰ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ 'Αδὰμ μέχρι Μωυσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐν τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως 'Αδάμ, ὅς ἐστιν τύπος τοῦ μέλλοντος. 15. ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα οὕτως τὸ χάρισμα· εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου 'Ιησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν. 16. καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα· τὸ μὲν γὰρ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. 17. εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνός, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσιν διὰ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ 'Ιησοῦ. 18. ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα, οὕτως καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς· 19. ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί, οὕτως καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί. 20. νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα· οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, 21. ἵνα ὥσπερ ἐβα-

regnet per iustitiam in vitam aeternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.

σίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτως καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν [1].

Per unum Christum, qui pro hominibus, quum adhuc peccatores Deique inimici essent, sanguinem suum fudit, omnia iustitiae gloriaeque bona credentibus obvenire, Apostolus itemtidem in superiore pe-

1. *VV. LL.* — 12. ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν (*peccatum in mundum intravit*) est genuinus verborum ordo, a quo praeter graecolatinos (D E F G) soli antiquiores *Vulg.* codd. (*Fuld. Am. Demid. Harl. Tol.*) dissentiunt exhibentes : εἰς τὸν κόσμον ἡ ἁμαρτία εἰσῆλθεν (in mundum peccatum intravit). — Iidem graecolatini in tertio membro : καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν (*et ita in omnes homines mors pertransiit*) omittunt subiectum (ὁ θάνατος *mors*) consentientibus antiquissimo *Vulg.* cod. (*Fuld.*) nonnullisque PP. latinis, inter quos praecipuus est *S. Aug.* (ad Hilar. ep. 157 n. 11; de pecc. mer. et rem. I. 9,10; c. duas epp. Pelag. IV. 4,7 etc.); sed consueta lectio omnino est retinenda cfr *Comm.* — 13. ἐλλογεῖται (imputatur) B C D E F G K L P, plerique minusc. et PP., aliqui boni *Vulg.* codd. (*Amiat.* : peccatum autem non *imputatur*, quum lex non est; *Harl.* etc.); sed ἐνελογεῖτο (*imputabatur*) cum *It. Vulg.* (*Clem.* ex *Fuld. Dem. Flor.* etc.) *Syr. Copt.*; eidem secundae lectioni favent ℵ (ἐνελογεῖτο) et A cum nonnullis minusc. (ἐλλογᾶτο) et sat multis lectionariis (λελόγισται); utra lectio praeferatur, ad sensum nihil interest cfr *Comm.* — 14. ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας (*in eos qui non peccaverunt*) est certa lectio, quam olim iam teste *S. Aug.* (de pecc. mer. et rem. I. 11,13) « graeci codd., unde in latinam linguam facta est translatio, aut omnes aut paene omnes » tuiti sunt ac hodie fere omnes codd. graeci superstites aeque ac verss. tuentur. Quatuor tantum, ut videtur, minusc. negativam particulam μὴ (*non*) omittunt, atque haec lectio (*in eos qui peccaverunt*) ante S. Hier. aetatem in latinis codd. videtur praevaluisse. Nam « plerosque latinos codd. eam habere » concedit *S. Aug.*, licet nostram consuetam ipse praeferat (cfr ep. 157. n. 19). Item (*Orig. interpr.* (i. e. *Ruf.*) eandem passim exhibet, atque *A[ter]* eam acriter defendit graecos codd. « ex contentione » mutatos esse asserens; sed perversa totius loci interpretatione ad lectionem hanc tuendam adductus est; in *Tert.* autem, *Vict.*, *Cypr.*, quos testes invocat, operibus haec lectio non reperitur. — ἐν τῷ ὁμοιώματι (*in* similitudine) solus B et pauci codd. latini; reliqui omnes rectius : ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι (*in* vel *ad similitudinem*). — 15. οὕτως τὸ χάρισμα (ita donum) B cum *Syr.* (codd.) et *Copt.*; sed lege : οὕτως καὶ τὸ χάρισμα (*ita et donum*) cum reliquis. — 16. δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος (per unum qui peccavit, vel : per unum peccantem) B A C K L P, plerique minusc., *It.* (*A[ter]* *S. Aug.* de pecc. mer. et rem. I. 13,16; c. Julian. VI 4,9 etc.), *Vulg.* (codd. *Amiat. Harl.* etc.) *Copt. Syr.* (codd.) *Arm.*; sed δι' ἑνὸς ἁμαρτήματος (*per unum peccatum*) D E F G, paucissimi minusc., *Vulg. Clem.* (cum *Fuld. Demid. Tol.* etc.) *Syr.* (codd.) *Aeth.* — τὸ δώρημα (donum) est communis lectio graec. codd. et verss.; soli Latini omnes : *ita et* donum, ac si scriptum esset : οὕτως καὶ τὸ δώρημα. — 17. τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι (*unius delicto*) B ℵ C K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sed ἐν ἑνὶ παραπτώματι (*in uno* delicto) A F G C (D E) et pauci minusc. — τῆς χάριτος καὶ τῆς δικαιοσύνης (gratiae et iustitiae) B cum paucis minusc. et nonnullis Latinis (*S. Iren.* interpr. c. haer. III. 16,9; *S. Aug.* ep. 157,11 etc.); sed *textus rec.* : τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης (gratiae et *doni iustitiae*) cum reliquis graec. codd. fere omnibus ac plerisque verss.; demum τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς καὶ τῆς δικαιοσύνης (*gratiae et do-*

ricope asseruerat : per Christum ad iustificationis gratiam accessum habuerunt (*v.* 2), per Christi sanguinem iustificati sunt (*v.* 9), per Christum morientem ab irae divinae terroribus liberati Deoque reconciliati pacem habent cum Deo *vv.* 1. 9. 10), per eundem a mortuis resuscitatum glorioseque viventem gloriae Dei participes reddentur (*vv.* 2. 10) ac tam certam futurae suae gloriae spem nunc tenent, ut de ea iam glorientur idque mediis in tribulationibus, quippe quibus ipsam spem augeri et crescere sciant (*vv.* 2. 3. 11). Iamvero « tamquam causam quaesiturus, quare per unum mediatorem hominem fiat ista reconciliatio » (cfr *S. Aug.* c. Iulian. VI. 4,9), Paulus quasi ex alta specula totam generis humani historiam contemplatus ad initia inimicitiae, quae Deum inter et homines obtinet, regreditur atque Deum in iustitia bonisque ei annexis per unum Christum tradendis ac diffundendis eandem viam rationemque inire docet, quam genus humanum tenuerat, quando in uno Adamo peccante a creatore suo defecit seseque universum peccato eiusque sequelis obnoxium fecit. Originem enim diffusionemque salutis per Christum acquisitae cum origine ac diffusione condemnationis per Adamum invectae comparans eandem demonstrat relationem intercedere Christum inter et eos, qui fide ex eo renascuntur, relate ad iustitiam aeternamque vitam iustificatis promissam, quae inter Adamum et eius posteros intercedit relate ad peccatum mortemque, quae peccati est poena. Nova igitur sectio, in qua comparatio haec instituitur, praecedenti illustrandae confirmandaeque inservit. Si enim primi Adami inobedientia in omnes, qui ex eo progeniti naturam eius susceperunt, peccatum mortemque invexit, mirum non est, quod secundi Adami obedientia omnibus, qui fide ex eo renati naturam eius participant, iustitiam ac vitam conferat.

Itaque S. Paulus, ut originem ac propagationem iustitiae vitaeque cum origine ac diffusione peccati mortisque comparet, ante omnia peccatum cum sua poena per unum hominem in totum humanum genus esse propagatum lectoribus in memoriam revocat (*v.* 12) ac breviter probat (*vv.* 13. 14). Deinde ab uno ad omnes gratiam multo facilius propagari posse ostendit quum ex ipsius gratiae natura (*v.* 15), tum ex potentiore eius efficacitate, quae effectu maiore sese manifestet oporteat (*vv.* 16. 17). Quibus quasi dilucidationis causa insertis ad comparationem *v.* 12. indicatam revertitur eamque claris verbis proponit et explicat (*vv.* 18. 19). Demum ne quis mosaica iam Lege universalitatem regni peccati mortisque sublatam esse sibi persuadeat, paucis

nationis et iustitiae) paucissimi minusc. gr., aliqui PP. (*Theod. S. Isid. Pelus.* ep. III. 195), *It.* (*A*[ter] etc.) *Vulg. Syr.*

docet, quaenam Legis hac in quaestione sint partes; Lege enim delicta aucta esse monet, ut clarius splendesceret virtus gratiae ac iustitiae (*vv.* 20. 21).

Novam sectionem praecedenti arcte pro more suo adiungens Apostolus nexum causalem inter Adami peccatum mortemque et inter peccati mortisque in genere humano universalitatem velut rem lectoribus suis compertam affert : 12. *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum* (melius : *in mundum* εἰς τὸν κόσμον) *intravit et per peccatum mors, et ita* (καὶ οὕτως) *in omnes homines mors pertransiit, in quo* (ἐφ' ᾧ i. q. ἐπὶ τούτῳ ὅτι *propterea quod* vel *quia*) *omnes peccaverunt*... Diligentiore explanatione haec sententia indiget, ut clarius appareat, quanto cum iure Ecclesia eam semper de peccato originali sit interpretata[1]. Probe enim animadvertatur oportet, hanc doctrinam hic non tam velut ignotam exponi, quam velut plane notam supponi, siquidem affertur, ut explicetur, qua ratione per unius Christi obedientiam omnes, qui a Christo regenerantur, iustitiae vitaeque participes reddantur.

Primo autem in loco de connexione dicendum est, qua haec sententia prioribus adiungitur; quo enim particula διὰ τοῦτο (*propterea*) referatur, in controversia est. Inter modernos acath. haud pauci eam ad totum superiorem tractatum referunt, quo inde a 1,18 Paulus omnes homines sub peccato esse neque nisi per fidem Christi salutem obtinere demonstravit. Illius enim tractatus clausulam esse hanc pericopen (5,12-21) statuunt, qua theseos antea (3,22) propositae verba *in omnes et super omnes credentes* exponantur ac probentur (*God.* cfr *Thol. Rück.*

1. Cfr *Conc. Trid.* sess. V. decr. de pecc. orig. c. 2. : « Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini, asserit nocuisse et acceptam a Deo sanctitatem et iustititiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae : anathema sit, quum contradicat Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* ». Canon hic ad verbum fere repetitus est ex can. 2. *Conc. arausic. II* (a. 529) confirmati a Bonifacio II. — *Conc. Trid.* c. 4. : « Si quis parvulos recentes ab uteris matris baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit ». Alter hic canon ad verbum fere transumtus est ex can. 2. *Conc. milevitani II* ab Innocentio I. (402-417) et *Conc. plenarii carthag.* (a. 418) a Zosimo probati.

Holst. etc.). Verum demonstrationem 1,18 inchoatam Apostolus 4,25 iam absolvit indeque a 5,1 de fructibus iustitiae per Christum nobis acquisitae agere coepit. Universalitatem autem iustitiae, quae est per fidem, iam 3,21 sqq. et 4,9 sqq. fuse probavit, atque in hac sectione non tam de universali destinatione quam de origine salutis vel potius de uno eius mediatore Christo agit. — Alii inter modernos cath. et acath., uti antiquitus iam cum *Haym. Herv. Thom.* haud pauci, particulam ad solam ultimam sententiam relativam (*per quem nunc reconciliationem accepimus*) aut ad tres ultimas sententias (9-11) referunt. Quae opiniones eatenus quidem teneri possunt, quatenus ultimo illo membro aut tribus illis sententiis summa quaedam totius praecedentis sectionis (5,1-11) contineri non sine veri specie asseritur. Rectius tamen accuratiusque cum aliis multis (cfr *Cai. Tolet.* etc., *Reith. Beel. Bisp.* etc. — *Weiss* etc.) Apostolum totam superiorem pericopen (5,1-11) ante oculos habuisse dicemus; universa quippe in eo versatur (quemadmodum iam diximus), ut totam nostram salutem per unum Christum esse asserat. Nexus igitur est hic : *propterea* (nimirum quia per unum Christum accessum ad iustificationem iustitiamque ipsam, reconciliationem quoque pacemque cum Deo atque firmam futurae gloriae spem habemus) eadem est recuperatae salutis ratio, quae fuit amissae; sicut per unius Adami inobedientiam peccatum et mors in omnes, qui ad Adamum pertinent, transiit, ita per unius Christi obedientiam iustitia ac vita in omnes, qui ad Christum pertinent, diffunditur. Similiter *S. Aug.* (c. duas epp. Pel. IV. 4,8), qui eundem nexum sequi videtur : « Sicut fuit unus ad mortem propter peccatum, ita et unus ad vitam propter iustitiam ». Praecipuam revera sequentis sectionis vim in eo esse, quod unus sit auctor iustitiae ac vitae, sicut unus fuit auctor peccati et mortis, clare quum ex nostro *v.* 12. elucet, in quo illud *per unum hominem* magno cum pondere primum locum tenet, tum ex *vv.* 15. 17. 18. 19., in quibus illa auctorum unitas idemtidem inculcatur. Quare non plane immerito *Chrys.* hanc comparationem ideo institui ait, « ut quum tibi dixerit Iudaeus : Quomodo uno Christo recte operante orbis salutem est adeptus? tu ei respondere possis : Quomodo uno inobediente Adamo orbis condemnatus est? »

Ad constructionem quod attinet, sententiam esse incompletam (ἀνανταπόδοτον), apodosi qua alterum comparationis membrum enuntietur deficiente, vix non omnes, praeeunte *Orig.* [1], iure tenent. Namque Apo-

1. « Sed priusquam, inquit *Orig.* (i. h. l.), ad explanationem totius capituli veniamus, pauca de eo, qui videtur in consequentibus ipsius eloquii, defectu dicenda sunt. Ubi enim dicitur *propterea sicut*, necessarium videtur, quod addi debeat adimpletio quaedam, ut dicatur : *et ita illud* vel *illud;* uti et ipse in aliis nonnullis locis scribit, verbi gratia quum dicit

stolus, quum ultimo inciso (*in quo omnes peccaverunt*) *vv.* 13. et 14. probationem addendam esse censuisset, inchoatam comparationem non continuavit, sed alterum eius membrum in fine *v.* 14. alia sententiae constructionisque forma (*qui est typus futuri*) obiter et obscure indicavit[1], ut illud postea (*vv.* 18. 19) accuratius clariusque exponeret. Satis facile autem ex primo membro alterum suppletur in eum fere modum, quem *Orig.* iam proposuit. Minus apte, licet in genere nobiscum consentiant, pauci moderni ad constructionem perficiendam in principio sententiae alterum comparationis membrum ex praecedentibus supplent (« *propterea* per unum Christum reconciliationem accepimus, *sicut per unum hominem* » etc., vel; « *propterea* per unum hominem est vita, *sicut per unum* » etc.). A vero autem plane aberrant, qui constructionem esse anacoluthicam negant et apodosin aut a verbis *et per peccatum* aut a verbis *et ita in omnes* inchoant. Ut enim praetermittamus, constructione ipsa, quum apodosis neque ab *et* (καί) neque ab *et ita* (καὶ οὕτως quod non est idem ac οὕτως καί) apte inchoetur, illam explicationem excludi, sensus quoque qui exoritur plane est ineptus, ne dicamus absurdus; quid enim in hoc contextu sibi vult sententia, « *propterea* (cur tandem?) *per peccatum* mortem in mundum intrasse, sicut *per unum hominem* peccatum in mundum intraverit », aut « *propterea* (cur?) mortem *in omnes pertransiisse*, sicut per unum hominem peccatum et mors in mundum intraverint ». Minus procul alii aberrant, qui ad totius pericopes structuram non satis attendentes aut *v.* 15 aut *v.* 18. protasi resumtae ac repetitae apodosin adiungi arbitrantur. Etenim *vv.* 15 sqq. non tam similitudo quam dissimilitudo, quae inter effectus peccati Adae et obedientiae Christi intercedit, ab Apostolo exponitur, ita ut apodosis nostrae protasi non respondeat; in *v.* 18. autem ex proxime praecedentibus, uti particulae ἄρα οὖν docent[2], conclusio

(1 *Cor.* 15,22) : *sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Hic autem quum dixerit : *sicut per unum hominem peccatum introivit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* non retulit, ut diceret verbi gratia : *ita et per unum hominem iustitia introivit in mundum et per iustitiam vita et sic in homines omnes vita pertransiit, in qua omnes vivificati sunt;* hoc enim videbatur propositi eloquii sensus expetere secundum ea, quae in aliis ipse proloquitur ». — Sed ultimum membrum (*in qua omnes vivificati sunt*) contextui non satis respondet; dicendum erat : « *in quo* (i. e. quia) *omnes iustificantur* » (vel : iustificati sunt).

1. Hanc explicationem *Chrys.* (cfr *Theoph. Oec. Euth.*) iam innuit, quum in his verbis interpretandis alterum comparationis membrum suppleat : « Quomodo Christi typus est Adam? Quia sicut ille posteris suis, etsi non comederint de ligno, causa fuit mortis, ita et Christus suis, licet non iuste egerint, iustitiae conciliator fuit »; cfr *Theoph.* : « Ut enim vetus Adam omnes obnoxios fecit proprio lapsui, etiamsi ipsi non essent lapsi, sic Christus omnes iustificavit, licet nihil, quod iustificatione dignum esset, ipsi peregissent » etc.

2. Particula οὖν (*igitur*) satis frequenter quidem orationi, quae parenthesi interrupta est,

derivatur, cuius protasis pro nuda nostrae sententiae resumtione ac repetitione profecto haberi non potest.

Quibus de sententiae nexu et constructione praemissis ad eam explicandam transimus. S. Paulum, si *per unum hominem* peccatum in mundum intrasse dicit, unum Adamum protoparentem nostrum significare, ex tota hac pericope, quae in unius Adami inobedientia cum Christi obedientia comparanda versatur, et ex locis parallelis (1 *Cor*. 15,22) tam evidenter apparet, ut merito mireris, quod *Pel*. (et similiter *A*ter, ut videtur) de Eva sermonem hic esse sibi persuaserint[1]. Procul quidem dubio Eva tempore prius peccavit quam Adam; unde Siracida (*Eccli*. 25,33 [24] « a muliere initium (factum) esse peccati » (ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας) recte asserit. Eva occasio quoque fuit uti peccati Adam, ita etiam pessimarum sequelarum, quas Adami peccatum habuit; unde Siracida recte addit, « nos *propter* illam omnes mori » (καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες, quod minus accurate *Vulg*. vertit : *per illam;* neque enim in text. graeco habetur δι' αὐτῆς), simili nimirum sensu, quo Sapiens « invidia diaboli mortem in orbem terrarum (εἰς τὸν κόσμον) introivisse » dixit (*Sap*. 2,24). At Paulus non loquitur, ut Siracida, de primo peccato actuali, quod in mundo, i. e. inter homines, commissum sit quodque alii homines sint imitati, sed de illo *peccato,* « quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum omnibus inest unicuique proprium » (*Trid*. sess. V. c. 3); atqui hoc non per Evam, sed per Adamum *in mundum,* i. e. in totum genus humanum, intravit omnesque homines, qui naturali generatione ab Adamo descendunt, infecit sola excepta B. Virgine, quam « in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu, salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem » fontes revelationis testantur ac Pius IX. sollemniter definivit.

Nomine *huius mundi* vel potius *mundi* (τοῦ κόσμου), haud pauci quidem

resumendae excipiendaeque inservit (cfr 1 *Cor*. 8,4; 11,20 etc.); at ἄρα (*ergo*) semper argumentationi inservit conclusionemque inducit; ac similiter ἄρα οὖν (*hinc igitur*), quae duorum particularum coniunctio a solo Paulo adhibetur, semper ex praecedentibus conclusionem derivat (7,3.25; 8,12; 9,16.18; 14,19; *Gal*. 6,10 etc.).

1. Parum recte *S. Isid. Pelus*. (epist. IV. 141) quoque de parentum peccatis, quae in filiis puniantur, loquens eandem opinionem sequi videtur. Nam « quod si quis est, inquit, qui sic existimet hoc nulla bona ratione sancitum esse, quid ille dixerit de morte, quod quum una peccarit femina — Evam intelligo — totum genus humanum, quod ab ea descendit, morte damnatum sit, licet multi laudabiliter vivant et peccata primorum parentum non sequantur. Si vero ibi radice mortua necessario etiam rami, utpote heredes damnatoriae sententiae, eiusdem mali participes facti sunt, quid est quod adeo miremur, si hic quoque propter radicem ramus ignominia notatus est »?

cum *Orig.* « vel locum, in quo habitant homines (orbem terrarum) vel terrenam et corporalem vitam, in qua mors habet locum » (i. q. complexum rerum terrestrium humanarumque) intelligere volunt. Cum aliis tamen ipsum genus humanum intelligere malumus, quia Apostolus in tertio sententiae membro nomen *mundi* suo *omnes homines* quasi resumit et explicat.

Gravior autem est quaestio, quid *peccatum* (ἡ ἁμαρτία) hic significet, ac maior in ea solvenda interpretum dissensus. A limine repudiandas esse eorum explicationes, qui cum Pelagianis, Zwinglianis etc. peccatum metonymice pro peccati poenis usurpari et mortem aliasque corporis miserias designare dixerunt, eorumque qui simili admissa metonymia cum Socinianis ac rationalistis peccatum hic proclivitatem ad peccandum vel, quod idem fere est, concupiscentiam interpretantur, contexta oratio evidenter docet. Peccatum enim, quo mors in mundum intrasse dicitur, ab ipsa peccati poena diserte distinguitur atque velut poenae proprie dictae causa, i. e. velut reatus culpae, clare designatur. Atqui concupiscentia vel proclivitas ad peccandum ipsa poenam non meretur, licet mali actus, qui ex ea procedunt, culpae reatum inducant. Neque mors igitur, quae peccati illius est poena, neque concupiscentia, etsi eam Apostolus aliquando « quia ex peccato est et ad peccatum inclinat » peccatum appellat (*Conc. trid.* sess. V. c. 5), nomine peccati hic designatur.

Neque recte eos loqui censemus, qui nomine *peccati* hic « reale peccatum in genere » intelligunt (cfr *Aberle* Tüb. Quartalschr. 1854. p. 457; *Simar* p. 53 etc.). Nam Eva ante Adamum peccante, « peccatum reale » in mundum iam intraverat, sive mundus orbem terrarum sive genus hominum significare putatur. Si vero nomen ἁμαρτίας etiam *v.* 13. « peccatum reale in genere » sonare obiiciunt, ad articulum nostra in sententia nomini bis praefixum attendant oportet, quo nomen eadem significatione in duabus illis sententiis, etsi sese excipiant, non usurpari clare docetur. Si eadem esset significatio, articulus qui *v.* 12. iam praefixus est, in *v.* 13. omitti non potuisset.

Neque actualem Adami inobedientiam, sive velut personale eius peccatum consideratur sive imitatione ad eius posteros transisse dicitur, intelligere licet. Prior enim explicatio simili argumento, quo praecedentem refutavimus, excluditur; contra alteram vero bene iam *S. Aug.* (de pecc. mer. et rem. I. 9,9. 10) « si Apostolus, inquit, peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione sed imitatione transivit, eius principem (i. e. auctorem) non Adam sed diabolum diceret, de quo scriptum est : Ab initio diabolus peccat (1 *Ioan.* 3,8 cfr *Sap.* 2,24. 25)... Proinde Apostolus, quum illud peccatum

et mortem commemoraret, quae ab uno in omnes propagatione transisset, eum principem posuit, a quo propagatio generis humani sumsit exordium. Imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei; sed aliud est (peccatum), quod est exemplum voluntate peccantibus, aliud, quod origo est cum peccato nascentibus... Sicut ille, in quo omnes vivificantur, praeter quod se ad iustitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis, sic et ille, in quo omnes moriuntur, praeter quod eis, qui praeceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes ». Praeterea actus ipse, quo Adam mandatum Dei transgressus est, quum in hoc tractatu παράβασις (*praevaricatio* s. transgressio *v*. 14), παράπτωμα (*delictum* s. lapsus *vv*. 15. 17. 18. 20), ἁμάρτημα (*peccatum* v. 16. saltem iuxta *Vulg*. et nonnullos codd. gr. cfr *VV. LL.*), παρακοή (*inobedientia v*. 19) vocetur, suis iam nominibus ab illo peccato, de quo nostra in sententia agitur (ἡ ἁμαρτία), distinguitur. Atque re quoque ab illo prorsus differt, quia ad illud sicut causa ad effectum se habere docetur, siquidem *per unius inobedientiam* multi (i. e. omnes) constituti esse peccatores (ἁμαρτωλοί) i. e. peccato (τῇ ἁμαρτίᾳ) infecti esse dicuntur (*v*. 19) et *per unius delictum* (δι' ἑνὸς παραπτώματος) inductam esse asseritur condemnationem (*v*. 18), cui nimirum omnes subiacent utpote infecti illo peccato, quod per unum hominem inobedientia delinquentem in mundum intravit (cfr *infra* ad *vv*. 18. 19).

Itaque in *v*. 12. ἡ ἁμαρτία nihil aliud significare potest nisi ipsum illud peccatum, quod originale vocamus, quia in primo suo ortu homo illud contrahit, quando humanam naturam amissione supernaturalis iustitiae, quam Deus omnibus hominibus inesse voluerat ideoque primo homini, ut illam posteris transmitteret, contulerat, per illius delictum vitiatam reatuque culpae onustam induens filius divinae irae nascitur. Articulo praefixo autem Apostolus illud non tantum velut unicum in suo genere sed etiam velut lectoribus cognitum designat. Etenim, uti supra iam monuimus, ex illis, quae lectores admiserunt (unum sc. esse auctorem peccati illius, quo omnes posteri Adami velut proprio infecti nascuntur) illustrare voluit, quomodo ex uno Christo sit iustitia, qua omnes, qui Christi sunt, vere ac proprie iusti constituuntur. Ceterum hanc esse genuinam nominis ἡ ἁμαρτία hoc in loco significationem, reliqua pericopes interpretatione clarius elucebit.

Iuxta Apostolum ergo per unum Adamum peccantem peccatum originale in genus humanum intravit; unde *Thom*. haud immerito con-

cludit : « Si Adam non peccasset, Eva peccante, non per hoc fuisset peccatum traductum ad posteros ». Porro *per peccatum* (διὰ τῆς ἁμαρτίας i. e. per illud peccatum, de quo sermo erat) *mortem* in mundum, i. e. in genus humanum, intrasse additur. Mortem hic non (uti infra 7,10 sqq.) spiritualem, qua anima gratia iustificante privatur (*Orig. Pel.* etc.), neque directe (uti supra 1,32) aeternam, quae damnatos exspectat quamque S. Ioannes secundam appellat (*Apoc.* 2,11; 20,6 etc.), sed physicam, qua anima a corpore separatur, intelligendam esse, inde a *S. Aug.* (cfr de pecc. mer. et rem. I. 8,8) et *Chrys.* aetate plerique recte tenent, quoniam Apostolus non solum ad *Gen.* 2,17 et 3,17 sqq. aperte alludit, sed etiam statim (*vv.* 13. 14) ex physicae mortis universalitate universalitatem peccati originalis demonstrat. Libenter tamen aeternam connotari concedimus, quia id contextus postulare videtur; regnum enim mortis per Adami delictum introductae mox regno vitae per Christum allatae opponitur (*v.* 17 sqq.). Quae oppositio non esset satis accurata, si sola mors physica intelligeretur, quandoquidem vita per Christum allata, omnibus concedentibus, praeter vitam corporis a mortuis resuscitati aeternam gloriam complectitur. Minus recte vero alii spiritualem quoque mortem comprehendi arbitrantur; etenim peccatum originale, per quod mors esse dicitur, quum in gratiae iustificantis privatione potissimum constet, non tam mortis spiritualis causa, quam ipsa mors spiritualis est. Uti autem nomine *peccati* (ἡ ἁμαρτία) hic ipsa Adami inobedientia non designatur, ita nomine *mortis* (ὁ θάνατος) non intelligitur mors primi hominis, id quod haud pauci volunt, sed omnium hominum in genere mors physica, cuius remotior utique causa fuit primus noster parens Dei mandatum transgrediens.

Duobus his prioribus membris Apostolus factum illud historicum in lectorum memoriam revocavit, ex quo de nexu causali peccati cum morte constat. Iam vero statum rerum, qui in mundo est, huic facto respondere altera in sententiae parte addit : *et ita* (καὶ οὕτως i. e. iuxta intimum nexum, quem inter peccatum et mortem adesse et per Adamum peccantem in totum genus humanum intrasse historia docet) *in omnes homines mors pertransiit, quia omnes peccaverunt*. Probe animadvertatur oportet, particula *ita* (οὕτως) ad integra duo membra praecedentia pertinere neque nisi arbitrarie ac temere ad alterutrum aut ad alterutrius locutionem quandam posse restringi. Quamobrem genuinum sensum non attigisse dicendi sunt, qui illam aut ad sola prima vocabula retulerunt (*et ita* sc. per unum hominem), aut ad solum secundum membrum (*et ita* sc. per peccatum), aut ad verbum *intravit* utrique membro commune (*et ita* sc. consequenter ad ingressum vel peccati

vel mortis vel utriusque), aut ad solum nexum peccati cum morte, quamvis hi ultimi propius ad nostram explicationem pervenerint et in eo solo a vero aberrent, quod prima verba (per unum hominem) negligant. Haud pauci quidem, quia inter verba εἰσῆλθεν (*intravit*) et διῆλθεν (*pertransiit*) oppositio quaedam haberi videtur, paenultimam explicationem praeferentes in priore sententiae parte de *ingressu* peccati mortisque in mundum, in altera de eorumdem *diffusione* in omnes homines sermonem esse statuunt; at immerito id fieri ex praecedentium membrorum explicatione satis elucet. Immo vero ex historico facto in illis commemorato quasi conclusionem ad praesentem rerum statum explicandum derivans Apostolus pro diversitate substantivorum, quibus in utroque membro universalitatem hominum designat, verba variat : « Mors *in mundum*, i. e. in totum hominum genus, *intravit* sese *in omnes* ac singulos homines diffundens ».

Antiquiores Latini multi (cfr *VV. LL.*) subiectum *mors* in tertio membro omiserunt; unde factum est, ut *S. Aug.* (c. duas epp. Pel. IV. 4,7) contra Pelagianos, qui in suis codd. subiectum *mors* legerunt, etiam *peccatum* suppleri posse coniiceret. At hodiernam *Vulg.* lectionem (*mors pertransiit*) testimonia critica certam reddunt; parum aptum quoque esset supplementum ab Aug. propositum, quia tautologia exoriretur : peccatum in omnes pertransiit, quia omnes peccaverunt.

Alibi (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 506 sqq. et *Comment.* in 2 Cor. *p.* 141 sqq.) iam monuimus, his Apostoli verbis, quibus universalitas mortis docetur, eorum sententiam non excludi, qui iustos illos, quos Christus in secundo suo adventu superstites inventurus sit, non esse morituros tenent, sed « ex hac mortalitate ad immortalitatem sine media morte esse transituros » (*S. Aug.*), ita ut eorum « corpus ab anima non deseratur, sed anima habitante in corpore fiat inclytum, quod antea inglorium fuit » (*S. Hier.*). Quemadmodum non obstante peccati originalis universalitate a Paulo hic asserta, B. Virginem a peccato originali immunem esse praeservatam, Ecclesia docet, quia aliis divinae revelationis testimoniis constat, sententiam hac ratione esse restringendam, ita nihil impedit, quominus aliis claris Scripturae testimoniis nixi iustos illos, quamvis sit in illis reatus mortis, a subeunda hac poena a Deo exemtum iri censeamus. Nam « si Deus, inquit *S. Aug.* (ad Merc. ep. 193,3), qui tam multis fidelibus suis donat ipsa peccata, voluit quibusdam donare etiam poenam peccati : qui sumus nos qui respondeamus Deo : cur alius sic, alius autem sic? » Numquid Deo, quem actualium peccatorum poenas condonare posse nemo negat, originalis peccati poenam iustis illis condonare non licet, qui duritiis temporum Antichristi, uti loquitur *Tert.* (de resur. carn. 41), patienter toleratis et fortiter superatis dignos se exhibuerunt, qui « compendio mortis per demutationem expunctae concurrerent cum resurgentibus, sicut Apostolus Thessalonicensibus (1 *Thess.* 4,14 sqq.)

scribit »? Nonne splendidior quoque apparet victoria, quam Christus de morte retulit, si non tantum omnes, quos mors sibi velut praedam iam vindicavit, vita eis restituta eripit, verum etiam aliquos, in quos mors ius certum sibi vindicat, in vita conservat?

Mortem, quae per unum hominem in universum genus humanum intravit, ad omnes et singulos pertinere homines, tam manifestum est, ut a nullo possit addubitari neque probatione indigeat. Quoniam vero causa huius universalitatis minus clare apparet, B. Paulus eam in ultimo membro manifestat ad causalem peccati mortisque nexum respiciens, de quo ex historiae fide constare iam dixerat. Egregie quippe *Thom.* monet, Apostolum ordinem in priore sententiae parte servatum in altera invertere : ibi quasi historicorum more a causa (peccato) ad effectum (mortem) progreditur; hic vero « prius agit de universalitate mortis tamquam de manifestiore, deinde tangit universalitatem peccati ». Itaque in omnes mors pertransiit, *in quo* (i. e. *eo quod* vel *quia*) *omnes peccaverunt*, vel melius : *peccaverant*, siquidem *aor.* ἥμαρτον hic, uti saepius in sententiis secundariis, pro plusquamperfecto est usurpatus. Peccante nimirum Adamo, per cuius inobedientiam omnes constituti sunt peccatores (*v.* 19) cuiusque delicto omnes mortui sunt (*v.* 15), ipsoque actu, quo ille peccavit, posteros eius omnes peccasse Apostolus significat, ita ut moriantur, quia in illo et cum illo peccaverunt, eidemque mortis poenae obnoxii sint, quia in divini mandati, cuius observatio sub mortis poena praecepta erat, partem quandam habuerunt. Cum eo autem et in eo omnes dicuntur peccasse, utique non voluntate propria, quae nondum exstitit, sed ipsius protoparentis voluntate, qui a Deo ita erat constitutus caput generis humani, ut eius praevaricatio ad omnes eius posteros quodam modo pertineret omnesque vere ac proprie peccatores constitueret. Magnum quidem est mysterium, quomodo Adam sua inobedientia omnes, qui naturali generatione ab eo descendunt, peccato ita infecerit, ut singulis sit proprium; at minus mysterium non est, quomodo secundus Adam, Christus, sua obedientia omnes, qui per ipsum regenerantur, vere ac proprie iustos constituerit, ut illis iustitia sit propria. De his mysteriis disserere eaque, quantum eius fieri potest, illustrare theologorum est; nos id unum asserimus, verbis paulinis ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον sententiam quam diximus clare contineri.

Si quis enim obiecerit, verba *in eo et cum eo* a Paulo non esse expressa ac temere a nobis inseri, ea ex contextu, quum tota sententia primis verbis *per unum hominem* regatur, sua sponte suppleri respondemus, Apostolumque alibi, ubi de vicaria Christi morte loquitur,

eodem plane modo verba *in eo et cum eo* prudenti lectori supplenda reliquisse : « si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt » sc. in eo et cum eo secundum veterem suum hominem (cfr *Comment.* in 2 Cor. *p.* 161 sqq.). Quodsi porro moderni acath. multi (*Reuss, Mang. Weiss* etc.) istud ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον ita cum Pelagianis intelligere volunt, ut omnes propter sua actualia peccata, quibus Adami inobedientiam sint imitati, mortis poenae obnoxii dicantur, ab ipso Paulo refutantur, qui mortem in eos quoque regnasse docet, qui non peccassent in similitudinem praevaricationis Adae (*vv.* 13. 14), peccata actualia ergo, quae morte essent punienda, non haberent. Qui demum ἁμαρτάνειν in his verbis idem esse volunt quod ἁμαρτωλὸν κατασταθῆναι (*peccare* i. q. *peccatorem constitui*), ii ad verborum proprietatem non satis attendunt; siquidem ἁμαρτάνειν nusquam nisi de actu ipso peccati usurpatur, quo aliquis utique deinde peccator constituitur habituali peccato perdurante.

Iuxta nostram ergo explicationem omnes *in Adamo* peccasse, ex paulinis verbis quasi indirecte per modum fere sensus consequentis eruitur; plerique tamen antiquiores Latini directe id declarari tenent, quum dictionis latinae *in quo* pronomen relativum ad prima sententiae verba *per unum hominem* (sc. Adam) referendum esse arbitrentur. Quorum dux est *S. Aug.*, qui ab initio quidem dubitavit, utrum pronomen *quo* ad nomen *peccati* (*per peccatum mors*) an ad nomen *hominis* (*per unum hominem peccatum*) esset referendum (cfr de pecc. mer. et rem. I. 10,11), postea vero animadvertens « in graeco, unde translata sit epistola, peccatum feminino genere esse positum » (sc. ἡ ἁμαρτία cfr c. duas epp. Pel. IV, 4,7), verba *in quo* non nisi *in Adamo* explicari posse sibi persuasit. At haud recte. Praeprimis enim constructio ipsa iam prohibet, quominus pronomen *quo* ad nomen tam remotum duobusque membris interiectis separatum referatur. Deinde linguae graecae leges, quemadmodum non permittunt, ut pronomen ᾧ ad nomen feminin. referatur, etiam non permittunt, ut praepositioni ἐπί ille sensus attribuatur, quem *S. Aug.* (et cum eo alii Latini) praepositioni latinae *in* hic attribuit, quando ait : « Restat ut in illo primo homine omnes peccasse intelligantur, quia *in illo fuerunt* omnes [sc. seminaliter, uti alibi addit], quando ille peccavit, unde peccatum nascendo trahitur » (c. duas epp. Pel. IV. 4, 7). Ad hunc enim *inclusionis* sensum exprimendum graeca praepositio ἐν omnino requiritur, neque ullus inter graecos interpretes unquam nostrum ἐφ' ᾧ substituto ἐν ᾧ explicavit.

Sunt quidem inter Graecos et inter modernos acath., qui nostro in

loco pronomen ᾧ pro mascul. habeant illudque ad alterutrum ex praecedentibus substant. masc. referant, sc. aut ad δι' ἑνὸς ἀνθρώπου aut ad ὁ θάνατος. Verumtamen qui illud ad *unum hominem* referunt, praepositioni ἐπί causalem sensum attribuunt (i. q. *propter*) eamque praepositioni διά c. acc. aequiparant, ita ut ad pelagianam explicationem proxime accedant. Inter quos *Theoph.* ac praesertim *Oec.*, ἐφ' ᾧ idem esse censens quod δι' ὅν, his verbis suam ipsius interpretationem proponit : « Ne quis Deum accuset iniustitiae, quod Adamo lapso nos moriamur, Paulus subiungit ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον (*propter quem omnes peccarunt*) ac si diceret : ipse principium praebuit et *causam*, quod omnes ad eius similitudinem peccavimus », suo nimirum exemplo nos ad peccatum invitans (αὐτὸς τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν αἰτίαν παρέσχε, ὅτι πάντες ἡμάρτομεν κατὰ τὴν ὁμοίωσιν αὐτοῦ). Qui vero pronomen ᾧ ad substant. ὁ θάνατος referunt, uti antiquitus teste Photio aliqui Graeci et hodie aliqui acath. (*Hofm.* etc.), ii praepositione ἐπί aut finem, vel si mavis eventum, ad quem peccatum tendit vel ducit, declaratum vident (« et ita in omnes pertransiit mors, ad quam [quasi tendentes vel perventuri] peccarunt ») aut tempus, quo omnes peccarunt (« et ita in omnes pertransiit mors, qua exsistente et dominante omnes peccarunt »). At neque ad Adamum neque ad mortem referendum esse pronomen, neque quidquam quoque esse supplendum, iuremerito *Phot.* (Amphil. V. 84. M. 101, 553 sq.) monuit. « Nam ἐφ' ᾧ, inquit, hic non ad personam neque ad quasi personam refertur, sed potius causam indicat atque ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον est idem quod διότι (propterea quod) πάντες ἥμαρτον ». Huiusmodi deinde significationis verborum ἐφ' ᾧ sexcenta exempla in profanorum scriptis exstare addit, se tamen solius Pauli auctoritatem velle afferre, qui 2 *Cor.* 5, 4 verba ἐφ' ᾧ pro causali coniunctione (i. q. διότι) adhibuerit[1]. Photio autem eadem in significatione admittenda iam praeiverant *Orig.* et *Theod.*, atque forte etiam *Chrys.*, quamvis minus clare loquatur.

Probe autem animadvertatur oportet, ab antiquioribus Latinis Graecos non recte in suas partes trahi, quia non tam graeca eorum verba, quam latinam verborum interpretationem inspexerunt. Iam vero interpretes operum patristicorum eodem modo, quo vulgatus

1. Ad hanc significationem locutionis ἐφ' ᾧ stabiliendam a modernis etiam antiquorum grammatic. graec. testimonia allegantur, *Thom. Mag.* ed. Ritsch. p. 129 (ἐφ' ᾧ ἀντὶ τοῦ διότι et *Favorin.* ed. Basil. 1538 p. 813 (ἐφ' ᾧ ἀντὶ τοῦ διότι λέγουσιν ἀττικοί), qui ipsi exemplis scriptorum allatis suam explicationem confirmant. Plerumque quidem Graeci hoc sensu adhibent plural. ἐφ' οἷς (cfr latin. propter*ea* quod), at singularis ἐφ' ᾧ quoque reperitur quum apud profanos *Diod. Sic.*, *Synes.* etc. tum apud ecclesiasticos scriptores (cfr *S. Athenag.* ad Autol. II. 29. *M.* 6, 1097 etc.).

noster, saepenumero praepositionis ἐπί c. dat. causalem sensum latino *in* cum abl. reddiderunt, sed de illo inclusionis sensu, quem *Aug.* aliique Latini praepositioni *in* hic attribuere volunt, non cogitarunt. Cfr quae de causali significatione praepos. *in* alibi iam diximus (*Comment.* in 1 Cor. *p.* 20; *Comment.* in 2 Cor. *p.* 145), et quae de Graecorum interpretatione egregie disseruerunt *Patrizi* S. I. Comm. de pecc. orig. propag. Romae 1851 p. 26 sqq. et in italica dissert. de eodem argumento. Roma 1876; *Beelen* Comm. in ep. ad Rom. p. 153 sq.; *Palmieri* S. I. de Deo creante. Romae 1878 p. 504 sqq.).

Ad *paulinum* usum locutionis ἐφ' ᾧ, quae etiam a Syro hic pro causali coniunctione habetur, quod attinet, illa a Paulo nostra tantum in sententia tribusque aliis in locis usurpata est. A vulgato quidem nostro interprete diversimode redditur (hic et *Phil.* 3,12 : *in quo,* sed 2 *Cor.* 5,4 : *eo quod,* et *Phil.* 4,10 : *sicut*); dubium autem non est, quin secunda interpretatio (*eo quod* vel *propterea quod*[1], nam ἐφ' ᾧ est pro ἐπὶ τούτῳ ὅτι) sit praeferenda. Causalis enim significatio et hic et 2 *Cor.* 5,4 et *Phil.* 3,12 certa dici potest, et *Phil.* 4,10 saltem est longe probabilior, quia comparativa, quae a *Vulg.* et *Syr.* ibi eligitur, sensum parum aptum gignit[2]. Ceterum eam pro causali coniunctione ex iunioribus Latinis iam sumserunt *Cai.* et *Serip.*; eandem explicationem probabilem habuerunt *Tol. Salm. Bellarm.* (Controv. de gr. amiss. IV. 3) *Est. Lap.* etc., ac velut certam sine ulla haesitatione adoptarunt moderni fere omnes (*Patrizi* l. c., *Beel., Reithm., Mai. Bisp. LR. Weinh. Sch.* etc.); similiter plerique moderni acath., inter quos *God.* nostrum locum bene interpretatur.

Itaque illud supponens, quod lectoribus modo in memoriam revocaverat, mortem per peccatum in genus humanum intrasse et in singulos transisse, ita ut in hoc rerum ordine mors semper sit poena peccati, S. Paulus iam probat, homines revera ideo mori, quia in et cum Adamo peccaverint. **13.** *Usque ad legem enim peccatum* (ἁμαρτία sine artic.) *erat in mundo; peccatum* (ἁμαρτία sine art.) *autem non im-*

1. Iure merito Iulianus a *S. Aug.* (c. Iulian. VI. 24, 75) vituperatur, quod ἐφ' ᾧ vertere voluerit *propter quod* (i.e. *quare*, vel *ideo*). Eandem interpretationem aliqui acath. (apud *Fritzsche* p. 300) resumentes locum nostrum ita interpretati sunt, ut solus cognitionis fons indicetur : « in omnes mors pertransiit, *quare omnes peccasse apparet* ». Quamvis autem haec interpretatio orthodoxo sensu intelligi possit, germanum tamen Pauli sensum non declarat, qui non cognitionis nostrae fontem sed veram ac propriam causam universalitatis mortis manifestare vult.

2. *Infra* 8,4 latina locutio *in quo*, quamvis graeco ἐν ᾧ respondeat, a Latinis vix non omnibus per particulam causalem (*quia*, vel *qualenus* etc.) recte exponitur.

putabatur quum lex non esset (vel iuxta graec. : ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου cum *Amiat.* aliisque lat. : *peccatum autem non imputatur, quum lex non est*); 14. *sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma* (τύπος) *futuri* vel secundi Adae, i. e. Christi. « Omnium consensu obscurissimas ac difficillimas » esse has sententias, nonnulli haud sine ratione dixerunt (*Tol. Salm. Iust.* etc.), si ad plurimas ac maxime diversas earum explicationes attendimus, quae inde a Patrum aetate propositae sunt. Nihilominus satis claram apertamque esse apostolicam argumentationem censebit, quicumque idearum nexu diligenter considerato intellexerit, Paulum assertum suum, omnes propter peccatum in Adamo commissum morti esse obnoxios, argumento quasi negativo vel potius excludente demonstrare velle, atque iuxta hunc Apostoli scopum nonnulla verba, quae per se ambigua sunt, explicaverit. Ne quis enim homines propter sua quemque peccata actualia in hac vita commissa mortis poena puniri obiiciat, Apostolus lectorum attentionem ad illud tempus convertit, quo nondum erat lata Lex mosaica, quae transgressoribus mortem comminabatur, solaque vigebat lex naturalis cordibus inscripta, quae eiusmodi sanctionem non habet annexam. Ex eo igitur, quod illius aetatis peccata actualia ob legis, quae in transgressores poenam mortis statueret, defectum non potuerint morte puniri (v. 13), nihilominus autem etiam illa aetate omnes dominio mortis subiecti fuerint (*v.* 14), iure merito concludit, mortis poenam omnibus infligi, quia in Adami inobedientia, quae iuxta praeceptum in paradiso datum morte punienda erat, partem quandam habuerint. Pro more tamen suo hanc conclusionem, quia ex praemissis sua sponte innotescit, diserte non enuntiat. Sed singula accuratius examinemus.

Germanam huius loci intelligentiam cum *S. Aug.* (expos. *nn.* 27. 28; de pecc. mer. et rem. I. 10,12; c. Iulian. VI. 4,9 etc.) ac plerisque graecis PP. (*Orig. Chrys. Theod. Cyr A.* etc.) multi quoque antiquiores Latini (*Haym. Herv. Lomb. Thom.* etc.) erronea verborum *usque ad legem* (ἄχρι νόμου) interpretatione sibi obstruxerunt. Etenim nomine *legis* (νόμου), quamvis in graeco articulus desit (uti etiam 2,12 sqq. 23. 25 etc.), mosaicam designari recte tenentes in eo errarunt, quod praepositione ἄχρι (*usque ad*) male explicata non initium sed finem terminumque Legis indicari arbitrati totum tempus ab Adam usque ad Christum significari vellent[1]. Licet enim particulae synonymae ἄχρι

1. Cfr ex. gr. *S. Aug.* expos. *nn.* 27.28 : « Quod ait *usque ad Legem* intelligendum est : quousque veniret gratia ; contra eos enim dictum est, qui arbitrantur per Legem potuisse auferri peccata »; *Thom.* : « Usque ad Legem, i. e. etiam sub Lege, ut *usque* teneatur inclusive »;

et μέχρι interdum ita usurpentur, ut finem rei, de qua agitur, respiciant, per se ergo nihil obstet, quominus locutio ἄχρι νόμου explicetur *usque ad finem Legis*[1], hoc tamen in loco haec explicatio et altero membro, quo idem tempus verbis *ab Adam usque ad Moysen* definitur, plane excluditur atque illis parum consonat, quibus *infra* (*v.* 20) ipsum initium Legis velut terminus intermedius inter Adam et Christum proponitur. Quamobrem cum *Lyr. Dion.* aliisque antiquioribus (*Theoph. Oec.* etc.) omnes fere iuniores ac moderni (*Cai. Tol. Salm. Iust.* etc.; *Beel. M Ev. Mai. Bisp.* etc.) solum tempus antemosaicum, quo homines in statu legis naturalis degebant, verbis *usque ad Legem* designari iure tenent. Haud recte quoque nonnulli antiquiores (*Herv. Thom.* etc.) *peccatum* (ἁμαρτία), quod eo tempore adfuisse Paulus testatur, intelligunt originale, acsi ἁμαρτία hic idem significaret, quod ἡ ἁμαρτία in versu praecedente; neque enim in nostra sententia deesse posset articulus, si nomen eodem sensu, quo *v.* 12, esset sumendum. Cum plerisque ergo peccatum actuale in genere, quod tempore antemosaico non defuisse tota historia primitiva clamat, intelligi omnino debet.

Verumtamen actualia peccata, quae ante legislationem sinaiticam committebantur et *erant in mundo,* i. e. *in genere humano*[2], hominibus illius aetatis non fuerunt neque esse potuerunt causa mortis. Quod demonstraturus Paulus iuxta graecam lectionem consuetam axioma affert universale : *peccatum autem non imputatur lege non exsistente,* iuxta latinam vero lectionem usitatiorem eodem axiomate ad periodum antemosaicam applicato et quasi limitato utitur : *peccatum autem non imputabatur quum lex non esset.* Utra lectio praeferatur, ad sensum

Chrys. : « Quum dicit usque ad Legem peccatum fuisse in mundo, hoc mihi videtur dicere, quod post datam Legem peccatum ex praevaricatione ortum dominatum sit et quidem tamdiu, quamdiu Lex obtinuit »; *Theod.* : « Non, uti nonnulli existimant, eos accusat, qui Legem praecesserunt, sed omnes simul; illud enim *usque ad Legem* non dicit : usque ad eius principium, sed : usque ad eius finem »; similiter alii.

1. Cfr ex. gr. *Fl. Ios.* Antiqu. iud. X, 2,2 Ezechias ηὔχετο μέχρις τῆς αὐτοῦ ζωῆς εἰρήνην ὑπάρξαι : « precabatur ut usque ad vitam suam (i. e. usque ad vitae suae finem, quamdiu viveret) pax obtineret »; alia exempla affert *Fritzsche* p. 308.

2. Eodem quidem modo, quo *v.* 12, κόσμος (*mundus*) etiam in hoc loco significat genus humanum; sed attendas velim, in *v.* 12 nomen cum articulo poni, in *v.* 13 articulo carere. Quam differentiam aeque parum licet negligere atque similem differentiam, quam inter ἡ ἁμαρτία (*v.* 12) et ἁμαρτία (*v.* 13) adesse monuimus. Scilicet in *v.* 12 sermo est de peccato originali, quod εἰς τὸν κόσμον intrasse dicitur, i. e. in genus humanum definite sumtum, seu in totum genus humanum; in *v.* 13 autem agitur de peccato actuali generatim, quod ἐν κόσμῳ fuisse dicitur, i. e. in genere humano indefinite sumto seu in ea generis humani parte, quae sola actualiter peccare potest, ergo in adultis, non vero in infantibus, qui tamen originali peccato sunt infecti. Itaque haec quoque articuli omissio confirmat, haud recte antiquiores Latinos (*Herv. Thom.* etc.) et aliquos modernos acath. (*Hofm.* etc.) nostram sententiam de originali peccato esse interpretatos.

nihil interest, quia neutra vim argumenti deminuit. Contra plerosque tamen modernos latinam praeferendam arbitror quum ob criticorum testium eam tuentium maiorem auctoritatem (ad duos quippe versiones antiquissimas, *It.* et *Syr.*, duo accedunt optimi codd. graeci, א et A, cum multis graecis lectionariis, cfr *VV. LL.*), tum ob maiorem sermonis concinnitatem. Namque hoc membrum coniunctione δέ (*autem*) priori opponi haud recte diceretur, neque satis apte ei dicitur subiungi, ac si Minor esset syllogismi cuiusdam, sed ei dicendum est adnecti (δέ metabat.), ut argumentum historicum inchoatum, quod *v.* 14. completur, continuet. Unde imperfectum ἐνελογεῖτο (*imputabatur*), quod praecedenti ἦν (*erat*) et sequenti ἐβασίλευσεν (*regnavit*) respondet, historicae argumentationi magis videtur convenire.

Porro dubium non est, quin nomen ἁμαρτίας (sine artic.) eodem sensu, quo in priore membro, sit sumendum ac peccatum actuale in genere significet, parum recte vero ab aliquibus antiquioribus (*Herv. Thom.* etc.) utroque in membro intelligatur originale. Maior autem est interpretum dissensus, quo sensu verbum ἐλλογεῖν et nomen νόμου hic sumi debeant. Iamvero verbum ἐλλογεῖν, quod semel tantum a profanis in inscriptione quadam (*Boeckh* Inscr. gr. I. p. 850. a. 35) et bis tantum in Scripturis (hic et *Philem.* 18) adhibitum legitur, synonymum esse verbo λογίζεσθαι (cfr ad 4,3), ita ut proxime significet *in rationes referre* et latino *imputare* recte reddatur, ex *Philem.* 18. clarissime elucet. A quo porro et ad quid peccatum in rationes non sit relatum vel non sit imputatum, disertis quidem verbis non enuntiatur, satis aperte tamen contextu declaratur, qui de imputatione eaque divina peccati ad poenam non qualemcumque sed ad poenam mortis agi docet. Nam statim (*v.* 14) universale mortis dominium velut divina poena toti generi humano inflicta supponitur. A Deo igitur peccata ante mosaicam legislationem commissa in rationes non sunt relata tamquam supplicio mortis digna; additur autem, id non esse factum, *quia lex non erat* eo tempore. Quo ex nexu iterum clarum est, de divina lege morali in genere non agi (nemo enim negat eo tempore legem naturalem divinitus cordibus inscriptam adfuisse), verum de divina quadam lege positiva (i. e. externe promulgata), quae similiter atque praeceptum Adamo datum multaque mosaicae Legis praecepta, immo similiter atque tota Lex mosaica transgressoribus suis poenam mortis comminabatur. Quia latinam lectionem sequimur, per se nihil impedit, quin nomine *legis* in hoc membro ipsam mosaicam directe intelligamus, praesertim quia in priore huius sententiae membro *lex* eodem sensu sumitur. Nihilominus generaliorem explicationem propositam praeferimus, quia Apostolus, uti ex sequente sententia effici videtur, etiam praeceptum

in paradiso datum ante oculos habuit. Hic ergo erit sententiae sensus: Adam morte punitus est, quia divinum praeceptum transgressori mortem indicens transgressus est; ab eius autem lapsu usque ad mosaicam Legem, quae eandem mortis sanctionem annexam habuit, non fuit divina lex, quae in peccatores poenam mortis statueret; ergo homines illius aetatis, quamvis divinam legem cordibus inscriptam frequenter violarent, propter haec sua crimina morte nec puniti sunt nec puniri potuerunt. Si quis vero obiicit, eo tempore homines diluvio universali, incendio sodomitico etc. propter sua peccata divinitus esse deletos, recte respondetur, eis non ipsam mortem sed genus mortis fuisse poenam peccatorum actualium; morti enim etiam Noe filiique eius, Lot eiusque filiae etc. occubuerunt, quamvis criminum, quae diluvio et incendio divinitus punita sunt, non essent rei.

Hac fere ratione multi iuniores (*Tol. Iust. Nat.* etc.) et plurimi moderni (*Reith. Beel. Mai. Bisp. Dr. Ag.* etc. — *God. Weiss.* etc.) sententiam nostram interpretantur in levioribus tantum discedentes. Eandem quoque interpretationem *Chrys.*, quamquam verba *usque ad legem* minus recte explicavit, cum aliis Graecis sequitur, si ex nostra sententia concludit : « Unde clarum est, non peccatum illud quod est Legis transgressio [vel potius : quod ante Legem committebatur et erat in mundo] sed illud Adami peccatum inobedientiae omnes perdidit » sc. morti eos subiiciens.

Longe tamen aliter antiqui Latini et cum eis pauci iuniores et moderni locum explicant, in plerisque inter se ipsi dissentientes et in eo fere solo consentientes, quod non de divina sed de humana imputatione sermonem esse arbitrentur. Iuxta *S. Aug.* (de pecc. mer. et rem. I. 10,12; expos. *nn.* 27.28; cfr etiam *Abael*[2]. *Herv. Lomb*[1]. *Thom*[2]. etc.), qui ad superiora verba « per Legem cognitio peccati » (3,20) respexisse videtur, *non imputari* (vel uti ipse legebat : *non deputari*) idem est quod *non cognosci;* sed ut taceamus, ante Legem mosaicam, de qua sermonem esse *S. Aug.* concedit, multa peccata per legem naturalem cognosci potuisse et cognita esse, non intelligitur, quid haec sententia « ante Legem peccatum ignorabatur » in nostro contextu sibi velit. Iuxta *A*[trum] (cfr etiam *Sed.* etc.) peccatum ante Legem non imputabatur, quatenus homines arbitrati essent, se peccato reos non fieri apud Deum, quippe qui res humanas ignoraret, licet rei fierent apud homines. At haec quoque explicatio, ut alias obiectiones obvias praetermittamus, quomodo contextui accommodetur, non apparet. Iuxta *Prim.* et *Abael*[1]. peccatum, quamdiu sola aderat lex naturalis, ab aliis non credebatur esse peccatum. Tres expositiones affert *Haym.*, quarum primam etiam *Thom*[1]., secundam et tertiam *Lomb*[2]. approbant : primo in loco nomine *legis* hic naturalem intelligens ita interpretatur : « Quamdiu lex naturalis non est in homine, sicut in parvulis, quidquid agat parvulus, non imputatur esse peccatum, quia nescit, quid sit bonum aut malum »; dein *legis* nomine mosaicam

intelligens explicat : « Antequam Lex daretur, non agnoscebatur peccatum tam grave malum esse, sicut per Legem ostensum est » vel etiam : « Quum Lex deesset, non imputabatur i. e. ignorabatur, qua poena dignum esset peccatum [1] ». Quae omnia refutatione non indigent; vix aptior est explicatio, quam sequuntur *Lap. M Ev.* : « Peccatum non imputabatur, i. e. *vix* reputabatur, *vix* aestimabatur ab hominibus solam naturam et concupiscentiam suam sequentibus neque legem, quae peccati foeditatem ostenderet, habentibus ». Miram expositionem affert *Est.;* licet recte de divina imputatione peccatorum actualium agi teneat, ad 4,15 (*ubi non est lex, nec praevaricatio*) respiciens ante Legem mosaicam peccatum « ad praevaricationem » non esse imputatum censet. Quid autem est peccatum actuale nisi praevaricatio vel transgressio legis alicuius? Ac profecto ante Legem mosaicam aderat lex quaedam, quam homines transgredientes rei fiebant praevaricationis. Sed haec sufficiunt; acatholicorum enim sententias varias, quae numero pauciores non sunt, recensere operae pretium non est.

Altera iam sequitur augmentationis pars, quae per coniunctionem adversativam ἀλλά (*attamen, nihilominus*) priori magna cum vi opponitur : ante Legem sinaiticam peccata actualia, quae etiam tunc temporis in mundo fuisse historia testatur, morte puniri non potuerunt, *nihilominus regnavit mors ab Adam usque ad Moysen,* i. e. non tantum in mundo ita fuit, ut dumtaxat aliquos abriperet, sed dominium suum exercuit, ita ut nemo ei sese subtrahere posset; unde sua sponte, quum mors sit poena peccati, efficitur, alio peccato homines illius aetatis poenam mortis sibi attraxisse, illo nimirum, quo omnes in et cum Adamo inobediente peccaverunt. Ad explicandam autem vel iuxta alios ad augendam argumenti sui vim Apostolus addit, mortem eo tempore regnasse *etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Iuxta priorem sententiam « non peccare in similitudinem praevaricationis Adae » dicuntur illi, qui non similiter, atque protoparens, divinam legem, cui mortis sanctio annexa est, transgrediuntur; omnes igitur, qui ante Legem degerunt, hac formula designantur atque uti ab Adam, ita etiam ab iis, qui sub Lege degentes in similitudinem praevaricationis Adae peccare potuerunt, discernuntur. Iuxta alteram vero sententiam, quam *S. Aug.* (de pecc. mer. et

1. Addamus tamen oportet, a *Thom.* iis expositis interpretationibus, quae suo tempore erant vulgatiores, tertiam afferri, quae cum nostra haud omnino quidem consonat, ad eam autem prope accedit. Etenim in eo probari nequit, quod non tantum peccatum, quod ante Legem in mundo fuisse dicitur, « et originale et actuale » intelligat, sed etiam Apostolum contra eos argumentari censeat, « qui crediderunt quod nihil est iustum naturaliter et per consequens nihil iniustum (naturaliter), sed per solam positionem legis humanae ». Nam hac hypothesi argumentatio apostolica tota perverti videtur, neque ullum quoque adest indicium, quo Paulum de hoc errore cogitasse suadeatur.

rem. I. 11,13) et *S. Hier.* (c. Pelag. III. 18) proposuerunt, Paulus duas classes hominum, qui ante Legem degerunt, distinguit, eorum qui propria sua voluntate peccata actualia committentes similes facti sint Adamo propria voluntate peccanti, et eorum, qui « nondum sua et propria voluntate, sicut ille, peccarint, sed ab illo peccatum originale contraxerint ». Eatenus igitur hac explicatione vis argumenti augeri putatur, quatenus mors non tantum in adultos, qui peccata actualia habuerunt, sed in ipsos quoque infantes, qui actualiter peccare nondum potuerunt, ante Legem dominium suum exercuisse dicatur. Utraque explicatio probabilis est; priorem tamen praefero, quia Apostolus in hoc suo argumento maxime ad divinae legis, quae peccato violatur, sanctionem attendit.

S. Aug. alibi (expos. *n.* 29; ad Hilar. ep. 157,19) verba *in similitudinem praevaricationis Adae* per hyperbaton cum prioribus melius connecti censet, ut « mors in similitudinem praevaricationis Adae regnasse » dicatur « in eos qui non peccarunt »; eundem nexum *Chrys.* quoque indicat nonnullique iuniores (praesertim *Tol.*) alteri omnino praeferunt. Rationem quippe illis verbis a Paulo afferri volunt, « quare mors in eos qui non (actualiter) peccarunt regnaverit », atque hanc rationem esse, « quia inerat eorum in membris similitudo praevaricationis Adae », sc. peccatum originale (*S. Aug.* l. c.). Hunc nexum per se admitti sensumque istum ex paulinis verbis extundi posse non nego, quandoquidem Apostolus a hyperbatis non abhorret et graeca locutio ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι non minus quam *in similitudine* (uti S. Aug. in ep. 157,19 legit) per se apte explicetur *propter similitudinem* (cfr quae de ἐφ' ᾧ *in quo* ad *v.* 12 p. 281 sqq. diximus). Verumtamen non tantum hic nulla adest ratio, qua ad satis durum hyperbaton confugere cogimur, sed sensus quoque, qui exoritur, contextui aegerrime adaptatur. Fere tota enim vis argumenti perit, neque intelligitur, quomodo Paulus, postquam mortem in omnes transisse docuit, quia omnes peccassent (*v.* 12), nunc asserere potuerit, mortem in eos qui non peccaverunt regnasse. Quare consuetum nexum, quem reliqui fere omnes sequuntur, retineamus oportet.

De altera huius membri lectione, quae negationem praetermittit (ἐπὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας *in eos qui peccaverunt*), fusius disserere opus non est, quia sufficiente auctoritate critica destituitur, quamvis *Orig.*, vel potius latinus eius interpres *Ruf.*, et *A^ter* eam secuti sint (cfr *VV. LL.*) et aliqui antiquiores Latini eam commemorent.

Ultimis *v.* 14 verbis : *qui* (Adam) *est forma futuri*, Apostolus, uti supra (*p.* 273 sq.) iam ostendimus, sententiam *v.* 12 inchoatam argumentoque *vv.* 13.14 in suspenso relictam resumit altero comparationis membro addito, constructione utique anacoluthica et sententia subobscura. Quomodo verba sint exponenda, ut priori membro aperte re-

spondeant, iam diximus (l. c.). Re enim vera Adam vocatur *forma futuri* (τύπος τοῦ μέλλοντος), i. e. figura prophetica[1] illius Adam, qui venturus est secundus vel novissimus generis humani parens, sc. Christi (cfr ad 1 *Cor.* 15,44 sqq.), quatenus Adam nobis factus est auctor peccati et mortis, Christus vero auctor iustitiae ac vitae. Sunt quidem aliae quoque similitudines inter Adamum et Christum, propter quas prior alterius typus vel figura prophetica recte appellari potest (cfr *Thom.* etc., *Iust.* etc.), sed ad eam solam, quam diximus, utpote praecipuam, Apostolum attendisse, ex contextu apparet. *Futurus* vero *Adam* Christus non dicitur relate ad nos, ac si hoc in loco de secundo adventu glorioso Christi ageretur (id quod aliqui moderni acath. opinati sunt), sed relate ad primum Adam, quandoquidem de opere redemtionis Christi agitur. Origo quippe ac diffusio salutis per obedientiam Christi redemtoris in cruce morientis toti generi humano açquisitae comparatur cum origine diffusioneque condemnationis per Adami inobedientiam in totum genus invectae. Hoc sensu *Chrys.* Adamum vocari typum Christi recte dicit, « quia sicut ille ex se ortis, quamquam non comederant de ligno, causa fuit mortis per cibum illum inductae, ita et Christus suis, quamquam non recte egerant, iustitiae conciliator fuit, quam per crucem nobis omnibus largitus est ». Similiter *S. Aug.* (ad Hilar. ep. 157,20) : « Adam forma Christi a contrario est, ut quemadmodum in illo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificentur, et quomodo per ipsius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, sic et per Christi obedientiam iusti constituantur multi ». Alteram quidem eodem in loco S. Doctor addit expositionem, quam alibi (de pecc. mer. et rem. I. 11,13) solam proponit; Adamum enim *formam futuri* generis ex eo exorti appellari posse censet, « quia ipse inflixerit formam mortis posteris suis »; sed iure merito eam ipse in epist. ad Hilar. minus aptam dicit et alibi (de nupt. et concup. II. 27,46) prorsus praetermittit; nam contextui non consonat. Multo autem minus apta et longius quaesita est tertia expositio nonnullorum acath. (cfr *Beng. Koppe, Wilke* etc.), iuxta quos pronomen relat. ὅς (*qui*) per attractionem ad substantivum praedicati (τύπος) positum est pro neutro ὅ (*quod*) et genetivus τοῦ μέλλοντος (*futuri*) non est masculini sed neutrius generis, ita ut τοῦ μέλλοντος pro τῆς μελλούσης σωτηρίας καὶ ζωῆς sit; sensus igitur foret : « ea quae de origine et propagatione peccati mortisque dicta sunt, typus futurae salutis et vitae sunt ».

Ad ea, quae proxime sequuntur, prospiciens *Phot.* (cfr *Oec.*) haud

1. Cfr quae de *typo* typorumque ratione disseruimus in *Introd. gener.* in libr. sacr. N. T. p. 530 sqq. (Ed. 3. p. 552 sqq.) et *Compendium Introd.* Ed. 3. p. 131 sq.

absurde adnotat, in eiusmodi typis tria esse consideranda, similitudinem, contrarietatem, excessum in similitudine (ὁμοιότητα, ἐναντιότητα ὑπερβολὴν κατὰ τὴν ὁμοιότητα); hoc autem in loco contrarietatem in eo esse, quod peccatum et immunitas a peccato, inimicitia adversus Deum et reconciliatio cum Deo, condemnatio et iustificatio, interitus lapsus mors et salus vita resurrectio inter se sint opposita; similitudinem in eo, quod sicut per unum omnibus mala evenerint, ita omnibus bona contigerint per unum; excessum in eo, quod in malis multi uni sint cooperati, ut ea sibi attraherent, in bonis autem nemo sit cooperatus, ut uni Christo donum debeatur, quodque Christus non tantum mala per Adamum invecta abstulerit sed etiam eorum loco multa dona contulerit. Profecto Apostolus, antequam similitudinem *v.* 12 indicatam fusius explanet (*vv.* 18. 19), dissimilitudinem *vv.* 15-17 exponere voluit, ut mala per unum inducta per unum auferri potuisse confirmaret (cfr supra *p.* 271. 273). Quem in finem praeprimis fontem, ex quo mala profluxerunt, cum bonorum fonte in se ipsis (*Salm.*), i. e. secundum suam naturam et efficacitatem, comparat (*v.* 15), ut deinde potentioris causae potentiores quoque esse effectus ostendat (*vv.* 16. 17).

Ne quis igitur Adamum esse typum Christi audiens perfectam inter eos in omnibus esse similitudinem vel potius aequalitatem praepropere et inconsulte concludat, Paulus statim lectorum attentionem ad eorum dissimilitudinem convertit : 15. *sed non sicut delictum* (τὸ παράπτωμα) *ita et donum* (τὸ χάρισμα); *si enim unius delicto multi* (οἱ πολλοί) *mortui sunt, multo magis gratia* (ἡ χάρις) *Dei et donum* (ἡ δωρεά) *in gratia unius hominis Iesu Christi in plures* (εἰς τοὺς πολλούς cum *S. Aug.*[1] lege : *in multos*) *abundavit.* Plerique hac iam in sen-

1. Mirum est, quod lectio *in plures,* quae utique tempore patristico inter Latinos iam satis propagata erat, in latinis codicibus praevaluerit, quamvis *S. Aug.* veram lectionem esse *in multos* frequenter et acriter contra Pelagianos asseruerit, qui priore lectione abutebantur, ut Adae peccatum parvulis non nocuisse probarent. Cfr ex. gr. c. Iulian. op. imperf. II. 148 (M. 45, 1203) : « Quod superius dixisti, vigilanter inculcasse Apostolum *multo magis gratia Dei et donum unius hominis Iesu Christi in plures abundavit*, volens intelligi, ideo *plures* dictos, quia pervenit gratia Dei ad parvulos, ad quos imitatio primi hominis non pertinet, aut mendosus codex tibi mentitus est, aut ipse mentiris, aut ab aliquo falso vel fallente aut oblivione deceptus es. Non enim ait Apostolus *plures* sed *multos;* graecum attende codicem et invenies πολλούς, non πλείστους [vel potius : non πλείονας]. Dixit ergo multo magis abundasse gratiam *in multos,* non *in magis multos,* hoc est non *in plures*, sicut iam ostendimus; quoniam si *plures* dixisset propter parvulos, quos tenet gratia, quum eos primi hominis non teneat imitatio, falsum dixisset et esset similis vobis ». Idem eodem in opere imperf. c. Iulian. II. 85. 96. 142. 204. 206 etc. brevius repetit et in aliis suis operibus semper legit *in multos* (vel etiam : *in multis*); cfr ad Hilar. ep. 157,20; de pecc. mer. et rem. I. 11,14; c. Iulian. VI. 4,9 etc. — Ceterum Origenis interprete *Rufino* et *Ambrosiastro* exceptis, qui erronea sua praecedentium sententiarum explicatione seducti etiam lectionem *in plures* fere pelagiano sensu interpretantur, reliqui Latini omnes lectionem illam in ortho-

tentia, sicut in duabus sequentibus, effectus inobedientiae Adami et obedientiae Christi comparari arbitrantes nomina τὸ παράπτωμα et τό χάρισμα ita interpretantur, ut priore metonymice (causa pro effectu) damnum peccato Adami procreatum, altera gratia per Christum hominibus acquisita et collata designentur. Ne tamen cum nonnullis acath. (*Mor. Rüch.*, etc.) Apostolum quasi eadem aliis verbis semper repetentem verbositatis incusare cogamur, attendamus oportet eum hac in sententia, quemadmodum iam diximus, causas ipsas inter se conferre (cfr *Salm. Tol.*, etc. — *God.*, etc.). Itaque τὸ παράπτωμα (quod nomen proprie lapsum significat vel rectae viae derelictionem, neque male a *Vulg.* vertitur *delictum*[1]) hic ipsam actualem Adami inobedientiam denotat (cfr *v.* 18. *per unius delictum, v.* 19, *per inobedientiam unius*), τὸ χάρισμα autem, uti recte monet *Salm.*, hic non est gratia per Christum nobis collata nobisque inhaerens, sed ipsum quasi opus redemtionis, Christi nimirum in cruce morientis obedientia (*v.* 19) Patri oblata, quae oblatio, quum pro nobis peccatoribus facta divinam erga nos caritatem commendet (*v.* 8 sq.), apte relate ad nos vocatur χάρισμα, i. e. gratuitum caritatis donum (cfr ad 1, 11).

Porro illa duo non eadem ratione se habere, i. e. aequalia non esse, argumento probatur, quod hypothetica quidem constructione proponitur, nihil tamen dubitationis habet, quia de conditionis impletione iuxta superiora abunde inter omnes constat (cfr similia argumenta *vv.* 10. 17; 2 *Cor.* 3, 9. 11, etc.). Ex eo enim, quod Adami delictum suam efficaciam in omnes exercuerit, a fortiore concludi vult, donum quoque aequalem, immo maiorem efficientiam in omnes exercere potuisse. Quem fere in sensum *Chrys.* : « Si delictum idque unius hominis tantum valuit, gratia et quidem Dei gratia, neque Patris tantum sed et Filii gratia, quomodo non longe praevalebit? Hoc enim rationi multo

doxum sensum trahere conantur atque *in plures* nihil aliud nisi *in multos* significare volunt. Cfr ex. gr. *Herv.* : « *In plures* dictum est, velut si diceretur : *non in paucos*; neque enim pauci sed plures sunt, in quos redundat gratia »; *Sed.* putat *in plures* poni, « quia et omnes homines plures intelligantur et plures multos intelligi non videatur absurdum »; *Iust* : « *in plures uno* i. e. in multos »; alii aliter. Unus alterve ad lectionem vindicandam monet gratiam Christi etiam in angelos, aut meritum Christi etiam in ipsum Christum redundasse etc.; sed cum *S. Aug.* praestat dicere, lectionem *in plures* non esse genuinam.

1. Si vocabulum etymologice spectatur, τὸ παράπτωμα (a παρά et πίπτειν *lapsus*), quum actionem proprie dictam non denotet, aliquid minus quam ἡ παράβασις (a παρά et βαίνω *transgressio, praevaricatio*) significare videtur, quare moderni aliqui acath. (*God.* etc.) nomen ideo hic adhibitum putant, ut Adae peccatum quodam modo diminueretur ac maior efficacia obedientiae Christi clarius appareret. Sed hoc acutius quam verius dicitur; certe Apostolus et *supra* (4,25) et *infra* (5,20) aliisque in locis, adhibito παραπτώματος nomine peccata non vult minuere; neque auctor *Sap.* 10,1 (2), si Adae peccatum vocavit παράπτωμα, de eo minuendo cogitavit. Non tam ex etymologia, quam ex usu, significationes vocabulorum sunt definiendae.

magis est consonum. Quod enim alter propter alterum plectatur, id minus aequum videtur. Quod vero alter propter alterum servetur, id profecto magis est decorum et consentaneum; si ergo illud, multo magis hoc factum est » (cfr *Theod. Theoph.* etc., *Salm. Tol.* etc., *Reith. Mai.* etc.).

Ad singula quod attinet, ante omnia adnotamus, locutione οἱ πολλοί (*multi* illi, *die* Vielen) iuxta notissimum graecae linguae idiotismum hic, uti saepius (*v.* 18 cfr *v.* 19; 12, 5; 1 *Cor.* 10, 17), *omnes* designari, una nimirum ex parte multitudinem omnium illorum, qui ab Adamo naturali generatione descendunt, altera ex parte multitudinem omnium illorum, qui per Christum regenerantur (cfr ad *v.* 19 et ad 1 *Cor.* 15, 22). Quam locutionem ideo, opinor, Apostolus elegit, ut et delictum et donum non tam in totam collectionem, quam in singula eius membra, quamvis multa sint, efficaciam suam exercuisse clarius appareret. Ex toto deinde contextu elucet, verbo ἀπέθανον (*mortui sunt*) proxime physicam mortem designari, spiritualem tamen connotari, quatenus physica mors velut poena consideratur, quae in omnes transiit, quia omnes in et cum protoparente peccarunt (*v.* 12). Tertio attendatur oportet, quomodo duae causae inter se oppositae describantur; quum enim *delictum* (τὸ παράπτωμα) dumtaxat *unius* (τοῦ ἑνός) hominis fuisse dicatur, *donum* (τὸ χάρισμα) vero definiatur *gratia Dei et donum* (ἡ δωρεά) *in gratia unius hominis Iesu Christi*, verbis ipsis iam docetur, dono (τῷ χαρίσματι) multo veriorem certioremque (atque etiam maiorem), quam delicto (τῷ παραπτώματι), efficaciam competere; « potentior enim est Deus ad benefaciendum, quam homo ad malefaciendum et nocendum » (*Tol.*).

Gratia Dei (ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ), quum a *dono* (ἡ δωρεά) hic distinguatur, iuxta primariam vocis significationem recte intelligitur divina benevolentia, ex qua tamquam ex fonte suo omnia bona in nos emanant (cfr *Eph.* 1, 7; 2, 7; *Luc.* 1, 30; *Act.* 7, 46 etc.); irae ergo Dei quasi opponitur, i. e. divinae iustitiae vindicativae, quae peccato poenam debitam irrogat (cfr ad 1, 18). Ex hac porro *gratia Dei* etiam *donum* (ἡ δωρεά) emanat, quod consistit *in gratia unius hominis Iesu Christi* (cfr *Act.* 7, 14), vel minus recte iuxta alios : quod nobis contingit *per gratiam unius hominis Iesu Christi*. Si prior explicatio, uti decet, praefertur, *gratia Iesu Christi* omnia quidem beneficia complecti dicenda est, quae morte sua hominibus promeruit nobisque confert, maxime autem iustitiam significat (*v.* 17); si altera praefertur, *gratia Iesu Christi* simili modo, quo 2 *Cor.* 8, 19, explicari potest, ut omnia quidem, quae ad nos redimendos egit ac pertulit, potissimum tamen obedientiam significet, qua mortem cruentam in se sus-

cepit. In utraque autem Christus velut mediator consideratur, per quem donum ex benevolentia Dei emanans ad nos pervenire debuit, atque humanitas eius effertur (*unius hominis Iesu Christi*) non tantum, ut uni homini, per quem cuncti peccato infecti sunt ac moriuntur, opponatur, sed etiam, ut de eius munere redemtoris et mediatoris agi intelligatur. Iuxta hanc interpretationem, quam cum *Salm.* multi moderni sequuntur (*Reith. Mai. LR. Ag.* etc. — *God. Weiss* etc.), verba ἐν χάριτι κτλ velut appositio epexegetica cum nomine ἡ δωρεά connectenda sunt (ac si scriptum sit : ἡ δωρεά ἡ ἐν χάριτι κτλ); cui nexui omissionem articuli ante appositionem non obstare, saepe iam monuimus (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 60 etc.).

Cum plerisque tamen antiquioribus iunioribusque etiam nonnulli moderni (*Beel. Bisp Sch.* etc. — *Rück. Ew. Mey.* etc.) ad nomen ἡ δωρεά, quod complementum quoddam postulat, genetivum τοῦ Θεοῦ supplent (quasi scriptum sit : ἡ χάρις καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ Θεοῦ) ac verba ἐν χάριτι κτλ, quae prioribus τῷ παραπτώματι τοῦ ἑνός sola opponi censent, cum verbo ἐπερίσσευσεν coniungunt : « gratia et donum Dei in multos per gratiam unius hominis Iesu Christi abundavit ». Quam explicationem secutus *Thom.* « sicut peccatum, inquit, ex uno homine abundavit in multos ex prima suggestione diaboli, ita et gratia Dei per unum hominem processit ad multos; unde signanter addit Apostolus *in gratia* i. e. per gratiam unius hominis Iesu Christi; sic enim a Deo gratia in multos effunditur, ut eam per Christum accipiant ». Si sensus in universum spectatur, haec explicatio haud multum quidem a nostra discrepat; minus tamen videtur apta, quia multo minus clare ostendit, quo cum iure Apostolus a minore ad maius concludens dono certiorem quam delicto efficientiam attribuat, quum una ex parte *unius hominis delictum*, altera ex parte *unius hominis gratia* sola velut causae ponantur. Id autem tenendum est, in hac sententia praeprimis maiorem certitudinem efficaciae doni enuntiari. Quod autem gratia Dei simul dicitur in multos *abundasse* (ἐπερίσσευσεν), i. e. efficaciam delicti superasse, id duabus sequentibus sententiis exponitur, quas pro more suo Paulus isto *abundavit* quasi praeparare voluit. Superfluae autem essent illae sententiae, si in nostra abundantiam efficientiae doni iam demonstrasset. Ceterum aoristi ἀπέθανον et ἐπερίσσευσεν (*mortui sunt, abundavit*) delicti et doni effectus non posse non evenire indicant; tam certa quippe prioris ac maxime alterius (*multo magis*) est efficientia, ut utriusque fructus omnes, quamvis futuri sint, velut iam productos considerare liceat.

Postquam autem causas ipsas iuxta suam naturam actionemque inter se differre ostendit, Paulus effectus quoque ita esse diversos docet, ut

donum longe praevaleat : 16. *et non sicut per unum peccatum, (ita et) donum* (vel secundum graecam lectionem consuetam : καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα : et non sicut per unum peccantem donum cfr *VV. LL.*); *nam iudicium* (τὸ κρῖμα) *quidem ex uno* (ἐξ ἑνὸς) *in condemnationem* (εἰς κατάκριμα), *gratia* (τὸ χάρισμα i. q. donum *v.* 15) *autem ex multis delictis in iustificationem* (εἰς δικαίωμα). Duorum membrorum eam esse inter se rationem, ut prius altero explicetur (coniunctio γάρ *nam* ergo sit explicativa), probatio vero non nisi *v.* 17. sequatur, cum *Thom.* plerique recte tenent. Similiter in eorum sensu generatim definiendo fere omnes consentiunt, quum significari censeant, donum ideo delicto praevalere, quia homines « non solum a peccato, quod ex Adamo contraxerunt, et a ruina, in quam illo cadente prolapsi sunt, liberaverit, sed a multis aliis quoque peccatis, quae propria admiserunt voluntate, et a multis praecipitiis, in quae ipsimet proprio arbitrio inciderunt » (*Tol.* cfr *Chrys. Cyr. Euth.* etc., *Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Est. Iust.* etc., *Reith. Beel. M Ev.* etc.). Quoniam tamen ambo membra sunt elliptica et latina lectio a graeca differt, magna est varietas in accurata eorum expositione, aliis alia supplentibus.

Prius membrum *latinum* cum *Thom.* ita complere licet, ut de peccati donique effectibus agi appareat : « non tantus effectus, inquit *Thom.*, sequitur per unum peccatum Adae in multis, quantus consequitur in multis per donum gratiae Christi; potentioris enim causae potentior est effectus ». Alterum deinde, quo prius explicatur, idem hac ratione exponit : « *Nam iudicium quidem*, i. e. divina punitio, procedit *ex uno*, sc. peccato primi parentis, *in condemnationem*, sc. omnium hominum, quia in illo peccante omnes peccaverunt; *gratia autem*, quae datur per Christum, procedit *ex multis delictis*, i. e. non solum ex illo originali sed etiam ex multis actualibus, *in iustificationem*, i. e. perfectam emundationem ». Quae cum *Tol.* hunc in modum *Beel.* explanat : « Si Christus nos liberaret dumtaxat ab unico illo peccato, quo facti sumus rei per Adamum, par foret ratio gratiae per Christum partae et condemnationis, cuius causa exstitit Adam; nunc vero, quum a multis, immo ab omnibus peccatis, quae originali addidimus propria nostra voluntate, per Christi gratiam absoluti iustitia donemur, consequitur valentius esse Christi δώρημα ad salvandum, quam Adami ἁμάρτημα ad perdendum »

Ex iis, qui *graecam* lectionem sequuntur, etiam multi prius membrum simili modo, quo Latini, complent : οὐχ ὡς τὸ δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημά ἐστιν vel ἔχει (« non sicut illud, quod per unum qui peccavit effectum est, donum est » vel se habet). Multo minus placet, quod

alii aut ex superioribus aut ex sequentibus supplere volunt : οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα (vel τὸ κρῖμα, vel τὸ κατάκριμα, vel ὁ θάνατος) δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, οὕτω καὶ τὸ δώρημά ἐστιν (non sicut delictum [vel iudicium, vel condemnatio, vel mors] per unum peccantem exstitit, ita et donum se habet). Satis enim arbitraria ac partim etiam erronea sunt haec supplementa, ita ut primum iure praeferatur. Unde alia non est inter latinum et graecum textum differentia, nisi quod in priore *per unum peccatum*, in altero *per unum qui peccavit* legatur. Quae differentia non est magna, siquidem participium ἁμαρτήσας, uti recte *Est.* monet, hic « formaliter sumendum est, i. e. in quantum peccavit »; quum ergo unus ille qui peccavit intelligatur Adam, ipsum primum peccatum indirecte significatur. Quodsi ad hanc significationem attendimus disparet etiam differentia, quae in altero membro adest; graecum enim ἐξ ἑνὸς non potest esse nisi masculinum, quoniam ad δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος necessario est referendum, sicut latinum *ex uno* est neutrum, quia ad illud *per unum peccatum* refertur. Dubium vero non est, quin Apostolus suo ἐξ ἑνὸς unum illud unius qui peccavit (i. e. Adami) delictum maxime intelligi voluerit; id enim ex locutione opposita (ἐκ πολλῶν παραπτώματων *ex multis delictis*) evidens est.

De cetero graeca vocabula, quibus Apostolus differentiam effectuum describit, diligenter sunt perpendenda. Ac primum quidem τὸ κρῖμα (*iudicium* iuxta *Vulg.*) proprie idem est quod iudicis sententia, quae ubi de peccato, uti hic, agitur, damnatoria esse intelligitur (cfr 2,2. 3; 3,8; 13,2), neque ullibi in Scripturis significat actum, quo iudex sententiam pronuntiat (id quod vult *God.*). Τῷ κρίματι autem statim respondet τὸ χάρισμα (*gratia* iuxta *Vulg.*), quo nomine hic (eodem modo ac *v.* 15) ipsum redemtionis opus designari censemus, quatenus scilicet velut gratuitum caritatis divinae opus consideratur. Sententia damnatoria deinde dicitur ἐξ ἑνὸς (*ex uno*), i. e. ratione unius Adami peccantis vel potius unius peccati ab eo commissi lata; redemtio vero, quamvis statim post unum illud peccatum iam sit promissa (*Gen.* 3,15), facta non est nisi quo tempore delictum iam abundavit (*v.* 20), non unius ergo sed multorum delictorum ratione (ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων *ex multis delictis*). Unde illam non ad solum illud peccatum, quod omnes ex Adamo contrahunt, pertinere, sed sese ad reliqua delicta extendere, maiorem illius ergo, quam inobedientiae Adami, esse effectum apparet. Demum sententia damnatoria, quae lata est unius qui peccaverat uniusque peccati ratione, fuit vel cessit (supplendum quippe est ἐγένετο, vel si mavis γίνεται cedit) εἰς κατάκριμα, i. e. *in condemnationem*, quatenus poena mortis per iudicis sententiam annuntiata iam exsecutioni est mandata; altera ex parte redemtio, quae abundante

delicto facta est, cessit εἰς δικαίωμα, i. e. *in iustificationem*, quatenus effecit, ut iustificante gratia data remitterentur peccata; unde iterum maior doni est effectus, quia non tantum, uti *Chrys.* monet, peccata delet sed etiam iustitiam confert.

Quo sensu nomina κατάκριμα et δικαίωμα hic adhibeantur, non satis constat. Prius, quod raro a iunioribus scriptoribus profanis et quidem semper sensu sententiae damnatoriae adhibetur, in Scripturis autem ter tantum (hic, *v.* 18 et 8,1) occurrit, a plerisque explicatur *sententia damnatoria* (κατακρίνειν condemnare); sed id fieri nequit. Namque ipso contextu κρῖμα in hunc sensum iam determinatur, Paulus autem scribere non potuit, sententiam damnatoriam factam esse sententiam damnatoriam. Si vero nonnulli significari volunt, sententiam damnatoriam, quae propter unum peccatum contra unum hominem lata sit, *omnibus hominibus* factam esse sententiam damnatoriam, Apostolus necessario hanc oppositionem exprimere ac scribere debuit εἰς κατάκριμα τῶν πολλῶν (vel πάντων). Quamobrem ipsam *condemnationem exsecutioni mandatam* nomine κατακρίματος eo magis a Paulo designari censemus, quia haec sola significatio omnibus tribus locis convenit, in quibus illud adhibet. — Alterum (δικαίωμα), quo quasi effectus actionis verbo δικαιοῦν enuntiatae designatur, aliquoties in Scripturis significat legem iuste statutam vel praeceptum (1,32; 2,26 etc.), aliquoties recte vel iuste factum (*v.* 18, ubi τῷ παραπτώματι opponitur et in *v.* seq. velut obedientia Christi explicatur; *Apoc.* 19,8 [1]); sed neutra ex his significationibus nostro loco congruit. Quod vero aliqui volunt, significari sententiam absolutoriam (*Fritzsche* etc.), id plane absonum est totoque contextu excluditur. Itaque cum antiquioribus nomen δικαιώματος hic pro δικαίωσις adhiberi existimo; revera sicut nostra in sententia κατάκριμα et δικαίωμα, ita *v.* 18 κατάκριμα et δικαίωσις in contextu plane simili inter se opponuntur; illo ergo loco parallelo sensus vocabuli δικαιώματος sufficienter definitur.

Iam simili argumento, quo *v.* 15, a minore ad maius concludens Paulus praecedens suum assertum probat, scilicet eo maxime donum praestare delicto, quod homines vere iustificet : 17. *si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes* (vel melius iuxta probatiorem lectionem graecam : οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες : *ii qui abundantiam gratiae et doni iustitiae accipiunt* cfr *VT. LL.*) *in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* De nexu huius sententiae cum praecedentibus inter commentatores non constat; haud pauci enim eam immediate cum *v.* 15 coniungere volunt, ut aut novo

1. Cfr etiam *Bar.* 2,19; quum hic versus parallelus sit *Dan.* 9,18, patet graecum δικαιώματα ibi respondere hebr. צְדָקוֹת, quod nomen haud raro *recte facta* significat (*Is.* 64,5; *Ps.* 11 [10] 7, etc.) et ab Alexandrinis graeco plur. δικαιοσύναι redditur.

argumento demonstretur, « multo magis gratiam in multos abundasse » (cfr *Tolet.*), aut *v.* 16. pro parenthesi habeatur. At *v.* 16. nec pro priore quadam probatione differentiae *v.* 15. enuntiatae neque pro parenthesi haberi potest, quum versui 15. parallelus alteram statuat differentiam. Cum *S. Thom.* igitur modernisque nonnullis (cfr *Reith. Ag.* etc. — *God.* etc.) nostram sententiam praecedenti velut probationem accedere tenemus. Etenim Apostolus *v.* 16 asseruerat quidem, donum unius adduxisse iustificationem, sicut delictum unius adduxerat condemnationem; undenam vero id constaret, nondum demonstravit. Quare nunc ex eo, quod Adami inobedientia, omnibus concedentibus, regnum mortis introduxerit, primum concludit a fortiore concedendum esse, obedientiam Christi introduxisse regnum vitae (cfr ad *v.* 15); deinde regnum vitae in iis, qui ad illud pertinent, remissionem peccatorum veramque iustitiam supponere insinuat, unde sua sponte consequitur, donum, quod occasione multorum delictorum per Christum factum sit, i. e. redemtionem, cedere in iustificationem; quam conclusionem demum *v.* 18 diserte enuntiat. Similem argumentandi rationem *Thom.* indicat; licet enim minus apte incisum « *abundantiam gratiae* etc. *accipientes* » Minorem argumenti appellet, recte tamen hoc syllogismo argumentum proponit : « Sicut condemnatio [potius : regnum] mortis procedit ex peccato primi parentis, ita regnum vitae ex gratia Christi; haec duo enim uniformiter [vel potius : sicut minus et maius] sibi correspondent; sed ad regnum vitae nullus potest pervenire nisi per iustitiam; ergo per gratiam Christi homines iustificantur ».

Mortem per unum hominem unumque eius delictum regnum obtinuisse et exercuisse, Apostolus hypothetice quidem proponit, sed quia de huius hypotheseos impletione iuxta superiora nullo modo licet dubitare, in ea firmum habet argumentationis fundamentum (cfr *v.* 15). Quod autem *unius delicto per unum* (τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι... διὰ τοῦ ἑνός) mors regnasse dicitur, id nec tautologia est nec pleonasmus, uti opinati esse nonnulli videntur, qui ideo legere maluerunt ἐν ἑνὶ παραπτώματι... διὰ τοῦ ἑνός (*uno* delicto per unum, cfr *VV. LL.*). Namque repetitionem hanc, per se utique non necessariam, propter finem, quem in hac sectione prosequitur, Paulus adhibuit, ut nimirum clarius praedicata unitate auctoris regni mortis ad unitatem auctoris regni iustitiae vitaeque maiore cum vi concluderet. Id quippe cum in hac sectione (12-21) inserenda potissimum spectasse monuimus (supra *p.* 271. 273), ut exemplo ab omnibus concesso illustraret, quanto cum iure per unum Christum omnia iustitiae ac gloriae bona nobis obvenire dicantur. Sed eadem repetitione doctrina quoque de peccato originali, prout antea ab Apostolo exposita est, haud parum confirmatur. Quo-

niam enim *unus* et illius *unius delictum unum* asseruntur esse causa, cur mors dominium universale exercuerit, omnes ergo propter illum unum unumque illud delictum moriuntur, omnino non intelligitur, quomodo aliqui moderni acath. (*Weiss* etc.) singulorum peccata actualia, quibus Adae delictum imitati sint, velut causam mortis eorum a Paulo doceri sibi persuadeant. Si enim Weiss ad errorem suum probandum monet (ad *v.* 16[b]), nexum causalem, qui occasione delicti Adami inter peccatum et mortem a Deo stabilitus sit, efficere ut omnes propter sua quisque peccata actualia moriantur, non attendit, Paulum in toto hoc loco de nexu inter peccatum in genere et mortem non loqui, sed de nexu inter mortem et unum illud unius Adami peccatum, quo hic legem mortis comminatione sanctam transgressus est, immo vero eum eiusmodi nexum universalem inter peccatum in genere et mortem diserte exclusisse (*vv.* 13.14). Adami posteri cuncti dominio mortis sunt subiecti, quia in uno illo unius Adae delicto partem quandam habuerunt; recte igitur omnes propter suum quisque peccatum, et quidem propter originale ex Adamo contractum, non vero propter actuale propria voluntate commissum, mori dicuntur.

Duo sententiae membra haud satis concinne sibi respondere videntur, ita ut accuratius scribi potuerit : « Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis unius recte facto (sc. obedientia Christi) vita regnabit per unum Iesum Christum in eos, qui abundantiam gratiae et doni iustitiae accipiunt ». Verumtamen consulto Paulus ita locutus non est, quia aliter se habet regnum mortis (quod aoristo ἐβασίλευσεν [*regnavit*] velut finitum designatur, quia morte ac resurrectione Christi iam destrui coeptum est), aliter futurum regnum vitae. Nam mors velut tyrannus dominium ita in omnes exercet, ut invitos tamquam mancipia sibi teneat subiectos neque quisquam se ei subtrahere possit; at vitae tale non competit regnum, neque enim dominatur *in* iustos, acsi invitos sibi eos subiecerit, sed regnat *per* iustos, qui vocati gratiam voluntarii sequuntur ideoque nova vita donati in et cum Christo regno ipsi potiuntur. In regno mortis sola mors dominatur, reliqui subiecti sunt servi; in regno vitae Christus quidem, qui est vera vita, regnat, sed iusti quoque omnes utpote Domino intime uniti et cum eo unam personam mysticam constituentes vere reges sunt. Recte igitur *Tolet.* diversa duorum membrorum constructione ostendi monet « dignitatem et excellentiam, in quam provexit nos gratia Christi, ut ipsi nempe regnemus et simus reges ».

Verum ad hanc dignitatem ii soli pervenient, *qui abundantiam gratiae et doni iustitiae accipiunt*, quam accipere nemo potest nisi per illum unum, Iesum Christum, qui morte sua non tantum vitam et

gloriam futuram, sed subsidia quoque omnia ac media, quibus ad eam pervenitur, nobis promeruit. Quae tribus nominibus in *Vulg.* designantur : *abundantia gratiae et donationis et iustitiae;* quoniam autem Apostolus procul dubio ad *v.* 15 respicit (ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ... Χριστοῦ ἐπερίσσευσεν *gratia Dei et donum, quod consistit in gratia Christi, abundavit*), consuetam praeferimus graecam lectionem (cfr *VV. LL.*), quacum etiam *S. Iren.* interpr. (c. haer. III. 16,8) et *S. Aug.* (de pecc. merit. et rem. I. 13,17; ad Hilar. epist 157 n. 13 etc.) fere consentiunt (*abundantiam gratiae et iustitiae* cfr B. τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δικαιοσύνης). Nomine *gratiae* igitur hic (uti *v.* 15) benevolentiam divinam significari censemus, ex qua tamquam ex primo fonte *donum iustitiae* per Dominum nobis promeritae et collatae ac simul omnia dona gloriae emanant, quae a iustitia dependent.

Differentiis, quae inter delicti ac doni efficaciam eorumque effectus intercedunt, expositis (15-17), Apostolus ad similitudinem *v.* 12 indicatam revertitur, ut accuratiore eius explanatione unum esse iustitiae vitaeque auctorem ex concessa unitate auctoris peccati mortisque confirmet (18.19.). Neque tamen comparationem inchoatam nude resumere (*v.* 18) recte dicitur (cfr supra *p.* 274 sq.), sed in sua argumentatione progrediens eam nunc velut legitimam conclusionem (ex *v.* 17.) rite derivat : 18. *igitur* (ἄρα οὖν, quia nimirum iusti per unum Christum regnabunt, uti mors per unum Adam regnavit) *sicut per unius delictum* (vel minus recte : per *unum* delictum δι' ἑνὸς παραπτώματος) *in omnes homines in condemnationem* (εἰς κατάκριμα), *sic et per unius iustitiam* (vel : *recte factum* vel : per *unum* recte factum δι' ἑνὸς δικαιώματος) *in omnes homines in iustificationem vitae* (εἰς δικαίωσιν ζωῆς). Sententia iterum elliptica est, prius autem membrum inserto aoristo ἀπέβη (*res cessit* cfr *Phil.* 1,19; *Luc.* 21,13), alterum futuro ἀποβήσεται (*res cedet*) facile complentur. Quod si qui in utroque membro aoristum supplendum censent, haud satis attendunt, etiam in *vv.* 17. et 19., quibuscum nostra sententia arctissime connectitur, diversa tempora in priore et in altero membris adhiberi. Neque nobis probatur, quod alii ex *v.* 16 in priore supplent κρῖμα ἐγένετο, in altero τὸ χάρισμα ἐγένετο (vel γενήσεται). siquidem id minus aptum longiusque quaesitum est.

Porro cum *Vulg.* haud pauci quoque moderni acath. (*Fr. Thol. Phil. Hofm. Goeb. Lips.* etc.) genetivum ἑνὸς (δι' ἑνὸς παραπτώματος, δι' ἑνὸς δικαιώματος) pro masculino habent (per *unius* delictum etc.); idque recte. Neque enim tantum in tota hac sectione genetivus hoc sensu sumitur (cfr *vv.* 12.15.16.17.19), sed etiam non tam de causarum quam de auctorum regni mortis et regni vitae unitate agitur, atque (quod ma-

ioris est momenti) noster *v*. 18 est conclusio ex praemissis *v*. 17. propositis, in quibus haec auctorum unitas potissimum asseritur. Nomine δικαιώματος (Vulg. : *iustitiam*) hic designari *recte factum*, clare iam ex eo elucet, quod παραπτώματι (*delicto*) directe opponitur, clarius autem ex eo, quod nomine ὑπακοῆς (*obeditio*) in *v*. 19. explicatur (cfr ad *v*. 16). Similiter ex eo quod κατάκριμα (*condemnatio*) et δικαίωσις ζωῆς (*iustificatio vitae*) inter se opponuntur, legitime colligitur, κατάκριμα non tam nudam sententiam damnatoriam, quam condemnationem exsecutioni mandatam, ipsam ergo poenam mortis, atque etiam mortis aeternae (cfr ad *v*. 12), iam irrogatam significare; sicut δικαίωσις ζωῆς non est sententia absolutoria vel iustificatoria, sed collatio ipsa iustitiae, quae veram vitam praestabit aeternam.

Difficultas quaedam in eo adest, quod non constet, utrum eadem an diversa extensio locutioni πάντες (*omnes*) in utroque membro sit attribuenda. Dubium non est, quin in priore totum genus humanum, i. e. omnes ac singuli, qui naturali generatione ab Adam descendunt, intelligi debeant (cfr supra *p*. 275), atque eadem extensio in altero admittenda esset, si de sola sufficientia meritorum, quae Christus obedientia sua humano generi acquisivit, nostro in loco sermo esset. In cruce enim moriens pretium solvit ad omnes ac singulos homines redimendos plus quam sufficiens, idque seria intentione ideo solvit, ut omnes ac singuli omnium suorum peccatorum remissionem veramque iustitiam obtinerent. At de sufficientia redemtionis hic non agitur, sed de eius efficientia actuali, quae sese ad solos fideles extendit, ad eos nimirum, qui mediis, quae Christus instituit, adhibitis ex Christo renascuntur; quare altero in membro locutio πάντες ad eos limitari debet. Quem in sensum cum SS. Patribus ac plerisque interpretibus bene *Thom.* : « Intelligendum est, quod sicut omnes homines, qui nascuntur carnaliter ex Adam, incurrunt condemnationem [mortis] per eius peccatum, ita omnes, qui renascuntur spiritualiter ex Christo, adipiscuntur [per eius recte factum i. e. per obedientiam eius] iustificationem vitae. Quamvis possit dici, quod iustificatio Christi transit in iustificationem omnium quantum ad sufficientiam, licet quantum ad efficientiam procedat in solos fideles. Ex hoc autem quod hic dicitur accipere debemus, quod sicut nullus moritur, nisi per peccatum Adae, ita nullus iustificatur, nisi per iustitiam Christi, quae quidem est per fidem ipsius (cfr *supra* 3,22). In eum autem crediderunt homines non solum qui sunt post eius incarnationem, sed etiam qui eius incarnationem praecesserunt; sicut nos enim credimus eum natum et passum, ita ipsi eum crediderunt nasciturum et passurum. Unde eadem est fides nostra et

eorum » (cfr etiam *Comment.* in 1 Cor. *p.* 469 sq.). Ab hac communi interpretatione atque simul a vero, ni fallor, *Tolet.* recedit, qui locutioni πάντες eandem in utroque membro extensionem attribuens iustificationem vitae intelligit « actionem (divinam), qua iuste a Deo propter unius (Christi) iustitiam omnes renascuntur ad vitam » in resurrectione universali, sicut « condemnatio est actio, qua iuste morti traduntur omnes propter unius (Adae) peccatum ». Quomodo vero universalis resurrectio vocari possit *iustificatio vitae,* equidem plane non video; neque magis video, quid commemoratio resurrectionis omnium, iustorum et iniustorum, in hoc contextu sibi velit, ubi de beneficiis per Christum generi humano collatis agitur: nam improbis resurrectio profecto non est beneficium. Si vero *Tolet.* eorum resurrectionem in argumentum gloriae Christi cedere ait, non contradicam, monendum autem censeo, Apostolum de iis, quae *sibi* Christus meruit, non loqui, sed de eius morte *nobis* salutifera.

Genuinam esse nostram praecedentis sententiae interpretationem ex sequente apparet, quam explicationis simul et confirmationis gratia Paulus addit. Quodnam enim *delictum* (παράπτωμα) et quodnam *recte factum* (δικαίωμα) quum condemnationis omnium tum iustificationis vitae fuerit causa, explicat simulque ostendit, quo cum iure de *condemnatione* ac de *iustificatione vitam praestante* loqui potuerit : **19.** *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores* (ἁμαρτωλοί) *constituti sunt multi* (οἱ πολλοί), *ita et per unius obeditionem iusti* (δίκαιοι) *constituentur multi* (οἱ πολλοί). Itaque *delictum* intellexit Adae in paradiso divinum praeceptum transgredientis *inobedientiam,* propter quam in eum eiusque posteros sententia mortis lata est (*Gen.* 3,17-19); *recte factum* vero intellexit mortem Christi, qui « obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis eam, quae in ligno facta fuerat, inobedientiam per eam, quae in ligno fuerat, obedientiam sanans » (*S. Iren.* c. haer. V. 16,3) sibi exaltationem, nobis reconciliationem vitamque promeruit (*v.* 10; 3,24 sqq.; *Phil.* 2,8 sqq. etc.). Porro sicut Adae delictum etiam fuit nostrum delictum, ita Christi obedientia simul fuit nostra obedientia. « In primo quidem Adam, inquit *S. Iren.* (l. c.), Deum offendimus non facientes eius praeceptum, in secundo autem Adam Deo reconciliati sumus obedientes usque ad mortem facti ». Revera in et cum Adamo *multi illi* (οἱ πολλοί), i. e. omnes qui naturali generatione ab eo descendunt, praeceptum divinum transgressi sunt (*v.* 12), ita ut uno illo delicto omnes vere ac proprie *constituti sint peccatores,* reatu culpae contracto, atque eandem, quam ille, condemnationem mortis incurrerint. Similiter autem in et cum Christo *multi illi*

(οἱ πολλοί), i. e. omnes qui ex eo renascuntur eique per fidem ac baptisma tamquam membra capiti inseruntur, mortem crucis ex obedientia subeunt (cfr 6,3 sqq.), ita ut uno hoc recte facto Christi omnes, qui ad eum pertinent, vere ac proprie *constituantur iusti*, utpote a peccatis abluti et sanctificati et iustificati (1 *Cor.* 6,11), atque in vita regnaturi sint per unum Iesum Christum (*v.* 17).

Probe animadvertatur oportet, quomodo hac sententia non tantum aeque clare ac breviter exprimatur dogma de peccato originali (*per unius Adae inobedientiam omnes sunt constituti peccatores*), sed simul doctrina protestantica de iustitia imputata repudietur. Eadem enim ratione omnes, qui ad Christum pertinent, iusti constitui dicuntur, qua omnes Adae posteri constituuntur peccatores; atqui ipsi protestantes externa peccati adamitici imputatione homines peccatores constitui negant; ergo neque illi qui ad Christum pertinent externa iustitiae imputatione dici possunt constitui iusti. Egregie hoc explanat *Th. Stapleton* (Antidota in Acta Ap. et in epp. ad Rom. et binas ad Cor. Lugd. 1595; in *Rom.* 5, 18 sq.) : « Tota Apostoli disputatio et haec maxime conclusio (*vv.* 18 sq.) veram et inhaerentem nobis iustitiam per Christum impertitam luculentissime demonstrat. Ait enim Apostolus quod sicut per unius Adami delictum et inobedientiam omnes homines condemnati sunt et peccatores constituti, sic per unius Christi iustitiam et obedientiam omnes homines iustificationem vitae consecuti et iusti constituti sunt. At vero per Adae delictum omnes homines sic peccatores constituti sunt, ut omnes ex eo propagati vere et realiter nascantur peccatores, nec per imputationem inobedientiae Adami sed ex vero reatu singulis inhaerente filii irae (*Eph.* 2,3) et veri peccatores sint. Hanc partem comparationis *Beza* hoc loco agnoscit scribens *omnes homines plane reos nasci contracta inde a primo parente culpa.* Ergo si comparatio Apostoli vera est, per iustitiam et obedientiam unius Christi omnes in eo renati sic iusti constituti sunt, ut inhaerentem iustitiam habeant vereque ac realiter iusti sint. Propagationi carnali ex Adam, per quam culpa non imputatur sed vere contrahitur, respondet spiritualis regeneratio in Christo (quam hic ab Apostolo intelligi negat Beza, sed quae necessario intelligenda est, ut vera ac perfecta sit comparatio), per quam iusti constituuntur qui regenerantur. *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri*, non reputari aut haberi tantum, *qui ex Deo nati sunt* (*Ioan.* 1, 12), et rursum : *videte qualem caritatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus* (1 *Ioan.* 3,1). Quare sicut per inobedientiam Adae peccatores nominamur et sumus (non nominamur aut reputamur tantum), sic et per obedientiam Christi iusti nominamur et sumus, non nominamur aut reputamur tantum. Contractae igitur per Adamum culpae singulis ex eo natis vere inhaerenti respondet data per Christum iustitia, omnibus ex eo renatis vere inhaerens. Propter hanc vero inhaerentem iustitiam nobis Christi beneficio impertitam, dicit Apostolus : *iusti constituentur multi,* non dixit : deputabuntur iusti ». Cfr *Beel. Reithm.* etc.

Quemadmodum per unum Adam peccatum et mors, ita per unum Christum iustitia ac vita : hanc thesin Paulus inde a *v.* 12 explanavit ac demonstravit, sed lectoribus epistolae non satisfecisset, nisi unam, quae remanere videbatur, dubitationem removisset. Tempore enim intermedio inter Adae lapsum ac salutiferam Christi mortem Lex divinitus erat data, atque iure poterat interrogari, annon Lege regnum peccati mortisque iam sit destructum aut saltem destrui coeptum sit; idque eo magis interrogari poterat, quia Apostolus in sua argumentatione ipse a legislatione mosaica novam periodum inchoari indicaverat (*vv.* 13. 14) universalitatemque regni peccati ex solo rerum statu antemosaico demonstrarat. Itaque ut thesin suam omni ex parte firmam certamque esse ostenderet, etiam explicare voluit, quaenam Legis essent in salutis oeconomia partes. Paucissimis tamen, quia de hac quaestione postea (7,7 sqq.) uberius acturus erat, docet peccatum Lege non esse deletum sed auctum, ut hac ratione virtus gratiae, quae est per Christum, clarius splendesceret. 20. *Lex autem subintravit* (παρεισῆλθεν), *ut* (ἵνα) *abundaret delictum* (τὸ παράπτωμα); *ubi autem abundavit delictum* (cum *Fuld.* etc. melius : *peccatum* ἡ ἁμαρτία), *superabundavit gratia.*

Nomine *Legis* (in textu graeco νόμος sine artic.) hic mosaicam intelligi, ex toto contextu tam evidens est, ut unius alteriusve moderni acath. sententia, qui naturalem designari sibi persuasit (*Oltramare*), ab aliis merito rideatur. Minus clarum est, quid verbum παρεισῆλθεν hic sibi velit; *Vulg.* consuetam verbi significationem (cfr *Gal.* 2, 4) retinens Legem *subintrasse,* i. e. clanculum et quasi furtive intrasse, dicit. At id parum aptum videtur, non tantum quia Lex magna cum sollemnitate et pompa in monte Sinai promulgata est, sed maxime quia Paulus hoc in loco, ubi eam sapientissimo consilio a Deo latam esse docet, eius originem quasi despicere et contemtui exponere non potest. Quod *Pel.* ait eam *subito* intrasse, id nec verbo nec contextui congruit; neque contextui satis congruit, quod cum *Chrys.* aliisque Graecis haud pauci explicant, eam « obiter i. e. ad tempus » intrasse (cfr *Tol. Lap.* etc.), aut quod *S. Ambros.* (ad Iren. ep. 73,10) vult, eam in legis naturalis locum, quia haec non amplius observaretur, intrasse. Rectius, ni fallor, cum *Est.* ac plerisque modernis tenemus, Paulum suo παρεισῆλθεν ad *v.* 12 (ἡ ἁμαρτία... εἰσῆλθεν) respexisse, ut *praeter* peccatum etiam Legem in mundum intrasse significaret, ac si diceret : postquam peccatum intravit, Lex insuper intravit in mundum, neque tamen ad illud delendum sed ad illud augendum.

Quem enim in finem Lex ad peccatum quasi accesserit, docent verba addita : ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα (*ut abundaret delictum*). Qua in

sententia particulam ἵνα (*ut*) non ἐκβατικῶς (de rei eventu, i. q. *ita ut*), id quod cum *Chrys.* aliisque Graecis haud pauci Latini censent (*Thom*[1]. *Lyr.* etc., *Tol. Iust*[1]. *Lap. Picon.* etc., *Wout. Dr.* etc. — *Koppe, Reiche* etc.) sed certo quodam sensu τελικῶς (de rei consilio, i. q. *eo fine ut*) esse sumendam, aliis ex locis paulinis abunde constat (7,7 sqq.; cfr *Comment.* in 1. Cor. *p.* 514 sq.; *Comment.* in 2. Cor. et Gal. *p.* 88. 503 sq. etc.) et cum *S. Aug.* et *Thom*[2]. iuniores aliqui (*Est. Iust*[2]. etc.) et moderni plurimi (*Reith. Mai. Beel. Bisp.* etc.) recte concedunt. Ultimus quidem finis Legis est, ut sit ad vitam (7,10) utpote paedagogus ad Christum (*Gal.* 3,24); occasione autem Legis, qua praecepta divina clarius innotuerunt, peccata ob vitiatam hominis concupiscentiam sunt aucta (7,11. 13; 1 *Cor.* 15,56 etc.), idque Deus pro sua sapientia permisit, ut homo humiliatus suam agnosceret infirmitatem gratiamque Salvatoris quaereret. « Hoc est, inquit *S. Aug.* (in Ps. 102 n. 15), magnum mysterium, ideo eam esse datam, ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur;... non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinae. Aliquando enim sibi videtur homo sanus et aegrotat; et in eo quod aegrotat et non sentit, non quaerit medicum; augetur morbus, crescit molestia, quaeritur medicus et totum sanatur ». Aptissime igitur *Thom*[3]. monet, « intentionem Dei Legem dantis non terminari ad abundantiam peccatorum, sed ad humilitatem hominis, propter quam permisit abundare delicta ».

Antiquiores iunioresque omnes et multi quoque moderni nomen τὸ παράπτωμα (*delictum*), uti etiam ἡ ἁμαρτία (*peccatum*) in altero membro (οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία *ubi autem abundavit peccatum*), pro singularibus collectivis habent (i. q. τὰ παραπτώματα, αἱ ἁμαρτίαι); inter modernos autem nonnulli (cfr *Reithm. Beel. Ag.* etc. — *God. Weiss* etc.) ambo nomina eodem sensu sumenda esse existimant, quo in hac sectione semper sint adhibita, ita ut τὸ παράπτωμα hic quoque actualem Adae lapsum (*vv.* 15. 17. 18) et ἡ ἁμαρτία peccatum naturae, quod ex protoparente in eius posteros omnes transiit (*v.* 12), significent. Verumtamen haud me intelligere fateor, qua ratione τὸ παράπτωμα Adae, i. e. actualis eius inobedientia (*vv.* 18. 19), actualibus peccatis tempore Legis commissis abundasse recte dicatur, quamvis non negem, omnes illos, qui tempore Legis peccarunt, etiam in et cum Adamo peccasse partemque quandam in eius inobedientia habuisse. Quamobrem in priore membro a communi interpretatione (Lex advenit, ut abundarent *delicta*, i. e. numero ac gravitate multum augerentur) non esse recedendum opinor, idque eo minus, quia Apostolus ipse eam videtur insinuare, ubi donum *ex multis delictis* in

iustificationem fuisse docet (cfr ad *v.* 16). Aliter vero in altero membro res se habet (οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία ubi autem abundavit *peccatum*); namque non tantum nihil obstat, quominus ἡ ἁμαρτία eodem modo, quo *v.* 12, illud naturae peccatum esse concedatur, quod ex Adamo una cum natura in eius posteros transfusum singulis inest proprium, verum haec explicatio omnino videtur praeferenda, quia statim in sententia finali, quae additur (ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ ut sicut regnavit *peccatum* in morte), ἡ ἁμαρτία de peccato originali sumatur necesse est. Ac revera hoc *peccatum*, quod omnibus inest atque in ipsis renatis, culpae reatu per gratiam deleto, iuxta elementum suum quasi materiale, i. e. iuxta inordinatam concupiscentiam, remanet, rectissime dicitur *abundare*, quoties virus suum actualibus peccatis prodit manifestatque.

Itaque Lege superveniente *delicta* (τὸ παράπτωμα sensu collect.) sunt aucta, quando *peccatum* (ἡ ἁμαρτία peccatum originale) occasione incitamentoque per Legem acceptis operatum est omnem concupiscentiam (cfr 7,8) multasque transgressiones provocavit. « Verum noli timere, inquit *Chrys.*, neque enim ut maius esset supplicium, id factum est, sed ut maior appareret gratia; ideo subiicitur : *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Neque dixit *abundavit*, sed *superabundavit*, quia gratia non tantum a supplicio liberavit, sed etiam peccatorum remissionem ac vitam aliaque dona praestitit;... vide, quantum inter gratiam et Legem intersit; Lex enim augmentum damnationis (προσθήκη κατακρίσεως), gratia abundantia doni (πλεονασμὸς δωρεᾶς) facta est ». Duo hic sunt annotanda. Sunt qui particulae οὗ (*ubi*) consuetam suam significationem localem relinquant, atque alii quidem Iudaeos designari volunt, inter quos peccatum Lege data abundaverit ac gratia deinde adveniente Christo superabundaverit (*Diodor. Tars.* in Caten., *Euth.* etc. — *God.*), alii universum genus humanum vel etiam humanam naturam (*Nat. Beel Reith.* etc. — *Weiss* etc.), alii humanum genus ac praesertim Iudaeos (*Thom.* etc.). Quae explicatio omni quidem probabilitate non caret; sed qui Paulum de tribus statibus humani generis, qui temporis ratione distinguuntur, de statu nimirum ante Legem (*v.* 13), de statu Legis et de statu gratiae, loqui consideraverit, particulae οὗ (*ubi*) temporalem significationem, quamvis minus frequens sit, hic attribuere cum plerisque non dubitabit : Quo tempore peccatum virus suum plurimis, quae provocavit, delictis manifestavit, gratia adveniens superabundavit. Deinde attende vocabula cum ὑπέρ (*super*) composita non tam comparativum sensum habere, ut gratia dumtaxat magis quam peccatum abundasse dicatur, quam superlativum, ut delictorum abundantiam nullo modo ad gratiae abundantiam

pertingere posse significetur. Neque enim solum Adae delictum peccatumque ab eo in posteros transmissum per gratiam deletur, sed omnia alia, quae unquam commissa sunt aut committentur, per eam deleri possunt ac delentur, dummodo ne obex ei ponatur.

Quem demum finem divina sapientia in hac gratiae superabundantia concedenda habuerit, Apostolus ultimis huius sectionis verbis docet: 21. *ut sicut regnavit peccatum* (ἡ ἁμαρτία) *in mortem* (cum *Fuld. Amiat.* etc. lege: *in morte* ἐν τῷ θανάτῳ), *ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam* (εἰς ζωὴν αἰώνιον) *per Iesum Christum Dominum nostrum.* Adami lapsu peccatum regnum suum fundaverat et in totum genus humanum extenderat, id quod morte manifestatur, quae tamquam poena una cum peccato (originali) in omnes transierat; Lex vero superveniens, quum efficeret, ut peccatum abundaret, illud non tantum non destruxerat, sed novis viribus peccato additis firmaverat. Dubium non est, quin ἡ ἁμαρτία hic ipsum originale peccatum significet; id enim quum ex toto contextu tum maxime ex nexu peccati et mortis iterum asserto apparet. Cum Graecis haud pauci verbis ἐν τῷ θανάτῳ mortem velut instrumentum quoddam describi opinantur, quo peccatum regnum suum exerceat, ita ut illis (ἐν τῷ θανάτῳ i. q. διὰ τοῦ θανάτου) alterius membri locutio διὰ δικαιοσύνης (*per iustitiam*) respondeat. « Imperatoris in loco, inquit *Theoph.* (cum *Chrys. Theod.* etc.), est peccatum, mors vero miles est ab eo armatus ». Nescio tamen, an satis apte mors fingatur instrumentum peccati, quum e contra alibi iuxta Apostolum peccatum sit instrumentum mortis, aculeus videlicet, quo mors homines occidit regnoque suo subiicit (cfr ad 1 *Cor.* 15,56). Neque satis recte cum *Vulg. Clem.*, quae legit *in mortem*, antiquiores quoque acath. (*Luth. Calv.* etc.) graecum ἐν τῷ θανάτῳ alterius membri verbis εἰς ζωὴν αἰώνιον (*in vitam aeternam*) respondere atque finem scopumque significare volunt, quo peccati regnum tendat; namque sensum hunc, quamvis aptus sit, graeca constructio respuere videtur. Mortem igitur Apostolus hic potius velut effectum considerat, quo regnum peccati sese manifestat, ita ut eam a peccato esse inductam indirecte tantum insinuet. Ceterum mors proxime quidem intelligenda est physica; uti in reliqua tamen pericope aeternam connotari alterum membrum docet.

Porro peccati regno regnum gratiae opponitur, quae peccato abundante superabundavit; prius morte Christi destrui coeptum est, alterum eadem morte fundatum est. Accuratius autem alterum describitur indicatis quum instrumento, quo exercetur (*per iustitiam*), tum fine scopoque, ad quem tendit (*in vitam aeternam*), demum fundatore, per quem conditum est (*per Iesum Christum*). Nomine *iustitiae*

donum illud divinum intelligitur, quo homo, qui filius irae Dei nascitur, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei translatus ex iniusto vere iustus et ex inimico amicus Dei fit, ut sit heres secundum spem vitae aeternae (cfr ad 1,17). Hoc autem donum nobis praestat *gratia*, i. e. virtus Spiritus S., quam Christus nobis promeruit, qui Patri morte sua nos reconciliavit gloriaeque spem, quam Adami peccato amiseramus nobis recuperavit restituitque. Hac igitur ratione Apostolus, postquam eandem recuperatae, quae amissae, salutis rationem esse comparatione inter Adamum, regni peccati mortisque auctorem, et Christum, regni iustitiae vitaeque mediatorem, instituta demonstravit, ad thesin quam in hoc capite probare voluerat, reversus pacem cum Deo futuraeque gloriae spem nobis *per Iesum Christum Dominum nostrum* contingere repetit (cfr *vv.* 1. 2. 11).

---

§ 4. — *De altero iustificationis fructu, seu de immunitate a peccati servitute* (6,1-23).

Itaque duo sunt regna, ad quorum alterutrum homines omnes per tinent, regnum peccati mortisque, quod ab Adami inobedientia initium sumsit, et regnum iustitiae ac vitae, quod Christus pro nobis moriens fundavit. Quotquot naturali generatione ab Adamo descendimus, vi originis priori sumus subiecti; quotquot autem ex Christo sumus renati, in alterum sumus translati (5,17. 21). Ipsa nostra iustificatione nos per Christi merita pacem cum Deo et consequenter spem futurae gloriae recuperare, Paulus primo iustitiae fructu descripto supra (5,1-11) ostendit; ad secundum nunc fructum transiens nos simul etiam ex regno peccati egredi et a peccati servitute liberatos in iustitiae regnum transferri iustitiaeque servos fieri docet.

Neque vero eiusdem plane rationis duo illi fructus sunt, quare diverso modo de iis erat agendum. Quoniam nimirum liberae nostrae voluntatis consensus vel potius cooperatio nostra requiritur, ut in iustitiae regno, in quod gratia nos transtulit, permaneamus, Apostolus, translatione illa paucis descripta, pluribus nos exhortatur, ut peccatis renuntiantes Deo vivamus iustitiamque acceptam sanctis moribus exprimamus. Duabus autem sectionibus propositum suum exsequitur. In priore enim exponit, nos per baptismum Christo morienti et resurgenti ita inseri, ut respectu peccati moriamur et ad vitam iustitiae resurgamus, indeque colligit, ab omni commercio cum peccato nobis esse abstinendum (6,1-14). In altera deinde nos, utpote a peccati servitute liberatos, exhortatur, ut soli iustitiae in posterum servire studeamus (6,15-23).

1. — *Iustificati, utpote per baptismum Christo morienti inserti, mortui sunt respectu peccati* (6,1-14).

6,1. Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per

6,1. Τί οὖν ἐροῦμεν; ἐπιμένωμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ; 2. μὴ γένοιτο· οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ; 3. ἢ ἀγνοεῖτε, ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστόν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν; 4. συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος,

baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.* 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.* 7. *Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato.* 8. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo :* 9. *scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* 10. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.* 11. *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.* 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes : et membra vestra arma iustitiae Deo.* 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia.*

ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, οὕτως καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. 5. εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα, 6. καὶ τοῦτο γινώσκοντες, ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ· 7. ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. 8. εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν ὅτι καὶ συνζήσομεν αὐτῷ. 9. εἰδότες ὅτι Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει· θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει. 10. ὃ γὰρ ἀπέθανεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀπέθανεν ἐφάπαξ· ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ· 11. οὕτως καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς εἶναι νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. 12. Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι εἰς τὸ ὑπακούειν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, 13. μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ ὡσεὶ ἐκ νεκρῶν ζῶντας καὶ τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ. 14. ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει· οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλὰ ὑπὸ χάριν[1].

1. *VV. LL.* — 1. ἐπιμένωμεν (permaneamus) B A C D E F G, nonnulli minusc.; ἐπιμένομεν (permanemus) ℵ K P, aliqui minusc., *Copt.*; ἐπιμενοῦμεν (*permanebimus*) *textus rec.* cum permultis minusc., *It. Vulg. Arm.* — 2. οἵτινες ἀπεθάνομεν (qui mortui sumus), coniunctione γάρ praetermissa, est communis lectio graeca, quam etiam sequuntur ex Latinis *Tert.* (de pudic. 17), *S. Aug.* (expos. 31) etc.; sed οἵτινες γὰρ ἀπέθανομεν (*qui enim mortui sumus*) F G cum *It.* (*A^{ter} Orig.* interpr. etc.) *Vulg. Syr.* etc. — ζήσομεν (*vivemus*) est communis lectio, pro qua minus bene ζήσωμεν (*vivamus*) C F G L et pauci minusc. — 3. εἰς Χριστόν (in Christum), alio nomine non addito, B cum paucis minusc.; lege : εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν (*in Christum Iesum*) cum aliis testibus. — 4. συνετάφημεν οὖν (consepulti *igitur* sumus) est communior lectio graeca, quam etiam *Tert. Aug.* etc. sequuntur; minus bene συνετάφημεν γάρ (*consepulti enim sumus*) aliqui PP. graeci, *Vulg. Syr.* (codd.) cfr *Comm.* — 5. ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα (*sed* et resurrectionis erimus) est communis lectio graeca, quacum aliae versiones et *It.* quoque consentiunt (cfr *Tert.* de pudic. 17; de resur. carn. 47; *S. Aug.* de spir. et lit. 6,10 etc.); sed ἅμα καί... (*simul et*) F G et iuniores Latini cum Vulg. — 6. καὶ τοῦτο γινώσκοντες (*et* hoc scientes) solus B; omitte particulam καί. — 8. συνζήσομεν αὐτῷ (vivemus *cum eo*) est communis lectio, quam etiam exhibet *Vulg. Sixt.* (cum *Fuld. Dem. Tol.* etc.); συνζήσομεν τῷ Χριστῷ (*vivemus cum Christo*) D E F G, *Vulg. Clem.* (cum *Amiat. Harl.* etc.) *Syr.* (codd.). — 9. κυριεύει (*dominatur*) est communis ac cert. lectio; minus bene : κυριεύσει (*dominabitur*) pauci minusc. *It. Vulg.* — 11. ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (in Christo Iesu) sine alio nomine addito B A D E F G, aliqui minusc., *It.* (*Tert.*

Ad alterum iustificationis fructum explanandum S. Paulus transit pro principio statuens, eis qui respectu peccati sint mortui, in peccato permanere non licere (*v.* 1. 2). Revera autem Christianos peccato, i. e. relate ad peccatum, mortuos esse ex caerimoniis ostendit baptismi, quo Christo morienti ac resurgenti inserti cum Christo ad novam vitam resurrexerint, in qua deinceps eis sit degendum (3-5). Quae uberius explanaturus ex eo, quod vetus noster homo cum Christo in crucem actus in eaque mortuus sit, nos a peccati servitute in posterum liberos esse ac liberos manere debere concludit (6. 7), ac similiter ex eo, quod cum Christo resuscitato ac semper victuro resurrexerimus, colligit, nos semper, eodem modo quo Christus, cum Deo vivere debere (8-10). Unde sua sponte consequitur exhortatio, ut caveamus, ne peccati servituti nos iterum subiiciamus membrisque nostris ad peccandum abutamur (11-13); id enim evitare nos posse addit, quoniam non amplius sub Legis, sed sub gratiae dominio degamus (*v.* 14).

Novam sectionem priori Apostolus arcte adnectit; ne enim superiora sua verba (5,20 *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*) ab adversariis in perversum sensum detorqueantur (cfr ad 3,8), sibi ipsi illud obiicit, quod ex eis malevoli homines forte deducere potuerint, ut responso suo simul huius paragraphi thema statuat : 1. *Quid ergo dicemus* (τί οὖν ἐροῦμεν)? *permanebimus* (melius : *permaneamus* ἐπιμένωμεν [1]) *in peccato* (τῇ ἁμαρτίᾳ), *ut gratia abundet?* 2. *Absit! qui* (*enim*) *mortui sumus peccato* (τῇ ἁμαρτίᾳ), *quomodo adhuc vivemus in illo?* Formulam τί ἐροῦμεν (*quid dicemus?*), quae aliis in epistolis paulinis non legitur, in hac haud raro adhibet, ut ex antea dictis aut veram derivet conclu-

Aug. Pel. etc.) *Vulg.* (meliores codd. omnes : *Fuld. Amiat. Demid. Harl. Tol. Floriac.* etc.) *Syr.* (codd.) *Aeth.*; sed *textus recept.* : ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν (*in Christo Iesu Domino nostro*) cum ℵ C K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.*) *Copt. Arm.*; prior lectio est praeferenda. — εἰς τὸ ὑπακούειν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ (*ut obediatis concupiscentiis eius*) B ℵ A C, aliqui minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.*; minus bene *textus rec.* : εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ (ut obediatis ei [peccato] in concupiscentiis illius [sc. corporis]) cum K L P, plerisque minusc., PP. iunior., *Syr.* (codd.); minus bene quoque : εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ (ut obediatis ei) sine alio addito D E F G, *A^ter Ruf.* — 14. οὐ κυριεύσει (*non dominabitur*) est communis lectio, sed cum ℵ K nonnullisque minusc. etiam *Orig. Chrys. Theod.* etc. forte melius legunt : οὐκέτι κυριεύσει (*non amplius* dominabitur).

1. Utrum coniunctivum deliberat. ἐπιμένωμεν (*permaneamus*) an futurum ἐπιμενοῦμεν (*permanebimus*) legamus, ad totius sententiae sensum nihil omnino refert; ob testium tamen auctoritatem (cfr *VV. LL.*) prior lectio praeferenda est. Similiter ad sensum *v.* 2 nihil interest, utrum particula γάρ (*enim*) legatur, an omittatur; nam utroque in casu sententia addita rationem affert illius *absit;* melius autem omittitur idque iterum ob graecorum codd. et PP. ac plerarumque verss. testimonium consentiens.

sionem (cfr 4,1; 9,30), aut erroneam, uti hic, praeoccupet, quam adversarios deducturos esse supponit (cfr 3,5; 7,7; 9,14). Quia enim divina clementia semper est eadem, facile fieri potuit, ut ex eius doctrina, quod Deus olim eo tempore, quo post datam Legem peccatum virtutem suam auctis delictis clarius manifestavit, gratiam suam superabundare voluerat, aliquis coniiceret, Deum etiam nunc eadem ratione esse acturum; in peccato igitur esse permanendum delictisque delicta esse addenda, ut Deus abundantiam gratiarum iterum iterumque manifestet. Conclusio igitur per se inepta non est, ineptam autem eam esse Apostolus statim demonstrat, quia diversus sit status, in quo nunc degimus. Ad singula quod attinet, nomen *peccati* (ἡ ἁμαρτία), quum Apostolus omnibus fatentibus in hac obiectione, ad 5,20 respiciat, in obiectione ipsa et in responso responsique explanatione eodem sensu, quo ibi, interpretemur oportet. Haud recte ergo multi nomen pro collectivo habent, acsi *in peccato* (ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ) sit idem quod *in peccatis* vel *in peccando* (cfr *Tolet.* etc.). Originale enim peccatum designatur, et quidem in hac sectione potissimum, ne dicam unice, secundum partem quasi materialem suam, i. e. secundum concupiscentiam, quae in renatis reatu culpae deleto remanet, ut eis sit ad agonem, quamque ab Apostolo aliquando simpliciter *peccatum* (ἡ ἁμαρτία) appellari certum est, « non quia vere ac proprie in renatis peccatum est, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat » (*Conc. trid.* sess. 5. decr. de pecc. orig. 5[1]). Quae interpretatio quum tota hac sectione tum *vv.* 12. 13 haud parum confirmatur, quo in loco nomen ἡ ἁμαρτία de habituali concupiscentia interpretandum esse, evidens est. Itaque iuxta Apostolum is τῇ ἁμαρτίᾳ ἐπιμένειν (*in peccato permanere*) dicendus est, qui postquam baptismo a reatu culpae peccati originalis mundatus est, pristinam vitam continuans peccat et pravae concupiscentiae ex originali peccato exortae ac remanenti obtemperat (cfr *Est. Lap.* etc., *Beel. Ag.* etc.). Ceterum clarum est, multo maiore cum iure eos *in peccato* manere dici, qui a culpae reatu nondum liberati concupiscentiam sequuntur; sed de his hoc in loco Paulus proxime ac directe non loquitur.

Quantopere vero blasphemam illam conclusionem detestetur, suo *absit* (μὴ γένοιτο) insinuans simul eius absurditatem ratione addita mani-

1. Cfr *S. Aug.* de nupt. et concup. I. 23,25 : « Ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando ei ad illicita opera non consentitur atque ut ea perpetrent, a regina mente membra non dantur...; sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccato facta est et peccatum, si vicerit, facit... Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, quum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat ».

festat, quandoquidem eum, qui peccato sit mortuus, in peccato remanere repugnet. Duplici modo et graeca locutio τῇ ἁμαρτίᾳ ἀποθανεῖν, uti *Chrys.* cum suis iam adnotat, et latina *peccato mortuum esse* explicari potest, prout τῇ ἁμαρτίᾳ aut pro dativo instrum. (i. q. διὰ τῆς ἁμαρτίας) ac similiter *peccato* pro ablativo instr. (i. q. *per peccatum; cfr Eph.* 2,5 νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν *mortuos peccatis*), aut pro dativo commodi vel incomm. sumitur (i. e. repectu peccati; cfr 1 *Petr.* 2,24 ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν *ut peccatis mortui*, i. e. a peccatis abalienati, *iustitiae vivamus*). Secundam tamen interpretationem solam huic loco congruere, cum *Chrys.* omnes, paucis exceptis acath. (*Flatt, Ros.* etc.) merito tenent. Eo enim Apostoli argumentatio tota spectat, ut iustificatos, quia respectu peccati sint mortui, deinceps novam vitam agere atque Deo iustitiaeque vivere debere ostendat (*v.* 11 sqq.). Quando et qua ratione peccato mortui sint, statim ipse docebit (*v.* 3 sqq.); ad faciliorem tamen sequentium intelligentiam cum *Tolet.* hic adnotasse iuverit, « *mori* et *vivere peccato* per analogiam quandam dici; sicut enim mortuus [respectu vitae] dicitur, qui functiones et operationes vitae non amplius habet, quae antea habuit, ita *mortuus peccato is* appellatur, qui peccati operationes non amplius habet in se, i. e. qui non amplius obedit concupiscentiis et appetitibus suis contra Dei legem militantibus, neque proprio sensui sed voluntati divinae obtemperat; contra vero qui suis obtemperat appetitibus contra legem Dei, ille vivit peccato, quia opera facit peccati. *Mori alicui* ergo est opera illius abiicere, *vivere alicui* autem eius opera exercere ». Qua in explicatione iam praeierant *Orig.* (« Sicut Deo vivere dicitur is qui secundum voluntatem Dei vivit, ita et peccato vivere dicitur is qui secundum voluntatem peccati vivit; quod si vero facere desideria peccati *peccato vivere* est, non facere desideria peccati, nec obedire voluntati eius, hoc est *mori peccato* ») atque *Chrys.* (« quid est mortuum esse peccato? In nullo deinceps ei obedire »). Quibuscum reliqui re, etsi non verbis, consentientes nomine *peccati* hic concupiscentiam inordinatam fomitemque maxime intelligi confirmant, atque sua sponte patere recte monent, quantopere repugnet, eum qui peccato mortuus sit, nihilominus in peccato vel peccato vivere velle[1].

Animadvertatur tamen oportet, latinum *mortui sumus* hic non graeco

1. Cfr *S. Aug.* ad Valent. ep. 215, 8 : « Talium (peccatorum) verba sibi proponens Apostolus ait : Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? atque his verbis hominum errantium et Dei gratiam non intelligentium respondit, ut debuit, dicens : Absit; si enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo? Nihil potuit dici melius et brevius; quid enim nobis gratia Dei utilius confert in hoc praesenti saeculo maligno, nisi ut moriamur peccato? Ac per hoc ipsi gratiae invenietur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato ». Fusius eadem exponit de spir. et lit. 6, 9.

νεκροί ἐσμεν (cfr *Eph.* 2,5; *Col.* 2,13) sed graeco ἀπεθάνομεν respondere, ut non tam status mortis perdurans, quam ipse, ut ita dicamus, actus moriendi momentumque illud significetur, quo mortem respectu peccati obivimus. Ad illud enim Paulus respicit, quum assertam repugnantiam confirmaturus nos in baptismo illam mortem obiisse declarat, quia in Christum baptizari idem sit quod in Christum in cruce morientem inseri et cum eo mori : 3. *an* (rectius : *aut* ἢ) *ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu* (melius : *in Christum Iesum*[1] εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν), *in morte* (cum *Fuld.* etc., *Tert.* de pud. 17 etc. lege : *in mortem* εἰς τὸν θάνατον) *ipsius baptizati sumus.* Novam doctrinam fidelibus non proponit, sed pridem acceptam in memoriam revocat; namque formula ἢ ἀγνοεῖτε (*aut ignoratis*), aeque ac similes ἢ οὐκ οἴδατε (11,2; 1 *Cor.* 6,2. 6. 9. 16) et οὐκ οἴδατε (*v.* 16; 1 *Cor.* 6,15; 9,25), rem notissimam esse insinuat, quam ignorare non liceat. Procul dubio Apostolorum tempore, id quod *Orig.* iam adnotat diversum suae aetatis usum carpens, catechumeni ante baptismum accurate edocebantur, quinam sacramenti effectus caerimoniis eius essent praefigurati.

Primum quidem effectum, ablutionem peccatorum (*Act.* 22,16; 1 *Cor.* 6,11; *Eph.* 5,26 etc.), quia ad rem suam non facit, hic praetermittit; alterum vero neque minus essentialem neque minus omnibus qui rite baptizantur communem (*quicumque baptizati sumus* ὅσοι ἐβαπτίσθημεν) commemorat, insertionem in Christum, quo novo vitae principio accepto vere renascimur tamquam nova creatura, quae non amplius sua vita sed ipsius Christi vita vivit (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 167. 610). Etenim locutio *in Christum baptizari* significat per baptismum Christo consecrari in eiusque proprietatem tradi, immo tamquam membrum in eum inseri, ita ut omnes baptizati cum Christo sint concorporei eumque induti unus sint in eo (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 33. 375; *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 516 sqq.). Recte autem *Tolet.* adnotat, latinam quoque lectionem in eum sensum esse exponendam[2], « quamvis propria significatione considerata longe aliud sit *in Christo* et *in morte eius* baptizari, atque baptizari *in Christum* et *in mortem eius* ». Revera antiquiores Latini lectionem suam exponentes de baptismo *in nomine* vel *in virtute* Christi collato hic agi arbitrabantur; verum haec interpretatio iure merito relicta est, quia graecis verbis

1. De loquendi usu *Vulg.*, quae βαπτίζειν εἰς semper reddit latino *baptizare in cum ablat.* diximus in *Comment.* in 1 Cor. *p.* 35; cfr quae de eodem *Knabenbauer* Comm. in Matth. II. p. 563.

2. In eum sensum illam exponi posse clarum est, quoniam interpretem latinum pro suae aetatis usu frequentissime praepositione *in* c. ablat. graecum εἰς reddidisse constat; in inferiore nimirum latinitate *in c. ablat.* pro *in c. accus.* saepe usurpatur.

parum congruit et contextu excluditur (cfr *Tolet. Est. Lap. Nat.* etc., *Reith. Mai. Beel. Bisp. Sch.* etc.).

Porro hanc nostram insertionem in Christum accuratius definiens nos *in mortem ipsius baptizari* dicit, i. e. per baptismum nos in eum morientem inseri, ita ut participatione mortis Christi moriamur in hoc quod prius eramus, i. e. secundum veterem hominem (*v.* 6; cfr *Comment.* in 2 Cor. *p.* 162). Neque vero haec pro nuda similitudine aut mera comparatione cum nonnullis habere licet, qui hac sententia nihil aliud doceri censent, nisi baptizatos *debere* ita peccato mori vel potius *debere* semetipsos ita peccato mortuos considerare, sicut Christus in cruce carni vere mortuus sit. Quomodo enim eiusmodi similitudine et monitione id demonstraretur, quod Paulus *v.* 2. asseruit et nunc probare vult, nimirum nos respectu peccati mortem obiisse? Quamobrem nisi quis verbis ludere Apostolum non minus stulte quam impie dicere velit, nobiscum fateatur oportet, eum de vera quadam ac reali, etsi mystica, coniunctione loqui, qua per baptismum tam arcte cum Christo copulamur et unimur et coalescimus, ut ea quae Christi sunt etiam nostra quodammodo dici possint eaque, quae Christus in morte et post mortem egit, a nobis quoque quasi acta sint.

Ac profecto iuxta Pauli doctrinam multis in locis propositam homines, uti antea iam diximus, per baptismum Christo, sicut oleastri olivae, inseruntur (11,7 sqq.), ut deinceps vere ac realiter *in eo* sint (οἱ ἐν Χριστῷ 8,1, etc.) et velut palmites in vite et ex vite vivant (*Ioan.* 15,1 sqq.) neque amplius propria sua vita sed vita vivant Christi, quippe qui in eis vivat (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p* 461 sq.); hinc enim est (uti alibi monuimus cfr *Comm.* in 1 Cor. *p.* 138 sq.), quod nos dicat in et cum Christo concrucifixos (*v.* 6; *Gal.* 2, 20), in et cum eo commortuos (*v.* 4; 2 *Tim.* 2, 11), consepultos (*v.* 4; *Col.* 2, 12), convivificatos et corresuscitatos (*Eph.* 2, 5 sq.; *Col.* 2, 13), conviventes (*v.* 8; 2 *Tim.* 2, 12), coheredes (8,17), conglorificatos (8,17), consedentes in coelestibus (*Eph.* 2, 6), corregnantes (2 *Tim.* 2, 12). Quae omnia pro mere analogicis locutionibus haberi nequeunt sed veram nostram cum Christo unionem supponunt. Atque eadem quoque realis coniunctio admittatur oportet, si *S. Aug.* (Enchirid. 53) nostro loco allato addit : « Quidquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertia die, in ascensione in coelum, in sede ad dexteram Patris, ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis sed etiam gestis configuraretur vita christiana, quae hic geritur » et vita gloriosa, quae in coelis nobis est praeparata. Attende autem, Apostolum eiusmodi dictionibus non uti nisi de iis, quae Christus post suam exaltationem in crucem gessit, quia nimirum per baptismum in

eum *morientem* inserimur[1]. Qua insertione efficitur, ut in obedientia, qua Christus mortem pro nobis subiens Patri satisfecit, partem quandam habeamus, sicuti in inobedientia, qua Adam in paradiso Deum offendit sibique ac nobis iustitiam integritatemque originalem amisit, partem quandam habuimus.

Nos per baptismum cum Christo moriente coalescere doctrina tam certa fidelibusque apostolico tempore tam cognita iuxta Paulum est, ut eam ulteriore probatione non indigere censeat atque ex ea statim argumentetur : 4. *consepulti enim* (lege : *ergo* οὖν) *sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit* (vel potius : *suscitatus est* ἠγέρθη) *a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Duplex quidem est huius loci lectio; etenim cum *Orig.* (c. Cels. II. 69, etc.) paucisque aliis Patribus graecis *Vulg.* coniunctione causali γάρ (*enim*) hanc sententiam praecedenti ita adnectit, ut illius rationem afferat atque ex eo, quod cum Christo consepeliamur, nos mortuos esse probet vel confirmet. Contra vero iuxta alteram lectionem, quam vix non omnes codices Patresque graeci una cum versionibus exhibent et antiquiores quoque Patres latini sequuntur (cfr *Tert.* de pudic. 17.; de resur. carn. 47; *S. Pacian.* ep. 3,9. *M.* 13,1069; *S. Aug.* Enchirid. 52; de spir. et lit. 6,10, etc.), sententia nostra per coniunctionem illativam οὖν (*ergo*) velut conclusio ex praecedente derivatur. At quamvis prior lectio eiusque explicatio non omni probabilitate careant, secunda tamen longe est praeferenda non tantum ob maiorem testium eam tuentium auctoritatem, sed etiam ob aptiorem eius sensum. Sua enim sponte ex eo, quod per baptismum in Christum morientem inserimur cum eoque mystice commorimur, sequitur significatio caerimoniarum baptismatis, quod per immersionem plerumque ab Apostolis conferebatur : « In aquam, inquit *S. Chrys.* (in Ioan. hom. 25,2), tamquam in sepulcrum, caput nobis immergentibus vetus homo sepelitur ac demergitur totus; deinde nobis emergentibus novus exsurgit. Uti enim nobis facile est immergi ac postea emergere, ita Deo facile est veterem hominem sepelire et novum inducere. » Revera per immersionem in aquam aptissime mystica nostra sepultura figuratur, quam Paulus speciatim commemorare voluit, non tam ut certam esse mortem nostram mysticam significaret (quatenus nimirum soli mortui sepeliuntur), quam ut nos Christo etiam in illo statu assimilatos esse ostenderet, in quo post mortem ante resurrectionem fuit. Sicut autem Christus sepultus est, ut tertia die ex sepul-

1. Nusquam Apostolus nos cum Christo connasci, concircumcidi etc. aut conbaptizari in Iordane, coniciunare in deserto etc. dicit. Quodsi per meram analogiam loqui voluisset, ab his locutionibus sese non abstinuisset.

cro gloriosus ad novam vitam' resurgeret, ita nos quoque in aquam immergimur, non ut in ea maneamus (neque enim sufficit, nos dumtaxat peccato mortuos esse), sed ut in ea per virtutem Spiritus S. regenerati ad novam vitam resurgamus; quae mystica resurrectio nostra figuratur emersione. Itaque baptismus nobis vere est « lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S. » (*Tit.* 3,5), quum in eo vetus homo moriatur et sepeliatur, ut novus ex eo prodeat, « renatus ex aqua et Spiritu S. » (*Ioan.* 3,5) et conformis (σύμμορφος) imaginis Filii Dei (8,9); ac satis quoque patet, quantopere secum ipse pugnet, qui postquam per baptismum vitam priorem deposuit novamque accepit, nihilominus priorem continuare vult (*v.* 2). Neque tamen tria ista in baptismo tempore esse distincta putandum est (quasi primum vetus homo moriatur, deinde immersus in aquam sepeliatur, demum emergens novus nascatur), sed eodem temporis momento per gratiae iustificantis infusionem vetus homo destruitur et novus generatur. Deus scilicet, ut spirituales baptismatis effectus clarius nobis innotescerent, eos variis illis caerimoniis nobis quasi ante oculos pingere voluit[1].

In primo sententiae membro (*consepulti ergo* [vel : *enim*] *sumus cum illo per baptismum in mortem*) iuniores aliqui cum *Thom.* vocabula *in mortem* ad verbum *consepulti sumus* trahunt sensumque esse volunt, « nos per baptismum cum Christo consepultos esse, ut peccato moriamur » (*in mortem* i. q. ad moriendum); simul autem monent, mortem sepulturamque Christi a nostra morte sepulturaque in baptismo in eo differre, quod Christus iam mortuus in sepulcro sit depositus, in nobis autem « sepultura baptismi causet mortem peccati, quia sacramentum novae legis efficiat id quod signat » (*Thom.* cfr *Cai. Tolet. Lap.* etc.). Quae explicatio nobis non probatur, quia iuxta Apostolum non sola immersio, qua sepultura Christi figuratur, sed etiam emersio, qua eius figuratur resurrectio, requiritur, ut habeatur plenum signum effectus baptismatis, quippe quo non tantum vetus homo destruatur (*v.* 6) sed etiam novus generetur (*v.* 8); unde haud recte loqui videntur, qui sola immersione in aquam, non subsequente emersione, baptismum valide conferri dicunt. Rectius ergo cum Graecis modernisque vocabula *in mortem* cum substantivo praecedente connectimus : διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον[2]. Per baptismum scilicet, qui in mortem

1. Simili modo alibi (cfr 1 *Cor.* 6,11) de baptismi effectu agens ablutionem a peccatis, sanctificationem, iustificationem ita enumerat, ac si sint tres effectus plane distincti, qui unus post alterum exoriantur. Sua tamen enumeratione momenta singula unius effectus dumtaxat velut aliquid magni efferre velit.

2. Cui explicationi non obstat omissio articuli ante appositionem : διὰ τοῦ βαπτίσματος (τοῦ) εἰς τὸν θάνατον. Nam ut praetermittamus, articulum illum a Paulo haud raro omitti (cfr *supra* ad 5,15 p. 267), hoc in loco accedit, quod substantiva a verbis derivata, quae cum

Christi confertur (*v.* 3), Christo morienti inserimur et cum eo commortui cum eo consepelimur. « Quod Christo, inquit *Chrys.*, fuit *crux et sepultura*, hoc nobis baptismus est, etsi non iisdem in rebus; ille enim carni mortuus sepultusque est, nos peccato ».

In secundo membro (*quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*) de vocabulorum *per gloriam Patris* (διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρός) sensu controversia agitatur. Iuniorum quorundam (*Tol. Iust.* etc.), quibus *per gloriam* idem est quod *propter gloriam*, interpretationem iure omittimus, quia nec graecum διά *c. genet.* nec latinum *per* eam admittit. Iuxta *Theodor.* hic *gloria Patris* vocatur divinitas Christi, ut Christus per suam ipsius divinitatem suscitatus dicatur; sed hoc longius quaesitum est satisque arbitrarie asseri videtur. Melius quidem *Thom.* cum multis explicat : « per virtutem Patris, ex qua ipse Pater glorificatur » ; haud raro enim Christi resuscitatio potentiae vel virtuti Patris attribuitur (4,24; 2 *Cor.* 13,4; *Eph.* 1,19 sq.; *Col.* 2,12 etc.). Nihilominus cum aliis dicere malo, Paulum de omnibus divinis attributis, quae Pater in Filio suo resuscitando manifestavit, eius potentiam, sapientiam, sanctitatem, etc. significare voluisse.

In tertio demum membro pro *ut et nos in novitate vitae ambulemus* potius dici debuisse videtur : *ut et nos ad novitatem vitae resurgamus;* sicut enim Christus sepultus est ut resurgeret, ita et nos mystice sepelimur in baptismo, ut ad novam vitam renascamur. Nos revera in baptismo resurgere, Apostolus statim (*v.* 5) probat, hic autem omissa resurrectionis commemoratione illud efferre voluit, quod mysticam nostram resurrectionem sequi debet quodque in eius argumentatione maximi est momenti. Ex eo enim, quod in nova vita, quam per baptismum accipimus, ambulare debeamus, clarius, quam ex ipsa resurrectione ad novam vitam, elucet, quantopere baptizatum in peccati servitio manere dedeceat immo repugnet.

Nos cum Christo per baptismum mystice resurgere, id quod in ultimo *v.* 4. membro supposuit, Apostolus nunc argumento a pari diserte probat : 5. *si enim complantati facti sumus* (σύμφυτοι γεγόναμεν concreti sumus vel coaluimus) *similitudini mortis eius*, *simul et* (cum *Tert. Aug.* etc. iuxta consuetam lectionem graecam ἀλλὰ καί lege : *sed et* i. q. profecto et) *resurrectionis erimus*. Argumentatio clara est; fieri nimirum non posse Paulus censet, ut qui morienti Christo inserti cum eo commortui sint, resurgenti non sint inserti resurrectionisque non fiant participes; si vero cum Christo resuscitantur, consequens est ut dein-

praepositione construuntur, eandem constructionem retineant : Gal. 1,13 τὴν ἐμὴν ἀναστροφὴν ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ (ἀναστρέφειν ἔν τινι), *Col.* 1,24 τὰ παθήματα ὑπὲρ ὑμῶν (πάσχειν ὑπέρ τινος), *Phil.*, 1,26 ἡ ἐμὴ παρουσία πρὸς ὑμᾶς (παρεῖναι πρός τινα) etc.

ceps in novitate vitae deambulent (*v.* 4). Bene *Thom.* : « Quoniam Christus post mortem resurrexit, conveniens est, ut illi, qui conformantur Christo quantum ad mortem in baptismo, conformentur etiam resurrectioni eius per innocentiam [vel potius : novitatem] vitae ». Sed in generali hoc sensu indicando consentientes disceptant interpretes, quaenam sit accuratior sententiae explicatio, quum graecus textus duplicem constructionem admittat. Moderni igitur plurimi (cfr *Reith. Beel. Mai.* etc. — *God. Weiss* etc.) dativum τῷ ὁμοιώματι pro instrumentali habentes ad σύμφυτοι γεγόναμεν alterum dativum (αὐτῷ sc. Χριστῷ) in utroque membro ex superioribus supplent, ut hic sit sensus : « Si enim Christo coaluimus per similitudinem mortis eius, profecto etiam ei per similitudinem resurrectionis coalescemus ». Graeci vero, uti cum *Vulg.* etiam antiquiores iunioresque Latini, nihil supplentes dativum τῷ ὁμοιώματι dependere volunt a σύμφυτοι γεγόναμεν, ut hic exoriatur sensus : « Si coaluimus cum similitudine mortis Christi, etiam cum similitudine resurrectionis eius coalescemus ». Quae altera constructio procul dubio priore simplicior est, at sensum minus aptum praebet. Neque enim satis intelligitur, quid sit « cum similitudine mortis vel resurrectionis coalescere »; nam quod *S. Cyr. Alex.* coniicit, ipsam Christi mortem hic similitudinem mortis vocari, quia Christus in ea non debuerit permanere, id nemini facile probabitur. Contra vero per similitudinem mortis Christi cum eo coalescere aptissime dicimur, quatenus mors, quam in baptismo Christo morienti inserti obimus, utpote mystica et spiritualis, dumtaxat similis est morti Christi animam in cruce efflantis; pariter etiam per similitudinem resurrectionis cum Christo resurgente coalescimus, quia de sola nostra resurrectione spirituali ad novitatem vitae Paulum hic cogitasse tota pericope docet.

Tert. (de resurr. carn. 47) quidem et *Chrys.* (cfr etiam *Theoph. Euth. Oec.*) Paulum de futura corporum resurrectione loqui arbitrantur, quia non dixerit τῷ ὁμοιώματι τῆς ἀναστάσεως (similitudini resurrectionis) sed τῆς ἀναστάσεως tantum, et quia de morte loquens praeteritum (γεγόναμεν), de resurrectione autem futurum (ἐσόμεθα) adhibuerit. Sed sermonis contextus, uti iam diximus, tam clare de sola spirituali resurrectione agi insinuat, ut vix quisquam ex iunioribus sententiam *Tert.* et *Chrys.* probaverit. Quod autem ad duo eorum argumenta attinet, in altero membro dativum τῷ ὁμοιώματι supplendum esse patet, nisi dicere velimus, Apostolum in brevissima sententia sine ulla ratione adiectivum σύμφυτοι semel cum dativo ac semel cum genetivo construxisse. Futurum (ἐσόμεθα) autem hic, uti saepe, in conclusione ad necessariam consequentiam indicandam adhibetur (« si hoc est verum, illud profecto etiam erit verum ») eoque facilius adhiberi potuit, quia

Apostolus in suo argumento non tam ad illud momentum, in quo spiritualiter resuscitati sumus in baptismo, quam ad tempus universum attendit, quod in novitate vitae peragere debemus (cfr ad *v.* 8).

Graecum σύμφυτος, quod in N. T. hic tantum legitur, a συμφύειν (una *crescere*) derivatum apud profanos plerumque de iis usurpatur, quae una cum alio nata sunt (ἀρετὴ σύμφυτος virtus una cum homine nata, inde ab ortu ei insita seu ingenita), aut etiam tropice de iis, quae inter se similia sunt aut cognata. At aliquoties etiam de iis adhibetur, quae ita sunt simul nata, ut quasi in unam naturam coaluerint; unde σύμφυτος latino *concretus* nostro in loco recte reddi potest. *Vulg.* autem cum graecis Patribus vocabulum a συμφυτεύειν (simul *plantare*) derivasse videtur (*complantati*); sensus tamen idem fere manet iuxta explicationem Latinorum fere omnium, quibus *complantatus* idem est quod *insitus* vel *insiticius* vel *insertus* (cfr *Cai. Tol. Est.* etc.), « sicut ramus qui inseritur plantae » (*Thom.*). Graeci autem erroneam suam etymologiam prementes varia indicata vident. Iuxta *Chrys.* plantationis nomine fructus proventurus innuitur : « Sicut enim corpus Christi in terra sepultum salutem orbis tamquam fructum tulit, ita nostrum corpus in baptismate sepultum tamquam fructum tulit iustitiam, sanctificationem, adoptionem, innumera bona »; similiter *S. Cyr. Ieros.* (Catech. III. 12) : « Qui mortuus in peccatis descendisti (in aquam), ascendis vivificatus in iustitia; si enim complantatus fueris similitudini mortis Salvatoris, simul et resurrectione dignus iudicaberis; quemadmodum enim Iesus totius mundi peccata suscipiens mortuus est, ut interemto peccato te in iustitia resuscitaret, ita et tu in aquam immersus, immo quasi sepultus in aquis, sicut ille in petra fuit, in novitate vitae ambulans resuscitaris ». Paullo aliter *Orig.* : « Vide quam necessario formam *plantationis* assumserit; omnis enim planta post hiemis mortem resurrectionem veris exspectat; si ergo et nos in Christi morte complantati sumus in hieme saeculi huius et praesentis vitae, etiam ad futurum ver inveniemur fructus iustitiae ex ipsius radice proferentes; et si complantati sumus ei, necesse est ut Pater agricola purget nos tamquam palmites vitis verae, ut fructum plurimum afferamus ». Aliter iterum *Mopsu.* plantationis nomen ideo adhiberi censet, quia ea sit plantarum natura, ut in plantatione pereant quidem, sed in meliorem statum mutentur. Propius ad germanum sensum accedit *Diod. Tars.* (in Catena PP. graec.), quum baptizatos eodem modo cum Christo per baptismum uniri dicit, quo arbores una plantatae interdum inter se coalescant. At haec et similia in textum potius ingeruntur quam ex eo educuntur.

Iamvero hanc sententiam, quod sicut morienti Christo per mortis similitudinem, ita resurgenti per similitudinem resurrectionis inseramur, Paulus secundum utramque partem ita explanat, ut significatione ac fine quum mysticae mortis (*vv.* 6. 7) tum mysticae resurrectionis nostrae (8-10) descriptis exhortationem suam (*v.* 11 sqq.) praeparet;

nostra enim cooperatio requiritur, ut in nova vita permaneamus, quam insertione nostra in Christum morientem et resurgentem adipiscimur; cooperari autem non poterimus, nisi cognoscamus, quid Deus hac nostra morte et resurrectione intenderit. Sententiam ergo *v.* 5. inchoatam continuans[1] proximum ac remotiorem mortis finem describere incipit : per resurrectionis scilicet similitudinem cum Christo coalescemus 6. *hoc scientes* (γινώσκοντες i. e. dummodo hoc cognoscamus), *quia vetus noster homo simul crucifixus est* (melius : *concrucifixus est* συνεσταυρώθη), *ut destruatur corpus peccati, et* (cum *Tert. S. Aug. A^tro^* etc. cunctisque fere *Vulg.* codd. lege : *ut*) *ultra non serviamus peccato.* Ante omnia Paulus fidelibus cognoscendum esse monet, qua ratione in baptismo cum Christo sint concrucifixi; neque enim corpore, uti ille, sed secundum veterem hominem in crucem sunt acti. *Veterem* autem *hominem* appellat eum, qui corrumpitur secundum desideria erroris (*Eph.* 4,22) cuiusque actus sunt flagitia et vitia omnis generis (*Col.* 3,5-9); e contra novum dicit illum, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (*Eph.* 4,24), renatus in agnitionem (rerum coelestium ac divinarum) secundum imaginem creatoris sui (*Col.* 3,10). Namque, uti cum aliis egregie *Tolet.* adnotat, « solet Paulus in unoquoque nostrum duos distinguere homines, veterem et novum, non quod duae sint substantiae aut subiecta, sed diversi status eorum; qui enim obedit concupiscentiis suis et indulget vitiis, vetus homo dicitur, quia statum peccati sequitur, in quo natus est et qui originem ab Adamo traxit; at qui peccato abiecto iustitiae inservit et Dei mandatis obedit, novus homo appellatur, quia hunc statum non ab Adamo nec a nativitate carnali traxit, sed a Christo, in quo per baptismum renatus et in quem insitus est ».

Vetus igitur homo noster, i. e. nos ipsi, quatenus in et cum Adamo peccantes reatum culpae originalis et concupiscentiam carnis fomitemque contraximus, in et cum Christo concrucifixi poenas debitas Deo luimus. In corpore enim suo peccata nostra perferens super lignum (1 *Petr.* 2,24) et pro nobis maledictum et peccatum factus (*Gal.* 3,13; 2 *Cor.* 5,21) Christus nostram omnium quidem personam induerat, ita ut in eo universum genus lapsum in crucem sit actum; sed ut crucifixionis huius fructum percipiamus, etiam nostra ex parte nos cum Christo crucifixo unire debemus, id quod fit per baptismum, in quo Christum induimus (*Gal.* 3,27). Fructus porro duos Paulus indicat duplici

1. *Vulg Clem.* puncto posito *vv.* 5. et 6 separat, atque *Thom.* quoque maiorem interpunctionem adesse insinuat, quum inde a *v.* 6. novam in suo commentario lectionem inchoet; at duos versus arcte inter se cohaerere ex eo satis iam apparet, quod secus *v.* 6. verbo finito careret.

indicato concrucifixionis fine; concrucifixos enim nos dicit proxime, *ut destruatur* (vel melius: *destrueretur* aut cum *Tert.* et *Aug.*: *evacuaretur*) *corpus peccati* (ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας), et remotius, *ut ultra non serviamus peccato* (vel melius : *ne ultra serviremus peccato* τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ). Quoniam duo fines diversis constructionibus declarantur, satis patet, alterum priori non esse parallelum neque coniunctione *et* eidem adiungere licere (id quod facit *Vulg. Clem.* contra fidem codd., per errorem, ut videtur, typographi), sed ei subiungi debere, utpote ex priore derivatum.

Quid sit *corpus peccati*, ad quod destruendum vel evacuandum vetus noster homo concrucifixus est, non uno modo explicatur. Paucorum sententiam, qui hebr. עֶצֶם comparantes vim roburque peccati designari volunt (cfr *Iust*[1]. *Salm*[2]. etc.) praetermittimus, quia σῶμα tropico hoc sensu nusquam adhibetur; duas autem explicationes *Orig.* proponit, quarum utra sit praeferenda, interpretes dissentiunt. Iuxta priorem, quae antiquioribus iunioribusque plurimis praeplacuit, significat « universam malitiam diversis nequitiae partibus constantem » (*Chrys. Theoph. Oec.* etc.), vel « cuncta crimina » (*A*[ler]), « omnia vitia, quia unum vitium membrum est peccati, omnia corpus totum » (*Pel.*), « congeriem omnium malorum, quae corpus quoddam constituunt, sicut congeries membrorum facit unum corpus » (*Thom.*), vel quod idem est : « ipsum veterem hominem, cuius membra iuxta *Col.* 3,5 sqq. sint peccata ac vitia » (*Salm*[1]. *Tol. Iust*[2]. *Lap.* etc.). Sed superflue subiectum (*corpus peccati*) esset expressum, si idem, quod in priore membro (*vetus homo*), esset intelligendum. Quare cum nonnullis antiquioribus (cfr *Haym. Cai.* etc.) et vix non omnibus modernis (cfr *Reith. Beel. Bisp. LR. Ag. Sch.* etc.) alteram interpretationem praeferimus, iuxta quam corpus peccati intelligitur ipsum nostrum corpus, quatenus et quamdiu dominio peccati (τῆς ἁμαρτίας) subditum eius quasi est proprietas eique inservit concupiscentiis obediens. Quam interpretationem Apostolus quoque ipse in sua exhortatione (*vv.* 12. 13) supponit, eamque confirmat, ubi postea de lege peccati in *membris nostris* inhabitante eosque captivante ac de *corpore mortis huius*, i. e. de corpore quod inordinatis suis motibus nos ad mortem spiritualem adducit, loquitur (cfr *ad* 7,23. 24). Idem ergo est *corpus peccati* atque « caro cum passionibus et concupiscentiis eius », quam ii qui Christi sunt crucifixerunt (*Gal.* 5,23), et « corpus carnis », quod in baptismo exspoliamus ac deponimus (*Col.* 2,11). Genetivo *peccati* enim nomen *corpus* ad eum fere sensum trahitur, quem Paulus plerumque nomine *carnis* exprimit (cfr *Comment.* in 1. Cor. *p.* 69 sq.). *Destrui* autem vel evacuari dicitur utique non in se, quatenus est corpus nostrum, sed quatenus

est proprietas peccati eique obedit tamquam instrumentum iniquitatis (*v.* 13), vel ut habet *Haym.* : « Non destruitur ut annihiletur, sed ut cesset ab opere peccati ». Quam interpretationem *Tert.* (de resur. carn. 47) iam insinuat, quum corpus peccati « per emendationem vitae, non per interitum substantiae evacuari » dicit[1].

Vetus homo noster ergo cum Christo concrucifixus est, ut corpus nostrum dominio peccati (τῆς ἁμαρτίας) i. e. concupiscentiae inordinatae (cfr ad *v.* 1) subtraheretur; dominium autem, quod inde a nostra nativitate peccatum in corpus nostrum exercuit, in baptismo destructum est, *ne ultra serviremus peccato.* Quae verba quid sibi velint, Apostolus statim (*v.* 11 sqq.) ipse explicabit, postquam antea alteram partem *v.* 5 explicaverit. Antequam vero ad hanc explicationem progreditur, sententia generali nos concrucifixione veteris hominis ac destructione corporis peccati a servitute peccati liberatos esse probat. Eadem enim plane ratione sese ad peccatum habere monet eos, qui secundum veterem hominem sunt mortui, atque eos, qui naturalem mortem obierunt: 7. *qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato* (ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας). Quae in verba bene *Chrys.*: « De omni homine hoc dicit, quod quemadmodum qui mortuus est a peccando deinceps desistit, mortuus quum iacet, ita et ille, qui ascendit a baptismo; postquam enim illic semel mortuus est, omnino mortuus peccato maneat oportet. Si ergo mortuus es in baptismo, mane mortuus, nullus enim mortuus amplius peccare potest; si autem pecces, Dei donum labefactas ». Simili vel potius eodem argumento S. Petrus quoque fidelibus, utpote mortuis, a peccatis abstinendum esse probat : « quia qui passus est in carne, desiit a peccatis » vel uti *S. Aug.* sensum clarius reddit : « quia qui mortuus est carne, desiit peccare (ὅτι ὁ παθὼν σαρκὶ πέπαυται ἁμαρτίας 1 *Petr.* 4,1; cfr *S. Aug.* de fide et oper. 10,15). Mortuus, quum praeceptis non amplius ligetur (cfr 7,1 sqq.), quasi per iudicis sententiam declaratus est liber a peccato, utpote quo deinceps infici nequeat; ac similiter in eum, qui secundum veterem hominem cum Christo mortuus est, peccatum dominium suum amplius exercere non potest. Quum enim corpus peccati sit destructum, baptizatus quodam modo instrumento caret, quo peccet, neque amplius concupiscentiae peccare iubenti obedire potest (cfr 1 *Ioan.* 3,9; 5,18).

Haec est communior huius sententiae interpretatio, quam cum

1. Bene quoque *S. Cyr. Alex.*: « Destructum est corpus peccati, non tamen ipsa caro, sed saevitia perturbationum carni ingenita (ἔμφυτος), quae semper mentem ad turpia impellit eamque in terrenas voluptates velut in coenosam paludem iniicit ».

plurimis Graecis (*Chrys. Theod. Mopsu. Phot. Theoph. Oec. Euth.*) et multis antiquioribus iunioribusque Latinis (*Pel. Sed. Abael.* etc., *Tol. Est. Pic.* etc.) paene omnes moderni sequuntur (cfr *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Dr. Sch. LR.*). Verbum δικαιοῦσθαι igitur eo sensu, quo plerumque in hac epistola adhibetur, intelligendum non est, sed sensu forensi de sententia absolutoria iudicis, qua aliquis accusatus liber declaratur ab onere quodam perferendo aut servitio praestando, ita ut δικαιοῦσθαι ἀπό τινος sit. i. q. ἐλευθεροῦσθαι ἀπό τινος. Praeeunte tamen *S. Basil.* (de bapt. I. 2,15) aliqui Graeci (τινές apud *Oec.*) et multi Latini (*Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Iust. Nat.* etc., *Ag.*) consuetam verbi δικαιοῦσθαι significationem retinentes de iis solis, qui cum Christo in baptismo peccato mortui sunt, hanc sententiam explicant. « Qui enim mortuus est, inquit *S. Bas.* (l. c.), iustificatus est a peccato, i. e. solutus est, liberatus est, purgatus est ab omni peccato, quod non solum in operibus et verbis, verum etiam in cogitatione libidinem et affectus commovente situm est » ; atque *Thom.* : « Qui enim mortuus est per baptismum, quo commorimur Christo, iustificatus est a peccato, i. e. remissis peccatis translatus est in statum iustitiae ». Sed quomodo haec explicatio contextui accommodetur, non videmus, siquidem in tota hac sectione de remissione peccatorum, quae utique est primus ex effectibus baptismi, non agitur, sed de liberatione a servitute peccati, quae etiam ad primarios baptismi effectus pertinet. Sine ullo autem dubio Paulus hac sententia proxime demonstrare vult, nos non amplius debere *servire peccato*.

Priore sententiae superioris (*v.* 5) membro, nos scilicet per mortis similitudinem in baptismo Christo morienti insertos insitosque esse, explanato consectarioque practico, quod ex eo derivetur, insinuato ad alterum membrum explanandum Apostolus transit. Neque enim sufficit, ut peccato moriamur mortuique maneamus, sed requiritur, ut cum Christo etiam resurgamus novamque vitam agamus : 8. *si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam simul vivemus cum Christo* (melius : *etiam convivemus ei,* vel *cum eo,* καὶ συνζήσομεν αὐτῷ), 9. *scientes* (εἰδότες) *quod Christus resurgens* (melius : *resuscitatus* ἐγερθείς) *ex mortuis iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (melius : *dominatur* κυριεύει cfr *VV. LL.*). Particulam δέ (autem) hic non esse adversativam sed sermonem continuare et ad novum argumentum traducere evidens est; argumentationis forma autem eadem est, quae fuit *v.* 5. Eodem quippe modo Apostolus ex mystica nostra morte cum Christo ad mysticam nostram resurrectionem et novam nostram vitam in Christo concludit : propter unum scilicet beneficium,

quod iam accepimus, *credere* i. e. confidere nos dicit (πιστεύομεν), nos altero, quod cum illo intime sit connexum, non esse carituros. Similiter quoque prius beneficium, mortem nostram mysticam, tamquam rem praeteritam (ἀπεθάνομεν), resurrectionem vel potius novam vitam nostram tamquam rem futuram (συζήσομεν) ponit (cfr *ad v.* 5). Aeque parum vero, ac priora, haec verba cum *Chrys.* aliisque haud paucis, qui eum sequuntur, de futura gloriae vita, in qua cum Christo corregnabimus (2 *Tim.* 2,11), proxime ac directe intelligere licet. Tota potius huius sectionis contextura postulat, ut cum *S. Basil.* (de bapt. I. 2,15 sq.) ac plerisque de nova gratiae vita praesente, ad quam per baptismum regeneramur, directe illa interpretemur ac futuram gloriae vitam eatenus tantum, quatenus est praesentis vitae gratiae continuatio ac sequela, connotari dicamus (cfr *v.* 22). « Apostolus, inquit *Tolet.*, utitur verbo futuri (*vivemus*), quia vitae novitas, quae in baptismo accipitur, duratura est et quia in ea nobis est perseverandum; vitae enim perseverantiam et durationem hoc verbo Paulus significat, sicut Basil. in libr. de bapt. exponit; vita scilicet gratiae ex se perpetua est et finem non habet ». Iuxta Apostolum in Christum ita inserimur, ut ipse quasi principium novae vitae nobis fiat neque nos amplius vivamus sed Christus in nobis vivat (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 462); itaque quia Christus non amplius moritur, vita haec nova nostra, quantum ad Deum attinet, aeterna est, idque unum requiritur, ut nos nostra ex parte ea praestemus, quae ad illam continuandam pertinent. Nam per baptismum « creati sumus in Christo Iesu ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus » (*Eph.* 2,10); ad novam ergo vitam conservandam nostra cooperatio exigitur.

Quam conditionem interim praetermittens, ut in exhortatione sua illam insinuet (*v.* 13), ex parte novi principii vitalis nostram vitam novam non habituram finem esse ex eo probat, quod Christus, postquam semel propter peccata nostra mortuus est, ad vitam resuscitatus amplius mori nequeat, quia dominio mortis non amplius subiaceat. Semel quidem, scil. in mundum ingrediens, dominio mortis se ipse liber subiecit, ut pro nobis moriens nos sanctificaret per oblationem corporis sui (*Hebr.* 10,5 sqq.). Postquam vero gloriosa sua resurrectione mortem devicit eiusque imperium destruxit, dominio eius non amplius potest subiacere. Quae confirmans Apostolus addit : **10.** *quod enim mortuus est, peccato* (τῇ ἁμαρτίᾳ) *mortuus est semel* (ἐφάπαξ i. q. semel in perpetuum, ein für alle mal, une fois pour toutes); *quod autem vivit, vivit Deo.*

Quemadmodum in latino, ita etiam in graeco textu prior sententiae pars

ambigua est, quum duplicem constructionem admittat; nam dativus τῇ ἁμαρτίᾳ (*peccato*) non minus cum priore ἀπέθανεν (*mortuus est*), quam cum altero coniungi potest. Cum haud paucis antiquioribus Latinis (cfr *Herv. Lomb. Thom.* etc.) *Vulg. Clem.*, id quod ex eius interpunctione apparet, eum cum priore verbo connecti iubet; cum Graecis tamen (cfr *Chrys. Theod. Theoph.* etc.) etiam Latini multi antiquiores iunioresque (cfr *S. Ambr.* in Ps. 118 serm. 18, 42; *Haym.* etc., *Cai. Tol. Est. Iust.* etc.) modernique fere omnes alterum nexum haud immerito praeferunt. Concinniorem enim reddit sententiam, quum hac ratione duo ultima utriusque partis membra accuratius inter se respondent (*peccato mortuus est semel, vivit Deo* [semper]); ceterum sensus in utraque constructione idem fere manet.

Porro in utraque sententiae parte pronomen ὅ (*quod*) accusativus est obiecti, qui a verbis ἀποθανεῖν et ζῆν dependet; scilicet ἀποθνήσκειν τι et ζῆν τι Graecis est « aliquam mortem mori », « aliquam vitam vivere » (ἀποθνήσκειν θάνατον στρατηγοῦ *Plut.* Sulla 4; ἀνδρὸς βίον ζῆν *Lucian.* Tim. 33 etc.). Eadem ergo hic est constructio, quae est *Gal.* 2,20, atque bene *Theoph.* : ἐκεῖνο, ὃ ἀπέθανεν, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν « *illud*, quod mortuus est, peccato mortuus est », i. e. mortem, quam mortuus est, peccato mortuus est. Alii ὅ (*quod*) pro accusativo absoluto habent, qui valeat latinum « quod attinet ad »; sed eo modo Graeci pronomen ὅ adhibere non solent. Omnino erronee aliqui (*Valla* etc.) ὅ pro nominativo sumserunt : « Quod mortuum est, peccato mortuum est, i. e. quae Christi pars (sc. corpus humanum) mortua est, ea peccato mortua est semel; quae Christi pars (i. e. animus) vivit, vivit Deo ». In antiquioribus S. Hilarii editionibus etiam legebatur : « Quod enim *mortuum* est, peccato *mortuum* est semel » (*S. Hilar.* de Trin. IX. 13), sed in recentioribus consueta lectio Italae (quod enim *mortuus* est etc.) est restituta.

Quaeritur iam, quo sensu Christus dicatur *mortuus esse peccato semel* et nunc semper *vivere Deo*. Patres latini nomen *peccati* hic tropice interpretantur. Cum *S. Hilar.* (de Trin. IX, 13 cfr I. 15; X, 25) etiam *S. Aug.* (*Enchir.* 52 cfr 41-43) peccatum pro carne Christi positum esse censet, « in qua non fuerit peccatum quidem, sed similitudo peccati, et quae ideo appellata sit peccatum », ita ut Christus *carni*, i. e. « vitae passibili et mortali » vel secundum carnem mortuus esse significetur (cfr etiam *Herv*[2]. *Lomb*[2]. *Thom*[2].). *S. Ambros.* (l. c.) vero peccatum pro peccatore positum esse insinuat, ut Christus nobis peccatoribus, i. e. pro nobis, mortuus esse dicatur : « Semel *tibi peccatori* mortuus est Christus, noli iterum peccare post baptismum ;... *peccatum* es, o homo, ideo *peccatum* fecit Christum suum omnipotens Pater (cfr 2 *Cor.* 5,21); hominem fecit, qui peccata nostra portaret; *mihi* ergo *peccato* mortuus est Dominus Iesus, ut nos in illo essemus iustitia Dei ». Sed ut nullam admittendi tropi rationem hic adesse praetermittamus, clarum est, neutram explicationem contextui congruere. Neque

de tropo graeci Patres cogitarunt, quibuscum plurimi interpretantur, Christum mortuum dici *propter peccatum*, non suum utique, sed nostrum quod in se suscepit, ut illud nimirum expiaret et destrueret: « Quid est illud *peccato?* id est, ei obnoxius non erat, sed propter peccatum nostrum; nam ut illud tolleret et illius nervos vimque omnem praescinderet, ideo mortuus est » (*Chrys.* cfr *Theod. Theoph.* etc.; *Herv*[1]. *Lomb*[1]. *Thom*[1]. *Lyr.* etc., *Cai. Tol. Est. Lap.* etc., *M Ev. Dr. Ag.* etc. — *Fr. God.* etc.). Quae explicatio, licet duabus prioribus praestet, minus tamen contextui consonare videtur. Graeci quidem alterum membrum (*Deo vivit*) interpretantur : « vivit ex virtute et potentia Patris » (*Theoph.*) vel « vivit per suam ipsius divinitatem, propterea quod est Deus » (*Oec.*), ut nimirum aliqua saltem conformitas inter duo huius sententiae membra obtineatur. Attamen statim sequitur exhortatio, ut nos, similiter ac Christus, nos ipsos reputemus peccato mortuos et viventes Deo; qui nexus evidenter suadet, ut etiam in *v.* 10. simili ratione, qua in tota hac sectione, locutionem *peccato mori* explicemus (cfr ad v. 1).

Christus nimirum, quum tamquam agnus Dei, qui tolleret peccatum mundi (τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου *Ioan.* 1,29), omnia nostra peccata in se suscepisset, et a Deo factus esset peccatum pro nobis (2 *Cor.* 5,21), certo quodam modo ante suam passionem dominio peccati, uti etiam mortis, erat subiectus. *Mortuus* ergo *peccato*, i. e. respectu peccati, recte dici potest, quatenus morte sua imperium peccati destruens se ipsum quoque ab eius dominio, quod liber in se susceperat, liberavit, ita ut peccatum nihil amplius ad eum pertineret. Tam completa enim fuit eius victoria, ut peccatum nulla iam ratione dominium in eum exercere possit neque altera eius mors ad illud expiandum destruendumque requiratur (cfr *Hebr.* 7,27; 9,12. 20-28; 10,10). Semel mortuus est peccato in perpetuum; *vivere Deo* autem post mortem suam dicitur, quatenus nunc ex mortuis resuscitatus immortalis vivit ad Dei gloriam et laudem (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp.* etc.). Utique etiam ante passionem mortemque suam Christus vixit unice ad Dei gloriam et laudem; at Apostolus, quum nos in baptismo Christo resurgenti ac semper viventi insertos esse doceat, eam solam vitam, quam nunc Dominus in coelis degit, tamquam exemplar imitandum nobis proponit.

Aptissime iam iuxta hanc explicationem nunc sequitur monitum : 11. *ita* (οὕτως, *sicut* nimirum Christum unica sua morte a peccati dominio in perpetuum esse liberum atque post resurrectionem suam indesinenter Deo vivere scitis) *et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu* (*Domino nostro*). Proxime et immediate haec sententia particulis οὕτως καί (*ita etiam*)

praecedenti velut alterum quasi comparationis membrum adnectitur; simul tamen conclusio quaedam est, quae ex tota hac sectione eruitur. Ideo enim nosmetipsos tamquam mortuos peccato et Deo viventes reputare et considerare iubemur, quia per baptismum Christo morienti et ad vitam perpetuam resurgenti inserti revera cum eo per mortem quandam mysticam ex peccati servitute sumus erepti et per mysticam quandam resurrectionem novae perpetuaeque vitae principium accepimus. Hanc enim insertionem ultima verba (*in Christo Iesu*) nobis in memoriam revocant, quibus non tantum haec beneficia nobis per Christum mediatorem contigisse insinuatur, sed etiam, idque praecipue, declaratur, nos illa obtinuisse tamquam membra corporis, cuius caput ipsum, peccato mortuum, Deo vivit. Omnis enim, qui in Christo est, nova est creatura (2 *Cor.* 5,17), cuius vita ipse iam est Christus, quippe qui in illa vivat (*Col.* 3,3; *Gal.* 2,20 etc.).

Iustificati igitur in novum statum divino beneficio sunt translati; verumtamen in eo, quamvis ex se sit perpetuus, sine sua cooperatione non perseverabunt. Quamobrem ex praecedente monito ac simul ex tota sectione, cui illud innititur, Apostolus exhortationem derivat : 12. *non ergo* (μὴ οὖν, nimirum *quia* vos per baptismum peccato mortuos et ad vitam soli Deo dicatam resuscitatos esse scitis) *regnet peccatum* (ἡ ἁμαρτία) *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius* (εἰς τὸ ὑπακούειν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, *S. Aug.* serm. 30 n. 6; 128 n. 12 etc. : ad obediendum *desideriis eius* cfr *Gal.* 5,16), 13. (*sed*) *neque* (μηδέ) *exhibeatis membra vestra arma* (ὅπλα) *iniquitatis peccato; sed* (ἀλλά) *exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes et membra vestra arma* (ὅπλα) *iustitiae Deo*. Duabus moniti partibus duae respondent exhortationis partes, quae binis ita constant membris, ut duo priora ad interiorem potius hominem consensumque voluntatis, altera duo ad externi operis exsecutionem pertineant. Utpote peccato mortui enim invigilare iubemur, ne peccatum regnum amissum in nobis recuperare sinamus (id quod fit quando desideriis corporis obedimus), neve membris nostris iuxta peccati voluntatem ad peccandum abutamur; utpote resuscitati autem nos revera tamquam soli Deo iam viventes quum tota nostra vita tum speciatim externis nostris actibus exhibere debemus. Qua exhortationis structura elucet, particulam *sed*, quam in principio *v.* 13. soli Latini legunt (non tamen omnes, quia *S. Aug.* ll. cc. eam ignorat) perperam esse insertam. Nam inter duo prioris partis membra nulla habetur oppositio, uti neque inter duo alterius membra; oppositio autem adest inter ipsas duas partes, quarum prior vetat, altera iubet.

Iure merito plerique (cum *S. Aug. Theod.* etc.) nomine peccati (ἡ ἁμαρτία) hic intelligunt concupiscentiam, quae in baptizatis (hos quippe

Apostolus alloquitur), reatu peccati originalis remisso, ad agonem relinquitur (cfr ad *v.* 1). Velut regina autem repraesentatur, quae regnum amissum recuperare studet. Etenim dominium, quod inde a protoparentis lapsu in omnes eius posteros tenuit, Christus destruxit quidem morte sua, quum abundantes nobis gratias mereret, quibus adiuti sollicitationibus eius resistere easque vincere possumus. Quamdiu autem in mortali nostro corpore degimus, concupiscentia a lucta nunquam desistens eo tendit, ut desideriis corporis nostri obtemperemus atque hac ratione suo regno iterum subiiciamur. Id enim efficere vult, ut corpus nostrum denuo fiat « corpus peccati », quod esse in baptismo cessavit (*v.* 6), quod vero iterum erit, quamprimum carni concupiscenti contra spiritum (*Gal.* 5,17) consensum praestiterimus. Apposite adnotant Graeci, non dici μὴ τυραννείτω sed μὴ βασιλευέτω, ut concupiscentiam nos invitos sibi subiugare non posse, verum nunc a libero nostro consensu eius dominium in nos dependere intelligamus; nam tyrannidem quidem in invitos exerceri, regnum autem principatum esse in eos, qui voluntarii ac liberi se subiiciunt (cfr *Chrys. Theod. Theoph.* etc.).

Interroganti porro, cur Apostolus exhortetur, ne in *mortali* nostro corpore peccatum regnet, cum *S. Aug.* respondemus eum docere voluisse, nobis per totam hanc vitam contra concupiscentiam luctandum esse : « Quamdiu hic vivitur, sic est; sic et nos, qui senuimus in ista militia, minores quidem habemus hostes, sed habemus; fatigati sunt quodammodo hostes nostri iam per aetatem, sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscumque motibus infestare senectutis quietem; acrior pugna iuvenum est, novimus eam, transivimus per eam » (*S. Aug.* serm. 128 n. 11); pugna non cessabit, nisi quando mortale nostrum corpus induerit immortalitatem (1 *Cor.* 15,53). Quae autem alii significari volunt, pugnam haud diu esse duraturam propter vitae brevitatem (*Chrys. Theod.* etc.), aut suavia quoque corporis non esse stabilia neque proinde digna, propter quae concupiscentiae obediatur (*Theoph*[1].), aut mortem ipsam esse ex peccato (*Theoph*[2]. etc., *Mai* etc.), ea longius quaesita neque contextui congrua sunt.

Cavendum autem etiam est, ne concupiscentiam adiuvemus membris nostris velut armis, quibus regnum suum recuperet, ei subministratis. Egregie haec verba *S. Aug.* (l. c. n. 12) amplificat : « Dedit tibi Deus potestatem per Spiritum suum, ut membra tua teneas; surgit libido, tene tu membra, quid factura est, quae surrexit? Tu tene membra; noli exhibere membra arma iniquitatis peccato; noli armare adversarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita; libido surrexit, tene tu membra, tene tu manus ab omni scelere; tene oculos, ne male

attendant; tene aures, ne verba libidinis libenter audiant; tene totum corpus, tene latera, tene summa, tene ima, quid faciet libido? Surgere novit, vincere non novit : surgendo assidue sine causa discet et non surgere ». Idem fere est, utrum graecum ὅπλα hic cum *It.* et *Vulg.* interpretemur *arma*, an cum nonnullis iunioribus multisque modernis *instrumenta;* altera significatio apud profanos quidem est trita, prior tamen, uti in Novo Test. communior, immo unice usitata (13,12; 2 *Cor.* 6,7; 10,4 *Ioan.* 18,3), ita imagini belli ab Apostolo hic adhibitae accommodatior est. *Peccatum* membris nostris velut armis ad recuperandum suum regnum uti vult, quando nos sollicitat, ut contra divinam voluntatem iis utamur ad exercendam iniquitatem.

Neque tamen sufficit, ut a malo nos abstineamus, utpote secundum veterem hominem mortui, sed si in novo nostro statu permanere velimus, bonum quoque operemur oportet, utpote ad novam vitam resuscitati. Hinc altera exhortationis pars positiva, in cuius priore membro *nosmetipsos* (ἑαυτούς), nos igitur integros, quanti sumus, totas nostras ut ita dicamus personas, *Deo exhibere* (seu sistere παριστάνειν) iubemur *tamquam* (ὡσεί) tales, quales post baptismum revera sumus, qui nimirum per baptismum cum Christo ad novam vitam soli Deo dicatam resurreximus (*viventes a mortuis*). Totos igitur divino servitio nos consecrare ac speciatim, uti in ultimis verbis additur, *membra nostra Deo* dicare in eiusque ministerium offerre tenemur, ut sint *arma iustitiae* (δικαιοσύνης i. e. honestatis ac sanctitatis, opp. ἀδικία iniquitas), quibus Deus regnum suum stabiliat ac propaget. In hac exhortationis parte pro imperativis *praes.,* quibus in priore usus est (βασιλευέτω, παριστάνετε), Apostolus imperativum *aor.* (παραστήσετε) adhibet, ut maiore cum vi et intentione fideles ad divinum servitium excitet; minus vero placet, quod alii hac ratione orationem ideo variari tenent, ut subito aut semel in perpetuum ad divinum servitium transeundum esse insinuetur.

Ne quis vero maiora, quam a nobis fieri possint, praecipi praetendat, tantam esse ratus peccati (concupiscentiae) potentiam, ut ei resisti nequeat, Paulus ad fidelium animos erigendos addit, iustificatis ab illius potestate nihil esse timendum, quia vires, quibus ei resistant, eis non sint defuturae : **14.** *peccatum* (ἁμαρτία) *enim vobis non dominabitur* (vel forte melius iuxta alteram lectionem : *non amplius* dominabitur οὐκέτι κυριεύσει cfr *VV. LL.*); *non enim sub lege* (ὑπὸ νόμον) *estis, sed sub gratia* (ὑπὸ χάριν). Prima verba sollemnem continent promissionem; sed eam conditionatam esse fideliumque cooperationem supponere, reliqua sententia docet, qua causa indicatur, cur peccatum in iustificatos non sit dominaturum; causa autem haec sita est in differentia statuum

Legis et gratiae. Nam quoniam Lex praecipiebat quidem, quid agendum esset, sed vires quibus iussa implerentur non praebebat, iure merito ii qui *sub Lege* erant, i. e. in statu Legis degebant, peccati dominium sibi timebant; viribus naturalibus enim, quae solae vi Legis eis praesto erant, concupiscentia vinci nequit. At nihil timendum est iis, qui *sub gratia*, i. e. in statu Evangelii degunt, quippe in quo et praedicatur et confertur gratia, qua adiutus homo peccatum vincere potest et delictorum suorum veniam invenit. Bene *S. Aug.* (de contin. 3,8) : « Membra nostra non sibi usurpet concupiscentia, sed sibi vindicet continentia, ut sint arma iustitiae Deo, ne sint inquitatis arma peccato; sic enim nobis peccatum non dominabitur. Non enim sumus sub Lege bonum quidem iubente non tamen dante, sed sumus sub gratia, quae id, quod Lex iubet, faciens nos amaré potest liberis imperare » (cfr ad 3, 20; 4,15; 7,1 sqq.; *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 89 sq. 457 etc.). Ceterum clarum est ex contextu, nomen *peccati*, quamvis ἁμαρτία hic articulo careat, eodem concupiscentiae sensu, quo in reliqua sectione esse sumendum. Recte enim *Beel.* : « abesse potest articulus ob eandem rationem, ob quam a vocibus νόμον et χάριν hic abest, quia nimirum eiusmodi sunt haec nomina, ut in praesente doctrina si adhibentur, propriorum nominum naturam induant ». Fuse utrumque confirmationis membrum Apostolus mox exponet (7,1 sqq., 8,1 sqq.).

2. — *Iustificati, quia peccato sunt mortui, iustitiae servire possunt ac debent* (6,15-23).

6,15. *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* 16. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam?* 17. *Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis.* 18. *Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae.* 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae : sicut enim exhibuistis membra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* 20. *Quum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae.* 21. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* 22. *Nunc vero liberati a peccato, servi*

6,15. τί οὖν; ἁμαρτήσωμεν, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον ἀλλὰ ὑπὸ χάριν; μὴ γένοιτο. 16. οὐκ οἴδατε ὅτι ᾧ παριστάνετε ἑαυτοὺς δούλους εἰς ὑπακοήν, δοῦλοί ἐστε, ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην; 17. χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, 18. ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ. 19. ἀνθρώπινον λέγω διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν. ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ, καὶ τῇ ἀνομίᾳ, οὕτως νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν. 20. ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ. 21. τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε; ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε· τὸ μὲν γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος. 22. νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέν-

autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro.

τες δὲ τῷ Θεῷ, ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον. 23. τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος, τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν[1].

Simili modo, quo praecedentem, hanc quoque pericopen Paulus a proponenda ac reiicienda obiectione exorditur, quam ab adversariis malevolis ex sua doctrina derivatum iri suspicabatur. Qui enim ex eius verbis, gratiam superabundasse ubi delictum abundavit (5,20), fallaciter concludere voluerunt, permanendum esse in peccato, ut Deo superabundantis suae gratiae manifestandae occasio praeberetur (cfr ad *v.* 1), iidem etiam Christianis licentiam quandam peccandi concessam esse calumniari poterant, si eos non sub Lege sed sub gratia esse audiebant (*v.* 15). Quam perversam conclusionem reiiciens Paulus ostendit, Christianos eo ipso, quod ex peccati servitute sint liberati, servos iustitiae esse factos (16-18). Unde sua sponte sequitur, eos suis membris, quibus antea peccato servierunt, nunc iustitiae eodem saltem cum ardore servire debere (*v.* 19). Id autem et aequum esse monet (*v.* 20) et necessarium, quoniam peccati servitus mortem, iustitiae vero servitus vitam aeternam afferat (21-23).

De nexu huius particulae cum praecedente et cum sequente haud satis constat. Dubitari enim potest, utrum Apostolus descriptionem secundi iustificationis fructus, scilicet liberationis a peccati servitute, continuare, an potius tractationem de tertio fructu, i. e. de liberatione a Legis servitute,

1. *VV. LL.* — 15. ἁμαρτήσωμεν (peccemus) B ℵ A C D E K L P, haud pauci minusc., aliqui PP.; sed *textus rec.* : ἁμαρτήσομεν (*peccabimus*) cum permultis minusc., iunioribus PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*; erronee F G : ἡμαρτήσαμεν (peccavimus). Ex optimis quoque *Vulg.* codd. aliqui (*Fuld. Amiat. Harl.*) legunt *peccavimus*; sed librarii latini literas *v* et *b* saepissime permutant. — 16. οὐκ οἴδατε (*nescitis*) est communis lectio; sed D F G cum nonnullis *Vulg.* codd. (*Fuld. Demid. Floriac. Harl.*) et *Copt.* minus recte : ἢ οὐκ οἴδατε (*an* vel *aut* nescitis). — 18. ἐλευθερωθέντες δέ (*liberati autem*) B A D E F G K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Copt.*; haud recte ℵ C cum paucissimis minusc. : ἐλευθερωθέντες οὖν (liberati *ergo*). — 19. δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ..., δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ (*Tert.* de resurr. carn. 47; de pudic. 17 : *famula* immunditiae..., *famula* iustitiae) est communis lectio, pro qua F G : δουλεύειν τῇ ἀκαθαρσίᾳ..., δουλεύειν τῇ δικαιοσύνῃ (*servire immunditiae..., servire iustitiae*); sed Latini, lectione Tertulliani relicta, ideo fortassis *servire* scripserunt, quia inusitatum plural. neutr. *famula* vel *serva* evitare voluerunt, ita ut ex eorum versione concludere non liceat, eos lectionem duorum illorum codd. ante oculos habuisse. — τῇ ἀνομίᾳ (iniquitati) sine addito inter Graecos solus *B*; lege cum reliquis testibus : τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν (*iniquitati ad iniquitatem*). — 21. De huius sententiae interpunctione cfr *Comm.* — τὸ μὲν γὰρ τέλος (nam finis *quidem*) B D E F G, pauci minusc. et PP., *Syr.*; sed *textus rec.* : τὸ γὰρ τέλος (*nam finis*) cum ℵ A C K L P, omnibus fere minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.*

inchoare voluerit atque ad prius praecedentis sententiae membrum (*non estis sub lege*) demonstrandum iam transeat. Uterque nexus per se est aptus, atque secundus etiam aptior videri potest, ne nimis abrupte statim (7,1) tractatio de Legis abrogatione inchoetur. Nam si haec sectio cum priore arcte connectitur, non satis intelligitur, cur Apostolus, descriptione secundi fructus terminata, ad tertium plane diversum sine ulla praeparatione transiluerit mediasque in res se proiiciens Christianos sua morte mystica etiam a Lege esse solutos demonstrare inceperit. Attamen altera ex parte toto argumento suo haec pericope cum praecedente intime cohaeret, siquidem amplior est confirmatio et explanatio superioris exhortationis, ut membra nostra divino servitio consecremus (*v.* 13). Itaque eam velut alteram quidem partem tractatus de liberatione a peccati servitute, sed simul velut praeparationem quandam ad tractatum sequentem de Legis servitute abrogata considerare debemus. Is enim Apostoli est mos, ut versus finem alicuius partis alteram iam praeparet (cfr *Comment.* in 1 Cor. p. 116; *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 441). De reliquo ad pericopes ipsius interpretationem parum refert, utrum praecedenti an sequenti arctius adiungatur.

S. Paulus doctrinam de Legis statu abrogato et de gratiae statu stabilito perverse intelligi et in malam partem trahi posse haud ignoravit; Galatas enim monendos esse iam censuerat, ne libertatem a Lege per Christum ipsis acquisitam in occasionem darent carni, i. e. ne audito libertatis nomine, uti ait *S. Aug.*, impune sibi esse peccandum arbitrarentur (cfr ad *Gal.* 5,13). Similiter Romanorum attentionem ad conclusionem non minus perniciosam quam erroneam trahere vult, quam carnales homines ex superiore suo asserto (*v.* 14) deducere potuerint. Ideo eam sibi ipse obiicit, ut eius refutatione simul habeat occasionem uberius docendi, quid neophytis pro novo suo statu sit faciendum: 15. *quid ergo? peccabimus* (ἁμαρτήσομεν, vel: *peccemus* ἁμαρτήσωμεν), *quoniam non sumus sub lege sed sub gratia?* Forma quidem obiectionis eadem est, quae fuit *v.* 1, neque hic quoque quidquam interest, utrum cum *Vulg.* ac plerisque verss. iunioribusque graecis codd. futurum legamus, an cum antiquioribus omnibus codd. graecis coniunctivum (aor.) dubitativum (cfr *VV. LL.*); obiectiones autem sunt diversae. Ibi (*v.* 1) enim quaerebatur, num Christianis in peccati servitute permanere liceret *eo fine, ut* gratia abundaret; hic quaeritur, num eis impune peccare liceat, *quia* non amplius sint sub Lege sed sub gratia. Priorem obiectionem is solus movere potest, qui superabundantibus gratiis per Christum acquisitis non contentus alteram quandam uberiorem gratiae divinae manifestationem exspectat, qui igitur aut fidem nondum accepit aut ab ea defecit. Altera est hominis, qui novi status, in quem est translatus, officia nondum satis cognovit ac temere confidit, se semper delictorum suorum veniam esse inven-

turum. Animadvertatur quippe oportet, Paulum ambo illa, quod non simus sub Lege sed sub gratia, tamquam fontem obiectionis ponere : quia non amplius sint sub Lege, neophyti se moralibus quoque praeceptis non amplius teneri coniicere potuerunt; ac similiter quia sint sub gratia, sibi persuadere potuerunt, se sine suo periculo peccare, quia remissionem delictorum, quam Lex non dabat, per gratiam iam haberent paratam. Obiectionem consueta formula (μὴ γένοιτο *absit!*) velut blasphemam reiicit ac deinde hoc syllogismo refutat : Cuius servitio aliquis sese devovit, ei soli servire et obedire tenetur (*v.* 16); atqui fideles, abiecta peccati servitute, servitio iustitiae se devoverunt (*vv.* 17. 18); ergo soli iustitiae servire et a peccando sese abstinere tenentur. Quam conclusionem utpote evidentem verbis non declarat, sed statim (*v.* 19 sqq.) ostendit, qua ratione iustitiae servire debeant. Maioris quoque generale axioma, quod Dominus iam proposuerat, quum neminem duobus dominis servire posse doceret (*Matth.* 6,24), argumento non confirmat, quia illud per se esse clarum existimat. Ac revera, uti recte monet *Knabenbauer* (in Matth. l. c.), « *servire* et *servitus* totum hominis servi laborem viresque spectat; quod vero totum uni devoveri et consecrari oportet, id iam non potest alteri impendi »; idque multo minus fieri potest, ubi de duobus dominis non tam diversa quam disparata iubentibus agitur.

Maior argumenti proponitur interrogatione, quae rem a fidelibus ignorari non posse insinuat : 16. *nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum* (εἰς ὑπακοήν), *servi estis eius, cui obeditis* (ὑπακούετε), *sive peccati ad mortem, sive obeditionis* (ὑπακοῆς) *ad iustitiam.* Omnis servus est unius domini, cui soli servire et obedire tenetur; multo magis autem ii, qui *semetipsos* (ἑαυτούς) in alicuius domini servitium tamquam *servos* sua sponte (ἐκ καρδίας, uti *v.* 17 additur) tradiderunt, *ut obedirent* (εἰς ὑπακοήν), *illius* solius, *cui obediunt,* i. e. cui se servos obsequium praestituros obtulerunt, *servi sunt* eique soli, alio omni servitio excluso, obediant oportet. Quod axioma Paulus ad suum argumentum applicat duobus illis nominatis dominis, qui in re morali ad oppositos fines tendentes omnium hominum servitium obedientiamque ita sibi vindicant, ut fieri non possit, quin in utriusque servitutem sese tradentes simul *peccati* servi sint, quod eos ducit *ad mortem* (aeternam), atque *obeditionis,* quae *ad iustitiam* eos ducit.

Concinnius, uti patet, in altero membro dicere potuit : *sive iustitiae ad vitam aeternam,* siquidem mox (*vv.* 18. 19. 20) *peccati* servis ac servituti servitutem et servos *iustitiae* opponit atque terminos ultimos, ad quorum alterutrum homines adducuntur, *mortem* et *vitam aeternam* esse dicit (*vv.* 22. 23). Verum concinnitatem negligere maluit, ut sta-

tim initio sui tractatus doceret, fideles, etsi non essent sub Lege, ab omni servitute et obedientia non esse solutos, sed ad servitutem et obedientiam Dei obligari. Nudo enim *obeditionis* (ὑπακοῆς) nomine, quod in sententiae principio indefinite est positum (εἰς ὑπακοὴν *ad obedientiam, Vulg.* : ad obediendum), in ultimo membro definite *obedientiam erga Deum eiusque Evangelium* designari, ex contextu clare apparet (cfr *vv.* 17. 22). Obeditio porro, quae Dei eiusque Evangelio praestatur, *ad iustitiam* (εἰς δικαιοσύνην), i. e. ad supranaturalem vitae probitatem ac sanctitatem (εἰς ἁγιασμὸν *v.* 19), sanctitas vero ad vitam aeternam (*v.* 22) fideles adducit. Solus ergo intermedius terminus, qui tamen cum ultimo intime est connexus, in altero membro indicatur, in priore autem ultimus, nimirum *mors* eaque aeterna (nam eam expositionem postulat oppositio ad vitam *aeternam*), nominatur, ad quem peccatum suos servos adducat. Attende quoque, nomen *iustitiae* (δικαιοσύνης), quo in hac sententia sanctitas subiectiva velut proximus terminus, ad quem obedientia erga Deum fideles adducit, designatur, in reliqua pericope alio sensu adhiberi. Ibi enim *peccato* (τῇ ἁμαρτίᾳ), i. e. concupiscentiae obedientiam hominum sibi vindicanti eosque ad inobedientiam erga Deum sollicitanti, tamquam alterum principium, quo vita moralis regitur, vel potius tamquam alter dominus opponitur, cui homines servire et obedire tenentur (*vv.* 18. 19. 20); significat ergo ibi obiectivam sanctitatis normam in Evangelio revelatam, ad quam fideles iuxta divinam voluntatem vitam suam dirigere debent.

Itaque omnes homines pro sua libertate quidem aut peccatum aut iustitiam tamquam dominum, cui obediant, eligere possunt; sed alterutrius servi sint necesse est, utrique autem servire et obedire nequeunt; atqui fideles, reiecto peccato, iustitiam pro domino, cui servirent, eligentes iam facti sunt servi iustitiae. Hanc syllogismi sui Minorem Apostolus sub forma gratiarum actionis proponit, ut divino beneficio id factum esse significet, quod bonam partem elegissent, quum naturales vires ad eam eligendam et amplectendam non suffecissent : 17. *gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde* (ἐκ καρδίας) *in eam formam doctrinae in quam traditi estis* (εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς per attractionem pro τῷ τύπῳ διδαχῆς εἰς ὃν παρεδόθητε, *ei formae doctrinae, in quam traditi estis* [1]): 18. *liberati autem a peccato*

1. Cfr *Beelen* Gramm. *p.* 274. — Alii attractionem ita explanare malunt : ὑπηκούσατε εἰς τὸν τύπον διδαχῆς, εἰς ὃν (vel ᾧ) παρεδόθητε obedistis in eam doctrinae formam [i. e. relate ad eam formam cfr 2 *Cor.* 2,9 εἰς πάντα ὑπήκοοι *relate ad omnia*, vel in omnibus, *obedientes*], in quam, vel cui, traditi estis), aut etiam ὑπηκούσατε εἰς τὸν τύπον διδαχῆς, ὃν παρεδόθητε (obedistis relate ad eam doctrinae formam. quam traditam habetis, vel quae vobis tradita est, i. q. ὃν παραδοθέντα ἔχετε vel ὃς παρεδόθη ὑμῖν); cfr *Winer* Gramm. *p.* 155. 245 — Sensus idem semper manet; sed constructionem in textu indicatam praeferimus, quia ὑπακούειν

servi facti estis iustitiae. De duobus Paulus gratias agit, quod nimirum fideles *fuerint* servi peccati, i. e. quod servitutem illam abiecerint, et quod Evangelio eis tradito obedientes in servitutem iustitiae transierint servique facti sint iustitiae.

De accurata sententiae constructione disceptatur; antiquiores enim iunioresque plerique atque moderni nonnulli, quum praeteritum ἦτε (*fuistis*) in principio sententiae magna cum vi esse positum haud satis considerarent neque intelligerent, quomodo gratiae agi possent, quod fideles aliquando fuissent servi peccati, prius membrum (*quod fuistis servi peccati*) cum secundo arcte coniungere eique subiungere voluerunt. Per hebraismum[1] enim aut etiam ex negligentia quadam Apostolum existimarunt verbum finitum pro participio adhibuisse atque scribere debuisse : χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ὄντες ποτὲ δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας ὑπηκούσατε κτλ (gratias autem Deo, quod quum essetis aliquando servi peccati, obedistis etc.). Sed si prius membrum hac ratione secundo subiungere voluisset, particulam μέν inseruisset (ὅτι ἦτε μὲν δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δέ κτλ vel potius : ὅτι τῆς μὲν ἁμαρτίας ἦτε δοῦλοι, ὑπηκούσατε δέ κτλ. quod peccati quidem servi fuistis sed obedistis etc.). Nulla quoque est ratio, cur hebraismum aut negligentiam constructionis admittamus. Quid enim impedit, quominus Paulum Deo gratias agere dicamus, quia fideles per divinam gratiam *fuerint*, i. e. non amplius sint, servi peccati? Nequaquam enim imperfectum ἦτε huic explicationi obstat, siquidem verbum εἶναι aliud praeteritum non habet, ita ut imperfectum (ἦν), uti pro aoristo, ita etiam pro perfecto adhiberi possit (cfr 1 *Cor.* 6,11 καὶ ταῦτά τινες ἦτε, sed non amplius estis).

Eo ipso, quod fideles non amplius esse peccati servi dicuntur, insinuatur quidem eos iam iustitiae servos esse, quum omnes in alterutra servitute degant iuxta praecedentem sententiam necesse sit. Quod autem primo membro indirecte tantum et obscurius indicavit, id duobus sequentibus Paulus directe et clare asserit via descripta, qua ex peccati servitute in servitutem iustitiae transierint (*obedistis autem* etc.), et termino indicato ad quem pervenerint (*liberati autem* etc.)[2]. *Obe-*

semper cum dativo personae vel praecepti, cui obeditur, construi solet et exemplum ex 2 *Cor.* 2,9 non est ad rem, quia ibi persona, cui obeditur, subintelligenda est atque locutione εἰς πάντα extensio dumtaxat obedientiae significatur.

1. Si in Novo Test. per hebraismum verbum finitum pro participio ponitur, alterum membrum semper coniunctione καί (*et*) etiam iuxta Hebraeorum morem adiungi solet : *Luc.* 24,18 σὺ μόνος παροικεῖς Ἱερουσαλὴμ καὶ οὐκ ἔγνως κτλ (tu solus *peregrinus* es in Ierusalem *et* non cognovisti) pro σὺ μόνος παροικῶν Ἱερουσαλὴμ οὐκ ἔγνως (tu solus, quamquam advena versaris in Ierusalem, ignoras); *Ioan.* 3,19 αὕτη ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον καὶ ἠγάπησαν κτλ (hoc est iudicium, quia lux *venit* in mundum *et* dilexerunt etc.) pro αὕτη ἡ κρίσις ὅτι τοῦ φωτὸς ἐληλυθότος εἰς τὸν κόσμον ἠγάπησαν κτλ (hoc est iudicium, quod quum lux venisset in mundum, dilexerunt etc.); *Matth.* 11,25 etc. — Ceterum de particularum μέν-δέ usu in sententiis coordinatis, quarum prior re est subordinata, ita ut participio exprimi potuerit cfr *Buttmann* Griech. Grammat. Ed. 20. § 149,11.

2. Duo versus 17.18 arcte inter se cohaerent, quum verbum ἐδουλώθητε (*v.* 18) non minus quam verbum ὑπηκούσατε praedicato primi membri (ἦτε δοῦλοι) opponatur et omnia tria membra a coniunctione ὅτι dependeant. Gratias enim Deo Paulus agit, quod fideles peccati servi

diverunt nimirum Romani Evangelio eis oblato, *ex corde* (ἐκ καρδίας i. e. ex animo, libenter ac sincere) illud acceptantes vitamque suam eius praeceptis conformantes. Quod autem obedire potuerint, id habent a divina gratia, quae effecit, ut sese Evangelio traderent, vel potius per quam Evangelio vel in Evangelium traditi sunt (cfr *Gal.* 1,6 μετατίθεσθε... εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον transferimini... in aliud evangelium)[1]. Recte *Chrys.* : « Sincera *obeditio* liberum consensum (τὸ αὐτεξούσιον sc. fidelium) denotat, *traditio* autem (τὸ δὲ παραδοθῆναι i. q. τὸ *tradi*) divinum auxilium declarat ». Hac porro obedientia eo pervenerunt, ut *liberati a peccato*, i. e. ab eius servitute (ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας) *servi facti sint iustitiae* (ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ). Uti in praecedente (παρεδόθητε), etiam in hoc membro verba passiva adhibentur, ut fideles non tam suis viribus quam divinae gratiae hanc status mutationem se debere intelligant. Evangelium hic a Paulo tropice vocatur ὁ τύπος διδαχῆς (*forma doctrinae*), quia normam exhibet, ad quam vita est instituenda (cfr *Chrys. Theod. Oec. Theoph.* etc., *Est. Iust.* etc., *Reith.* etc.). Minus vero placet, quod hac dictione doctrinam evangelicam velut distinctam ab aliis formis doctrinae, uti iudaica etc., alii significari volunt; ad hoc enim exprimendum nudum διδαχή, εἰς ἣν παρεδόθητε suffecisset. Multo minus vero concedimus, Paulum hic suum Evangelium, quatenus nonnullis doctrinis clarius propositis ab aliorum Apostolorum praedicatione differebat, designare voluisse; nulla enim prorsus hic erat ei ratio, cur de *suo* Evangelio loqueretur, quia ipse Romanis nondum praedicaverat neque Romani in *ipsius* Evangelium traditi apte dici possunt.

Quemadmodum supra iam diximus, conclusionem syllogismi, utpote evidentem, silentio praeterit. Si enim omnes servi domino suo soli,

esse desierint, Evangelio autem obediverint iustitiaeque servituti sese subiecerint; duobus posterioribus membris ergo primum clarius exponitur. Haud recte ergo cum *Vulg. Clem.* nonnulli moderni *vv.* 17. et 18 puncto posito separant. In *v.* 18. quidem sese habere syllogismi conclusionem (*Reith. Sch.* etc.) sibi persuadent; at particula δέ (ἐλευθερωθέντες δέ) in conclusione adhiberi nequit, particula οὖν autem, quam aliqui codd. graeci exhibent, sufficienti auctoritate non est munita (cfr *VV. LL.*) ac sciolo probabiliter debetur librario, qui nexum Pauli non perspiciens erroneum suum nexum textui inseruit. Particula δέ in *v.* 18. est metabatica inchoatamque sententiam continuat.

1. Haud satis recte *Cai.*, quem iuniores nonnulli sequuntur, ad illud *in quam* (formam doctrinae) *traditi estis* adnotat : « Graecus sermo hunc modum loquendi admittit, Latinis ineptum, sed ratione mysterii immutatum. Significatur enim quod non tam evangelicae doctrinae forma tradita est hominibus, quam homines traditi sunt formae doctrinae evangelicae, ut evangelicae doctrinae formatio principatum ac dominium in homines obtinere significetur et non e diverso ». Per se enim latinum *tradi in Evangelium* non magis mirum est quam graecum παραδοθῆναι εἰς εὐαγγέλιον, siquidem in utraque lingua admittendus est tropus, quum Evangelium velut doctor vel dominus consideretur, cui homo instituendus ac regendus traditur.

cui se tradiderunt, servire tenentur, fideles autem spontanea sua obeditione erga Evangelium sese iustititiae tamquam servos subiecerunt, servitute peccati abiecta, clarum est eos soli iustitiae servire et obedire, a peccando igitur sese abstinere debere. Quare eos docere mavult, qua ratione eos iustitiae servire oporteat : 19. *humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae; sicut enim exhibuistis membra vestra servire* (vel *servos* δοῦλα) *immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire* (vel *servos* δοῦλα) *iustitiae in sanctificationem.*

Locutionis ἀνθρώπινον λέγω (*humanum dico*) duplex est expositio. Iuxta paucos enim cath. et plerosque acath. modernos Paulus, ut sese excusaret, quod de *servitute iustitiae* esset locutus, hac expressione monuisset, se hominum more esse locutum, qui verborum vim non semper, ut decet, pensare soleant, vel etiam sese utpote hominem ad homines loquentem verba hominibus usitata et cognita adhibuisse (cfr *Mai. Beel. — de W. Rück. Mey. Weiss, God. Lips. Grimm* Lexic. *Goeb.* etc.); iuxta cathol. autem fere omnes, antiquos, iuniores modernosque, verba significant, a fidelibus nihil postulari, quod eorum vires (a gratia adiutas) superet, modica esse praecepta humanaeque infirmitati accommodata. Priores ἀνθρώπινον λέγω simili sensu quo κατὰ ἄνθρωπον λέγω (cfr ad 3,5) dici volunt; alteri vocabuli significationem ex 1 *Cor.* 10,13 (πειρασμὸς ἀνθρώπινος tentatio humana, i. e. talis quae vires hominis gratia adiutas non superat cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 286) definiunt. Iamvero a prioribus arbitrarie admitti videtur, idem esse ἀνθρώπινον λέγω et κατὰ ἄνθρωπον λέγω, siquidem nullo exemplo haec significationum aequalitas probatur. Neque magis probare possunt, verba *propter infirmitatem carnis vestrae* apte explicari « propter *intellectus* vestri imbecillitatem, qui intelligere nondum potest, quod Deo servire sit regnare »; nusquam enim nomen *carnis* ad solum intellectum restringitur. Praeterea si eorum interpretatio admitteretur, primum membrum (*humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae*) parenthesin constitueret, praeceptum autem, quod sequitur (*exhibete membra vestra servire iustitiae*) et coniunctione causali (γάρ *enim*) introducitur, aut immediate cum asserto *v.* 18 (*servi facti estis iustitiae*) aut cum conclusione praetermissa (ergo servire debetis iustitiae) connectendum esset; neutrum vero apte fieri potest. Quamobrem novam hanc explicationem omni probabilitate carere censemus, idque eo magis, quia nulla Paulo hic fuit ratio, cur se excusaret. Uti enim Christus de *iugo* suo loquitur, quod omnes in se suscipere debeant (*Matth.* 11,29), ita cum reliquis Apostolis Paulus tam frequenter de *servis* Christi vel Dei loquitur locutionemque *servire Deo* adhibet (δοῦλος Χριστοῦ vel Θεοῦ, δουλεύειν Χριστῷ vel Θεῷ 1,1; 7,25; 14,18; 16,18; 1 *Cor.* 7,22; *Gal.* 1,10; *Eph.* 6,6; *Phil.* 1,1; 2,22 etc.), ut nemini locutio *servus iustitiae* (δοῦλος δικαιοσύνης) admirationi, nedum scandalo, esse potuerit.

Explanaturus igitur, qua ratione fideles iustitiae, quam dominam,

cui obedirent, sibi ipsi elegerant, servire debeant, Apostolus *propter infirmitatem carnis eorum*, quae etiam iustificatis ad agonem relicta a perfectioribus difficilioribusque refugit, neophytis, utpote parvulis in Christo (cfr *Comm.* in. Cor. *p.* 173 sq.), *humanum* tantum praeceptum imponit. Nihil *enim* postulat, nisi ut deinceps eadem saltem ratione ac mensura membra sua servitio iustitiae consecrent, qua antea illis in servitium peccati sint usi. Iure merito *Orig.* « pudorem quendam, inquit, per haec incutit auditoribus, ut hoc saltem obsequii dependant iustitiae et sanctificationi, quod prius immunditiae iniquitatique detulerunt. Quid ergo tam *humanum*, hoc est, quid tam leve, quid tam sine onere, et quod nulla prorsus possit carnis infirmitas excusare? Ingloriosum quidem est, ut ita quis virtutibus sicut vitiis serviat; multo enim amplius et multo intentius honoranda iustitia est; sed ego, inquit, humane et communiter ago; eadem postulo, similia requiro. Dudum currebant pedes vestri ad daemonum templa, nunc currant ad ecclesiam Dei; currebant prius ad effundendum, nunc ad liberandum sanguinem currant; protendebantur prius manus ut aliena diriperent, nunc protendantur, ut propria largiantur » etc.

Ac profecto haud sine ratione praeceptum hoc vocat *humanum* « i.e. leve, exiguum, humile, imbecillitati neophytorum consonum » (*Theoph.* cfr *Chrys. Theod.* etc.), quia procul dubio fideles maiore cum ardore ac studio iustitiae servire decet, quam peccato ab eius asseclis servitur. Id recte monet *S. Aug.* (ad Anast. ep. 145,5) : « Non praemitteret *humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae*, nisi plus aliquid dicendum fuit, si iam illi ferre potuissent. Plus quippe servitutis debetur iustitiae, quam peccato solent homines exhibere; nam poena corporis, etsi non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati, nec facile quisquam est, qui palam committat, quo illicitam et immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictae certum est continuo secuturos. Iustitia vero sic amanda est, ut ab eius operibus etiam poenae corporis cohibere non debeant, atque inter manus etiam crudelium inimicorum luceant opera nostra coram hominibus ». Minimum sane est, quod Apostolus praecipit, quum *Bar.* 4,20, ad quem locum forte alludit (cfr *Tol.*) moneat, ut Israelitae studium decuplo maius ad Dei servitium adhibeant, quam antea ad peccandum adhibuerint.

Ante conversionem suam neophyti membris suis *immunditiae et iniquitati* (τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ) serviisse et ab iis *ad iniquitatem* (εἰς τὴν ἀνομίαν) adducti esse dicuntur. Pro generali nimirum nomine *peccati* (τῆς ἁμαρτίας i. e. concupiscentiae), quo antea Paulus dominum, cui servierant, designavit (*vv.* 17. 18), duo specialia elegit, quibus concupiscentiam designaret, quatenus ad peccata luxuriae (ἀκαθαρσία)

et iniustitiae (ἀνομία) suos servos sollicitat. Fortasse enim insinuare voluit, Romanos, utpote Ethnicochristianos, antea his praesertim peccatis deditos fuisse. Quemadmodum porro nomen *iustitiae* in hac pericope aut obiectivam sanctitatis supranaturalis normam aut subiectivam sanctitatem fidelium significat, prout aut velut principium, a quo eorum vita regitur, aut velut terminus, ad quem adducuntur, ab Apostolo usurpatur (cfr ad *v.* 16 *p.* 335), ita *iniquitas* quoque (ἡ ἀνομία) in hac sententia semel concupiscentiam ad iniustitias sollicitantem designat, ubi nimirum velut domina, cui eousque neophyti servierant, consideratur, et semel subiectivam improbitatem pravitatemque latissimo sensu, ubi nimirum de termino (proximo) adhibetur, ad quem *immunditia et iniquitas*, i. e. peccatum, suos asseclas adduxerant (*servire* immunditiae et *iniquitati ad iniquitatem*).

Descripto modo, quo fideles nunc iam uni iustitiae servire debeant, duabus rationibus Paulus eos ad hoc servitium praestandum omniaque vitanda delicta exhortatur. Ac primum quidem aequum esse monet, ut in novo suo statu eadem se ratione habeant ad peccatum, quo in pristino suo statu sese ad iustitiam habuerunt. Sicuti olim soli servierunt peccato, ita eos nunc soli iustitiae servire decet : 20. *quum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae* (ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ *iustitiae* est dativus) i. e. liberi fuistis relate ad iustitiam, ei nullo modo servitium exhibuistis. Egregie *Chrys.* hanc sententiam exponit conclusione, quam Paulus pro more ob brevitatis studium praetermisit, suppleta : « Non eratis ei (sc. iustitiae) subiecti, sed ab ea prorsus alieni; neque enim servitutis modum (τὸν τρόπον τῆς δουλείας) dividebatis partim iustitiae partim peccato, sed vos totos peccato tradebatis. Itaque et nunc, quia ad iustitiam vos transtulistis, vos totos virtuti tradite nihil prorsus malitiae patrantes, ut saltem parem exhibeatis mensuram ».

Neque vero decet tantum, fideles sese iustitiae servituti ita consecrare, ut nihil in illam delinquant, sed id necessarium quoque esse apparet, si fructus, quem peccatum eis attulit (*v.* 21) cum fructu iustititiae (*v.* 22) comparatur; peccatum enim ad mortem, iustitia ad vitam aeternam ducit (*v.* 23). A peccati fructu Apostolus exorditur : 21. *quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis eorum mors est* (τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε [ἐκείνων], ἐφ᾽ οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε; τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος). Graeca sententia praeter interpunctionem, quam cum *Chrys.* etiam *Vulg.* ac plerique antiquiores iunioresque Latini sequuntur, alteram quoque admittit, quam cum *Theod.* plerique moderni praeferunt : τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε; [ἐκεῖνα] ἐφ᾽ οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε· τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος (*quem*

igitur fructum habuistis tunc? Eiusmodi, de quibus nunc erubescitis; nam finis illorum mors est). Ad sensum generalem haud multum refert, utra interpunctio eligatur, quia iuxta utramque sequelas servitutis peccati pessimas esse docetur, et iuxta utramque quoque opera, quibus neophyti ante conversionem suam (τότε *tunc*) peccato servierunt, pudenda dicuntur, de quibus *nunc* (νῦν) iure merito erubescant. Si priorem sequimur, opera illa nullum fructum attulisse significatur, quoniam neophytos ad mortem spiritualem adduxerunt; etenim responsum : « Nullum fructum habuerunt », post interrogationem supplendum esse patet. Quodsi alteram sequimur, opera illa velut fructus considerantur sua sponte ex peccati servitute procreati, atque de illis erubescendum esse Apostolus docet, quia ad mortem spiritualem et aeternam ducant.

Aptum igitur sensum utraque lectio praebet, alteram tamen praeferimus, quia duplicem terminum servitutis peccati enuntians (proximum, scilicet opera, de quibus fideles nunc erubescunt, et ultimum, scilicet mortem aeternam) accuratius respondet sequenti sententiae, quae duplicem terminum servitutis iustitiae indicat : 22. *nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem* (εἰς ἁγιασμὸν *in sanctitatem*), *finem vero vitam aeternam*. Sicut *tunc* in pristino eorum statu servitus peccati fructus pudendos malorum operum tulit, quae ad mortem aeternam ducunt, ita *nunc* in novo eorum statu servitus iustitiae fructus fert bonorum operum, quae proxime ad perfectiorem sanctitatem et tandem ad vitam aeternam adducunt.

Demum Apostolus ea, quae de ultimo utriusque servitutis termino dixerat, confirmaturus addit : 23. *stipendia enim* (τὰ γὰρ ὀψώνια) *peccati mors; gratia autem* (τὸ δὲ χάρισμα *Tert.* de resurr. carn. 47 : *donativum*) *Dei vita aeterna*. « Bene, inquit *Orig.*, metaphoram militiae ab initio propositam (*v.* 12 sq.) servat, ut militantibus sub peccato rege, immo potius tyrannidi eius obedientibus, stipendia debita mortem dicat exsolvi ». Ὀψώνιον enim (vel usitatius plur. ὀψώνια), uti etiam latinum *stipendium* (vel plur. *stipendia*) « proprie dicitur id quod a rege militibus datur in sustentationem » (*Theoph.* cfr *Chrys. Theod.* etc.) quodque militibus stricto iure debetur (cfr 1 *Cor.* 9,7). Mors igitur, eaque aeterna (hanc enim intelligendam esse oppositio vitae aeternae docet) est iusta retributio, quam peccatum servis suis solvit tamquam mercedem debitam. Simili modo vitam aeternam Apostolus stipendia iustitiae vel Dei appellare potuit, quum hanc quoque considerare liceat tamquam iustam retributionem, quam iustitia vel Deus sibi servientibus debeat. At non tam, quia nomen stipendii aliquid abiecti habet,

ab eo adhibendo abstinuit, quam ut insinuaret, aliam esse malorum, aliam bonorum nostrorum operum rationem. Namque mala opera integra sunt hominis, quia ab eius voluntate libera sola procedunt; bona vero, quamvis etiam a libera voluntate procedant, primario tamen divinae gratiae debentur et a gratia habent, quod ex condigno vitam aeternam mereantur. Quoniam igitur bona opera, quibus vita aeterna velut merces debita divinitus est promissa, ipsa sunt gratuita dona divina, etiam vita aeterna vere ac proprie *donum gratuitum* (χάρισμα Vulg. *gratia*) Dei est.

« Sine ulla dubitatione, inquit *S. Aug.* (de corrept. et grat. 13,41) confitendum est, ideo *gratiam* vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, quae gratia contulit homini ». Fusius sententiam hanc alibi (ad Sixt. ep. 194 n. 20. 21) idem S. Doctor in hunc modum exponit : « Vide, in quanta brevitate quam vigilanter verba posuerit. Quum enim dixisset *stipendium peccati mors,* quis non eum congruentissime et consequenter addere iudicaret, si diceret : *stipendium autem iustitiae vita aeterna?* Et verum est. quia sicut merito peccati redditur mors tamquam stipendium, ita merito iustitiae tamquam stipendium vita aeterna;... unde etiam merces appellatur plurimis sanctarum Scripturarum locis; nusquam porro dicta est merces iustitia vel fides, quia iustitiae vel fidei redditur merces; quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium. Sed beatus Apostolus adversus elationem,... ne iustitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non a contrario retulit dicens : stipendium iustitiae vita aeterna, sed *gratia,* inquit, *Dei vita aeterna.* Et haec ne praeter mediatorem aliqua alia via quaereretur, adiecit : *in Christo Iesu Domino nostro,* tamquam diceret : Audito quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere... et contrariam morti vitam aeternam tamquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita aeterna. vera iustitia est; si autem vera iustitia est, ex te non est, desursum est descendens a Patre luminum. Quapropter, o homo, si accepturus es vitam aeternam, iustitiae quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa iustitia; tibi enim tamquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur » (cfr etiam Enchirid. 107; de gr. et lib. arb. 9,21 etc.).

§ 5 — *De tertio iustificationis fructu seu de liberatione a servitute Legis* (7,1-25).

Iustificatos non amplius sub Lege esse sed sub gratia, S. Paulus *supra* (6,14) asseruerat, ut iure se sperare doceret, fideles deinceps non iam peccato sed iustitiae esse servituros. Neque tamen assertum suum probaverat, quia prius obiectione quadam, quam carnales homines ex eo derivare poterant, refutata accuratius explanare voluerat, neophytos novo statu, quem favente et auxiliante Deo sibi elegerant, obligatos esse, ut sese integros servituti iustitiae consecrarent. Manca tamen et imperfecta fuisset tota eius argumentatio, nisi assertum, quo et suam spem fulciri obiectionemque refutatam niti dixerat, diligenter firmasset. Ad illud ergo reversus praeprimis priorem eius partem (*non estis sub lege*) probat; mystica enim sua morte fideles etiam a Legis dominatu esse liberatos (7,1-6) docet relationemque, quae inter peccatum et Legem intercedit, ita exponit, ut quantum sit beneficium liberatio a servitute Legis clarius appareat (7,7-25).

1. — *Iustificati mystica sua morte a Legis dominatu sunt soluti* (7,1-6).

7,1. *An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?* 2. *Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri.* 3. *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri : ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* 4. *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.* 5. *Quum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris vestris, ut fructificarent morti :* 6. *nunc autem soluti sumus a lege*

7,1. Ἢ ἀγνοεῖτε, ἀδελφοί, — γινώσκουσιν γὰρ νόμον λαλῶ, — ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ; 2. ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός. 3. ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ. 4. ὥστε, ἀδελφοί μου, καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι, ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ· 5. ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκί, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ· 6. νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου,

mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate literae.

ἀποθανόντες, ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ὥστε δουλεύειν ἐν καινότητι πνεύματος καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος [1].

Fideles divinis gratiis indigere, ut devictis peccati incursibus uni iustitiae servire possint, ultima praecedentis pericopes sententia insinuat, quae vitam aeternam ipsam, ad quam iustitiae servitus tendit, gratiam Dei esse docet (6,22. 23). Tantum vero abest, ut Lex post peccatum in mundum ingressa asseclis suis auxilia haec praestet, ut cum peccato quasi sociata ac foederata ad delicta augenda iuvet efficiatque, ut peccatum virus suum magis manifestet (5,20). Minime igitur sufficere potuit, ut fideles a sola peccati servitute liberarentur; quamdiu enim sub Legis dominatu degebant, in proximo semper versabantur periculo, ne a peccato iterum subiugarentur. Fide iustificatos autem non minus a Legis quam a peccati servitute solutos esse, Paulus morte mystica probat, qua in baptismo una cum Christo in cruce moriente mortui sint (6,3 sqq.). Romanis enim in memoriam revocat, Legem solis vivis dominari (*v.* 1), idque elucere addit ex lege matrimoniali, quae uxorem alteri nubere vetat, quamdiu vir eius vivit, illo autem mortuo alterum matrimonium ei permittit (2. 3). Unde neophytos quoque, quia cum Christo mortui sint, a Legis dominatu esse exemtos concludit, idque eo fine factum esse declarat, ut cum Christo resuscitato intime in nova sua vita uniri Deoque fructus iustitiae ferre possint (*v.* 4). Quam conclusionem diversitate duorum statuum descripta confirmans eos, qui a Legis dominio liberati sint, non amplius morti sed Deo fructificare posse ac debere monet (5. 6).

Ut argumentatio Pauli facilius intelligatur, iuverit cum *Tolet.* praenotare, omnino aliud esse *cessasse Legem*, aliud *cessasse dominium statumque Legis*, vel quod idem est *non esse sub Lege*. « Lex quidem non tota cessavit,

1. *VV. LL.* — 3. ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι κτλ (a lege, ut non sit etc.) est communis lectio codd. et PP. graecorum atque aliarum versionum, quam ex Latinis sequuntur *Tert.* (de monog. 13), *S. Hil.* (in Ps. 131 n. 24), et aliqui *Vulg.* codd. (*Tolet.* etc.); minus apte : ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός, τοῦ μὴ εἶναι κτλ (*a lege viri, ut non sit* etc.) unus alterve minusc. graec., fere omnes Latini. — 6. κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα (soluti sumus a lege, mortui ei in quo detinebamur) B ℵ A C K L P, plerique minusc., *It.* (*Tert.* l. c., *Orig.* interpr. etc.), *Syr. Copt. Aeth. Arm. Goth.*; similiter quoque *Amiat.* : « soluti sumus a lege *morientes* (ei) in quo detinebamur; sed Graecolatini : κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ θανάτου, ἐν ᾧ κατειχόμεθα (*soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur*) D E F G, et *Vulg.* Etiam *Rufin.* (interpr. Orig.) iam adnotat : « scio et in aliis exemplaribus scriptum *a lege mortis in qua detinebamur,* sed hoc, i. e. *mortui*, et verius est et rectius ». Erroneae aliquae editiones textus graeci exhibent ἀποθανόντος pro ἀποθανόντες, nam genetivus ille in nullo codice graeco exstare dicitur.

manet enim nunc lex moralis et decalogi in Evangelio... neque tamen nunc dicimur esse sub Lege aut sub servitute Legis. Haec enim cessarunt et non sunt adveniente Evangelio; quia Legem dominari aut esse sub servitute Legis est esse in statu Legis, in quo Lex pura consideratur : in quo statu homo non habet vires, quibus impleat praecepta Legis. Lex enim quantum ex se est [i. e. Lex pura] obligat, virtutem tamen non dat, qua quod iubet fiat; hoc enim facit virtus gratiae et fidei, quae ad Evangelium pertinet. Qui ergo in Legis statu erant, sub Lege et dominio eius esse dicebantur, a quo statu et dominio Legis Evangelium Christi liberat, quia secum habet gratiam, per quam Lex impletur. Quae quidem gratia dabatur olim in statu Legis degentibus, at non ratione status sed propter futurum Christum, in quem fide et spe et caritate ferebantur, quae ad Evangelium proprie pertinent, quod Christum annuntiat et praedicat. Fieri ergo potest, ut Lex maneat obligans ad sui observantiam, et cum hoc non simus sub Lege nec sub eius dominio, quia gratiam iam habemus, qua eius praecepta impleamus : sicut etiam, quamvis nunc peccemus et peccatum in nobis inveniatur, non dicimur sub peccato esse, quia habemus, quo illud vincamus et ab eius iugo liberemur. Paulus ergo non praetendit praecipue in hoc capite demonstrare, Legem veterem cessasse neque amplius obligare,... sed Legis statum cessasse et Legem dominium suum amisisse, sub quo tamquam servi tenebamur non valentes iugum illius excutere impletis illis, quae Lege praecipiebantur ».

Satis abrupte ad superius suum assertum (6,14) revertens Apostolus simili interrogatione, qua antea (6,3), axioma proponit, quo Christianos, utpote in Christo mortuos, a Legis mosaicae dominatu solutos esse ostendat : **1.** *an* (rectius : *aut* ἤ) *ignoratis fratres, — scientibus* (γινώσκουσιν sine artic.) *enim legem* (νόμον sine art.) *loquor — quia lex* (ὁ νόμος) *in homine dominatur* (cum *S. Hilar.* in Ps. 131 n. 24, *A*[tro], *S. Aug.* l. de octog. tribus quaest. qu. 66,1 etc. lege : *homini dominatur* κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου), *quanto tempore vivit.* Haud pauci iuniores ac moderni sermonem hic ad Christianos, qui olim Iudaei fuerant, dirigi censent (cfr *Tol. Est. Pic.* etc., *MEv. Mai.* etc. — *Grot. Beng.* etc., *Thol. de W. Phil.* etc.); at id neque ex appellatione *fratres* recte deducitur, quippe quae omnium promiscua est lectorum christianorum (1,13; 10,11; 11,25; 12,1; 15,14. 30 etc.), neque ex eo, quod Legem scire dicuntur, siquidem etiam Ethnicochristianos, quum in sacris coetibus Lex semper legeretur Apostolique in suis praedicationibus epistolisque continuo ad eam appellarent, Legem cognovisse certum est[1]. Praeterea Apostolus, si Iudaeochristianos ob Legis scientiam ve-

1. Galatas, quos ethnicos fuisse ante suam conversionem omnes consentiunt, Paulus admirabundus interrogat, num Legem non legerint vel potius non audierint (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 546); Legis autem nomine ibi intelligit Pentateuchum.

lut classem specialem ab aliis discernere voluisset, necessario articulum participio praemittere debuisset (τοῖς γινώσκουσιν νόμον λαλῶ ad eos, qui Legem norunt, loquor). Si quis vero obiicit, Paulum alloqui eos, qui a Lege soluti sint, Ethnicochristianos autem Legi nunquam fuisse subiectos, respondemus omnes Christianos in Christo Legi fuisse subiectos (cfr *Comm.* in 2 Cor. et *Gal. p.* 533). Quare a vero illi quoque aberrant, qui sermonem ad omnes quidem fieri concedunt, sed nomine νόμου, quum articulus desit, legem in genere designari volunt, ita ut lectores velut legum periti designentur (*Cai.* — *Weiss*). Ex intimo enim, qui inter parenthesin principalemque sententiam adest, nexu evidenter apparet, νόμον eodem sensu in utraque esse sumendum; saepius quoque iam monuimus, nomen νόμου, ubi de Lege antiqua usurpatur, velut nomen proprium tractari, quod articulo carere potest.

Porro dubitari nequit, quin in principali sententia ὁ νόμος Veteris Test. Legem eamque totam significet. Habemus enim hic quasi Maiorem syllogismi, quo Christianos non esse sub Lege vetere probatur, ita ut nomen (ὁ νόμος) hic non minus, quam in conclusione (*v.* 4), de tota Veteris Test. Lege intelligere debeamus, nisi ratiocinationem paulinam contra logicam peccare dicere velimus. Ad quem contextum non satis attenderunt, qui illud hic aut cum *Cai.* universe de omni lege, aut cum *A^tro^* de lege naturali, aut cum *Tol.* de sola lege matrimoniali Iudaeorum interpretati sunt. Quae explicationes ideo quoque erroneae sunt, quia ὁ νόμος, ubi sine addito a Paulo usurpatur, semper aut Legem mosaicam stricte dictam aut revelationem scriptam Veteris Test. (libros V. T.) significat. Deinde regula, leges solis vivis dari earumque obligationem morte solvi, generalis quidem est, si latiore quodam sensu sumitur; mortui enim neque earum transgressione amplius peccare (cfr ad 6,7) neque earum observatione amplius merere possunt. Verum a Paulo hic, sicut plus quam semel a rabbinis[1], ad veterem Legem divinitus datam applicatur, quippe de qua (uti de lege naturali) strictiore sensu valeat. Namque humanis legibus, quae in certa dumtaxat terra vigent atque a legislatoribus pro libitu mutantur vel ad tempus solvuntur aut removentur etc., homines ante mortem suam facile se subtrahunt; Lex autem vetus, utpote divina, quum ab hominibus neque mutari neque ullo modo ad tempus dissolvi vel irrita reddi posset, omnes eos, qui semel ei erant subiecti, usque ad mortem ligabat. Cum *Orig.* nonnulli in ultimo membro verbum (*vivit*

1. *Thalm.* tract. Schabb. fol. 151,2 (cfr tr. Niddai f. 76) : « Homo, postquam mortuus est, liberatus est a praeceptis »; Schabb. fr. 30,2 : « Semper studeat homo in Lege et bonis operibus antequam moriatur; postquam enim mortuus est, cessat a lege »; similiter *Tharg.* in Ps. 88 [87], 6 etc. Cfr *Meuschen.* Nov. Test. e Thalm. illustr. p. 170 sq.

ζῇ) utique non ad hominem (quanto tempore *homo* vivit) sed ad Legem pertinere volunt: quanto tempore *Lex* vivit, i. e. viget (cfr *Erasm. Est. Nat. Pic. MEv.* etc. — *Grot. Beng. Flatt, Oltram.* etc.); sed erronee id fieri clarum est. Ad quid enim Paulus ad lectorum scientiam Legis provocasset, ut Legem non viventem, i. e. non exsistentem, non obligare intelligerent? Accedit quoque, quod statim non Legem relate ad hominem, sed hominem relate ad Legem in baptismo mori concludat (*v.* 4) ac similiter in *vv.* 2. 3 (et iterum in *vv.* 5. 6) non Legem mortuam Legi viventi sed hominem mortuum homini viventi opponat.

Namque antequam regulam generalem argumentationi applicet ex eaque conclusionem suam derivet (*v.* 4), eam exemplo illustrat uxoris, quae vi legis de matrimonio in paradiso iam stabilitae marito viventi ita alligata maneat, ut alteri nubere ei non liceat, mortuo autem marito (commortua) a lege illa soluta alterum matrimonium inire valeat: 2. *nam quae sub viro est mulier* (ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνή mulier viro subiecta, i. e. uxor vel maritata) *vivente viro alligata est legi* (cum *Tert.* et *S. Aug.* omnino legatur oportet: *viventi viro alligata est lege*[1] τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ); *si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est* (κατήργηται i. e. quasi exstincta et omnino liberata est) *a lege viri*. Haud recte Vulgatae interpres in priore membro priorem dativum (τῷ ζῶντι ἀνδρί), ac si instrumentalis esset (i. q. διὰ τοῦ ζῶντος ἀνδρός), per ablativum latinum (*vivente viro*) interpretatus est alterumque dativum (νόμῳ), qui revera instrumentalis est ablativoque reddi debuit (*lege*), retinuit; etenim de solis rebus Graeci dativum, uti Latini ablativum, instrumentalem adhibent. Contra antiquiores iunioresque plurimos, qui *vv.* 2. 3 allegoriam vel similitudinem quandam afferri putant, qua Apostolus regulam generalem argumento suo applicare incipiat, moderni fere omnes cum *Theod.* recte tenent, hac sententia praecedentem generalem illustrari (γάρ *nam* i. q. *nempe*) particularisque praecepti, legis sc. matrimonialis, exemplum afferri, quo Legem sola morte hominis solvi appareat.

1. *Tertull.* de monog. 13: « Quae autem sub viro est mulier *viventi* viro vincta est »; *S. Aug.* de octog. trib. quaest. 66,1; in editionibus legitur quidem: « mulier enim sub viro vivo marito iuncta est *legi* », sed hanc lectionem a librariis ad Vulgatam esse accommodatam, interpretatio docet a S. Doctore praemissa: « tria quaedam consideranda commendat (Apostolus), mulierem, virum et Legem, mulierem scilicet subiugatam *viro per vinculum Legis*, quo vinculo morte viri liberatur, ut cui vult nubat ». Quodsi hodiernam lectionem habuisset, dicere debuisset: « mulierem subiugatam *Legi per vinculum viri mariti* ». — *Estius* utrumque dativum retineri posse putat, ut secundus velut appositio priori addatur: « viventi viro alligata est i. e. tamquam legi, quum vir sit quasi lex mulieris, siquidem iuxta praecepta apostolica mulier viro obedire teneatur »; sed ipse Tertulliani lectionem praefert idque iure merito, quia nova explicatio a contextu et a paulino loquendi usu tam aliena est, ut plane inepta dici mereatur.

Quem nexum multi ideo non admisisse et, proprio verborum sensu neglecto, ad allegoricam explicationem confugisse videntur, quia non perspexerunt, quomodo generalis sententia, iuxta quam homo *sua ipsius morte* a Lege liberatur, illustrari posset particulari, iuxta quam uxor *morte alterius* (mariti sui) a Lege liberari dicitur. At optime haec se habent; illud quidem ad hanc difficultatem solvendam non sufficit, quod aliqui Paulum nihil significare voluisse respondent, nisi hominem *morte* (sive propria sive aliena) a Lege liberari (cfr *Mai.* etc.); nam in eo est vis argumentationis, quod homo quanto tempore *ipse* vivit Legis dominio sit subiectus, *sua* ergo sola morte liberetur. Meliorem solutionis viam indicat *Thom.* (« quum matrimonium sit inter duos sicut relatio quaedam, non refert quicumque eorum moriatur ad hoc, ut tollatur lex matrimonii »), licet eius verba explicatione indigeant. Quia nimirum vir et mulier sunt una caro, uno moriente commoritur alter, utique non physice, sed secundum suam relationem ad alterum. Cum viro moriente commoritur uxor, quatenus uxor est, neque tam viri morte physica, quam sua ipsius morte ut ita dicamus mystica iuxta Paulum *a lege viri* liberatur, i. e. a lege, quae ad maritum pertinet de eoque lata est (cfr *Levit.* 12,7 οὗτος ὁ νόμος τῆς τικτούσης, ista est lex parientis; 14,2 ὁ νόμος τοῦ λεπροῦ, 14,57 ὁ νόμος τῆς λέπρας etc.), seu a lege matrimoniali, qua uni illi viro alligata erat per totam suam vitam coniugalem. Hanc enim mulieris ipsius mortem clare indicat, quum eam dicat κατηργῆσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός, quae verba uxorem ipsam quodammodo exstinctam vel annihilatam (3,3; 2 *Cor.* 3,11. 13 etc.) et hac *sua* exstinctione a lege viri omnino liberatam esse significant (*Gal.* 5,4). Quae explicatio non parum sequentibus confirmatur, quum Apostolus Christianos quoque morte sua mystica, qua in baptismo secundum veterem suum hominem cum Christo crucifixo commoriuntur, a Legis dominatu liberari statim concludat (*v.* 4).

Altera remanet dubitatio, quanam lege mulier viro, quamdiu vivat, alligari dicatur. Plerique de mosaica lege matrimoniali sermonem esse arbitrantur, sed haud satis recte. Cardo enim argumentationis in eo vertitur, quod homo quanto tempore vivit sub Lege sit, sola ergo morte ab ea liberetur; atqui iuxta mosaicam legislationem mulier a lege viri non tantum morte sed etiam libello repudii ita solvebatur, ut alterum matrimonium licite iniret (*Deut.* 24,1 sq.). Ad illustrandam igitur regulam generalem (*v.* 1) ineptum exemplum Apostolus elegisset, si de matrimoniali Iudaeorum lege locutus esset, atque sophismate usus esset, si rem tam essentialem, qua argumentum eius evertebatur, silentio praetermisisset. Dicendum ergo est, Paulum universam Veteris Test. revelationem hic nomine *Legis* (τοῦ νόμου), uti saepius (3,19;

1 *Cor.* 14,34; *Gal.* 4,21 etc.), designare legislationemque coniugalem illam ante oculos habere, quam Deus in paradiso iam stabilivit (*Gen.* 2,24), Dominus iterum promulgavit et inculcavit (*Matth.* 5,31. 32; 19, 4 sqq. etc.), Paulus ipse solam agnovit (1 *Cor.* 7,10. 11), quaeque libellum repudii omnemque solutionem vinculi matrimonii legitimi ignorat. Indissolubilitatem enim matrimonii disertis quidem verbis hic non docet, sed velut rem certam indubiamque, quae lectoribus epistolae suae plane sit nota, evidenter supponit, ita ut hic locus ad illam demonstrandam a theologis catholicis recte afferatur.

Sola morte vinculum matrimonii solvi, clare quoque ex sequente sententia elucet, quae per modum conclusionis exponit, quo sensu mulier a lege (viri) liberetur: 3. *igitur vivente viro vocabitur* (χρηματίσει i. q. κληθήσεται cfr *Act.* 11,26) *adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege* (*viri*), *ut non sit adultera* (τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, melius: *ne* sit adultera), *si fuerit cum altero viro.* Iuxta mosaicam legislationem, uti iam adnotavimus, etiam mulier, quae libellum repudii acceperat, vivente marito suo priore, ἀνδρὶ ἑτέρῳ γίνεσθαι, i. e. alterius viri fieri uxor (cfr *Lev.* 22,12; *Ruth.* 1,12 etc. i. q. הָיָה לְאִישׁ) sine adulterio potuit; de illa igitur legislatione non agitur, sed de primitiva, quae a Domino iterum promulgata est. Porro haud multum quidem interest, utrum in secunda sententia hypothetica cum Latinis legamus *a lege viri*, an cum reliquis testibus *a lege* (cfr *VV. LL.*); per se enim intelligitur, morte viri sui mulierem non a tota lege, sed ab illo particulari praecepto, quo viro suo alligabatur eoque vivente alteri nubere prohibebatur, solutam esse; indefinitam tamen expressionem (*a lege*) Apostolus videtur elegisse, ut conclusionem suam generalem quodam modo praepararet. Item per se parum interest, utrum verba τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα hic cum *Vulg.* de eventu dicta sumamus (*ita ut non* sit adultera) an de fine explicemus (*ne* sit adultera); qui vero ad sequentem conclusionem attenderit, in qua Paulus nos morte mystica a Lege eo fine liberari docet, ut cum Christo novam unionem inire possimus, alteram explicationem iure praeferet; haec nimirum est intentio legis de matrimonio latae, ut mortuo viro uxor aliud matrimonium inire valeat.

« Lubricum hunc locum ac per se impeditum similitudine coniugii et amphibolia (nominis) *legis* plane reddi inextricabilem », *Iust.* conqueritur; at rectius locus hic, dummodo verborum sensus proprius retineatur, satis clarus esse dicitur, variis autem veterum interpretationibus allegoricis obscuratus. Sententiarum enim nexu aut non considerato aut non perspecto veteres plurimi Apostolum argumentationem *v.* 1. inchoatam ita continuare putabant, ut *vv.* 2. 3. regulam generalem *v.* 1. propositam iam ad the-

seos suae probationem adhibere coeperit, licet particula causalis γάρ (*nam, nempe*) in principio *v.* 2. posita evidenter doceat, praecedentem sententiam confirmari aut explicari. Duae sunt praecipuae veterum explicationes, quibus iuniores a recta interpretationis via abducti sunt.

Graeci abrogationem Legis per matrimonii morte soluti allegoriam hic (*vv.* 2. 3) doceri volunt. Nomine *viri* enim Legem designari putant, nomine *mulieris* fideles, qui Legis morte ab eius dominatu sint liberati; Paulum tamen, ne Iudaeorum animos offenderet, abrogationem Legis claris verbis pronuntiare noluisse, ideo in sequente sententia (*v.* 4) rem invertisse, ut non Legem mortuam diceret, sed Christianos Legi (i. e. respectu Legis) mortuos; sive enim hoc, sive illud dicatur, rem manere eandem (cfr *Orig. Chrys. Theoph. Oec. Euth.*). Ab eis inter Latinos *S. Hilar.* (in Ps. 131 n. 24) et *A*[ter], quos iuniores nonnulli sequuntur, haud longe discedunt.

Aliam vero allegoricam explicationem *S. Aug.* saepius (de octog. trib. quaest. 66,2; expos. *n.* 36; c. Faust. XV. 8) tradit. Nomine *mulieris* enim animam, nomine *viri* peccatum seu passiones peccatorum (*v.* 5), nomine *legis* legem peccati significari censet, ita ut non tam Legis mosaicae quam peccati dominium abrogatum esse doceatur, Apostolus igitur ad praecedentis sectionis (6,1 sqq.) argumentum quasi revertatur; ceterum in *v.* 4 Augustinus quoque similem, atque Graeci, inversionem admittit.

Duas has veterum Patrum explicationes variis modis iuniores versant; *Haym* ex. gr. eas coniungere conatur, quum in prioribus *v.* 2. verbis (*quae sub viro est mulier*) nomine *viri* Legem, nomine *mulieris* « aut specialiter quamlibet animam aut generaliter plebem israeliticam seu synagogam » intelligat, in subsequentibus vero (*vivente viro alligata est legi*) nomine *viri* peccatum vel passiones carnis, nomine *legis* ipsam Legem mosaicam. Quae omnia a contextu aliena esse patet; quare diutius iis non immoramur.

Apostolus igitur, postquam primam sententiam, Legem solis vivis dominari dominatuque suo in hominem morte eius privari (*v.* 1), praecepti matrimonialis exemplo illustravit explicavitque (*vv.* 2. 3), nunc ex illa assertum suum, fideles non esse sub Lege (6,14), ita probat, ut simul ad explicationem additam attendens finem exponat, ob quem a Legis dominatu sint exemti : 4. *itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis* (εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς) *alterius* (ἑτέρῳ melius : *diversi*) *qui ex mortuis resurrexit*[1], *ut* (ἵνα) *fructificemus Deo*. In hac sententia Minor et conclusio syllogismi, cuius Maior est *v.* 1, non tam coniunguntur, quam per breviloquentiam quandam quasi confunduntur. Clarius et concinnius enim, sed minore cum vi, dici po-

1. Graecum textum : εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι antiqua versio latina, prout a *S. Hilar.* (in Ps. 131 n. 24) allegatur, accuratius reddidit : *ut sitis alterius, eius qui ex mortuis resurrexit*. Similiter *Tert.* (de monogam. 13) : *ut efficiamini alteri, ei scilicet qui a mortuis resurrexit*. Indefinitus quippe dativus ἑτέρῳ appositione definita τῷ.. ἐγερθέντι explicatur.

tuit : « itaque et vos, quum mortificati sitis per corpus Christi, soluti estis a Lege idque eo fine ut » etc.[1]. Doctrinam enim de mystica fidelium morte antea traditam (6,3 sqq.) supponens Paulus lectores suos in simili statu esse dicit, in quo homo, qui morte sua a Legis dominatu est exemtus, et mulier, quae viro suo commortua a Lege coniugali, qua ei alligabatur, eum ob finem liberata est, ut alteri legitime nubere valeat. Nam similiter atque illi, *et* fideles (καὶ ὑμεῖς *et vos*), utpote qui cum Christo secundum veterem hominem concrucifixi sint (6,6; *Gal.* 2,19), cum eodem sunt commortui respectu Legis, ita ut Lex ad eos nihil amplius pertineat neque eis amplius dominari possit. *Mortificati sunt* (ἐθανατώθητε occisi estis) *legi per corpus Christi* occisum, cui nimirum inseruntur et incorporantur, quotquot in mortem Christi baptizantur (6,3. 6). Eadem igitur morte, qua relate ad peccatum, etiam relate ad Legem, quae virtus peccati est (1 *Cor.* 15,56), mortui sunt; sed sicut a peccati servitute eo solo fine sunt liberati, ut deinceps iustitiae viverent (6,18), ita etiam a Legis servitute morte sua mystica ideo tantum sunt soluti, ut alteri (ἑτέρῳ) domino et quidem plane diverso (ἑτέρῳ cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 386) servirent. Cum Christo resuscitato enim et ipsi ad novam vitam resuscitati eidemque intime uniti insertique deinceps uni Deo vivant oportet, bona opera, quae Deo placeant, velut novae suae vitae fructus ferentes (6,11. 13. 22; cfr *Comm.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 461. 163 sq.).

Quoniam Apostolus in ultima sententiae parte ad explicationem *vv.* 2. 3 insertam procul dubio attendit, nihil per se obstare videtur, quominus eum imaginem domini, qua ab initio usus est, aliquantulum mutasse et in duplice liberationis fine describendo Legem non amplius velut dominum considerare dicamus, e cuius servitute fideles sint erepti, sed velut maritum, a cuius unione sua ipsorum (non vero Legis) morte sint soluti, proxime quidem ut cum altero sponso, nimirum cum Christo resuscitato, novam unionem inirent, remotius autem, ut in hac nova unione semine gratiae Christi foecundati Deo parerent prolem, bona scilicet opera (cfr *Theod. Theoph. Euth.; Cai. Tol. Est. Lap. Nat. Pic.* etc., *M Ev. Reith. Beel. Bisp. Dr. Ag. Sch.* — *Beng. de W. Hofm. Goeb. God.* etc.).

Quam interpretationem, quae tot commentatorum auctoritate commendatur, improbabilem quidem dicere aut plane reiicere non aude-

1. **Argumentum, quo Paulus thesin suam probat, hoc syllogismo proponi potest : Lex solis vivis dominatur, id quod clare apparet exemplo mulieris, quae cum viro commoriens a lege matrimoniali solvitur; atqui fideles cum Christo commortui sunt; ergo Lex eis non amplius dominatur.**

mus; rectius tamen illos sentire censemus, qui eandem domini imaginem etiam in fine describendo a Paulo retineri tenent. Ad ea quippe Apostolus respicere videtur, quae de obedientia uni domino, aut peccato aut iustitiae, exhibenda disseruit (6,16 sqq.), atque similiter neminem simul Legi et Christo servire posse supponens a Legis dominio nos liberatos esse docet, ut Christo serviremus. Si quis vero ob locutionum similitudinem (*v.* 4. εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ, v. 3. ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ... γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ) Paulum in proximo fine indicando imaginem matrimonii in mente habuisse contendat, nullam tamen adesse rationem respondemus, cur etiam in remotiore fine (*ut fructificemus Deo*) eadem matrimonii imago animo eius obversata esse dicatur. Ac revera non tantum minus placet, quod bona opera velut proles ex unione animae cum Christo progenita considerantur (nullibi enim in Scriptura hanc metaphoram adhiberi arbitror, uti etiam nullibi relationem *hominis* ad *Legem* Scriptura per matrimonii allegoriam describit), sed etiam remotior hic finis in explicatione *vv.* 2, 3 inserta ne verbulo quidem est indicatus. Accedit quod verbum *fructificare* in sequente sententia (*v.* 5) ita adhibetur, ut de prole matrimonii cogitari nequeat, ac similiter immediate antea (6,21. 22) nomen *fructus* suadet, ut hic quoque consuetum tropum agri vel arboris fructus ferentis admittamus. Quoniam a Lege liberati Christo resuscitato, tamquam palmites viti, sumus inserti, vel uti *Thom.* habet, « quia facti sumus membra Christi, possumus fructum boni operis facere ad honorem Dei ». Hanc demum interpretationem cum *Orig. Chrys. Oec.* antiquiores quoque Latini secuti sunt, quorum nullus priorem illam commemorat. — Ceterum antiquiores Latini fere omnes ac iuniores multi legunt : *ut fructificetis Deo;* sed germanam lectionem : *ut fructificemus Deo,* quam etiam codd. *Fuld. Amiat.* etc. cum graeco textu aliisque versionibus exhibent, *Vulg. Clem.* recte restituit; haud raro Paulus sine aperta ratione, argumentandi ardore quasi abreptus, a secunda persona ad primam vel a prima ad secundam transit.

Demonstrationem suam Apostolus tandem complet remotioris finis, ob quem a Legis dominio exemti sumus (*ut fructificemus Deo*), confirmatione et explanatione. Hominem enim sub Lege constitutum hominemque Legi mortuum (uti supra 6,19 sqq. servum peccati et servum iustitiae) inter se opponens priorem non nisi morti (aeternae) fructificare posse, alterum vero in novo statu esse collocatum ostendit, in quo per Spiritum S. operatur, Deo igitur fructificat (*vv.* 5. 6). A statu Legis autem, qui praeteritus fidelibus iam est, describendo exorditur : 5. *quum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae*

per Legem erant (vel iuxta *S. Aug.* de octog. trib. quaest. 66,3 : *quae per legem sunt* τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου) *operabantur in membris nostris, ut fructificarent* (εἰς τὸ καρποφορῆσαι) *morti.* Locutio *in carne esse,* quam Mopsu. idem significare quod *mortalem esse* (θνητὸν εἶναι) erronee dixit, a Paulo duplici sensu adhibetur. Saepius nihil aliud ei significat nisi in carne mortali esse seu vitam hanc mortalem degere (cfr *Gal.* 2,20; *Phil.* 1,22 sqq.; 2 *Cor.* 10,3), ita ut status vitae physicae opponatur statui mortis; aliquoties vero etiam in hac locutione, uti in plurimis aliis, caro theologice ab eo intelligitur velut peccato infecta sedesque fomitis, quatenus nimirum spiritui, i. e. animae gratia sanctificante ornatae Spirituique S. unitae opponitur (cfr ad 1 *Cor.* 2,13.), ita ut *in carne esse* sit idem quod in eo esse statu, in quo homo ex Adamo filius irae divinae nascitur, in statu igitur hominis veteris dominio peccati et Legis subiecti (cfr *Tolet. Est.* etc., *Reith. Beel. Mai.* etc.). Quam alteram significationem hic (uti 8,8) esse admittendam, oppositio sequentis sententiae docet, eandemque etiam, quamquam minus accurate loqui videntur, *S. Chrys.* (« esse in malis operibus, in carnali vita »), *S. Aug.* (l. c. « carnalibus desideriis obstrictum teneri »), *S. Thom.* (« subditum esse concupiscentiis carnis ») aliique antiquiores indicare voluisse recte dicuntur.

Porro in locutione *passiones peccatorum* genetivus non est subiectivus, ac si peccata antecedentia passiones excitasse significaretur (cfr *Ag.* — *Holst.*), siquidem undenam passiones excitentur, statim explicabitur; sed genetivus est obiectivus effectumque indicat (i. q. passiones in peccata inducentes). Nomine autem *passiones peccatorum* cuncti inordinatae concupiscentiae motus affectusque comprehenduntur, qui voluntatis consensum imperiumve praecedunt (cfr ad *Gal.* 5,24), quos ergo homo vere patitur (παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν), etsi Legis cognitae occasione, uti Apostolus statim (*v.* 7 sqq.) fusius diligentiusque exponet, continuo excitentur, ita ut *per Legem esse* (τὰ διὰ τοῦ νόμου), non tantum per eam manifestari (*Chrys.* etc.) aut augeri (*Thom.* etc.), dicendi sint. Iam vero Lex, cuius occasione passiones excitabantur, auxilium non praestabat, quo reprimerentur effectusque, ad quos tendebant, peccata dico, evitarentur impedirenturque; hinc *operabantur* (ἐνηργεῖτο), i. e. vim suam exserebant[1] efficacesque sese exhibebant, *passiones in* fidelium nondum regeneratorum *membris* (ἐν τοῖς μέλεσιν

1. Cum *Tert.* (de monog. 13), qui legit : « passiones delictorum, quae per legem, efficiebantur in membris nostris ad fructum ferendum morti », etiam *Est.* verbo ἐνηργεῖτο ac similiter latino *operabantur* passivam significationem attribuit. At ut eam tenere possit, mirum in modum verbi sensum detorquere cogitur : « Desideria peccandi *exercebantur et ipso opere complebantur* in membris nostris ». Immerito quoque *Ag.* passivam significationem a *Chrys.*

ἡμῶν). Illis quippe tamquam armis instrumentisque iniquitatis ad iniquitatem abutebantur (cfr 6,12. 19), idque non tam eo fine quam eo eventu (cfr ad 1,20 p. 85), *ut fructificarent morti*, i. e. malorum operum fructus producerent, quorum stipendium est mors aeterna (6,21. 23). Nomine *legis* in hac sententia non Legem mosaicam, sed legem peccati, quae legi mentis resistat, intelligendam esse *Orig.* censuit (cfr etiam *Sed.* etc.); quam interpretationem erroneam esse ex tota orationis serie satis constat (cfr *Tolet.*).

Infelici illi statui praeterito novus felixque opponitur, in quo fideles iam degunt : 6. *nunc autem soluti sumus* (κατηργήθημεν) *a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus et non in vetustate literae.* Sicut mulier, viro suo mortuo, ipsa quoque respectu legis, qua ei alligabatur, quasi exstincta et ab illa prorsus liberata est (κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρὸς cfr ad *v.* 2), ita fideles secundum veterem hominem, cui peccatum et Lex dominabantur, Christo concrucifixi et commortui a Lege, in qua detinebantur et velut captivi conclusi custodiebantur (cfr ad *Gal.* 3,22), plane sunt soluti ac liberati (κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου). Quae Lex iure merito *lex mortis* appellatur, quia concupiscentiae motus excitans, auxilium autem quo reprimantur et vincantur non praebens, asseclas suos ad mortem adducit, vel, uti Paulus alibi dicit, occidit (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 88). Ita quidem iuxta hodiernam *Vulg.* et codd. graecolatinos; iuxta meliorem tamen lectionem graecam, quam cum aliis versionibus etiam vetus latinus interpres secutus est (cfr *VV. LL.*), sensus aliquantulum mutatur. Legendum enim est : *nunc autem soluti sumus* (vel iuxta *Tert.* forte melius : *evacuati sumus*) *a lege, mortui ei in quo* (vel : *in qua*) *detinebamur.* Accuratius scilicet participio ἀποθανόντες (*mortui*) modus indicatur, quo a Legis dominio plane sumus liberati. Mortui enim respectu illius status, in quo per Legem detinebamur (vel etiam ac forte rectius : mortui respectu Legis in qua detinebamur) ideoque eius dominio non amplius subiecti dicimur.

Morte tamen sua mystica e Legis servitute fideles non ita sunt erepti, ut sui iuris sint et pro lubitu, quidquid placet, agere possint; infelici enim servituti pristinae nova successit et felicior, in qua nunc *serviunt in novitate spiritus et non in vetustate literae.* In baptismo enim Christo non tantum morienti sed etiam resurgenti inserti (6,4 sqq.)

aliisque Graecis verbo attributam dicit; etenim si *Chrys.* habet : « Ne carnem accusaret, non dixit : ἃ ἐνηργεῖ τὰ μέλη sed ἃ ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, ostendens aliunde profectum esse malitiae principium, a cogitationibus nimirum operantibus non a membris agitatis », evidens est, eum medialem sensum indicare voluisse : membra ipsa non operantur, sed in ipsis membris inoperatur et efficax est principium malitiae.

secundum veterem quidem hominem, qui *literae vetustati*, i. e. veteri Legi, subiectus erat (cfr 2 *Cor*. 3,6), mortui ac sepulti sunt, sed novum hominem induti (*Eph*. 4,24) ex aquis emerserunt tamquam nova creatura (cfr ad 2 *Cor*. 5,17), ut deinceps in novitate vitae ambularent (6,4), utpote novo principio vitae et operationum donati, ipso nimirum S. Spiritu, qui datus est illis sigillum adoptionis filiorum (5,5; 8,15; *Gal*. 4,6). Cum *Orig*. alii quoque Graeci *vetustatem literae* legem Iudaeorum caerimonialem (circumcisionem etc.) solam interpretantur, quae vetusta facta i. e. abrogata sit, « ut legem Dei in novitate spiritus servemus, i. e. ex omnibus, quae in ea scripta sint, spiritualem sensum Spiritu S. donante capiamus ». Quam explicationem contextui non accommodari *Tol*. recte monet, quia Apostolus etiam de lege morali loquatur, id quod ex exemplis ab eo allatis (*v*. 7 etc.) eluceat, neque de legalium cessatione tractet, sed de statu Legis, in quo peccatum dominetur per Legem, et de statu gratiae, in quo gratia dominetur, per quam Lex impletur.

2. — *Quae Legis ad peccatum sit relatio* (7,7-25).

Ex superioribus facile desumi potuit, Legem ipsam esse aliquid mali hominemque ad interitum directe adducere. Neque enim tantum Legis, simili ratione qua peccati, servitus morti fructificare (7,5 cfr 6,21) atque liberatio ab utriusque dominio requiri docetur, ut homo Deo servire possit (7,6 cfr 6,22), sed etiam eodem modo eodemque actu, morte nimirum sua mystica in baptismo, homo peccato et Legi mori asseritur (7,4 cfr 6,11). Quapropter Apostolus, ne Legem divinitus datam obterere ac detrectare videretur, de eius ad peccatum relatione accuratius agere coactus imprimis Legem per se esse sanctam ac iustam ostendit, per eam autem vires peccati excitari et augeri, ita ut non ipsa Lex, sed peccatum occasione Legis excitatum directa mortis aeternae causa sit (7,7-13). Deinde quanta sit potentia peccati in hominem sub Lege constitutum exponit acerrimo bello descripto, quo animus hominis Lege quidem edoctus sed gratiis non adiutus atque peccatum inter se colluctentur et ex quo peccatum victor discedere soleat (7,14-21). Qua descriptione, quum non nisi per gratiam, quae per Christum est credentibusque solis datur, peccatum vinci posse appareat, simul insinuatur, quantum beneficium sit liberatio a Legis dominio, quod non minus, quam peccatum ipsum, destrui debere antea monuerat, ut homo Christo resuscitato insertus Deo fructificare valeret.

Nomine *Legis*, de cuius relatione ad peccatum quaestio hic instituitur, mosaicam designari eamque universam, ita quidem ut moralia

eius praecepta potissimum considerentur, perspicue elucet quum ex nexu huius sectionis cum praecedentibus, et ex tota argumentatione, tum ex *v.* 7., in quo unum ex decalogi mandatis diserte affertur. Similiter *peccatum* (ἡ ἁμαρτία) intelligi originale series orationis et argumentatio manifestant. De illo autem disserens Apostolus aeque parum, ac in superioribus pericopis (6,1-7,6), ad culpae reatum attendit atque solam eius partem quam diximus quasi materialem expendit, inordinatam dico rebellemque concupiscentiam ac fomitem, seu si mavis vim illam peccatricem, quae ab originali peccato omnibus insita est et in renatis quoque, culpae reatu deleto, remanet. Porro quoniam B. Paulus in tota hac sectione semper prima persona singulari utitur, iure merito quaeritur, num haec omnia de se ipso et quidem de se ipso solo referat, ita ut illam describat luctam interiorem, quam ipse expertus sit vel experiatur. Qua cum quaestione altera intime cohaeret, num haec omnia (ac praesertim ea quae *vv.* 14-23 habet, ubi etiam tempus praesens in sua descriptione adhibet) de statu hominis regenerati et a Legis servitute liberati intelligi velit (quo in statu positus erat, quando haec scripsit), an potius de statu Iudaei baptismo nondum regenerati sed sub Legis, quae asseclis suis gratias non confert, dominio etiamnum degentis loquatur, quo in statu ante conversionem degerat.

Ad secundam quaestionem quod attinet, Graeci omnes, solo excepto S. Methodio, Apostolum de statu hominis nondum regenerati agere sine ulla haesitatione tenuerunt eandemque sententiam latini quoque Patres antiquiores et ipse S. Augustinus in prioribus suis operibus tradiderunt[1]. In suis tamen cum Pelagianis controversiis S. Doctor, re (uti ipse ait) melius diligentiusque considerata, priorem sententiam praeferre coepit et vindicare conatus est. Quamvis vero eam dumtaxat velut probabiliorem haberet neque secundam plane reiiceret[2], tantum va-

1. De homine non regenerato sed sub Lege constituto locum interpretantur ex Graecis : *S. Iren.* c. haer. III. 20,2.3 cfr 18,7; *Orig.* i.h.l.; *S. Basil.* Reg. brev. tract. 16; *Chrys., Cyr. A., Theod., Dam., Theoph., Euth.* etc. in comment.; ex Latinis : *Tert.* de pudic. 17; *S. Ambr.* de Iacob et beata vita I. n. 14-17; de Isaac et anima 2,3 sq.; *A^ter* i.h.l.; *S. Hier.* in Dan. 3,29, ac similiter ad Algas. ep. 121,8 (nisi tamen ibi S. Doctor eo fere modo, quo adv. Pelag. II. 3, verba paulina de omnibus omnino hominibus, utpote peccato subiectis, intelligi velit); *Pelag.* i.h.l. (cfr etiam S. Aug. de gratia Christi I. 39,45, ubi haec Pelagii verba affert : « hoc enim, quod tu [Augustine] de Apostolo intelligere cupis, *omnes ecclesiastici viri* in peccatoris et sub Lege adhuc constituti asserunt eum dixisse persona »); *S. August.* expos. n. 44 (« nunc enim homo describitur sub Lege positus ante gratiam » etc.), de octog. trib. quaest. 66,5; de divers. quaest. ad Simplic. I. 1; in ep. ad Gal. n. 46.47; *Primas.* (in 7,8 « hinc Apostolus praeteritam vitam suam, quando sub Lege degebat, et adolescentiae suae pugnam commemorat ») etc.

2. *S. Aug.* Retract. II. 1 : « Verba Apostoli, quibus caro adversus spiritum confligere ostenditur (7,14), eo modo exposui (in divers. quaest. ad Simplic. I. 1), tamquam homo

luit eius auctoritas, ut iuniores Patres latini mediaeque aetatis theologi paene omnes priorem adoptarent, paucis tantum secundam praeferentibus[1]. Exorto deinde protestantismo plurimi catholici sententiam ab Augustino praelatam etiam retinuerunt (cfr *Cai. Salm. Perer. Est. Lap. Nat. Picon.* etc., ex modernis *M Ev.*), licet novatores illa ad novas suas doctrinas de culpae originalis reatu in iustificatis remanente et de mere externa iustitiae imputatione stabiliendas abuterentur. Nonnulli tamen catholici, imprimis *Tolet.* et *Iustin.*, ad antiquiorem Graecorum et primorum Latinorum interpretationem reversi eam tanto cum successu tuiti sunt[2], ut vix non communis inter catholicos interpretes hodie vocari mereatur (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp. LR. Dr. Weinh. Ag. Sch.*) et ab acatholicis quoque plurimis teneatur[3]. Eandem etiam nos, quum sola contextui ac fini Apostoli consonare videatur, sequemur suisque in locis (cfr praesertim ad *v.* 14 sqq.) solam tenendam esse ostendemus. Neque tamen negamus, etiam S. Augustini sententiam verbis paulinis, si nuda extra suum contextum considerantur, aliquo modo adaptari posse ac veram continere doctrinam. Namque in renatis quoque iustisque, uti Apostolus alibi docet, caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, ita ut similis lucta eis sit relicta (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 580 sq.).

Maior est de priore quaestione consensus interpretum; omnes enim Paulum de se solo non loqui sed in sua persona totam classem, ad quam pertineat vel potius pertinuerit, repraesentare consentiunt. Nam proxime quidem, ut luctam duram, quam in universum Iudaei sub Legis dominio degentes experiuntur, vividius clariusque oculis subiiceret, per figuram quandam rhetoricam, qua haud infrequenter utitur (cfr 3,9; *Gal.* 2,18; 1 *Cor.* 6,12; 10,29 etc.), eam ita describere voluit, ut prima persona usus quasi eorum susciperet partes, de quibus proprie valebant, quae dicturus erat. Verum nihil impedire censeo, quominus hanc figuram elegisse et per longam sectionem (id quod alibi facere non solet) retinuisse dicatur, quia ipse quoque ante suam con-

describatur nondum sub gratia constitutus; longe enim postea etiam spiritualis hominis — *et hoc probabilius* — esse *posse* illa verba cognovi ».

1. De homine regenerato locum interpretantur ex Graecis : *S. Method.* in opere de resurr. (apud S. Epiph. haer. 64,26.55 sqq. et apud Phot. Biblioth. cod. 234); ex Latinis : *S. Hilar.* in Ps. 118 lit. 3,3; *S. August.* Retract. I. 23,1; 24,2; 26; II. 1; c. duas epp. Pelag. I. 8,13 sqq.; c Iulian. III. 26,61 sqq.; VI. 23,70; serm. 154,3 sqq. etc.; *Cassian.* Collat. 26; S. *Gregor. M.* Mor. XIX. 6,12 etc.; *Sedul. Haym. Herv. Hugo Vict.* etc. — Utramque sententiam velut probabilem retulerunt, priorem tamen cum S. Aug. praetulerunt *Lomb.* et *Thom.;* secundam solam tenuerunt *Lyran. Dion.*

2. Cfr praesertim *Tolet.* in Rom. 7. n. 9 et Appendicem Comment. Moguntiae 1603. p. 774 sqq.

3. Cfr *Weiss p.* 342, qui longa serie quam plurimos acath. modernos enumerat, qui hanc interpretationem sequuntur.

versionem luctam illam in se expertus erat, ita ut certo quodam modo etiam suam ipsius experientiam referat. Neque tamen ideo supponere licet, eum hoc in loco quasi totam suam vitam in iudaismo peractam aut pristinum sui animi statum accurate delineare. Consideres enim velim, eum (praesertim *v.* 13 sqq.) de statu hominis loqui, qui sine ullo gratiarum auxilio solis naturalibus suis viribus luctam cum perversa concupiscentia sibi inhabitante sustinere conatur; ipse autem aeque atque contribules eius, quotquot bonae erant fidei, gratiis ad concupiscentiam vincendam sufficientibus non caruerant, licet eas non a Lege nec per Legem accepissent. Suam igitur ipsius experientiam eatenus refert, quatenus ipse quoque sub Legis dominio antea degens expertus est, quam infirma esset Lex, quae, quum bonum quod faciendum erat monstraret quidem sed ad illud faciendum vires non praeberet, colluctationem hominis cum peccato inhabitante non faciliorem reddidit sed difficiliorem. Hoc sensu intelligatur oportet, si Pauli ipsius verbis nos accommodantes in commentario interdum de eis loquemur, quae ante conversionem suam in iudaismo expertus sit.

1.) — ***Non ipsa Lex, quae sancta est, sed peccatum occasione Legis hominem ad mortem adducit*** (7,7-13).

7,7. *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces.* 8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* 9. *Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed quum venisset mandatum, peccatum revixit.* 10. *Ego autem mortuus sum; et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* 11. *Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit.* 12. *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum.* 13. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.*

7,7. Τί οὖν ἐροῦμεν; ὁ νόμος ἁμαρτία; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων εἰ μὴ διὰ νόμου. τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν· Οὐκ ἐπιθυμήσεις· 8. ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν, χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά, 9. ἐγὼ δὲ ἔζην χωρὶς νόμου ποτέ· ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν, 10. ἐγὼ δὲ ἀπέθανον, καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολή, ἡ εἰς ζωήν, αὕτη εἰς θάνατον· 11. ἡ γὰρ ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς ἐξηπάτησέν με καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν. 12. ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία καὶ δικαία καὶ ἀγαθή. 13. τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος; μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἡ ἁμαρτία, ἵνα φανῇ ἁμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον, ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς [1].

1. *VV. LL.* — 7. τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν. Particulam τέ, quam ex graecis codd. soli F G omittunt, versiones pleraeque iure non exprimunt, quia augendae tantum potestati particulae γάρ inservit; minus recte cum *A*[tro] aliqui moderni explicant : nam *et* concu-

Eam inter Legem (mosaicam) et peccatum (seu habitualem concupiscentiam perversam ex peccato originali omnibus insitam) intercedere relationem Apostolus docet, ut Lex hominem ad peccati cognitionem adducat, peccatum autem Lege cognita excitetur viresque suas exserat (*vv.* 7. 8). Quae sua quasi ipsius experientia, persona Iudaei peccatoris indutus, confirmat addens, sese peccato per Legem, quae ad vitam data erat, excitato seductum atque ita indirecte per Legem ipsam in mortem (spiritualem) proiectum esse (9-11). Iure igitur ad obiectionem ab initio propositam, num Lex sit peccatum, respondet Legem quidem sanctam esse (*v.* 12), eam autem esse datam, ut peccatum illa abutens totam suam perversitatem manifestaret (*v.* 13), homo ergo ad gratiam Christi confugere cogeretur (cfr *v.* 24 sq.).

Simili modo, quo supra (6,1. 15), per obiectionem ex superioribus derivatam ad novam sectionem transit; imprimis enim ad *v.* 5. in quo passiones, quae per Legem sunt, morti fructificare dixerat, respiciens atque simul reliqua, quae de Lege antea disseruerat, considerans interrogat : 7. *quid ergo dicemus? lex peccatum* (ἁμαρτία sine artic.) *est? absit! sed peccatum* (τὴν ἁμαρτίαν) *non cognovi nisi per legem.* Non desunt inter antiquiores, qui nomine *legis* in ultimo saltem membro naturalem legem cordibus inscriptam (cfr *Orig. S. Hier.* ad Algas. ep. 121,8 etc.) aut ipsum praeceptum primis parentibus in paradiso datum (*S. Meth.* l. c.) designari censeant; sed illos ad seriem orationis non satis attendere, alii Patres iam monuerunt (*Chrys.* etc.). Quare his opinionibus non immorabimur, id unum adnotantes, uti recte *Est.* dicit, « *posse* ea, quae de Lege scripta Paulus hoc loco disserat, *aliquatenus* ad legem naturalem *accommodari* ». Lex igitur mosaica num sit *peccatum* interrogatur, i. e. num indolem naturamque peccati habeat, seu num aliquid sit, quod sanctae Dei voluntati repugnet. Substantivum ἁμαρτία (sine artic.) hic nimirum fere pro adiectivo (ἁμαρτωλός) positum videtur, quum in conclusione (*v.* 12) huic obiectioni opponatur : ὥστε ὁ νόμος ἅγιος (itaque Lex *sancta* est). Minus placet quod cum antiquioribus iuniores modernique multi *peccatum* per metonymiam (effectus pro causa effic.) pro *causa peccato-*

piscentiam nesciebam. — 8. ἁμαρτία νεκρά (peccatum mortuum), verbo non expresso, est communis lectio codd. graec.; praeteritum tamen ἦν (*peccatum mortuum erat*) addunt F G K, *It. Vulg. Syr. Copt.*; sed *S. Aug.* praesens addit : peccatum mortuum *est* cfr *Comment.* — 13. τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος (*bonum igitur factum est mihi mors*) B ℵ A C D E F cum paucis minusc.; levi cum differentia, ut non tam actus moriendi quam status mortis secutus designetur, *textus rec.* pro ἐγένετο habet γέγονεν cum K L et plerisque minusc.

rum positum dicant; neque tamen hanc sententiam, dummodo Apostolus directam causam intelligere dicatur, probabilem esse negamus (cfr *v*. 13 *mors* i. q. directa causa mortis). Cum indignatione deinde formula consueta (μὴ γένοιτο *absit!*) illationem perversam respuens docet, quid de Lege vere ac recte sentiri debeat: Lex scilicet nihil est mali neque voluntati divinae adversatur, sed in cognitionem peccati hominibus ab origine insiti suos asseclas adducit. Cum *Theod.* nonnulli particulam ἀλλά (*sed*) hic idem quod latinum *immo* (cfr *Ioan.* 16,2 « *sed* venit hora » i. q. *immo* venit hora) valere volunt; cui explicationi nihil quidem per se obstat, at nihil quoque adest, quo a consueta significatione adversativa particulae recedere cogamur.

Maioris momenti est quaestio, quodnam sit *peccatum* (ἡ ἁμαρτία), quod Paulus sese non nisi per Legem cognovisse testatur. Praeeuntibus enim Patribus graecis (*Chrys. Theod.* etc.) latinisque (*A^ter Hier.* etc.) iuniores omnes eodem modo, quo supra (3,20 : *per Legem enim cognitio peccati,* διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας), hic quoque asseri putant, plenam perfectamque peccati in genere cognitionem non haberi nisi per Legem mosaicam aut saltem per legem quandam positivam divinitus datam, quae et naturam et poenam peccatorum nobis manifestet[1]. Verumtamen haec explicatio, quamvis in superiora verba (3,20) optime quadret, quae de accurata cognitione (ἐπίγνωσις) peccati in genere (ἁμαρτίας sine artic.) procul dubio sunt intelligenda, nostro loco non congruit, in quo sine Lege nudam simplicemque cognitionem (οὐκ ἔγνων) peccati alicuius determinati (τὴν ἁμαρτίαν) Paulus se habuisse negat. Sine sufficiente autem ratione *Theod.*, quem multi sequuntur, adnotat : « Illud οὐκ ἔγνων (*non cognovi*) et οὐκ ᾔδειν (*nesciebam*) omnimodam ignorationem hoc loco non significant, sed Apostolus se accuratiorem cognitionem naturalis discretionis per Legem accepisse dicit »; neque verbis enim neque contextu haec significatio commendatur. Namque in versu sequente (*v*. 8) *peccatum* (ἡ ἁμαρτία) a longe maiore interpretum parte recte intelligitur « peccatum originale, quod

1. Cfr ex. gr. *Thom.* : « Sine Lege poterat quidem peccatum cognosci secundum quod habet rationem inhonesti, i.e. contra rationem existens, non autem secundum quod importat offensam divinam, quia per legem [positivam] divinitus datam manifestatur homini, quod Deo displicent peccata humana in hoc quod ea prohibet et mandat puniri ». Quae quasi explanans *Est.* : « Sicut peccatum nullo modo cognoscitur nisi per legem in genere — peccatum enim definitur quod fit contra legem — ita perfecte non cognoscitur nisi per legem scriptam seu positivam quae data sit a Deo. Qua nimirum illud imprimis ostenditur, peccatum esse offensam Dei; deinde poena mortis proposita aliisque comminationibus additis ipsius peccati gravitas innotescit; denique monstratur, multa esse peccata quae non putabantur, ac nominatim ipsam concupiscentiam, etiamsi non erumpat in actum exteriorem, de qua statim exemplum subiicit » (similiter *Haym. Abael. Herv. Lomb* etc., *Cai. Tol. Salm. Lap. Nat.* etc., *M Ev. Bisp.*).

scilicet ante gratiam Christi est in homine secundum culpam et poenam, sed veniente gratia transit reatu et permanet actu quantum ad fomitem peccati vel concupiscentiam habitualem, quae operatur in homine omnem concupiscentiam actualem » (*Thom.*). Iamvero eodem sensu *peccatum* (ἡ ἁμαρτία) et in reliqua pericope (*vv.* 9. 11. 13. 17. 20. 23. 25) et in superioribus tractatibus (6,1. 2 etc. 17 16. etc.) ab Apostolo sumitur. Itaque iuxta contextum cum plerisque modernis (*Reith. Beel. Mai. Dr. Ag. Sch.* etc.) eundem sensum hic quoque nomini peccati attribuamus oportet.

Id autem etiam ratio addita videtur postulare, qua Paulus sese in cognitionem peccati, de quo agitur, per Legem venisse probat : *nam concupiscentiam* (τὴν ἐπιθυμίαν) *nesciebam* (οὐκ ᾔδειν), melius : *nescirem*[1]), *nisi lex diceret : non concupisces.* Haud recte enim esset argumentatus, si ex eo, quod unum peccatorum genus, scilicet internos concupiscentiae motus, per Legem cognovisset, concluderet, se peccatum in genere non nisi per Legem cognovisse (cfr *Ag.*); recta autem est argumentatio, si de peccati originalis cognitione agitur, dummodo simul attendatur, Paulum proxime de suis contribulibus loqui, qui a pueris Legem mosaicam didicerant. Peccatum enim originale per concupiscentiam inordinatam sese manifestat, cuius motus primoprimi sua sponte, aeque ac reliqui appetitus naturales, in homine exoriuntur, ita ut ab his secerni nequeant, nisi lege quadam homo edoceatur, eos ad malum tendere ideoque malos esse; lex autem, qua Iudaei illos motus divinae voluntati repugnare edocebantur, erat Lex mosaica decalogi. Iure ergo Paulus eos suam inordinatam concupiscentiam, ac proinde peccatum sibi ab origine insitum, non nisi per Legem scriptam cognovisse dicit. Illud autem asserens, quod de facto illi iuxta suam iudaicam educationem experti sunt, minime negat, ethnicos etiam per legem naturalem ad concupiscentiae illius inordinatae, quae a voluntate vinci debet, cognitionem venire potuisse et venisse. Id enim supra (2,11-15) sufficienter iam declaraverat, hic autem iure omisit, quia *Legis scriptae* ad peccatum relationem exponere vult, ne quis Iudaeis Evangelium superfluum esse propter Legem putet. Dubitari vero nequit, quin Apostolus de Lege mosaica loquatur, quandoquidem ultimum decalogi praeceptum (*Exod.* 20,17; *Deut.* 5,18) diserte allegat[2]. Eius tamen prima verba sola (*non concupisces*) affert, singu-

1. Uti graece per se dicendum erat : οὐκ ᾔδειν ἄν, ita latine *nescirem*, siquidem de conditione agitur, quae impleri non potuit. Ceterum ab optimis scriptoribus graecis interdum illud ἄν omittitur, ut maiore cum vi conditionatum exprimatur, ac similiter a Latinis aliquoties eandem ob causam indicativus temporis praeteriti pro coniunctivo usurpatur.

2. Haud recte id negat *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,8) : « *Alii putant* illud esse manda-

larum rerum quae concupisci ibi vetantur enumeratione praetermissa, quia id unum proxime ostendere vult, sese desideriorum pravorum, quibus caro ad illicita tendit, malitiam prohibitione Legis cognovisse. A qua explicatione vix dissentiunt, minus accurate tamen loqui videntur, qui praeeunte S. Augustino Apostolum enumerationis illius omissione generaliorem sensum, ut ad omnia omnino peccata se extendat, praecepto attribuere opinantur : « Hoc ideo, inquit *S. Aug.* (de spir. et lit. 4,6), elegit Apostolus generale quiddam, quo omnia complexus est, tamquam haec esset vox Legis *ab omni peccato* prohibentis, quod ait : *Non concupisces;* neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur ». Quae explicans *Thom.* « concupiscentiam communiter se habere ad omnia peccata » dicit, utpote communem omnium causam et radicem, « communitate igitur non generis vel speciei, sed causalitatis ». Re quidem vera omne peccatum in concupiscentia quadam primam suam radicem habet (cfr *Iac.* 1,14); Paulum tamen hic de solis pravis desideriis cogitasse censemus.

Lex igitur primum est data, ut homo peccatum, i. e. inordinatam, quam cum culpae reatu a primis parentibus hereditavit, concupiscentiam, cognosceret. Neque vero haec unica est Legis ad peccatum relatio, nam Lex virtus quoque peccati esse (1 *Cor.* 15,56) et ad illud accessisse dicitur, ut abundaret delictum (5,20) et homo multiplicatis transgressionibus infirmitatem suam cognoscens quaereret gratiam Salvatoris, qua concupiscentiam vinceret (cfr ad *Gal.* 3, 19 sqq.). Ad quam alteram relationem explicandam Apostolus (per metabaticam particulam δέ *autem*) iam transgreditur : 8. *occasione accepta* (ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα) *peccatum per mandatum* (διὰ τῆς ἐντολῆς) *operatum est in me omnem concupiscentiam* (πᾶσαν ἐπιθυμίαν).

Ad sententiae constructionem quod attinet, in controversia est, utrum locutio διὰ τῆς ἐντολῆς cum participio λαβοῦσα (occasione per mandatum accepta) an cum verbo finito κατειργάσατο (operatum est per mandatum) connectenda sit. Contra priorem nexum, quem cum antiquioribus (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Herv. Thom.* etc.) etiam moderni multi tenent (cfr *Reith. M Ev. Bisp. Mai.* etc.), nonnulli iuniores et moderni urgent, quod Graeci ἀφορμὴν λαμβάνειν ἀπό vel ἐκ vel παρά τινος,

tum, quod in decalogo scriptum est : non concupisces rem proximi tui; *nos autem* per concupiscentiam omnes perturbationes animae significatas putamus, quibus moeremus et gaudemus, timemus et concupiscimus ». Quam explicationem neque verbis neque contextui satis consonare arbitramur, licet *Est.* eam defendere conetur; neque enim de moeroris, gaudii, timoris etc. affectibus Apostolum loqui patet, sed de rerum prohibitarum desiderio (cfr *Iust. Reith.* etc.).

non διά τινος dicere soleant, quodque ordo verborum, quum locutio illa interiecto subiecto a participio sit separata, atque etiam sententia parallela (*v.* 11) alterum nexum commendent (cfr *Est. Beel. Sch.* etc.). At verborum ordine ne minimam quidem difficultatem priori nexui creari clarum est et locum parallelum immerito afferri infra videbimus. Optime autem Paulus, consueta locutionis constructione relicta, praepositionem διά, quae per se apta fuit, adhibere potuit, ut peccatum, quod velut personam agentem inducit, Lege divina tamquam instrumento ad perversos suos fines obtinendos abusum esse significaret. Accedit demum, quod interpretes, qui alterum nexum praeferunt, ad locutionis (ἀφορμὴν λαβοῦσα) sensum explicandum ex praecedente sententia aliquid (ἀπὸ τοῦ νόμου vel ἀπὸ τῆς ἐντολῆς) supplere cogantur, ut definiant, undenam peccatum occasionem (vel potius incitamentum, nam ἀφορμή proprie *impulsum* vel *incitamentum* significat) sumserit. Sensus ergo sententiae iuxta utramque constructionem idem fere est, priorem autem nexum velut simpliciorem praeferimus [1]. Luce porro clarius est, nomine *peccati* hic neque diabolum (cfr *S. Meth.* ll. cc.; *Oec.* τινὲς apud *Theoph.*, *A*[ter] etc.) designari, quia in toto contextu nulla fit diaboli mentio, neque peccatum actuale in genere (cfr *Tol. Lap.* etc.), quia nullum peccatum actuale operatur omnem concupiscentiam. Recte potius omnes fere consentiunt, de peccato originali secundum suam materialem partem agi, quatenus nimirum est fons fomesque actualium peccatorum. Nomine *mandati* porro universa Lex, quae multis mandatis constat (*Eph.* 2,15 ὁ νόμος τῶν ἐντολῶν) et a mandato diserte distinguitur (*v.* 12), proxime non significatur, sed illud Legis praeceptum, quod modo allatum est : *Non concupisces.*

Quibus praemissis sensus sententiae clarus est : per mandatum non concupiscendi cognitum concupiscentia habitualis occasionem incitantem seu impulsum accepit vel potius sumsit ad agendum viresque suas exserendas; hoc autem impulsu semel sumto operata est omnem concupiscentiam actualem, i. e. omne genus pravorum desideriorum et motuum inordinatorum, quibus voluntas, quia neque in se vires, quibus resisteret, habebat neque illas a Lege aut per Legem accipiebat, abripiebatur et vincebatur. De illis enim concupiscentiae motibus, quibus voluntas consensit quosque secundos theologi vocant, hic agi ex *v.* 11 apparet. Praecipua sententiae vis in eo est, quod peccatum

1. Priore nexu exposito bene adnotat *Thom.* : « Potest autem *eodem sensu* litera aliter ordinari, ut dicatur, quod peccatum operatum est per mandatum Legis omnem concupiscentiam, et hoc occasione sumta ab ipso mandato; sed prior expositio simplicior et melior est ».

per Legem ansam agendi ac potentiae suae manifestandae sumserit; quare ad illud confirmandum Apostolus addit : *sine lege enim peccatum mortuum erat*, vel uti *S. Aug.* (expos. *n.* 37; serm. 153 *n.* 9; c. duas epp. Pelag. I. 8,14 etc.) legere solet: *mortuum est.* In graeco verbum non est enuntiatum, neque minus apte per se praet. ἦν, quam praes. ἐστίν, suppleri potest. Aptior tamen Augustini lectio videtur, quia generali sententia particularem confirmare Apostolus amat. Sensus vero haud mutatur, si *Vulg.* lectionem praeferens eum in hac quoque sententia quodam modo de sua experientia proxime loqui ac de se ipso id enuntiare supponas, quod eodem modo contribules eius ac simili modo ipsi ethnici experiuntur. Haud incongrue quoque *S. Aug.* (ll. cc.) peccatum *mortuum* dici censet, « non quia non adsit sed quia lateat », « quia non appareat omnino, penitus ignoretur tamquam in nescio quibus ignorantiae latebris occultum »; addendum tamen videtur, illud ideo latere et ignorari, quia ante Legis prohibentis cognitionem, qua excitatur, vires suas nondum exserat suisque operibus sese nondum prodat. Simili modo fides quoque, nisi per caritatem operatur (i. e. operosam se demonstrat vel etiam ad operandum movetur et incitatur cfr ad *Gal.* 5,6), mortua dicitur (*Iac.* 2,17.20.26). « Nisi enim, inquit *Theod.*, lex est, quae quid sit agendum ostendat et quid vitandum sit prohibeat, peccatum non habet locum », quia nihil adest, contra quod concupiscentia exsurgat et rebellet.

Ceterum de tota hac sententia, uti antea diximus, idem valet, quod ad praecedentem adnotavimus. Paulus sine ullo dubio de Lege scripta loquitur eaque refert, quae iuxta suam educationem Iudaei experiuntur, neque vero negat, ethnicos similia experiri. Sicut enim apud priores per Legem scriptam, quam primam pueri didicerunt, ita apud ethnicos per legem naturalem, quam solam cognoverunt, concupiscentia excitabatur et excitatur, ac deinde, quum neutra lex vires ad inordinatos concupiscentiae motus reprimendos ac vincendos suppeditet, semel excitata omnem concupiscentiam actualem operatur. Ea enim est lapsae naturae indoles, ut lege restringi et coerceri recusans ardentius in illa feratur et ruat, quae lex prohibet, sicut impetus aquae vehementior fit obice opposito, cuius molem si vicerit, maiore cumulo praecipitatus vehementius provolvitur omniaque devastat (*Nat.*)[1].

Quam alteram Legis ad peccatum relationem dictinctius expositurus

1. Nota omnibus sunt veterum scriptorum testimonia, quibus ethnicos similia expertos esse constat; *Horat.* Carm. I. 3,25 ; « audax omnia perpeti, Gens humana ruit in vetitum nefas »; *Ovid.* Amor. III. 4,17 : « nitimur in vetitum semper cupimusque negata »; II. 19,3 : « quod licet, ingratum est; quod non licet, acrius urit »; Metam. III. 366 : « acrior admonitu est, irritaturque retenta et crescit rabies ». Alia quaedam collegit *Wetst.* i.h.l.

B. Paulus tristem effectum describit, quem peccatum Lege suscitatum produxerit (9-11). Partes enim Iudaei peccatoris agere pergens se per peccatum ad mortem adductum dicit : 9. *ego autem vivebam sine lege aliquando; sed quum venisset mandatum, peccatum revixit* (ἀνέζησεν), 10. *ego autem mortuus sum* (ἀπέθανον mortem obii). Sunt qui priorem particulam δέ (*autem*) adversativam esse dicant, quia nostrum *ego vivebam* praecedenti membro *peccatum mortuum erat* (*v.* 8) opponi arbitrantur (*Est. Bisp.* etc.). Verum dubitari nequit, quin nostrum *ego vivebam* sequenti *ego mortem obii* (*v.* 10) opponatur; alterum ergo δέ (*v.* 10) utique adversativum est, prius vero iterum transitioni inservit et aliquid novi inducit, quod Paulus se expertum esse dicit. Duas enim vitae suae periodos distinguit, siquidem « illud quod ait : *ego vivebam aliquando*, aetatem suam primam ante rationales annos voluit intelligi; quod autem adiunxit : *adveniente mandato peccatum revixit, ego autem mortuus sum*, iam se praecepti capacem sed non efficacem et ideo praevaricatorem Legis ostendit » (*S. Aug.* c. duas epp. Pelag. I. 8,14; c. Iulian. VI. 23,73; similiter *S. Hier.* ad Algas. ep. 121,8, *Orig.* etc.; *Lap. Reith. Mai. Bisp. LR. Weinh. Dr. Ag. Sch.*).

Ante usum quippe rationis homo *sine lege* esse iure dicitur, quia eam plane ignorat « et peccans absque mandato non tenetur lege peccati » (*S. Hier.* l. c.). Significanter autem Paulus se in illo infantiae statu *vixisse* ait; quoniam enim illud *ego vivebam* sequenti *ego mortuus sum* opponitur, mors autem non physica aut aeterna sed spiritualis intelligitur, vita quoque intelligatur oportet spiritualis, ita ut se in statu innocentiae et gratiae primos puerilis aetatis annos transegisse significet [1]. Peccatum vero illis annis in ipso mortuum erat, at *revixit quum venisset mandatum* (ἡ ἐντολή illud scilicet praeceptum *non concupisces*). Usum enim rationis adeptus Legem cognoscere coepit, atque Lege cognita vel potius illo mandato non concupiscendi cognito concupiscentia quoque suscitata est viresque suas exserere incepit. Quo cum iure peccatum *revixisse* dicatur in homine, in quo antea nondum vixit, *S. Aug.* (c. duas epp. Pel. I. 9,16) hunc in modum explicat : « Non ait *vixit* sed *revixit;* vixerat enim aliquando in paradiso, quando contra datum praeceptum satis apparebat admissum; quum autem a nascentibus trahitur tamquam mortuum sit, latet, donec repugnans iustititae ma-

1. Haud immerito igitur ad hunc locum provocare posse videntur, qui cum *S. Aug.* (de nupt. et conc. II. 11, 24) et *S. Thom.* (Summa III. qu. 70. a. 4) circumcisione reatum culpae originalis deletum esse tenent (cfr ad 4,11). Quod enim *S. Aug.* (c. duas epp. Pel. I. 9,16) illud *ego vivebam* nihil significare censet nisi *ego vivere mihi videbar*, erroneum esse arbitror; namque eodem cum iure illud *ego mortuus sum* nihil esse diceretur, nisi *ego mortem obiisse mihi videbar* et illud *peccatum revixit* nihil ,nisi *reviviscere videbatur.*

lum eius prohibitione sentiatur, quum aliud iubetur atque approbatur, aliud delectat atque dominatur; tunc peccatum quodammodo in notitia nati hominis reviviscit, quod in notitia primum facti hominis aliquando iam vixerat ». Verum subtilior longiusque quaesita neque satis quoque apta haec explicatio merito habetur; quare eorum sententia nobis magis probatur, qui graecum verbum ἀναζῆν hic non tam *reviviscere* (iterum vivere incipere seu resuscitari) quam *viviscere* (vivere incipere seu suscitari) significare censent[1].

Vitae vero, ad quam concupiscentia Lege adveniente suscitata sit, sequelam esse mortem, Paulus addit: 10. *ego autem mortuus sum*, i. e. mortem obii vita innocentiae iustitiaeque privatus, qua puer fruitus eram. Quam inopinatam sequelam considerans tristis conqueritur : *et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam* (vel : quod *est* ad vitam ἡ εἰς ζωήν), *hoc esse ad mortem*. Quasi demiratur, quod acceptae Legis eventus fini Legis datae non tantum non responderit sed contradixerit. Cum omnibus enim suis mandatis data est, ut homo in eis *viveret* (*Levit.* 18,5; *Ezech.* 20,11), eorum scilicet observatione vitam Deo probatam ageret, qua ad aeternam tandem vitam perveniret (*Matth.* 19,17; *Gal.* 3,12 cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 486 sqq.). Sed contrarium evenit et sua ipsius experientia homo comperit, *eodem hoc* mandato (attende ad pronomen αὐτή *hoc* insertum, quod praecedentis nominis ἡ ἐντολή *mandatum* memoriam fortiter redintegrat eiusque pondus auget), quo ad vitam adduci debuit, se ad mortem spiritualem esse adductum. Recte autem *Chrys. Theod.* etc. adnotant, Apostolum non dixisse : « mandatum factum mihi est mors aut peperit mihi mortem », sed : *inventum est mihi esse ad mortem.* Culpam igitur non Legi attribuit, sed homini Legem accipienti; « si enim scopum eius homo respicere voluisset, ad vitam ducebat et propterea data erat; quod si mors evenit, eius qui mandatum accepit est culpa, non vero mandati ad vitam ducentis ».

Quomodo enim fieri potuerit, ut salutaris medicina in venenum

1. Exemplo quidem hanc significationem verbi ἀναζῆν comprobare non possumus; sed praepositio ἀνά in compositis verbis interdum *iterum* significat, interdum *sursum*, atque in eodem verbo aliquoties utramque significationem admittit. Ita ἀναβλέπειν, quod plerumque significat *visum* (amissum) *recipere* (*Matth.* 11,5; 20,34; *Luc.* 18,41 etc.) etiam de homine caeco nato, quem Christus sanavit, adhibetur (*Ioan.* 9,11.18). Plane simili modo etiam hic ἀναζῆν, quamvis per se significet *reviviscere*, sensum *vivescere* admittere potuit, quia nos ea, quae *mortua* esse dicimus, semel vixisse cogitamus. Eo magis autem rem ita explicare licet, quia Paulus clare insinuat, *peccatum*, quod mortuum esse et lege suscitari dicit, vitam suam non amisisse sed non prodere ac sopitum potius quam mortuum esse. Similiter a theologis latinis etiam latinum *reviviscere* interdum pro simplici *viviscere* usurpatur, ex. gr. si de *reviviscentia* sacramentorum loquuntur.

mortiferum sit conversa, hunc in modum explanat: 11. *nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me* (ἐξηπάτησέν με) *et per illud occidit.* Quemadmodum supra (*v.* 8), etiam hic locutionem διὰ τῆς ἐντολῆς cum participio λαβοῦσα aptius, quam cum verbo finito, connectimus. Per non concupiscendi mandatum scilicet concupiscentia innata, quae antea iners mortuaque iacuerat, occasionem et incitamentum nacta est, ut vires suas proderet; semel autem suscitata hominem vana felicitatis spe *seduxit,* quum illa, quae concupisci prohibebantur, tamquam gratiora ac iucundiora repraesentaret, ac demum a mandatorum via, quae ad veram vitam et beatitudinem ducit, avocatum in mortem proiecit et *occidit.* Stipendium enim, quod peccatum servis suis solvit, est mors (6,23), uti aeterna, ita spiritualis quoque, quacum aeterna intime est connexa quamque supponit. Hanc interpretationem innuit *S. Aug.* (de octog. trib. quaest. 66,5): « Suasio delectationis ad peccatum vehementior est, quum adest prohibitio », et iterum (expos. n. 39): « Desiderii prohibiti fructus dulcior est;... ista dulcedo est occasio per mandatum inventa peccati; quae quum appetitur, utique fallit et in maiores amaritudines vertit ». Num vero S. Paulus suo *seduxit me* (ἐξηπάτησέν με) ad Evam a serpente seductam (*Gen.* 3,13 ἠπάτησέν με cfr 2 *Cor.* 11,3; 1 *Tim.* 2,14) alludere voluerit, id quod haud pauci moderni censent, vehementer dubito. Ceterum uti hic peccatum *per mandatum* occidere dicit, quia per Legem concupiscentia excitatur et augetur, ita alibi etiam Legem ipsam occidere dicit (2 *Cor.* 3,6); nam hic quoque Legem velut instrumentum considerat, quo peccatum innatum abutitur ad occidendum.

In *v.* 9., a quo *vv.* 10. 11 dependent, explicando Origenem, Hieronymum, Augustinum, quibuscum aliqui iuniores ac plerique moderni consentiunt (cfr *Lap.* etc., *Beith. Mai. Bisp. Dr. L R. Weinh. Ag. Sch.*), secuti sumus, quia eorum explicatio tam simplex totique contextui tam consentanea est, ut non intelligatur, cur iuniores antiquioresque reliqui ab ea recesserint.

Eorum sententiae ad duas revocari possunt. Cum *S. Method.* aliisque paucis etiam *Caiet.* Apostolum quasi in persona Adami loqui arbitratur: « Creatis siquidem primis parentibus, antequam mandatum daretur de non comedendo fructu arboris illius vetitae, homo sine lege vivebat et peccatum mortuum erat. Quod homo *viveret* tunc vita boni moris et *sine lege,* ex hoc constat, quod de eius statu ante factum sibi praeceptum est sermo; quod vero *peccatum* in eo tunc *mortuum* fuerit, ex eo patet, quod pars illa inferior animi, quae causa peccati in nobis est et propterea peccatum appellatur, mortua erat quantum ad hoc quod exiret in actum peccati » etc. Reliquam interpretationem adscribere operae pretium non est, quia ex his iam elucet, quam arbitraria et erronea sit. Etenim Paulus, si in Adami persona

locutus esset, id aliquo saltem modo indicasset; quia vero ne verbulum quidem affertur, quo haec hypothesis confirmetur, iure tamquam ad arbitrium conficta reiicitur. Praeterea Adamum, antequam positivum mandatum de fructu vetito non comedendo accepisset, *sine* lege fuisse, erronee asseritur, quia legi naturali, quam ignorare non potuit, erat subiectus neque ulla est ratio, cur νόμος (lex) hic positivum mandatum solum significare dicatur. Longius demum a verae interpretationis regulis Caiet. recedit, si nomine *peccati* etiam in Adamo « partem inferiorem animae, quae causa peccati in nobis est » designari vult, ac si in Adamo, qui ante lapsum fomite peccati plane carebat non minus quam in nobis, eadem animi pars causa peccati fuisset omnemque in eo concupiscentiam operata esset.

Porro altera quoque explicatio, non obstante magna interpretum, qui eam secuti sunt, auctoritate, nobis non probatur; ex Graecis *S. Chrys.* cum sua schola eam tenuit; ex Latinis *S. Aug.* (in prioribus suis operibus : expos. n. 38; de octog. trib. quaest. 66,5) et *S. Ambr.* (de Iacob et beata vita I. 4,13) eam obiter potius insinuarunt quam diserte tradiderunt; antiquiores vero iunioresque plurimi cum paucis modernis eam praeferunt (cfr *Haym. Herv. Abael. Lomb. Thom. Lyr.* etc.; *Tolet. Salm. Est. Iust. Nat. Pic.* etc., *Beel. M Ev.*), licet in omnibus non plane inter se consentiant. Haec autem est explicationis summa : « Apostolus in persona populi iudaici loquitur, qui in duplici statu, ante et post Legem per Moysen datam consideratur. Iuxta priorem igitur statum dicit : *ego vivebam sine lege aliquando*, i. e. vivere mihi videbar, quia ignorabam me legis divinae esse transgressorem Deumque offendere et quia concupiscentia nondum tantas exserebat vires, quantas postea. Iuxta alterum autem statum dicit : Lege per Moysen adveniente *peccatum revixit*, tum quia tunc cognitum est, tum quia maiores tunc exserebat vires; *ego autem mortuus sum*, quatenus me mortis aeternae reum esse cognovi et in nova peccata vehementius lapsus sum, quum concupiscentia per Legem sit aucta ». Ast quo cum iure omnes voces huius sententiae improprie sumantur novasque significationes prorsus insolitas accipiant, non apparet. Aliquo enim saltem modo Paulus indicare debuit, quod pronomine *ego* non tam singulos homines quam universe populum totum intelligi et de duobus eius statibus loqui vellet, quodque *vivere* non amplius significet vivere sed « vivere videri » et *mori* non amplius mori, sed « se mori cognoscere », et *reviviscere* non amplius resuscitari (aut suscitari) sed « cognosci et augeri ». Verbis igitur paulinis haec explicatio nequaquam consonat; accedit autem, quod *peccatum* (i. e. concupiscentia) in populo iudaico ante mosaicam legislationem aeque parum ac in populis ethnicis mortuum dici possit, licet libenter concedamus, immo asseramus, illud post legislationem clarius esse cognitum, viresque suas vehementius manifestasse.

Duplex ergo iuxta Paulum est Legis mosaicae relatio ad peccatum seu ad rebellem concupiscentiam homini innatam; Iudaeos enim Lex

in illius peccati cognitionem adduxit, peccatum autem ex ea occasionem incitamentumque ad operandum sumsit, minime vero Lex ipsa peccato ansam operandi dedit. Quare ad interrogationem *supra* (v. 7) propositam, num Lex peccatum (i. e. aliquid mali) sit, respiciens et quasi respondens Apostolus nunc legitime concludit : 12. *itaque lex quidem* (ὥστε ὁ μὲν νόμος) *sancta, et mandatum* (ἡ ἐντολή) *sanctum et iustum et bonum*. Particulae μέν (*quidem*) in sequentibus nullum δέ (*autem*) respondet, ita ut sententia imperfecta esse neque totam Pauli mentem declarare recte dicatur. Facile autem ex superioribus idem suppletur, quod etiam aliis verbis statim (*v.* 13) additur : « peccatum vero, quod re bona ad fines suos perversos abutitur, vere est aliquid mali ». Nomine *Legis* mosaicam legislationem, nomine *mandati* autem praeceptum Adamo datum designari *Theod.* haud recte putat, neque multo rectius *Theoph.* per *Legem* dogmata, per *mandatum* praecepta veteris oeconomiae intelligit. Eodem enim sensu, quo in praecedentibus, utrumque nomen sumatur oportet, ut *Lex* praecepta universa mosaica complectatur, *mandatum* vero unum non concupiscendi praeceptum (vel iuxta alios singula praecepta) significet. Recte tamen *Theod.* tria epitheta explicat : « *sanctum* vocatur mandatum, quia id iubet, quod decet; *iustum*, quia in transgressores rectam sententiam fert (melius *Euth.* : quia observantibus bona promittit, transgredientibus mala minatur), *bonam*, quia observatoribus vitam praeparat ».

Sed ex ultimo epitheto B. Apostolus novam desumit obiectionem, ut eam reiiciens denuo et clarius totam malorum nostrorum spiritualium culpam peccato originali attribuat : 13. *quod ergo bonum est* (τὸ οὖν ἀγαθόν), *mihi factum est mors? Absit, sed peccatum* (ἡ ἁμαρτία), *ut appareat peccatum* (ἁμαρτία sine artic.), *per bonum* (διὰ τοῦ ἀγαθοῦ) *operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans* (καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς) *peccatum* (ἡ ἁμαρτία) *per mandatum*. Undenam obiectio derivetur, clarum est. Paulus enim una ex parte mandatum *bonum*, i. e. salutare et ad vitam spiritualem ducens, appellaverat, altera ex parte idem mandatum *sibi ad mortem esse inventum* erat conquestus (*v.* 10); si quis ergo dictiones adhibitas non satis perpendit, facile sibi persuadere potuit, bonum mandatum dici *mortem*, i. e. directam mortis causam (*mors* per metonymiam pro causa mortis). Quam obiectionem velut impiam absurdamque aspernatus (μὴ γένοιτο *absit*) veram ac directam mortis spiritualis causam *peccatum* (ἡ ἁμαρτία), i. e. rebellem concupiscentiam fomitemque, homini fuisse et esse docet. *Concupiscentia* quippe *per bonum*, occasionem nimirum incitamentumque nacta per bonum mandatum, *operata est ei mortem* (cfr *v.* 11).

Verumtamen iuxta sapientissimum Dei consilium id factum esse (et

fieri) Apostolus addit duplici sententia divinum finem explanans: primum enim id factum esse dicit: ἵνα φανῇ ἁμαρτία, deinde ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς. Quae ob suam brevitatem obscurius dicta esse *Theod.* iam conqueritur; quare singula accuratius sunt exponenda. In priore sententiola nomen ἁμαρτία, quum articulo careat, praedicatum est, eandem autem hic, quam in secunda *v.* 7. interrogatione (ὁ νόμος ἁμαρτία), habet significationem (malum Deique voluntati repugnans); velut subiectum porro ex principali sententia sua sponte nomen ἡ ἁμαρτία suppletur: in primo igitur loco *concupiscentia, ut* ipsa tamquam *peccatum,* i. e. in se mala ac divinae voluntati repugnans, *appareret, per bonum mortem operata esse* dicitur. In altera autem sententia iterum ἡ ἁμαρτία (concupiscentia) est subiectum, nomen praedicati autem est ἁμαρτωλός (peccator vel peccatrix, *Vulg.*: peccans); verbum γένηται deinde, quod a nonnullis modernis proprio sensu sumitur, cum *Chrys. Aug.* etc. melius logice interpretamur (*fieret* in existimatione hominum, i. q. *agnosceretur* cfr ad 3,4). Unde sententiae sensus est, iuxta divinam permissionem concupiscentiam divina Lege ad mortem operandam esse abusam, *ut concupiscentia* (ἡ ἁμαρτία) *per mandatum,* quo abusa est, tamquam *supra modum* (summo gradu) *peccatrix agnosceretur.* Utroque igitur membro Apostolus eundem quidem finem designat, sed in secundo multo maiore cum vi ac multo fortioribus verbis eum describit, ut peccati nobis innati, quod Lege divinitus ad vitam data velut instrumento ad mortem inferendam utitur, universam perversitatem clarius et evidentius manifestet. Cognitio enim potentiae et perversitatis peccati originalis, quod tantum abest, ut Lege mosaica sit infirmatum, nedum sublatum, ut Legem ipsam ad perversos suos fines obtinendos regnumque suum stabiliendum adhibeat, ante omnia est necessaria, ut homo ad gratiam Salvatoris confugiat (*v.* 24 sq.).

Cum latina versione, quam secuti sumus, *Chrys.* quoque consentit. Eodem enim modo, quo Vulg., participium κατεργαζομένη, suppleto verbo ἐγένετο, velut praedicatum ad nomen ἡ ἁμαρτία trahit, ita ut prius membrum finale sententiae principali inseratur (ἀλλ' ἡ ἁμαρτία, ἵνα φανῇ ἁμαρτία,... κατεργαζομένη ἐγένετο θάνατον *sed peccatum, ut appareret peccatum,... operatum est mortem*). Cum aliis tamen Graecis moderni plurimi graecum textum alio modo distinguentes verba ἀλλ' ἡ ἁμαρτία elliptice posita et ex praecedentibus complenda esse arbitrantur. Hac enim ratione legunt et interpretantur: τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος; μὴ γένοιτο· ἀλλ' ἡ ἁμαρτία (ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος), ἵνα φανῇ ἁμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον, ἵνα κτλ: *bonum ergo mihi factum est mors* (causa mortis)? *Absit; sed concupiscentia* (mihi facta est causa mortis), *ut tamquam peccatum* (i. e. aliquid mali) *appareret,* utpote *per bo-*

num mihi operata mortem; ut (igitur) *fieret* (i. e. cognosceretur) *supra modum peccatrix per mandatum.* Iuxta hanc constructionem sensum vix quidem mutari clarum est; fatendum autem est, duas sententias finales, quae inter se sunt parallelae, aptius concinniusque inter se respondere, si haec constructio admittitur. Ceterum per se patet, Paulum in tota hac sententia prosopopoeia uti peccatumque (concupiscentiam) velut personam inducere, quae mortem operetur et velut peccatrix appareat.

2) — *Quanta sit potentia peccati in hominem sub Lege constitutum* (7,14-25).

7,14. ***Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.*** 15. ***Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio,*** 16. ***Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est.*** 17. ***Nunc autem iam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum.*** 18. ***Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adiacet mihi : perficere autem bonum, non invenio.*** 19. ***Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago.*** 20. ***Si autem quod nolo, illud facio : iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.*** 21. ***Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.*** 22. ***Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem :*** 23. ***video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.*** 24. ***Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*** 25. ***Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati.***

7,14. οἴδαμεν γὰρ ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν· ἐγὼ δὲ σάρκικός εἰμι πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. 15. ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω· οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω, ἀλλ᾽ ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ. 16. εἰ δέ, ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός. 17. νυνὶ δὲ οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτό, ἀλλὰ ἡ ἐνοικοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. 18. οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοί, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν. τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλόν, οὔ· 19. οὐ γὰρ ὃ θέλω ποιῶ ἀγαθόν, ἀλλὰ ὃ οὐ θέλω κακόν, τοῦτο πράσσω. 20. εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω τοῦτο ποιῶ, οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτό, ἀλλὰ ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. 21. εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλόν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται· 22. συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ νοὸς κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, 23. βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσίν μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσίν μου. 24. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; 25. χάρις τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας [1].

1. *VV. LL.* — 14. οἴδαμεν γάρ (*scimus enim*) B ℵ C F G K P, plerique minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Goth.*; haud recte οἴδαμεν δέ (scimus *autem*) A D E L, pauci minusc. et PP., aliqui codd. *Syr.*; nullam particulam habent *Arm.* et *Aeth.* — σάρκινος (carneus) B ℵ A C D E F G, multi minusc., sed σαρκικός (*carnalis*) L P et plures minusc.; non obstante testium priorem lectionem tuentium auctoritate, lectio altera videtur praeferenda; cfr quae diximus in *VV. LL.* ad 1 *Cor.* 3,1. — 15. τοῦτο πράσσω (*hoc ago*) est communior lectio; minus recte pronomen τοῦτο omittitur a D E F G, *Copt. Goth.* Ceterum similis lectionum differentia in sqq. vv. 19. 20 quum inter grae-

Sententiam *v.* 13 enuntiatam, non Legem sed peccatum (rebellem concupiscentiam) sibi mortem intulisse, Apostolus ex eo nunc probat, quod non obstante Legis sub qua degerat sanctitate carnalis fuerit servusque peccati (*v.* 14). Quibus verbis totum fere argumentum huius pericopes proponit, in qua personam semper agens Iudaei nondum regenerati et gratiis supernaturalibus destituti « tamquam praestantissimus pictor bellum naturae nostrae et peccati delineat » (*Theod.*) infelicemque illam luctationem describit, qua homo sub Lege constitutus, quamvis inefficacibus voluntatis actibus se Legem approbare manifestet, a carne ad malum tendente semper vincitur. Hic autem est sententiarum ordo ac nexus. Praeprimis assertum *v.* 14 demonstraturus ex eo, quod illa semper agat quae noluit et odio habuit, concludit se Legem quidem approbasse sed a peccato ad agendum esse abreptum, ita ut non tam ipse egerit quam peccatum in ipso habitans (15-17). Deinde quo cum iure peccatum illa egisse dixerit, explanat iterum ad experientiam provocans, qua edoctus cognovit, in sua carne bonum non habitare, quum boni, quod vellet, perficiendi potestatem in se non invenisset, sed pro bono, quod vellet, malum fecisset, quod nollet. Unde malum illud non a se sed ab inhabitante peccato profectum esse colligit (18-20). Disputationem demum terminans sese se-

cos codd. tum inter versiones adest; ad sensum autem non multum refert, quum additio pronominis aliquantulum dumtaxat augeat vim dictionis. — Cum *Fuld.* aliisque bonis codd. *Vulg. Clem.* legit : *quod volo bonum..., quod odi malum*; attamen nomina *bonum* et *malum* cum omnibus Graecis etc. consentientes etiam *Amiat.* aliique probatiores codd. et omnes fere latini PP. (*S. Hier.* ad Algas. ep. 121,8; *S. Aug.* expos. 44; de octog. trib. quaest. 66,5; de div. quaest. ad Simplic. I. 8 etc.; *A^ter Pel.* etc.) omittunt; velut bona glossa lectio *Vulg. Clem.* retineri potest. — 18. Pro τὸ καλόν, quod omnes fere exhibent, soli F G legunt τὸ ἀγαθόν; sed sine sensus differentia, quia utrumque ab *It.* et *Vulg.* redditur *bonum.* — οὔ (*non*) elliptice pro οὐ παράκειταί μοι (non adiacet mihi) B ℵ A C, pauci minusc. et PP., *Copt. Arm.*; sed οὐχ εὑρίσκω (*non invenio*) D E F G K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Goth.*; teste *S. Aug.* (c. Iulian. III. 26,62) eius tempore prior lectio inter Graecos communior fuit; sed sensus differentia levissima est vel nulla. — 20. εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω τοῦτο ποιῶ (*si autem quod nolo hoc facio*) B C D E F G, pauci minusc. *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.*; maiorem tamen vim habet altera lectio : εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω ἐγώ, τοῦτο ποιῶ (si autem quod nolo *ego*, hoc facio) ℵ A K L P, plerique minusc. *Copt. Syr.* (codd.) *Goth.* — 22. τῷ νόμῳ τοῦ νοός (legi *mentis*) solus B; cum reliquis testibus legatur oportet : τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ (*legi Dei*). — 25. χάρις τῷ Θεῷ (sit gratia *Deo*) B C, aliqui minusc. et PP., *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,8), *Copt. Arm.*; sed ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ (*gratia Dei*) D E cum *It. Vulg.* (etiam *S. Hier.* c. Iovin. I. 37); demum *textus rec.* : εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ (gratias ago Deo) cum ℵ A K L P, plerisque minusc., *Syr. Goth.* Primam lectionem equidem praefero cfr *Comment.* — τῷ μὲν νοΐ (mente *quidem*) B A C D E K L P, plerique minusc., *Copt. Syr.*; particulam haud satis recte, ut videtur, praeter ℵ F G paucosque minusc. etiam *It. Vulg.* omittunt.

cundum interiorem quidem hominem Lege divina delectatum esse, sed a carne servituti legis peccati esse subiectum ait (21-23). A qua servitute se per merita Christi liberatum esse grato animo recolens pristinum istum statum unica quasi comprehendit sententia (24. 25), ut ei in sequentibus novum gratiae statum opponat.

In hac explicanda pericope interpretes in bina castra opposita discedere, supra (*p.* 356 sq.) iam monuimus. Alii enim cum graecis antiquioribusque latinis Patribus Apostolum eam describere luctam tenent, quam homines Legis peccatique servituti subiecti, antequam gratiam Christi acceperint, sustinendam habeant; alii vero cum S. Augustino Pelagianos impugnante hominis iam regenerati et in statu gratiae degentis, cui concupiscentia ad agonem relicta est, continuam pugnam cum peccato delineari volunt. Iam vero quum, utrisque consentientibus, in praecedente pericope (7-13) de tristissimo statu hominis nondum regenerati sed sub Legis iugo degentis sermo sit, ipse novae sectionis cum praecedente nexus satis clare docet, priorem solam explicationem admitti posse. Namque ut peccatum sibi inhabitans, quod non tantum a Lege vinci non potuerat sed etiam illius praeceptis ad perversos suos fines abusa erat, mortis suae spiritualis causam fuisse demonstret, sese carnalem servumque peccati, non obstante sua persuasione de Legis sanctitate, fuisse Paulus commemorat: 14. *scimus enim, quia lex spiritualis* (πνευματικός) *est; ego autem carnalis* (σαρκικός vel σάρκινος) *sum, venumdatus sub peccato.* Quae probatio profecto infirma esset, nisi Apostolus in hac sententia eiusdem hominis in Legis statu degentis partes sustineret, cuius experientiam inde a *v.* 7. ac maxime *v.* 13 retulerat. Quod autem aliqui moderni lutherani (*Phil. Lut.* etc.), ut alteram explicationem defendant, argumentum quasi a maiore esse asserunt (acsi ex hominis regenerati infirmitate ad maiorem hominis nondum regenerati infirmitatem concluderetur), id et per se parum aptum est et plane arbitrarie in paulinam sententiam ingeritur, cuius ne una quidem literula comparationem duorum statuum institui insinuat.

Quia *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,8) pro *scimus enim* legit *scio enim* et in reliqua pericope prima pers. *singul.* semper adhibetur, aliqui moderni acath. (*Flatt, God.* etc.) etiam pro οἴδαμεν legendum esse οἶδα μέν (scio quidem) coniecerunt. Quam coniecturam vix non omnes velut non minus inutilem quam vanam merito reiiciunt. Pro vivido enim suo scribendi modo Apostolus ab una persona ad alteram uti ab uno tempore ad alterum frequentissime transit; aptissime autem in hac sententiola communem contribulium suorum persuasionem plurali ad-

hibito declarat, licet in reliqua pericope pro rhetorica loquendi figura, quam adhibere voluit, et pro argumenti natura singularem adhibeat. Iuxta communem porro persuasionem Legem *spiritualem* dici *Theod.* existimat, « quia divino Spiritu sit scripta, cuius gratiae Moyses particeps fuerit », *Chrys.* vero « quia magistra sit virtutis ac nequitiae adversaria ». Rectius tamen utraque explicatio coniungitur, quia adiectivo *spiritualis* Apostolus procul dubio ea comprehendit, quae modo dixerat, Legem sanctam esse eiusque mandata sancta et iusta et bona (*v.* 12); haec quippe Legi competunt, quoniam a Deo est data tamquam virtutis magistra. Quod vero antiquiores Latini Legem *spiritualem* vocari arbitrantur, « quia *spiritui* hominis concordet » (*Thom.*[1]), « quia regulativa sit *spiritus*, i. e. superioris partis hominis » (*Cai.*), id minus rectum est. Nomine πνεύματος (*spiritus*) enim, si de homine adhibetur, significari solet superior hominis pars gratia sanctificante ornata et cum S. Spiritu unita (cfr ad 1 *Cor.* 2,12); Legem autem naturalis hominis, nondum gratia instructi, superiori parti, i. e. menti (τῷ νοΐ), consonare Paulus docet (*vv.* 22. 23. 25).

Cui communi persuasioni de Legis spiritualitate carnalitatem hominis nondum renati opponit, ut eum sanctae Legi implendae imparem fuisse ideoque a peccato ad spiritualem mortem adductum esse insinuet : *ego autem carnalis sum.* « Carnalem, inquit *Theod.*, vocat eum, qui gratiam spiritualem nondum est assecutus », in quo igitur inferior pars, quae inclinatione ad bonum caret (*v.* 18) Deoque inimica legi divinae se non subiicit (8,7), dominium ita tenet, ut ea quae carnis sunt sola sapiat (8,5) ab iisque ad mortem abducatur (8,13). Hoc sensu vocem intelligendam esse alterum membrum confirmat (*venumdatus sub peccato*), quo homo velut servus peccato traditus esse significatur, ut ea faciat quae peccatum iubet[1]. Iamvero iustificatos non amplius esse servos peccati sed peccato mortuos, ut velut servi iustitiae Deo viverent, Apostolus fuse supra (6,9 sq. 11. 14. 17 sq. 22; 7,6) demonstravit, ac similiter mox spiritualitatem iustificatorum pristinae eorum carnalitati opponet (8, 2 sqq.). Unde dubium non est, quin in hac sententia praeteritum suum statum hominis sub Legis servitute degentis descripserit.

Contra quae *S. Aug.* in suis adversus Pelagianos operibus aliique

1. Ad hanc locutionem explicandam (πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν ***venumdatus sub peccato***) apte conferuntur, quae Achabo dixit Elias : πέπρασαι τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρὸν ἐνώπιον Κυρίου, ***venumdatus es, ut faceres malum in conspectu Domini*** (3 *Reg.* 21,20.25), et quae de apostatis Israelitis dicuntur (1 *Mach.* 1,15.16) : ἐπράθησαν τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν, ***venumdati sunt, ut facerent malum.*** — Haud recte vero affertur *Is.* 50.1 : ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν ἐπράθητε ***in iniquitatibus vestris*** (i.e. propter iniquitates vestras) ***venditi estis.***

Paulum, quia praesente tempore utatur (*ego autem carnalis sum*), satis indicare asserunt, se de praesente suo statu hominis regenerati loqui; eiusmodi igitur locutionum adhibitarum explicationem esse quaerendam, quae iustificato conveniat. Itaque *S. Aug.* (c. duas epp. Pelag. I. 10,17) eum censet « sic dixisse : *ego carnalis sum,* quia nondum spirituale corpus (1 *Cor.* 15,44) haberet, sicut dicere posset : *ego mortalis sum,* quod utique non nisi secundum corpus intelligeretur dixisse, quod nondum fuerat immortalitate vestitum ». Pariter eodem in loco alteram locutionem de solo corpore intelligi posse arbitratur, ut « secundum hoc se dicat *venumdatum sub peccato,* quod adhuc non sit redemtum a corruptione corpus eius, vel venumdatum aliquando in prima transgressione praecepti, ut haberet corpus corruptibile quod aggravat animam ». Verum si S. Doctori locutiones illas per se ita explicari posse concederemus (id quod tamen nemo, qui paulinum loquendi usum considerat, concesserit), tota eius interpretatio ob id solum iam rueret, quia ad orationis nexum non attendit. Num forte ex eo, quod Apostolus post conversionem corpus mortale et corruptibile retinuit, ullo modo probatur aut confirmatur, peccatum per Legem ei mortem intulisse (*v.* 13)? num ex eo, quod non agat quae velit sed faciat quae odio habeat (*v.* 15), ullo modo sequitur, eum corpus mortale et corruptibile habuisse vel habere?

Loquendi modo apostolico melius consonat alia locutionum explicatio, quam *S. Aug.* (de div. quaest. ad Simplic. I. 1,17) quidem velut loco nostro non adaptatam reiecit, *Estius* vero aliique, qui ipsi quoque de regenerato homine hic agi censent, praetulerunt. *Carnalem* quippe a Paulo etiam eum dici monent, qui, licet iustificatus sit, in nonnullis carnem sequatur neque perfecte a Spiritu S. sese regi sinat (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 70. 74 sq.); similiter Apostolum se non simpliciter *venumdatum sub peccato* dicere volunt, « sed secundum aliquid, i. e. secundum carnem, ut sensus sit : carne adhuc servus sum peccati ». Attamen contra hanc quoque explicationem, uti supra iam diximus, militat contextus; ex eo enim, quod Lex spiritualis sit, ipse autem adhuc quadamtenus peccato serviat, non probatur aut confirmatur, peccatum illi per Legem mortem esse operatum.

Porro usum praesentis temporis nequaquam impedire, ne hanc descriptionem de statu praeterito interpretemur, manifestum est, quia inde a S. Irenaei et Tertulliani aetate omnes Patres graeci ac latini, atque ipse quoque S. Augustinus in prioribus suis operibus, Paulum pristinum suum statum hominis nondum regenerati describere sine ulla haesitatione consenserunt. Revera scriptores rem praeteritam velut praesentem frequentissime sistunt ac delineant; hoc autem in loco ac-

cedit, quod Apostolus, licet suam ipsius experientiam referre videatur, re tamen generalem eorum expositionem dare voluerit, quae omnes Iudaei nondum regenerati, si suis naturalibus viribus sint relicti, in se ipsis experti sint et experiantur; quae autem Apostolo erant praeterita, ea contribulibus eius multis, quorum partes agit, erant praesentia. Quin etiam optime scivit, hominem regeneratum, quamvis a peccati servitute liberatus sit, sua culpa in eandem relabi posse (6,12 sqq. etc.), ita ut illa, quae nunc ei praeterita sint, iterum ei fiant praesentia. Quapropter de usu praesentis temporis in hac praeteriti status descriptione nemo mirabitur, nisi qui ad huius pericopes nexum cum praecedente non attenderit. Argumentationis enim series, quo sensu formae temporis praesentis intelligendae sint, aperte prodit.

Utramque superioris sententiae partem, scilicet se Legis spiritualitatem cognovisse ac peccati servum se fuisse, Paulus infelici hominis naturalis luctatione demonstrat, quippe qui actiones suas cum suis desideriis semper discrepare deprehendat : 15. *quod enim operor, non intelligo* (vel cum *S. Aug.* etc. : *ignoro* οὐ γινώσκω); *non enim quod volo* (*bonum*), *hoc ago; sed quod odi* (*malum*), *illud facio.* Vocabula *bonum* et *malum* hic ad sacrum textum non pertinere, supra monuimus (cfr *VV. LL.*); ex *v.* 19 huc videntur transumta, sensum tamen sententiae non mutant. Ad prius membrum *S. Aug.* (de div. quaest. ad Simplic. I. 1,8) recte adnotat : « Non ita dictum est *ignoro*, quasi peccare se nesciat »; eique consentiens *S. Chrys.* non omnimodam ignorantiam, acsi quis nesciens peccare possit, significari ait; nihilominus in membro ipso explicando dissentiunt. Iuxta *S. Aug.* enim « dicimur aliquando *ignorare*, quod non approbamus; ita ergo ait *quod operor ignoro* i. e. non approbo »; quam interpretationem ab haud paucis adoptatam (cfr *Haym. Herv. Thom.* etc., *Tol. Est. Iustin.* etc., *Reith. M Ev.* etc.) aliqui moderni ideo potissimum reiiciunt, quia verbum γινώσκειν significationem approbandi non admittat. At id erronee asseri alibi iam ostendimus (cfr ad 1 *Cor.* 8,3 et ad *Gal.* 4,9); quare sententia S. Augustini sua non caret probabilitate. Cum plerisque tamen modernis (cfr *Mai. Beel. Bisp. Dr. Ag.* etc.) explicationem *Chrys.* praeferimus, quae etiam cum *Vulg.* versione (*non intelligo*) magis consonat : « Quid significat οὐ γινώσκω? Idem quod *in tenebris sum*, abripior, circumvenior, nescio quomodo supplantor; sicut et nos (in vita quotidiana) dicere solemus : non intelligo, quomodo talis rem subripuerit, non tam ignorantiam profitentes, quam fraudem quandam circumventionemque subindicantes ». Suam ipsius rationem agendi non intelligens homo naturalis sibi ipse quasi aenigma est, quum contrarium semper

eorum se facere deprehendat, quae vult aut non vult — imperfecto utique et inefficaci voluntatis actu, quem velleitatem scholastici appellant. Humana quippe natura peccato originali non est totaliter corrupta. Lapsus quoque homo, sicut ratione sua absque fidei lumine bonum et malum in multis actionibus moralibus discernere potest ac discernit (cfr ad 2,14), ita voluntate sua rationali absque gratiae auxilio bonum cognitum amat ac desiderat, malum cognitum odit et aversatur. At vires, quibus spontaneos illos nequedum completos voluntatis motus compleat et executioni mandet, ei plane desunt, quia venumdatus est sub peccato. Peccatum autem, uti Paulus in sequentibus accuratius explicabit, quod in inferiore eius parte, in carne ac sensualitate, habitat ac dominatur, eum abripit et velut servum ad contraria agenda quodam modo cogit. Verbis *volo* et *odi* igitur velleitates designantur, verbis *non ago* et *facio* externae actiones, quae quia ex absoluta voluntate velleitates illas vincente progrediuntur, homini ipsi attribui et imputari debent [1]. In sua autem persona Paulus infelicem statum describit hominis sub Lege constituti, qui per eam edocetur quidem, quid agendum sit, illudque etiam facere vellet, sed ab ea non adiuvatur neque vires accipit, quibus eius praecepta impleat. Unde fit, ut semper tamquam servus peccati non id agat, quod ipse vult, sed id quod dominus eius, peccatum vult.

Iudaeorum non regeneratorum conditioni vicinus est status ethnicorum, quum ipsis quoque, peccato in eis dominante, vires ad legis naturalis praecepta cognita implenda desint. Quamobrem mirum non est, quod similibus verbis, quibus Paulus, tristem infelicemque luctam describant, quam experiuntur. Nostrae sententiae simillimum est dictum *Epicteti*, philosophi stoici : homo « quod vult non facit et facit quod non vult » (ὃ μὲν θέλει οὐ ποιεῖ, καὶ ὃ μὴ θέλει ποιεῖ *Epict.* Enchirid. II. 26,4). Notissimi quoque sunt versus *Ovidii* (Metam. VII. 19 sqq.): « Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido, Mens aliud suadet;

1. Similiter *Thom.*, quamvis posteriorem Augustini sententiam praeferat, exponit priorem, quam sequimur : « Hoc quod dicit *ago* est accipiendum secundum actionem completam, quae exterius opere exercetur per rationis consensum; quod autem dicit *volo* est intelligendum non quidem de voluntate completa, quae est operis praeceptiva, sed de voluntate quadam incompleta, qua homines in universali bonum volunt, sicut et in universali habent rectum iudicium de bono; tamen per habitum vel passionem perversam pervertitur hoc iudicium et depravatur talis voluntas in particulari, ut non agat, quod in universali intelligit agendum et agere *vellet*... (Similiter) per hoc quod dicit *odi* intelligitur odium quoddam imperfectum, secundum quod omnis homo naturaliter odit malum; per hoc autem quod dicit *facio* intelligitur actio perfecta per operis exsecutionem secundum rationis consensum; nam illud odium mali in universali tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus vel passionis ».

video meliora proboque, Deteriora sequor ». Haud pauca similia testimonia ex graecis latinisque scriptoribus collecta invenies in Comm. *Iust.*, *Grot.* et *Wetst.* i. h. l.

Plane diversa autem est regeneratorum conditio. Quamvis enim in eis quoque caro concupiscat contra spiritum (*Gal.* 5,17) atque etiam interdum fieri possit, ut a carne victi id agant, quod agere nollent, id tamen ex eo non provenit, quod vires eis desint, sed ex eo, quod gratiis a Deo oblatis uti nolint. Quapropter *S. Aug.* (c. duas epp. Pelag. I. 10, 18 etc.) aliique, qui totam hanc pericopen de homine regenerato et iusto interpretantur, ad satis miram nostrae sententiae explicationem confugere coguntur. Iuxta eos enim verbis *volo* et *odi* completa perfectaque voluntas, verbis *non ago* et *facio* incompletae actiones, indeliberati scilicet concupiscentiae motus, designantur. Bonum nimirum, quod iustus complete vult, iuxta eos est *non concupiscere*, i. e. primoprimos concupiscentiae motus non experiri seu non sentire; atque malum, quod absolute non vult, est *concupiscere* seu eiusmodi motus involuntarios habere. Sensus ergo sententiae iuxta eos est : « Iustus *non agit quod vult*, quia ab indeliberatis involuntariisque concupiscentiae motibus liber non est, et *facit quod odit*, quia eiusmodi motibus agitatur ». Quae interpretatio si genuina esset, Paulum obscurius loqui vix potuisse fatendum esset. Quamquam enim *S. Aug.* (serm. 128. n. 13) asserit : « ipsum concupiscere facere est », homines tamen ita loqui non solent, ut se illa *agere* vel *facere* dicant, quae inviti *patiuntur* neque ullo modo impedire possunt. Quomodo deinde sententia isto sensu intellecta cum praecedentibus cohaereat, nemo, uti iam monuimus, facile dixerit; sed etiam cum sequentibus aptus deest nexus. Utique *S. Aug.* (c. duas epp. Pel. l. c.) pergit : « hinc ergo, inquit, *consentio Legi*, quia nolo, quod non vult » (Lex). Verum ex eius hypothesi iustus *indeliberatos* concupiscentiae motus pati non vult, Lex autem *deliberatos* prohibet. Consensus ergo non adesset, nisi quis forte diceret, Pauli argumentum esse a maiori; sed id sine ullo fundamento et plane arbitrarie assereretur.

Ex hac pugna, quam homo naturalibus suis viribus relictus sustinet et in qua semper vincitur, Apostolus nunc duo illa derivat, quae *v.* 14 asseruit, se Legis sanctitatem cognovisse et approbasse (*v.* 16) seque venumdatum esse sub peccato (*v.* 17). Ac primum quidem ait : 16. *si autem quod nolo illud facio, consentio* (σύμφημι) *legi, quoniam bona* (καλός) *est*. Alterum praecedentis membrum repetit (nam οὐ θέλω *nolo* hic valet idem quod μισῶ *odi*), ut ex illa conclusionem profluere apertius insinuet; secus clarius dicere potuit : « *si autem quod facio illud*

nolo, consentio Legi », siquidem in voluntatis actu, licet imperfecto et inefficaci, vis argumenti sita est. Lex nimirum sese ipsam dicit sanctam et iustam (*Deut.* 4,8) suamque praestantiam mandatis prohibitionibusque suis manifestat; atque cum hoc Legis testimonio homo consentit, si natura sua duce malum, quod Lex vetat, aversatur et bonum, quod Lex iubet, appetit, quamvis deinde actibus suis deliberatis malum non evitet et bonum non sequatur.

Cui priori conclusioni altera arcte subiungitur, quia sua quasi sponte ex illa derivatur : 17. *nunc autem* (νυνὶ δέ) *iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Particulis νυνὶ δέ (*nunc autem*) Paulum praesentem suum statum priori cuidam opponere *S. Aug.* haud recte censet; nimis enim manifestum est, eum de eodem statu agere, quem praecedentibus sententiis describere iam coepit. Particulae illae igitur conclusioni introducendae inserviunt illaque, quae de facto acciderunt, eis opponunt, quae iuxta praemissas exspectari potuerunt aut debuerunt. Quamvis enim aliquoties temporales sint (cfr ad 3,21; 6,22; 7,6 etc.), haud raro ab Apostolo ita adhibentur, ut praemissas argumenti sui illis quodammodo comprehendat et in memoriam revocet (cfr ad 1 *Cor.* 5,11; 12,18; 14,6 etc.) : « *Nunc autem,* quum res ita se habeant, ut secundum interiorem hominem Legem approbem (*v.* 16), exspectari potuit, me eam esse servaturum; quia autem contrarium accidit et ego ea, quae nollem, facio (*v.* 15), concludatur oportet, non me eundem, qui Legem approbo, sed alium quendam, qui in me habitat ac dominatur, illa facere, quae ego facere nollem ». Dominum autem naturali homini inhabitantem et dominantem peccatum, i. e. concupiscentiam, esse significat.

Neque tamen haec ad culpam agentis negandam vel minuendam dicuntur, sed ad status illius, in quo homo sub peccato venumdatus degit, miseriam declarandam miseriaeque causam manifestandam. Bene *Tolet.* « Paulus, inquit, non significat, hominem non facere malum, sed docet, impotentiam illam faciendi boni ac vitandi mali neque ex natura ipsa humana, quam [bonam] a Deo accepit, neque a ratione [quae bonum etiam nunc approbat et vellet] procedere, sed ex peccato esse et ex carne vitiata peccato, quo detinetur ». Locum ergo non habet *Estii* obiectio, qui haec ab homine nondum regenerato et sub Lege constituto ideo dici non posse vult, « quia talis non solum carne, sed etiam mente ac voluntate ac proinde simpliciter operetur malum ». Neque enim talem simpliciter peccare ullo modo negamus, sed hic quaeri dicimus, undenam fiat, ut talis homo, quamvis Legem habeat eamque mente approbet, semper ea faciat, quae improbat et facere nollet. Huic quaestioni respondens Apostolus peccatum illa operari docet, quae

interior homo non approbat, significatque habitualem illam infirmitatem, quae eiusmodi hominem Legem implendae imparem reddit, ex peccato originali exoriri[1]. Simili imagine usus supra monuit, ne iustificati sua membra arma iniquitatis peccato exhiberent (6,13); utroque in loco peccatum in personam constituit, quae pugnet et dominetur, sicut illud etiam, quamvis non sit nisi privatio quaedam, nobis inhabitare dicit, ac si res quaedam sit.

Quo cum iure porro *peccatum* illa, quae homo facere nollet, facere dicatur, in sequentibus (18-20) explicat iterum ad experientiam provocans : **18.** *scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Verbo *scio* (οἶδα) hic scientiam ex experientia haustam significari, ratio addita docet, quam mox exponemus. Ex iis igitur, quae Iudaeus naturalibus suis viribus relictus experitur, didicit *in se non habitare bonum,* i. e. in ipso non adesse propensionem ad bonum, sed potius solam propensionem ad malum. At id praecedentibus non consonat, quibus aliquam saltem, licet imperfectam, voluntatem boni et inefficax quoddam odium mali in homine semper remanere insinuabatur. Quamobrem Apostolus sese ipse quasi corrigit atque illud *in me* verbis additis *hoc est in carne mea* accuratius definiens ac limitans in altera sui *ego* parte, quae carni opponitur, i. e. in mente, bonum quoddam inhabitare indirecte concedit. *Carnis* nomine proxime corpus cum omnibus suis organis membrisque, quibus homo exterius operatur iussaque mentis exsequitur, designari patet (*v.* 5; 6,12 sq. 19). Neque vero minus clarum est, appetitum bonorum sensibilium, seu sensualitatem, inferioresque animi facultates comprehendi, ita ut caro hic designet totam hominis naturam animalem, quatenus menti opponitur (*vv.* 23. 25). Bene *Thom.* quoque carnem hic simul cum viribus sensitivis accipi adnotat; minus recte autem « sic carnem contra *spiritum* distingui » addit. Etenim tota hac in pericope, quum de homine nondum regenerato agatur, Apostolus a nomine *spiritus* adhibendo considerate abstinet, aliter atque *Gal.* 5,16-25 fecit, ubi de regeneratis loquitur. Neque minus *Thom.* a vero aberrare in eo dicendus videtur, quod limitationem

1. Estii obiectionem *Thom.* quasi in antecessum refutavit hoc modo : « Actio maxime attribuitur principali agenti, quod secundum proprietatem suam movet, non autem agenti, quod movet vel agit secundum proprietatem alterius, a quo movetur. Manifestum est autem. quod ratio hominis secundum illud, quod est proprium sibi, non inclinatur in malum, sed secundum quod movetur a concupiscentia. Et ideo operatio mali, quam ratio facit, prout est victa a concupiscentia, non attribuitur principaliter rationi, quae hic per hominem [sc. dicentem : *non ego*] intelligitur, sed potius ipsi concupiscentiae vel habitui, ex quo ratio inclinatur ad malum ». Hanc suam explicationem *Thom.* ipse quidem *extortam* dicit, at dummodo eo sensu, quem supra cum *Tol.* indicavimus, intelligatur, nihil extorti habet : A peccato instigatus et motus homo operatur malum, ita ut mali operatio peccato seu concupiscentiae tamquam primae ac principali causae recte attribuatur.

(*hoc est in carne mea*), si nostra sententia ad hominem nondum regeneratum referatur, superflue additam dicat, « quia in homine peccatore *bonum gratiae* non habitet nec quantum ad carnem nec quantum ad mentem ». Quid enim haec ratio, quae in se verissima est, hic sibi velit, non intelligo, quandoquidem nemo ex illis, quibuscum totum locum de homine nondum regenerato interpretamur, nomine *boni* hic designari *gratiae bonum* tenet; omnes quippe naturalem inclinationem ad bonum, quam *in mente* peccatoris adesse *Thom.* non negat, et propensionem ad malum, quae ex originali peccato exorta *in carne* habitat, inter se opponi censent.

Scientiae deinde illius fontem esse experientiam sequentibus sententiis docetur : *nam velle* (τὸ γὰρ θέλειν) *adiacet mihi, perficere autem* (τὸ δὲ κατεργάζεσθαι melius : *operari autem*) *bonum non invenio;* vel iuxta graviorum codd. graecorum lectionem : τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, οὔ (supple παράκειταί μοι) : *operari autem bonum non* (supple : *adiacet mihi* cfr *VV. LL.*). Ad infinitivum *velle* (τὸ θέλειν) ex secundo membro obiectum *bonum* (τὸ καλὸν) sua sponte suppletur. Sese ipsum examinans et in ea, quae in ipso sint, inquirens eaque recognoscens ac dispiciens homo lapsus in mente quidem sua propensionem quandam ad bonum detegit, unde dicere potest : *velle* (bonum) *adiacet mihi,* i. e. « propinquum est mihi, quasi sub potestate mea exsistens » (*Thom.*); verum in carne sua non invenit, quo bonum, quod facere vellet, exsequatur, unde dicere cogitur : *perficere* seu *operari bonum non invenio* (vel *non adiacet mihi*). Quem duplicem disquisitionis suae eventum ex consideratione suae rationis agendi haurit : 19. *non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago* (cfr *v.* 15). Ex eo igitur, quod bona aut mala, quae secundum superiorem suam partem facere aut evitare vellet, non facere aut evitare soleat, colligit in sua carne, quae mentis iussa exsequi debeat, nihil inveniri, quod menti obsecundet eiusque iussa peragat, e contra in ea aliquid adesse, nimirum peccatum, quod menti resistat atque carne ipsa ad sua placita persequenda abutatur. Unde velut ulteriorem conclusionem nunc illam sententiam legitime deducit, quae supra (*v.* 17) iam est proposita, non sese, qui bonum velit (vel potius vellet), sed suam carnem peccato inhabitanti subiectam et ab eo motam directamque, ac proinde peccatum ipsum illa operari, quae mens facere nollet : 20. *si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor* (κατεργάζομαι) *illud, sed quod habitat in me peccatum.*

In hac rursus expositione (18-20) eodem modo, quo supra (*vv.* 15. 16) verbis *velle* et *nolle* incompleti inefficacesque voluntatis actus (steriles

velleitates), verbis *facere, agere, operari* (seu *perficere*) completi actus externi designantur : Homo sub Lege constitutus sed peccati servituti subiectus gratiisque carens desiderat quidem et vellet Legem observare, verum caro eius, in qua peccatum residet ac dominatur, non tantum menti bonum desideranti non obedit, sed a peccato excitata ac mota etiam contrarium illius agit, quod mens facere vellet. *S. Augustinus* autem latina versione nostra, quae in *v.* 18 graecum κατεργάζεσθαι minus recte verbo *perficere* reddit, in errorem inductus iterum non inter inefficacem voluntatem et completam actionem, sed inter duos actus externos, quorum alter altero sit perfectior, distinguit, ut sententiolam illam (*velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio*) de iusto explicare possit, qui hac in terra, adiuvante gratia, *bonum velle* quidem *et facere, sed non perficere* (i. e. non perfecte implere) possit, quatenus nimirum concupiscentiae motus semper patietur, donec corpus eius in resurrectione sit glorificatum [1].

Quam interpretationem secuti verba paulina multi ita exponunt : « Quod ergo dicit *velle adiacet mihi*, scilicet homini per gratiam reparato, est ex operatione divinae gratiae, per quam quidem gratiam non tantum volo bonum, sed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiscentiae et contra eam ago ductus spiritu; *sed non invenio* in mea potestate, quomodo istud bonum *perficiam*, ut scilicet totaliter concupiscentiam excludam » etc. (*Thom.* etc.). Verumtamen verbum *perficere* (κατεργάζεσθαι) non licet hoc in loco ita urgere, ut perfectum quendam actum in oppositione ad minus perfectum designet [2]; neque apparet, quo cum iure *velle* hic simul *facere* si-

1. *S. Aug.* c. Iulian. III. 26,62 : « Non ait *facere* sed *perficere* bonum, quia *facere bonum* est *post concupiscentiam non ire*, sed *perficere bonum* est *non concupiscere* »; c. duas epp. Pelag. I. 10.19 : « Hoc est enim *perficere* bonum, ut nec concupiscat homo; imperfectum est autem bonum, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiae non consentit ad malum ». Similiter serm. 154,12 eandem distinctionem inter *facere* et *perficere* S. Doctor urget ac multum quidem eum *facere* dicit, qui concupiscentiae resistat, at *perficere* eum solum, qui cum resuscitatis iam possit dicere : « ubi est, mors, contentio tua? (1 *Cor.* 15,55).

2. Verbum κατεργάζεσθαι, quod nostro in capite sexies legitur, ubique (solo nostro *v.* 18 excepto) a Vulg. redditur latino *operari* (*vv.* 8.13.15.17.20) eodemque latino verbo in aliis plerisque locis vertitur (1,17: 2,9; 4,15; 5,3; 1 *Cor.* 5,3; 2 *Cor.* 4,17; 7,10.11; 9,11; *Phil.* 2,12; — bis vertitur *perficere* (hic *v.* 18 et *Eph.* 6,13); — bis quoque *efficere* (15,18; 2 *Cor.* 5,5); — semel *facere* (2 *Cor.* 2,12). Saepius a Paulo non adhibetur; in reliquo Novo Test. ter tantum reperitur : *Iac.* 1,3 et 20 (*operari*) et 1 *Petr.* 4,3 (*consummare*). — Procul dubio κατεργάζεσθαι aliquoties idem est quod *perficere* vel *peragere*, i. e. opus aliquod ad finem perducere et terminare; at nulla prorsus adest ratio, cur in nostro *v.* 18 potius quam *vv.* 15.17.20 haec versio eligatur. Si vero eligitur, nondum licet verbum *perficere* ita explicare, acsi graeco τελειοῦν aut ἐπιτελεῖν responderet. Recte id ipse *Est.* monet, quamvis Augustini posteriorem explicationem sequatur; S. Doctor autem aliud argumentum non affert, qua novam suam huius versus explicationem confirmet, nisi erroneam hanc verbi *perficere* significationem. Mirum ergo est, quod tot egregii interpretes cum hac in explicatione secuti sint.

gnificare dicatur. Porro iusto *velle* et *facere bonum* eadem ratione adiacet, quia neutrum a se, sed utrumque a Deo habet, qui teste Apostolo in nobis « operatur et *velle* et *perficere* (seu *facere* καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν) pro bona voluntate » (*Phil.* 2,13). Ad quam doctrinam apostolicam *Cassianus* (Collat. 13,9) non attendit, quum nostro ex loco constare diceret, initium nostrae salutis interdum a nobis esse naturalibusque nostris viribus : « ut evidentius, inquit, clareat, per bonum naturae, quod beneficio creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quae tamen, nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens : velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio ». Sed in tota nostra pericope de actibus ordinis naturalis ac de sterilibus velleitatibus boni naturalis Apostolum agere ostendimus; in ep. ad Phil. autem de completis voluntatis actibus supernaturalibus et de similibus operibus loquitur, ita ut nulla inter duas sententias sit pugna.

Summam nunc eorum, quae hucusque exposuit (14-20), paucis sententiis Paulus comprehendit (21-23), idque eo fine, ut totam miseriam hominis sub Lege constituti, qui se solis viribus suis naturalibus ab ea servitute liberare sese non posse experitur, clarius manifestet (24-25). Ac primum quidem illam agendi rationem, quam descripsit, homini illi quasi legem quandam esse concludit : 21. *invenio igitur* [si ad experientiam descriptam respicio] *legem* (τὸν νόμον) *volenti mihi facere bonum*, *quoniam* (ὅτι *quod*) *mihi malum adiacet* (παράκειται). Contra Patres antiquioresque interpretes omnes, qui *legem* (τὸν νόμον) hic rursus mosaicam esse arbitrati sunt, fere omnes iuniores moderni que nomen *legis* hac in sententia latiore sensu *normae* vel *regulae* recte interpretantur, simili modo quo idem nomen infra (*v.* 23) intelligatur oportet, ubi de lege peccati sermo est (cfr *Tol. Est. Iust. Lap. Tir. Men. Nat*[1]. *Pic.* etc., *Reith. Mai. Beel. ME. Bisp. Dr. LR. Weinh. Ag. Sch.* — Acath. multos enumerat *Weiss* p. 360). Improprie tamen (per catachresin) Paulus ipsam agendi rationem appellat *legem* (i. e. regulam, iuxta quam agendum est), ac si illud, quod in statu hominis sub Lege constituti semper et constanter fieri experientia docet, a superiore quodam sit ordinatum. Hoc igitur sensu eiusmodi homo *sibi volenti facere bonum* positam esse experitur *hanc* quasi *legem* (τὸν νόμον), *quod* (vel clarius : *ut*) *sibi malum adiaceat*, i. e. ut malum sibi sit semper prae manibus, quotiescumque bonum facere vellet. Hanc constructionem, quae dativum (*volenti mihi*) cum primis vocabulis (*invenio legem*) tamquam dativum commodi vel potius incommodi connectit, moderni multi prae-

ferunt. Aptiorem tamen censeo aliorum modernorum omniumque fere iuniorum constructionem, qui dativum istum per traiectionem coniunctionis ὅτι (*quod*) ad secundariam sententiam ita trahunt, ut a verbo *adiacet* (παράκειται) eodem modo, quo *v.* 20, dependeat: « *invenio igitur hanc* quasi *legem*, *quod* (vel : *ut*) *volenti mihi facere bonum malum adiaceat* ». Cui constructioni repetitionem pronominis ἐμοί (*mihi*) in secundaria sententia non obstare patet; sensus autem, licet iuxta utramque constructionem idem fere sit, in secunda clarius effertur. Duabus enim partibus, quae *vv.* 22. 23 exponuntur, illam legem constare elucet : Secundum mentem bonum ei adiacet, secundum carnem autem malum; unde fit, ut vellet quidem bonum facere, sed quando ad opus veniendum est, faciat malum, impellentibus nimirum carne et peccato, quod in ea habitat.

Ab hac interpretatione, quae simplicitate sua sese commendat contextuique apprime consonat, longe recedunt omnes antiquiores interpretes, qui in eo quidem inter se consentiunt, quod nomine *legis* mosaicam hic designari dicant, in sententia ipsa autem construenda et explicanda in diversissimas partes abeunt ac variis aut mutatis aut suppletis aut omissis aut transpositis non tam Pauli sensum eruere quam suum quisque sensum verbis eius ingerere videntur. Praecipuas explicationes paucis indicabimus, ut nos alteram nominis *legis* significationem iure praetulisse appareat.

Agmen ducat *Orig.*, qui paulinum sermonem saepe « coniunctionum vel abundantia vel proprietatibus impediri » praemonens sententiam, « ut intellectus lucidior fiat », hoc ordine legendam esse vult : « Igitur, quia malum mihi adiacet, volens facere bonum invenio Legem Dei et condelector ei secundum interiorem hominem ». At Paulus, opinor, si id significare voluisset, id etiam graece exprimere potuisset.

Mopsu. et *Theod.* ultima verba (ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται) completam sententiam esse volunt, quae a praecedentibus verbis non dependeat sed eis opponatur; censere ergo videntur, Paulum vim significationemque particulae ὅτι (*quod* vel *quia*) hic oblivioni dedisse. *Mopsu.* hac ratione explicat : « iuxta animam quidem (κατὰ μὲν τὴν ψυχήν) utilis est Lex, quia sua disciplina ad bonum propellit et a malo avocat; at nunquam proclivitatem ad malum tollet, qua laboramus propter mortalitatem nostram ». Haud dissimiliter *Theod.*; sed nemo cum eis haec ex Apostoli verbis eruere poterit.

Paullo melius *Chrys.*, qui sententiam obscuram proclamans in sua interpretatione ultima verba (ὅτι ἐμοί κτλ.) praetermisit, in priore membro aliquid supplevit, ut aptum sensum inveniret : « Laudo Legem secundum conscientiam et illam mihi bonum facere volenti *patronam* (συνήγορον) esse invenio, quae voluntatem meam intendit ». Simili modo *tertia* inter explicationes ab *Oecum.* collectas in priore membro adiectivum *bonam* supplet et per ellipsin quandam nexum inter prius membrum et secundum restituere conatur : « Invenio Legem *bonam esse* volenti mihi bonum facere; *sed illam non*

impleo, quia malum mihi adiacet ». — Sed eodem, immo meliore cum iure, quum aptiorem nexum inter duo membra statuat, *quarta* inter explicationes *Oecum.* in priore membro adiectivum *inutilem* supplendum esse insinuat : « Invenio igitur Legem, i. e. intellexi et deprehendi vim et naturam Legis et manifesto comperi, eam me nihil iuvare potuisse. Unde hoc manifestum est? Quia volenti mihi facere bonum nihil affert auxilii, sed similiter malum adiacet, et inefficax est mihi ad agendum quod cupio. Quantum ergo Lex posset et quae esset eius natura, ex hoc intellexi, quod mihi volenti bonum facere inveni adiacere malum, quod a Lege eiectum non est ». Num forte Paulus romanis neophytis aenigma proposuit, ut pro suo quisque ingenio ad sensum sibi convenientem inveniendum aut *patronam* aut *bonam* aut *inutilem* aut nescio quid suppleret?

Reliquis Graecorum explicationibus, utpote non minus arbitrariis, praetermissis ad Latinos transeamus. Primus inter eos *A*[ter] sententiam accurate non explicat sed haec tantum de ea tradit : « Legem Moysi asserit Apostolus voluntati suae dare consensum contra peccatum quod in carne habitat et quod aliud cogit facere, quam quod vult homo et Lex ». Quae *Thom.* prae oculis probabiliter habuit, quum in priore membro novum supplementum a tribus superioribus diversum statueret, quod deinde ad restituendum nexum supplementum alterum post se traxit. Haec enim *Thom.* habet : « Invenio igitur, sc. per experimentum, Legem Moysi *consonam esse* mihi bonum facere volenti, i. e. rationi meae, per quam bonum approbo et malum detestor, dum et ipsa Lex bonum iubet et malum prohibet. *Et hoc mihi necessarium fuit*, quod (i. e. *quia*) malum, i. e. peccatum vel fomes peccati, mihi adiacet, i. e. iuxta rationem meam iacet, quasi carnem meam inhabitans ». Similia tradent *Prim. Lyr. Dion. Caiet.* aliique pauci. — *Pelag.* porro, quocum *Sedul.* consentit, nihil quidem supplet, sed simili modo, quo *Orig.*, constructionem arbitrarie mutat : « Si ego volo, invenio mihi Legem bonum facere contra adiacens malum ».

S. Aug. iterum ad supplementum quoddam confugit, alio autem modo, neque tamen ad aptum clarumque nexum inter duo membra pervenit. Etenim neutrum *bonum* (τὸ καλόν), quod omnes pro obiecto verbi *facere* (ποιεῖν) habent, velut accusativum praedicati ad substantivum *legem* (τὸν νόμον) trahit et novum obiectum (sc. *quod Lex habet* vel *vult*) ad verbum *facere* supplet. Iuxta priorem suam totius pericopes interpretationem de homine nondum reparato, sententiam nostram hac ratione exponit (ad Simplic. de div. quaest. I. 12) : « Invenio Legem *bonum* [i. e. bonam s. aliquid boni] mihi esse, quum volo facere *quod Lex habet*, quoniam mihi malum adiacet ad facile faciendum [malum]; perhibet igitur testimonium Legi, *quod bona sit*, homo sub ea positus et nondum gratia liberatus; perhibet omnino eo ipso, quod se reprehendit facere contra Legem et invenit eam *bonum* [bonam] sibi esse, volens facere, *quod illa iubet*, et concupiscentia superante non valens ». Iuxta posteriorem suam pericopes explicationem de homine iusto ita nostram sententiam explanat (de nupt. et concup. I. 30,33 cfr c. duas epp. Pelag. I. 10,18) : « Invenio Legem mihi esse *bonum* [bonam] vo-

lenti facere *quod Lex vult*, quoniam non ipsi Legi, quae dicit : non concupisces, sed mihi adiacet malum quod nolo, quia et nolens concupisco ».

Quoniam id, quod Lex habet et vult, semper est *bonum*, mediae aetatis interpretes, qui Augustinum sequi solent, eum etiam in hac sententia secuti recte dicuntur, licet simili modo, quo in tertia *Oecum.* sententia, solum adiectivum *bonam* suppleant, nexum autem duorum membrorum variis modis restituere conentur : « Mihi volenti facere bonum invenio Legem *bonam et utilem;* acsi diceret aliis verbis : quia delectatio carnis et suggestio diaboli impellunt me ad malum, volenti mihi facere bonum invenio Legem Moysi, quae praecipit declinare mala et facere bona » (*Haym.;* sim. *Abael. Herv. Lomb.* etc.).

Complementi gratia unam alteramve paucorum modernorum acath. explicationem addimus, qui ab arbitrariis quidem supplementis se abstinent, sed mirum in modum constructionem paulinam contorquent. Alii ex iis verborum ordinem plane invertentes accusativum τὸν νόμον (*legem*) a verbo ποιεῖν (*facere*) dependentem faciunt eique accusativum τὸ καλόν (*bonum*) velut appositionem addunt, ut hic fere sit sensus : « Invenio igitur in me, qui Legem facere volo i. e. bonum, quod malum mihi adiacet » (*Fritzsche Olsh.* etc.). Alii vero, qui accusativum τὸ καλόν (*bonum*) a verbo ποιεῖν (*facere*) nullo modo separari posse recte statuerunt (cfr *vv.* 15. 18. 19), accusativum τὸν νόμον (*legem*) a participio θέλοντι (*volenti*) dependere voluerunt et infinitivum ποιεῖν τὸ καλόν (*facere bonum*) pro infinitivo finali sumserunt, ut hic exoriretur sensus : « Invenio igitur relate ad me, qui volo Legem eo fine ut faciam bonum, quod mihi malum adiacet ». (*Mey.* quocum ex cath. sentit *Dr.*). Multo magis *Ew.* constructionem contorquet, qui nescio quomodo ex secundo membro nominativum τὸ καλόν (*malum*) velut appositionem ad τὸν νόμον trahit : « Invenio quod mihi volenti bonum Lex velut malum adiacet ». Sed de his satis superque.

Iam ista quasi lex, iuxta quam naturalis homo Legi subiectus, quoties bonum facere vellet, malum quod sibi adiacet faciat, utriusque partis ratione indicata exponitur et confirmatur : 22. *condelector* (συνήδομαι) *enim legi Dei secundum interiorem hominem;* 23. *video autem aliam* (melius : *diversam* ἕτερον) *legem in membris meis repugnantem* (ἀντιστρατευόμενον) *legi mentis* (τοῦ νοός) *meae et captivantem* (αἰχμαλωτίζοντα) *me in lege peccati* (τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας *Fuld.* etc. cum *A^{tro} :* in legem peccati; *S. Aug.* ad Simplic. de div. quaest. I. 13 : *sub* lege peccati), *quae est in membris meis.* Quemadmodum supra (*v.* 16) se mosaicae Legi consentire (σύμφημι) dixit, ita hic se eidem, quam apposito genetivo *Dei* ab illa praecedentis sententiae nominata lege diserte distinguit, *congaudere* (συνήδομαι) asserit, ut priora illa verba (*volenti mihi facere bonum*) confirmet. Congaudet autem non cum aliis hominibus de Lege data, verum cum ipsa Lege; haec enim, quae in personam constituta cogitatur, gaudet, si ab homine cognoscitur et agnoscitur, eique congaudet homo eam velut bonam et sanctam approbans (cfr ad 1 *Cor.* 13,6). Neque tamen totus homo naturalis cum ea consentit et

congaudet; quapropter simili modo, quo supra (*v.* 18), ubi bonum in se habitare negavit, additis vocabulis *in carne mea* pronomen primae personae (*in me*) limitavit, hic quoque limitationem (*secundum interiorem hominem*) adiecit, ut exteriorem, i. e. carnem, excluderet. Nomine *interioris hominis* enim Paulus idem designat, quod statim appellabit *mentem* (τὸν νοῦν), quae carni opponitur (*vv.* 23. 25). Mentis autem nomine superiores hominis facultates complectitur, intellectum, quatenus verum et bonum cognoscens Legi Dei consentit, voluntatemque rationalem, quatenus bonum ab intellectu propositum amans Legi Dei consentit. Cavendum igitur est, uti ad 2 *Cor.* 4,16 iam adnotavimus (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 133 sq.), ne quis cum nonnullis (*Lap.* etc.) *interiorem* hominem Paulo idem esse putet, quod *novum* hominem, et *exteriorem* idem quod *veterem*. Veteris enim ac novi nominibus hominem distinguit ratione status duplicis, prout scilicet aut in statu servitutis peccati aut in statu libertatis gratiae degit (cfr ad 6,6). Sicuti autem hoc in loco de homine nondum regenerato seu vetere agens interiorem et exteriorem, ita de se ipso renato agens (2 *Cor.* 4,16) eum, qui intus est, hominem ab eo, qui foris est, discernit. Ceterum quum hic de vetere homine loquatur, delectationem intelligit imperfectam sterilemque, atque re haec delectatio ei idem est, quod imperfecta sterilisque velleitas, qua bonum desideratur, ac sterilis consensus, quo Lex approbatur sed non observatur (cfr *Tolet.*).

Cur vero haec delectatio sterilis manserit neque ad completum deliberatumque actum pervenerit, altero sententiae membro declarat, quo alteram nominatae legis partem (*malum mihi adiacet*) exponit. Quoties enim secundum interiorem hominem Legi Dei condelectatur, Iudaeus nondum regeneratus se ipsum suamque agendi rationem examinans *in membris suis*, i. e. in carne sua vel in suo exteriore homine sine quo actiones non peraguntur (cfr ad *v.* 18), non tam *aliam* quam *diversam* (ἕτερον i. e. diversi generis cfr ad *Gal.* 1,6. 7) *legem videt*, quae velut hostis *legem mentis* seu interioris hominis aggreditur et contra eam pugnat (ἀντιστρατεύεσθαι contra aliquem bellum gerere), idque eo cum eventu, ut ipse *sub lege peccati captivetur* (αἰχμαλωτίζειν bello captivum facere) servusque peccati fiat. Similiter igitur ac supra (6,12. 13) iustitiam et peccatum, hic *legem mentis* et *legem peccati* in carne residentis Paulus tamquam belli duces describit inter se colluctantes, ut hominem servituti suae subiiciant. Sed diversum esse belli exitum monet; ibi enim de renatis loquens iustitiam in illis, dummodo gratiis sibi datis uti velint, victoriam esse reportaturam clare insinuat, quum neophytos exhortetur, ut sua membra Deo exhibeant arma iustitiae, peccatumque in eos non amplius dominaturum esse promittat

(6,13. 14). Verum in homine nondum regenerato et Legi subiecto, quem hic describit, lex peccati, quae in membris eius dominium adhuc tenet, legem mentis vincit eumque ipsum in suam servitutem redigit; unde fit, ut talis homo, utpote plane carnalis et venumdatus sub peccato (*v.* 14), legi mentis implendae sit impar.

Haud pauci cum *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121), *S. Ambr.* (in Luc. 17, 35 n. 50), *Oec.* etc. *legem mentis* eandem esse volunt ac legem cordi inscriptam seu naturalem (2,15). Quae explicatio admitti quidem posset, si Paulus directe hic de ethnicis ageret; quoniam autem Iudaei nondum renati personam agit, ipsam mosaicam Legem omnino intelligamus oportet, quam modo ad eius originem respiciens *legem Dei* appellavit, nunc vero *legem mentis* appellat, quia secundum interiorem hominem cum ea consentit et condelectatur. Pariter aliqui cum *S. Hier.* etc. *legem membrorum* quandam a *lege peccati* distinguere volunt; at haec quoque distinctio fundamento caret. Neque enim de *lege membrorum* Apostolus loquitur, sed de *lege, quae in membris pugnet contra legem mentis;* haec autem diversa non est a lege peccati, quam in membris esse diserte dicit. Recte *Tolet.* : « Addidit verbum illud *quae in membris meis*, ne lex haec peccati alia videretur ab illa, quae dicta est in membris (esse et) pugnare contra mentem et captivare hominem ». Inconcinnitas utique quaedam constructionis adest, et pro : « video legem... captivantem me in (vel : sub) lege peccati, quae est in membris meis » concinnius (cfr *S. Aug.* de nupt. et conc. I. 30,34) dicere potuit : « captivantem me *sub se ipsa* »; at concinnitatem hanc, ut claritati studeret, neglexit istaque verba non velut inutilem repetitionem adiecit, sed ut expressius doceret, peccatum, quod in carne (in membris) habitet, ita eam tenere subiugatam, ut sua (i. e. peccati) lex simul sit ipsius carnis lex. *Legem peccati* autem *Chrys.* dici censet pro peccati tyrannide seu potestate; quae explicans *Tolet.* peccatum seu concupiscentiam vocari legem peccati dicit, quia vim impulsivam in ea, quae sint contra rationem, habeat. « Sicut enim lex vim coercitivam habet a malo et impulsivam ad bonum, ita per quandam analogiam concupiscentia, quae habet vim coercitivam et impulsivam, lex dicitur, quamvis coerceat a bono et impellat ad malum ».

S. Aug. (c. duas epp. Pelag. I. 10,22) se priorem suam sententiam mutasse et pericopen de homine regenerato explicare coepisse ait maxime « quia non vidit, quomodo diceret homo sub lege : *condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, quum ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum non timore poenae sed amore iustitiae (hoc enim est condelectari), non nisi gratiae deputanda sit ». At S. Doctor non attendit,

etiam imperfecto voluntatis actu nos de bono delectari posse. Condelectabatur suo modo legi naturali ille quoque, qui dixit : video meliora proboque, at haec eius delectatio gratiae deputanda non erat, quia statim sequitur : deteriora sequor. Porro magnam difficultatem, quam contra novam suam interpretationem ex *v.* 23 exoriri vidit, quum S. Paulus a lege peccati se captivari diceret, S. Doctor non tam solvit quam fugit respondens : « Sic et hoc intelligi potest, ut *captivantem me* dixerit carne non mente, motione non consensione, et ideo captivantem *me*, quia et in carne non est aliena natura, sed nostra... tamquam dixerit *captivantem me*, hoc est *carnem meam* » (l. c. 10,20). Quae clarius alibi hunc in modum repetit (de nupt. et concup. I. 30,34) : « Quod autem dixit *et captivantem me sub lege peccati* i. e. sub se ipsa, aut *captivantem* dixit *captivare conantem* i. e. ad consentiendum implendumque cogentem, aut potius, quod non habet controversiam, *captivantem secundum carnem*, quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam legem peccati vocat, non utique in ea ullum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret. Quod autem non ait *captivantem carnem meam*, sed *captivantem me*, hinc factum est, ut sensus hic alius quaereretur et acciperemus *captivantem* ac si dixisset *captivare conantem* ». Contra quae egregie *Tolet.* duo de lege membrorum seu peccati a Paulo proferri monet; Lex enim contra legem mentis pugnare et hominem captivare dicitur; quare *captivans* hic non potest esse idem ac *captivare conans*, siquidem id priore verbo (ἀντιστρατεύεσθαι) iam est expressum; qui enim bellum gerit, adversarium sibi subiugare vult et conatur. « Captivare autem supponit victoriam; nemo enim dicitur captivare alterum, quando movet bellum contra eum, nisi parta victoria ». Neque recte in expressione *captivantem me* pronomen *me* solam *carnem* designare coniicitur, siquidem peccatum, quod in carne habitat, bellum non gerit contra carnem, sed contra *legem mentis* seu contra interiorem hominem eumque subiugare vult, sicut carnem subiugatam iam tenet.

Tanta ergo est miseria hominis sub Lege constituti, qui in ea vires non invenit, quibus peccatum bellum sibi inferens repellat eiusque captivitati ac servituti sese subtrahat, ut Paulus illius personam indutus merito exclamet : 24. *infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius* (ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου)? Exclamatio est hominis, qui in duram aerumnosamque servitutem, ex qua se ipse liberare non potest, sese abreptum sentiens sibi exoptat servatorem et ubique circumspiciens num quem inveniat studiose quaerit. Si tota haec pericope de homine iusto esset interpretanda, Paulus non tam, *quis* ipsum liberaturus esset (salvatorem enim suum iam nosset), quam potius *quando* libertatem completam inventurus esset, interrogare debuit. Optime autem homo sub Lege constitutus, qui suum salvatorem nondum invenit, exclamat : *quis* tandem me liberabit! Quamobrem *S. Au-*

gustino (c. duas epp. Pelag. I. 11,23; de nupt. et conc. I. 31, 35 etc.) assentiri non possumus, qui locutionem *corpus mortis huius* interpretatur *corpus mortale*, a quo homo iustus liberari desideret, ut corpore glorioso indutus concupiscentiae motibus non amplius agitetur. Erronee autem *Est.* cum nonnullis, ut hanc interpretationem confirmet, graecum ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου vertit: *ex hoc corpore mortis*, genetivo pronominis (τούτου) ad prius nomen (τοῦ σώματος) arbitrarie translato, quum verborum ordo, ut cum secundo (τοῦ θανάτου) connectatur, evidenter postulet. Si quis autem alterum illum nexum praeferret, Augustini interpretationem nondum admittere cogeretur neque eam admittere posset, quia in tota pericope non de corpore tamquam mortali, sed de corpore cum membris suis servituti peccati subiecto sermo est. « Multo vero alienior, recte inquit *Iust.*, et vere detestabilis est haereticorum (sc. Calvini) impura interpretatio, qui corpus mortis huius intelligunt massam et congeriem peccati, ex qua totus homo sit conflatus ». Quae genuina locutionis significatio sit, supra (ad 6,6 p. 322) iam diximus; *mortis* quippe nomine hic, uti in tota hac pericope (cfr ad *v.* 10 sqq.), significatur mors animae seu mors spiritualis, ad quam peccatum in corpore (s. in carne) habitans, quando occasione Legis suscitatur, homines Legi subiectos adducit. « Merito namque, inquit *Orig.*, corpus mortis appellavit, in quo habitat peccatum, quod mortis est causa ». Quia vero ad illa respicit, quae antea de peccato per Legem occidente (*vv.* 11,13) tradidit, Apostolus de *huius* mortis corpore loquitur, atque *corpus mortis huius* ei idem est quod *corpus peccati;* liberatio autem a corpore mortis locum habet, quando vetus homo in baptismo cum Christo concrucifigitur, ut corpus peccati destruatur (cfr ad 6,6).

Secundum Vulgatam nostram (cfr *VV. LL.*) ad praecedentem exclamationem (vel si mavis, ad vividam suam interrogationem) respondetur: 25. *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* nobis acquisita et collata nos liberabit. Satis siccum aridumque videtur hoc responsum neque quisquam, qui Pauli ardentem contribulium suorum amorem vividamque scribendi rationem consideraverit, sibi unquam persuadebit eum, postquam tam commoto animo miseriam contribulium suorum etiamnunc sub duro Legis ac peccati iugo degentium conquestus est, responsum omnibus Christianis manifestum tam frigide ac ieiune enuntiare potuisse. Summum potius, quod ipse omnesque Christiani iam obtinuerunt, beneficium admiratus ad gratiarum actionem quandam abripi debuit. Neque mihi persuadeo, eum lente ac languide dixisse, uti in graeco textu recepto legitur: εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ κτλ (*gratias ago Deo per Iesum* etc.). Eam potius lectionem

omnino praefero, quam ob testium quoque auctoritatem omnes moderni critici adoptarunt (cfr *Lachm. Tisch. Treg. WH.*) : χάρις τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ κτλ : *gratias Deo per Iesum Christum Dominum nostrum!* Eiusmodi enim gratiarum actiones Paulus amat (cfr 6,17; 1 *Cor.* 15,57; 2 *Cor.* 2,14; 8,16; 9,15). Sensus tamen trium lectionum idem est. Gratias enim Deo per Iesum Christum agens Iudaeos per solam gratiam divinam a Christo promeritam et collatam a corpore mortis huius et ex captivitate, in quam a peccato per Legem suscitato deducti erant, liberari posse aut iam liberatos esse docet, id quod solum latina lectio enuntiat.

Quia vero sola gratia divina hominem a dura Legis peccatique servitute liberare potest, summo iure Apostolus concludit : *igitur* (ἄρα οὖν cfr ad 5,18) *ego ipse* (αὐτὸς ἐγώ) *mente* (quidem) *servio legi Dei*, *carne autem legi peccati*. Qua sententiola summum totius expositionis (14-23) argumentum complectitur, ut eis, quae ex semet ipso homo lapsus habet ac sola habere potest, statim in sequente pericope (8,1 sqq.) illa opponat, quae iustificatus ex gratia Christi habet. Conclusio ex ipsa gratiarum actione aptissime derivatur, neque opus est, ut cum nonnullis praecedentem exclamationem actionemque gratiarum pro parenthesi habeamus ac particulas ἄρα οὖν (*igitur*) ad superiorem expositionem referamus. Duplici porro pronomine αὐτὸς ἐγώ (*ego ipse*, vel potius *ipse ego*) Paulus significare non vult, sibi *eidem* duo illa competere, uti aliqui censent praeeunte *S. Augustino* (serm. 154 n. 7 : « idem ipse et spiritualis et carnalis » ; de contin. 8,19 : « igitur ipse ego, ego mente, ego carne »); nam hanc significationem haec pronominum constructio non admittit. Semet ipsum potius designat seclusis aliis seu solum (cfr 2 *Cor.* 12,13 αὐτὸς ἐγώ ego seclusis adiutoribus meis; *Marc.* 6,31 ὑμεῖς αὐτοί vos soli etc.). Semet ipsum igitur sibi soli suisque viribus naturalibus relictum nequedum gratiis Christi adiutum (8,2) opponit sibi in Christum per baptismum inserto, qui de sua liberatione iam gratias Deo egit. Itaque tristem illum statum Iudaei non renati hac unica sententia comprehendit, quippe qui *mente quidem* (τῷ μὲν νοΐ), i. e. secundum mentem seu interiorem hominem utique *serviat Legi Dei,* quatenus cum illa consentit et condelectatur (*vv.* 16.22), *carne autem* vel secundum carnem *legi peccati* serviat, quatenus tamquam servus peccati ea facit, quae facere nollet, membraque sua exhibet servire iniquitati ad iniquitatem (6,19).

Non tantum *S. Aug.* iique, qui posteriorem eius explicationem in hac pericope interpretanda sequuntur, sed cum *Chrys.* etiam nonnulli, qui eam de non regenerato interpretantur, ultimam hanc sententiam a Paulo rege-

nerato dici volunt; quin etiam ab hac sententia descriptionem quarti fructus iustificationis iam exordiuntur. Verum qui attendit, quomodo in superioribus (6,16 sqq.) servus peccati definiatur et describatur, nunquam Paulum renatum sese ipsum servum peccati vocasse concedet. Tota expositio paulina de secundo fructu iustitiae (6,1-23) rueret, si iustificatus quoque dicere deberet : *carne servio peccato.* Quomodo praeterea Paulus, si hic se carne servire legi peccati asserit, statim (8,2) se lege spiritus a lege peccati liberatum proclamare potuit? Sensus igitur sententiae alius esse nequit, nisi ille quem exposuimus; iuxta superiorem ergo nostram interpretationem verbum *servire* in priore membro eadem ratione de sterili conatu ac velleitate explicari oportet, qua verba *consentire, velle, nolle, condelectare* exponenda esse totus contextus postulat. Quamdiu homo non est regeneratus gratiisque supernaturalibus caret, approbare quidem steriliter et forte in levioribus observare quoque Legem potest, at propter concupiscentiae dominium ea sequi solet, quae carni placent. Hinc apparet, quantum beneficium sit liberatio a servitute Legis, quia Lex est virtus peccati (1 *Cor.* 15,56), « quum prohibita concupiscentia magis ardescat et ad praevaricationis cumulum perveniat » (*S. Aug.* c. Iulian. VI. 41).

---

§ 6. — *De quarto iustificationis fructu seu de beatitudine hominis in Christo renati* (8,1-39).

Quanta sit Evangelii virtus, luculenter iam ex tribus superioribus sectionibus apparet, quibus Apostolus credentes ex tribus gravissimis damnis liberari ostendit : ab ira enim divina eximuntur, ut cum Deo reconciliati pace fruantur (5,1 sqq.); Christo morienti in baptismo inserti peccato moriuntur, ut ex eius servitute erepti iustitiae serviant (6,1 sqq.); cum Christo resuscitato intime uniti a Legis quoque servitio in libertatem vindicantur, ut Deo iam fructificent (7,1 sqq.). Longe splendidius autem in quarto iustificationis fructu virtus Evangelii sese manifestat, siquidem in Christo renatis Spiritus S. atque cum eo et per eum summa gratiae ac gloriae bona conferuntur, quibus ad supremum dignitatis beatitudinisque fastigium evehantur. Per Spiritum enim eis inhabitantem a peccati mortisque lege exemti ad iustitiam Legis implendam idonei redduntur ac vera vita donantur (8,1-11); atque divinae adoptionis, cuius sigillum est S. Spiritus, virtute ius acquirunt ad vitam gloriosam (8,12-17), quam iustificatis plane certam esse quadruplici argumento confirmatur (8,18-30).

Quemadmodum igitur Paulus in praecedente sectione (7,1-25) prius superioris sui asserti membrum negativum (6,14 *non estis sub Lege*) demonstravit et explanavit, ita nunc alterum positivum (*sed estis sub gratia*) explanat. Omnia autem dona credentibus per Evangelium allata contemplatus totum suum tractatum de Evangelii fructibus magnifico epilogo terminat, quo iis qui in Christo sunt nihil esse timendum, omnia vero speranda declarat (8, 31-39).

1. — *Iustificati per S. Spiritum sibi inhabitantem iustitiam Legis implere possunt ac vera donantur vita* (8,1-11).

8,1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* 2. *Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis.* 3. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus Filium suum mittens*

8,1. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· 2. ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἠλευθέρωσέν σε ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου. 3. τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι

in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, 4. ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 5. Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus sentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita et pax. 7. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. 10. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. 11. Quod si spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί, 4. ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. 5. οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος· 6. τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος, τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη. 7. διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται, οὐδὲ γὰρ δύναται. 8. οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. 9. ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκὶ ἀλλὰ ἐν πνεύματι, εἴ περ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. 10. εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν, τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. 11. εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος τὸν Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν [1].

1. *VV. LL.* — 1. τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (iis qui sunt in Christo Iesu) sine additamento B ℵ C D F G, pauci minusc., aliqui PP., *Copt. Aeth.* et *Orig. interpr.* cum *S. Aug.* (expos. 47; serm. 152,1); sed τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν (*iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant*) A D, pauci minusc., aliqui PP., *It.* (*A^ter Pel. Victor.* etc.) *Vulg. Arm. Syr.* (codd.); *text. receptus* demum: τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα (iis qui in Christo Iesu non secundum carnem ambulant *sed secundum spiritum*) cum E K L P, plerisque minusc. et PP. iunioribus, Syr. (codd.); cfr *Comm.* — 2. ἠλευθέρωσέν σε (liberavit *te*) B ℵ F G, *Syr.* (codd.) et *Tert.* de pudic. 17; sed praeferenda lectio *textus rec.* ἠλευθέρωσέν με (*liberavit me*) cum A C D E K L P, omnibus fere minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Goth. Arm.*; utrumque pronomen omittunt *Aeth.* et *Ar.* — 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν (prudentia carnis *inimicitia est in Deum*) est communis codd. graec. et verss. lectio, quam etiam exhibent *Tert.* (de resurr. carn. 46.) *S. Hier.* (c. Iovin. I. 37) et ex *Vulg.* codd. *Amiat.*; *It.* tamen et *Goth.* cum reliquis *Vulg.* codd. habent: prudentia carnis *inimica est Deo.* — 10. τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην (spiritus autem *vita* propter iustificationem vel iustitiam) est communior lectio, quam ex Latinis sequuntur *S. Iren.* interpr. (c. haer. V. 10, 2), *Tert.* (c. Marc. V. 14), *S. Hilar.* (de Trin. VIII. 21), *S. Aug.* (c. Faust. XXII. 2 etc.), *A^ter*, *Orig.* interpr. et ex *Vulg.* codd. optimi *Fuld. Amiat. Harl.*; sed τὸ δὲ πνεῦμα ζῶν διὰ δικαιοσύνην (*spiritus vero vivit propter iustificationem*) F G cum nonnullis lectionar., *Vulg.* (*Clem.*) *Arm.* — 11. Utrum legamus τοῦ ἐγείραντος τὸν Ἰησοῦν, an articulum omittamus, atque item utrum legamus ὁ ἐγείρας Χριστὸν ἐκ νεκρῶν an τὸν Χριστὸν an Χριστὸν Ἰησοῦν etc. nihil videtur referre. — ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα (*vivificabit et mortalia corpora*) B C D E F G K L P, plerique minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.* (codd.) *Aeth.*; particulam καί haud

Ex iis quae de iustificationis fructibus hucusque disseruit, Paulus nunc colligit, nulli damnationi illos qui in Christo sunt esse obnoxios (*v.* 1), conclusionemque ex eo confirmat, quod Spiritus S. illos in Christo a peccato et a morte liberaverit (*v.* 2). Quibus verbis quodammodo thesin bipartitam statuit, quam in prima huius sectionis pericope ita probat, ut illos per Spiritum S. inhabitantem praecepta Legis implere iam posse et veram vitam adipisci ostendat. Atque priorem quidem theseos partem ex incarnationis modo et fine demonstrat : Deum enim, quum Filium suum in carne mitteret, peccatum in eadem re, qua dominium suum exercuerat, i. e. in carne, devicisse docet, idque eo fine, ut Christiani non amplius secundum carnem sed secundum Spiritum ambulantes Legis iustitiam in sua vita manifestarent (3. 4). Id enim eos, qui carnem sequantur, praestare non posse, duorum principiorum (carnis et Spiritus) studiis contrariis breviter indicatis confirmat (5-8). Qua expositione simul ad alteram theseos partem, quum Spiritus studium esse vitam pacemque dicat (*v.* 6), orationem traducit ac fusius deinde explicat, illos qui vere in Christo sint Spiritum S. in se possidere per eumque non tantum nunc veram animi vitam obtinere sed etiam ad gloriosam vitam esse resurrecturos (9-11).

1. *Nihil ergo nunc damnationis* (οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα *nulla* ergo nunc damnatio) *est eis qui sunt in Christo Iesu*, (*qui non secundum carnem ambulant*). Ultima verba, quae uncis inclusimus, et ea quoque, quae hisce graecus textus receptus addit (ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα *sed secundum spiritum*), ad hanc sententiam non pertinere sed velut glossam ex *v.* 4. huc esse translata, ob meliorum codd. graecorum auctoritatem (cfr *VV. LL.*) cum omnibus fere modernis interpretibus censemus (cfr *Reith. Mai. Beel. MEv. Bisp. Dr. Sch.* etc.). Si quis vero ea hic retinere voluerit, ea similiter ac *v.* 4. non tam pro limitatione quam pro explicatione praecedentis locutionis (*qui in Christo sunt*) recte habebit. Nam οἱ ἐν Χριστῷ (*qui in Christo sunt*) intelliguntur fideles, quatenus in Christum baptizati in eum morientem et resuscitatum sunt inserti (6,3 sqq.) ad eiusque corpus mysticum pertinent tamquam novae creaturae, quae vetere forma deposita Christum induerunt (*Gal.* 6,15; 3,27) ac Spiritu

recte omittunt ℵ A, paucissimi minusc. et *Arm.* (codd.). — διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα (*propter inhabitantem Spiritum eius*) B D E F G K L P, multi minusc., *It.* (*Tert.* de res. carn. 46; *S. Hilar.* de Trin. VIII. 21; *A*[ter] etc.), *Vulg. Syr.* (codd.) *Sahid.*; sed διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος (*per* inhabitantem Spiritum eius) ℵ A C, teste *Ps. Athan.* de S. Trin. dial. III. 20 « *omnia* vetusta exemplaria », haud pauci minusc., plerique PP. graeci, *Memph. Arm. Aeth.*, ex Latinis *S. Aug.* (expos. 51 et saepius; sed serm. 155 n. 15 etc. : *propter*); cfr *Comment.*

S. accepto vita Christi ipsius vivunt (*Gal.* 2,20; 1 *Cor.* 12,13 etc.). Iam vero illis *nunc*, i. e. in novo suo statu, qui praeterito Legis statui (7,7 sqq.) opponitur, *nihil damnationis* vel *nullam damnationem* amplius remanere concludit. Nomen κατάκριμα (*damnatio* vel *condemnatio*) non nudam sententiam damnatoriam, uti multi acath. tenent, sed sententiam exsecutioni mandatam ipsamque poenam iam inflictam significare, supra (ad 5,16 p. 297) ostendimus. Iure igitur his verbis Patres tridentini (sess. 5. de pecc. orig. 5) usi sunt, ut nihil amplius ab ingressu coeli baptizatos remorari probarent; culpae enim reatu prorsus deleto et exstincto baptizati nunc nulli amplius poenae sunt obnoxii. Attendas autem velim, iuxta verborum ordinem (οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα *nulla ergo nunc damnatio*) praecipuam vim vocabulo οὐδέν (*nulla*) attribui, ita ut Apostolus non tam *totam* quam *omnem* condemnationem peccato Adami introductam (5,16. 18) per Evangelii virtutem nunc esse sublatam concludat. Ac revera in superioribus eos, qui fide iustificati sunt, non tantum ab ira divina liberatos sed etiam a servitute quum peccati tum Legis, quae peccati est virtus, exemtos esse docuit. Recte igitur eum conclusionem hanc non ex singulari quadam sententia superiore sed ex tota sua dissertatione de fructibus iustificationis derivare tenemus.

Magnus autem est interpretum dissensus in nexu huius sententiae cum prioribus definiendo. Cum *Tolet.* nonnulli iuniores conclusionem ex ultima sententiola praecedente (7,25[b] *igitur ego ipse mente servio legi Dei* etc.) derivant, quum illam de homine iustificato valere arbitrentur; sed illam de homine sub Lege constituto nequedum regenerati rectius explicari diximus. Qua explicatione retenta nonnulli moderni (*Reith. Mai. Bisp.* etc.) eundem nexum ita stabilire conantur, ut Minorem conclusionis ex sequente *v.* 2. in hunc modum suppleant: « Mihi ipsi derelictus mente servio legi Dei, carne legi peccati; atqui Spiritus S. me liberavit a lege peccati et mortis; ergo nulli condemnationi obnoxius sum ». At hic syllogismus in eo peccat, quod non tantum prior Maioris pars plane superflua esse videatur, verum etiam conclusio (*nulla* condemnatio) latius pateat quam praemissae. Recte quoque aliqui acath. monent, syllogismi Minorem ex sequente sententia causali parum apte suppleri; ineptissime vero ipsi hoc euthymema ab Apostolo proponi volunt: « Sibi ipsi derelictus homo mente servit legi Dei, carne legi peccati; ergo Christianus, qui non amplius sibi est derelictus, nulli condemnationi obnoxius est » (*Weiss* cfr *Lange, Lut.* etc.); quomodo enim id ex sola hac sententiola sequatur, equidem non video.

Multo rectius haud pauci cum *Thom.* conclusionem ex 7,25[a] (iuxta latinam aut etiam iuxta graecam lectionem) deducunt: « Gratia Dei per Iesum Christum me liberavit a corpore mortis huius; ergo nunc nulla mihi iam est condemnatio » (cfr *Beel. Ag.* etc.). Nihilominus ne haec quidem explicatio

mihi probatur, tum quia ultimam sententiolam (7,25^{b}), qua totam praecedentem expositionem (7,14-23) comprehendi diximus, pro superflua parenthesi habere videtur, quae sententiarum ordinem perturbet, tum quia ad vim, quam Apostolus vocabulo οὐδέν (*nulla*) tribuit, non attendit. Alii cum *Est.* superiorem sectionem (7,14-25) de homine iustificato interpretantes ex illis sententiis, quibus Paulus « se non agere quod vellet, sed quod nollet (7,15.19), non se ipsum operari, sed peccatum (7,17.20), se condelectari legi Dei » (7,22) etc. asserit, conclusionem derivari volunt, concupiscentiae motus non esse voluntarios neque proinde ad poenam imputari posse, Christianum ergo nulli poenae obnoxium esse. Verum huic interpretationi, cuius suppositum falsum esse iam demonstravimus, id quoque obstat, quod de involuntariis concupiscentiae motibus non agi, ex *v.* 2 mox sequente luculentissime constat. Alii demum usque ad 7,6 recurrunt atque Paulum, postquam verba *in vetustate literae* iam explanavit (7,7-25), nunc ad verba *in novitate Spiritus* explananda transire dicunt (cfr *Reith.* — *Beng. God.* etc.); attamen particula ἄρα (*ergo*) neque orationi resumendae neque transitioni sed conclusioni inservit (cfr p. 274 *n.* 1); quomodo autem nostra conclusio ex 7,6 derivetur, non apparet.

Conclusionem suam Apostolus novo confirmat argumento, quo ad positivos iustificationis fructus describendos transiens fideles per S. Spiritum, quem in baptismo acceperunt, a malis per Adami peccatum invectis liberatos esse docet : 2. *lex enim spiritus vitae in Christo liberavit me* (vel minus bene : *te* cfr *VV. LL.*) *a lege peccati et mortis.* Nomine *legis spiritus vitae* nequaquam designari « legem mentis (7,23), quae quia ad vitam spiritualem detur etiam lex vitae appellari possit » (*Tolet.* etc.), ex verbis ipsis, quum *mens* (νοῦς) Paulo non sit idem quod *spiritus* (πνεῦμα), et ex contextu elucet. Neque recte *S. Cyr. Al. Legem spiritus* interpretatur « mentis voluntatem ad bonum vitamque tendentem, postquam gratiam Christi adepta est »; neque rectius Latini plerique loquuntur, quibus *lex Spiritus vitae* est « gratia Spiritus S., quae vivificat nos in anima tempore baptismi » (*Haym.*), aut « gratia Christi, qua lex Dei per Spiritum scribitur in cordibus nostris » (*Est.* etc.), vel « quae vi sua ad bene vivendum nos impellit et clariore sua luce legem naturalis rationis perfundit » (*Iust.*), aut etiam ipsa « fides per dilectionem operans, quae et docet interius de agendis et inclinat affectum ad agendum » (*Thom*^{2}. cfr *Herv. Lomb. Cai. Lap.* etc.), aut « lex fidei » (*A*^{ter} etc.), aut « lex Evangelii » etc. Cum plerisque potius Graecis (cfr *Chrys. Theod. Mopsu. Theoph. Euth.* etc.) ac modernis (*Reith. Mai. Lft.* etc.) eodem modo, quo peccatum nondum regeneratis inhabitans eosque dirigens vocatur *lex peccati*, etiam ipsum Spiritum S., qui baptizatis collatus eisque inhabitans eorum agendi

rationem dirigit eisque veram vitam confert, *legem Spiritus vitae* vocari censemus. Latiore igitur sua significatione nomen *legis* hic sumitur (cfr ad 7,22) et genetivus *Spiritus* est genetivus apposit. vel explicat. (cfr *Comm.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 49), uti genetivus *vitae* simul et essentiam et effectum indicat Spiritus S., qui et vita est et vivificat. Hanc explicationem *Thom.* quoque primo in loco affert : « Lex spiritus, i. e. lex quae est Spiritus; lex enim ad hoc datur, ut per eam homines inducantur ad bonum, sed Spiritus S. mentem inhabitans non solum docet quid oporteat fieri intellectum illuminando de agendis, verum etiam affectum inclinat ad recte agendum...; addit autem *vitae*, quia sicut spiritus naturalis facit vitam naturae, sic Spiritus divinus facit vitam gratiae ». Porro dictio ἐν Χριστῷ (*in Christo*) a nonnullis cum integra praecedente phrasi connectitur, ut significetur, legem Spiritus i. e. Spiritum « non dari nisi his qui sunt in Christo Iesu » (cfr *Thom.* etc.); ab aliis cum solo genetivo *vitae* coniungitur, ut vita per Iesum Christum danda seu « vita qua vivimus in fide, spe, dilectione, imitatione Christi » designetur (*Cai.* etc.). Attamen rectius, ni fallor, illam ad verbum ἠλευθέρωσεν (*liberavit*) trahimus, ut sensus sit, Spiritum S. nos liberare utpote cum Christo unitos. Namque ii soli, qui baptismo in Christum inseruntur, cum gratia sanctificante Spiritum S. accipiunt, per quem liberantur *a lege peccati et mortis*, i. e. a peccato, quod eousque eos velut servos subiectos tenebat, et a morte, cuius regno similiter omnes per peccatum erant subiecti (5,12 sqq.; 6,16; 1 *Cor.* 15,56 etc.). Mors autem hic, uti ex sequentibus apparet, non tantum intelligitur spiritualis et aeterna animae, sed etiam physica corporis (*v.* 11).

Duo igitur a Paulo asseruntur, et a peccato et a morte fideles per S. Spiritum quem acceperunt esse liberatos. Sicut enim in praecedente sectione in sua ipsius persona statum hominis nondum regenerati descripsit, ita nunc in sua persona (liberavit *me*) statum regeneratorum describit. Priorem autem asserti partem probaturus nunc iam, postquam Deus peccatum per Filium suum incarnatum plane devicit, sublatam esse illam infirmitatem ostendit, qua homo, quamdiu regno peccati Legisque erat subiectus, ita laborabat, ut illa semper quae facere nollet agens Legem opere implere non posset, quam mente approbabat : 3. *nam quod impossibile erat legi* (τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου), *in quo* (ἐν ᾧ) *infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens* (πέμψας) *in similitudinem* (ἐν ὁμοιώματι recte *S. Hilar.* de Trin. X. 25 : *in similitudine*) *carnis peccati et de peccato* (περὶ ἁμαρτίας) *damnavit peccatum in carne*. 4. *ut iustificatio* (τὸ δικαίωμα) *legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum* (ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα).

Ad constructionem quod attinet, alii primas voces (τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου) pro accusativo habent, qui a verbo ex sequentibus supplendo dependeat; itaque sententiam in hunc modum complent : τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου... (ἐποίησεν) ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν κτλ « quod impossibile erat Legi..., id Deus (effecit) Filio suo misso et de peccato condemnavit peccatum » etc. (cfr *Winer* Gramm. p. 217), vel etiam ita : τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου (ἐποίησεν) ὁ Θεός, (ὅτι) τὸν ἑαυτοῦ υἱόν κτλ « quod impossibile erat Legi, id Deus (eo effecit, quod) Filium suum mittens » etc. (cfr *Grimm* Lexic. p. 9). Hanc constructionem iuniores iam aliqui cum *Est.* adoptarunt; rectius tamen, ut videtur, moderni plerique (cfr *Reith. Beel. Bisp. Sch.* etc.) verba illa (τὸ ἀδύνατον τ. ν.) pro absoluto nominativo (cfr *Beelen* Gramm. p. 235) vel etiam pro absoluto accusativo (cfr *Alex. Buttmann* Gramm. p. 134 et *Phil. Buttm.* Gramm. Ed. 20. p. 375) habent, qui reliquae sententiae velut appositio addatur, ob rhetoricas autem rationes, ut nimirum maiore cum vi efferatur, primum locum teneat, quamvis per se sententiae pronomine relativo addi potuerit (« Deus condemnavit peccatum etc., id quod Lex facere non potuit »). Hanc constructionem *Thom.* eatenus iam commendavit, quatenus prima illa verba (quod impossibile erat Legi), « ut planior fieret expositio », non nisi post reliquae sententiae explicationem interpretari voluit. Ceterum sensus variis illis constructionibus non mutatur. Id unum tenendum est, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου hic non esse idem quod ἡ ἀδυναμία τοῦ νόμου (imbecillitas Legis), uti *Beel.* cum nonnullis vult; nam hoc substantivum nulli ex illis constructionibus adaptatur. Τὸ ἀδύνατον significat id quod aliquis facere non valet et aliquoties genetivum eius, qui facere non potest, admittit (cfr ep. ad Diogn. 9,6 τὸ ἀδύνατον τῆς ἡμετέρας φύσεως quod nostra natura facere nequit; sim. *Xenoph.* Hellen. I. 4,6 ἀπὸ τοῦ τῆς πόλεως δυνατοῦ ex eo, quod civitas facere potest).

Lege peccatum non potuisse vinci, ex superioribus (7,7-25) tam clare elucet, ut Apostolus id iure merito velut rem ab omnibus concessam supponat. Ne quis vero, uti Graeci recte adnotant, Legem ipsam, quam sanctam et iustam et *bonam* appellaverat, nunc a se tamquam infirmam imbecillemque reprobari arbitretur, Paulus causam, cur Legi abolitio peccati impossibilis fuerit, addit : *in quo* (ἐν ᾧ) *infirmabatur per carnem.* Locutio ἐν ᾧ, quae hebraico באשר respondet, ab omnibus fere hic causali sensu recte sumitur (ἐν ᾧ i. q. ἐν τούτῳ ὅτι cfr *Hebr.* 2,18, sicut 5,12 ἐφ' ᾧ i. q. ἐπὶ τούτῳ ὅτι *propterea quod* vel *quia;* cfr 1 *Cor.* 4,4 ἐν τούτῳ *in hoc* i. q. *ideo*); quodsi aliqui eam latino *quatenus* potius quam latino *quia* reddere malunt, diffiteri tamen nequeunt, eam causae, ob quam Lex virtutem sibi insitam non exseruerit, indicandae inservire. Causa autem haec erat *caro* (ἡ σάρξ), quae rebellabat contra interiorem hominem cum Lege consentientem eumque impediebat, ne Legis praecepta impleret. Bene *S. Aug.* (serm. 155 n. 7) : « Lex enim iubebat et

non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, invictissime resistebat; et lex infirmabatur per carnem, quia Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum; quomodo ergo Lex mihi opitularetur iubens per literam et non dans gratiam? »

Iamvero quod Lex ob carnis rebellionem praestare non potuit, id praestitit Deus; Filii enim sui incarnati missione peccatum condemnavit regnoque privavit, ut omnes, qui Christo inserti secundum Spiritum quem acceperunt ambulant, Legem implere possent. Sed singula videamus. Participium aor. πέμψας, quod noster interpres, quum Latinis participium perf. act. desit, participio praes. reddit (*mittens*), temporali sensu hic sumi nequit, acsi Filii missio diceretur condemnationem peccati praecessisse, sed modum definit (cfr *Act.* 1,24 προσευξάμενοι εἶπαν orantes dixerunt), quo Deus peccatum condemnavit, ipsa nimirum Filii missione. Haud deinde sine vi Deus τὸν ἑαυτοῦ υἱόν (*suum ipsius Filium* cfr *v.* 32 *proprio Filio suo* τοῦ ἰδίου υἱοῦ), Unigenitum igitur suum, qui ab aeterno in eius sinu est (*Ioan.* 1,18), misisse dicitur. Quod moderni quidam rationalistae Iesum hac appellatione tamquam regem theocraticum aut tamquam Messiam etc. designari dicunt, id plane absurdum est. Omnino potius tenendum est, hac appellatione homousiam Patris et Filii clare designari, uti verbo *mittere* distinctio personarum clare indicatur (cfr ad 1,3 p. 35 sq.; *infra* ad *v.* 32 sqq.; ad *Gal.* 4,4). Deus ergo Unigenitum suum misit ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, i. e. uti *S. Hilar.* recte interpretatur : *in similitudine carnis peccati*. Iuxta *Vulgatae* quidem interpretationem : *in similitudinem carnis peccati*, de ipso incarnationis actu seu de missione Filii ad carnem assumendam sermo fieri videtur; iuxta graecam tamen lectionem, quam aliae quoque versiones sequuntur, de toto potius redemtionis opere seu de missione Filii in carne iam assumta ad redemtionem consummandam agi rectius dicimus. Eodem quippe modo, quo alibi (*Gal.* 4,4) Filius *factus ex muliere*, i. e. incarnatus, hoc in loco *in similitudine carnis peccati*, i. e. carne iam indutus mitti dicitur.

Porro *caro peccati* per synecdochen hic integram naturam humanam peccato infectam designat. *In similitudine* autem carnis peccati Filius Dei venisse dicitur, quia veram quidem naturam humanam sed peccati originalis labe expertem assumsit, quum non naturali generatione sed supranaturali Spiritus S. operatione ex Virgine nasceretur. Hoc sensu Patres verba semper interpretati sunt; contra haereticos enim, qui iis abutentes Christum veram carnem habuisse negabant, maxime urgebant, eum veram carnem passibilem sed ab omni peccato immunem habuisse (cfr *Orig. Chrys. Theod. Cyr. Alex.* etc., *Tert.* c. Marc. V. 14, *A^ter^ S. Ambr.* de poenit. I. 3,12. 13, *S. Aug.* serm. 155,7;

183 n. 12 etc.). Quorum doctrinam *Thom.* paucis complectitur : « Non habuit *carnem peccati,* i. e. cum peccato conceptam, quia caro eius fuit concepta per Spiritum S., qui tollit peccatum,... sed habuit *similitudinem carnis peccati,* i. e. similem carni peccatrici in hoc quod erat passibilis; nam caro hominis ante peccatum passioni non erat obnoxia ». Quodsi in illo membro explicando Patres et interpretes cath. omnes consentiunt, in explicandis verbis sequentibus : καὶ περὶ ἁμαρτίας *et de peccato* (vel uti *Tert.* de pudic. 17. legit : *propter delinquentiam* i. e. propter peccatum) inter se quam maxime dissentiunt. Equidem illa praecedentibus adnectenda omnino censeo, ita ut Paulus, postquam modum definivit, quo Filius Dei missus est, finem addat, propter quem sit missus : Deus misit Filium suum in similitudine carnis peccati *et propter peccatum,* nempe ad illud abolendum et exstinguendum[1]. Nomine ἁμαρτίας (*peccati*) autem, quum articulo careat, hic non peccatum originale (uti statim : κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν *damnavit peccatum*), sed peccatum in genere significatur; ut omnia enim peccata tolleret pro omnibusque satisfaceret, Christus a Patre est missus.

Hanc interpretationem *S. Cyr. Alex.* (in Ioan. IX. M. 74,273 sq.) iam proposuit iunioresque graeci interpretes praetulerunt (cfr *Theoph. Oec. Euth.*), eandemque cum *Iust.* moderni tantum non omnes iure merito adoptarunt (cfr *Reith. Mai. Bisp. Beel. Ag. Sch.* etc.). Hac enim sola explicatione apparet, quid sibi velit coniunctio καί (*et*), quam *Est.* per « pleonasmum » (!) positam esse et redundare declarat, *Tolet.* autem hebraismo quodam, quo participium πέμψας (*mittens*) pro verbo finito (ἔπεμψεν *misit*) sit usurpatum, removere conatur. Fatendum tamen est, plerosque Patres, coniunctione illa neglecta, verba περὶ ἁμαρτίας (*de peccato* vel *propter peccatum*) non cum participio πέμψας sed cum verbo finito κατέκρινεν (*damnavit*) connexuisse; quomodo vero sint explicanda, magnus inter eos est dissensus.

Ac *Chrys.* quidem, cuius sententiam a *Theoph.* et *Oec.* dumtaxat relatam iuniores Latini multi (cfr *Tolet. Est. Lap. Nat. Pic.* etc.) sequuntur, peccatum (τὴν ἁμαρτίαν) simili modo ac 7, 13 in personam constitui et delicti (περὶ ἁμαρτίας) reum declarari et damnari censet, eo quod non tantum fuerit supra modum peccans (7,13), sed etiam in Christum innocentem manus miserit

1. Mirum est, quod *Lap.* aliique contra hanc explicationem obiicere non dubitent, praepositioni περί significationem causalem (*propter* vel *pro*) non competere, licet non tantum omnes graeci interpretes eam hoc loco ita interpretentur (nam *Chrys.* quoque hanc praepositionis significationem supponit : κρίνω τινὰ περί τινος damno aliquem propter aliquid), sed etiam *Vulg.* haud semel eam eodem modo vertat (*Marc.* 1,44; *Luc.* 4,38; *Eph.* 6,18 etc.; cfr praecipue *Gal.* 1,4. ubi iuxta meliores codd. Christus semet ipsum tradidisse dicitur περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *pro* peccatis nostris vel *propter* peccata nostra; 1 *Petr.* 3,18 Christus semel passus est περὶ ἁμαρτιῶν *pro* peccatis vel *propter* peccata; et sicut iuxta *Marc.* 14,24 sanguis Christi ὑπὲρ πολλῶν ita iuxta *Matth.* 26,28 περὶ πολλῶν *pro* multis seu *propter* multos effunditur). Eadem significatione etiam a profanis περί saepe usurpatur.

eumque tamquam peccatorem ad mortem duxerit. Sed ut praetermittamus, haec verbis non consentire (nam particula καί negligitur), etiam non videmus, quomodo haec contextui congruant, quum Paulus de tali peccati condemnatione loquitur, qua impletio Legis fidelibus fiat possibilis.

S. Aug. (c. duas epp. Pel. III. 6,16) tres proponit expositiones, quarum nullam probabilem esse arbitror. Primum enim « quia rerum similitudines solent earum rerum nominibus nuncupari, quarum similes sunt », « ipsam similitudinem carnis peccati », ergo ipsam Christi carnem, ab Apostolo hic *peccatum* appellari potuisse arbitratur; deinde peccatum idem hic valere coniicit, quod sacrificium pro peccato; demum ad verba accuratius attendens, « quia, inquit, non dictum est *de peccato suo*, potest quis sic intelligere, ut dicat eum de peccato Iudaeorum damnasse peccatum; quia de peccato eorum, qui eum crucifixerunt, factum est, ut sanguinem suum in remissionem funderet peccatorum ». Quam tertiam explicationem *Thom*[1]. procul dubio ante oculos habet, ubi dicit : « *De peccato*, i. e. pro peccato commisso in carne Christi, diabolo instigante, ab occisoribus eius *damnavit* i. e. destruxit *peccatum*; quia quum diabolus innocentem, in quo nihil iuris habebat, attentavit morti tradere, iustum fuit, ut potestatem amitteret ».

Hac ratione intellecta tertia Aug. coniectura a Chrys. sententia haud longe recedit, a *Thom.* tamen improbatur alterique postponitur, quae duabus aliis *Aug.* interpretationibus vicinior est : « *Damnavit peccatum in carne*, i. e. debilitavit fomitem in carne nostra, *de peccato*, i. e. ex virtute passionis et mortis, quae dicitur peccatum propter similitudinem peccati, vel quia per hoc factus est hostia pro peccato ». Contra has similesque, quae multae sunt, Latinorum expositiones non tantum recte ab *Est.* obiicitur, quod significationem graecae praepos. περί (quin etiam latinae praep. *de*) plane negligant, sed etiam moneri debet, varias illas tropicas significationes nomini *peccati* hic sine causa attribui, atque in omni explicatione ante omnia constructionis contextusque rationem esse habendam.

Itaque suo ipsius Filio in natura humana et peccati devincendi causa misso, Deus *damnavit peccatum in carne* (κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί); singula vocabula accurate sunt perpendenda. Clarum est, *peccatum* (τὴν ἁμαρτίαν) illud intelligi, de quo in superioribus semper egit, quod nimirum per unum hominem in mundum ingressum in omnes transiit omnesque per carnem, in qua residet, suo regno tenet subiectos. Neque tamen hic tam ad culpae reatum, quam, uti in ultimis pericopis, ad dominium quod exercet virtutemque attendit, qua homines a bono agendo avertit et ad malum adigit. Si autem Deus illud *damnasse* dicitur, verbum κατακρίνειν aeque parum de sola damnationis pronuntiatione, atque nomen κατάκριμα (*damnatio* v. 1) de nuda sententia damnatoria explicari potest; sicut κατάκριμα poenam irrogatam, ita κατακρίνειν poenae irrogationem connotat, id quod Patres iunioresque

interpretes suis definitionibus iam insinuarunt (cfr *S. Iren.* c. haer. III. 20,9 « damnatum proiecit extra carnem », *Orig.* « fugavit et abstulit », *S. Meth.* l. c. « ad deletionem condemnavit », *Chrys.* « devicit et castigavit », *Theod.* « delevit » etc.; similiter iuniores : *Thom*[1]. « damnavit i. e. destruxit », *Thom*[2]. « debilitavit », *Tol.* « damnare peccatum est abolere peccatum » etc.). Iamvero poenam irrogatam esse destructionem regni peccati, ita ut homines ab eius servitio liberati iam vivere possint iustitiae (6,18 sqq.), ex damnationis fine, quem Apostolus addit (*v.* 4), clare elucet. Locutio deinde *in carne* (ἐν τῇ σαρκί) a nonnullis cum nomine *peccatum* haud recte connectitur (peccatum in carne habitans); id enim si significare voluisset, Apostolus ad ambiguitatem vitandam scripsisset τὴν ἁμαρτίαν τὴν ἐν τῇ σαρκί. Cum verbo *damnavit* enim coniungatur oportet : *in carne* quippe, quam Christus puram assumsit, puram per totam vitam servavit, puram in cruce Patri obtulit, Deus peccatum damnavit, atque illa ipsa in re, in qua et per quam peccatum regnum tenuerat virtutemque suam exseruerat, illud devicit prostravitque. « Non aliam carnem, inquit *Theoph.* (cfr *Chrys.*), Christus assumsit, sed ipsam hanc nostram assumens eam sanctificavit et coronavit condemnans peccatum in assumta carne et carnem ostendens non esse sua natura peccatricem ». Neque tamen ad solam puram vitam, qua Christus carnem sanctificans peccatum damnavit, sed etiam ad Christi mortem Apostolus respicit. Cum pura enim eius carne concrucifixa est caro nostra peccatrix, vetus scilicet noster homo, ut nostrum corpus peccati destrueretur nostraque caro, ex regno peccati iam erepta, non amplius serviret peccato (cfr 6,6).

In damnando autem peccato Deus eum habuit finem, *ut iustificatio legis* (τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου) *impleretur in nobis*. Qua in sententia τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου minus apte a multis antiquioribus intelligitur iustificatio ad quam Lex tendebat (*Chrys.* etc.) seu iustitia quam Lex promittebat (*S. Aug.* etc.); etenim τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου idem videtur valere, quod τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου (2,26), varia Legis sc. praecepta, quae nomine collectivo comprehenduntur. Quamdiu homo sub peccati dominio erat, secundum interiorem quidem hominem Legi consentire et condelectari potuit (7,16. 22), ob virium tamen defectum eam implere non valuit, sed carne legi peccati serviebat; immo ipsa Lex propter rebellantem carnem id obtinere non potuit, ut sua praecepta implerentur. Ideo Deus in Filii sui carne peccatum devicit, ut homines in posterum iustificationem Legis implerent. Neque vero Paulus dicit : *ut nos impleremus Legem*, sed passivo loquendi modo utitur, ut impletionem illam non tam a nobis, quam a Deo eiusque gratia, quam Filius eius incarnatus promeruit, dependere insinuet. Quum autem iustifi-

cationem Legis *in nobis* impleri asserat, cooperationem nostram requiri connotat idemque clarius verbis additis declarat : in nobis, *qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum* (ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα). Quibus verbis iuxta nonnullos conditio, quae nostra ex parte adsit oportet, ut Legis impletione iustitia in vita nostra sese manifestet (ἐν ἡμῖν τοῖς... περιπατοῦσιν in nobis, *si* ambulamus), iuxta alios vero non minus bene, immo melius, ratio indicari dicitur, cur in nobis, utpote per Spiritum a peccato liberatis (*v.* 2) et in baptismo peccato mortuis (6,2 sqq.), iustificatio Legis necessario impleatur (in nobis *quippe qui* ambulemus). Verba ipsa *Thom.* bene explicat : « Qui non sequimur concupiscentias carnis sed instinctum Spiritus S. », in nobis scilicet inhabitantis. Nomen enim *spiritus* (πνεῦμα), etiamsi per se superiorem nostrae naturae partem, quatenus gratia sanctificante instructa et cum S. Spiritu inhabitante unita actionum supernaturalium est principium, designare potest, praesertim ubi carni opponitur, inferiori scilicet parti nostrae naturae, quae in se habens fomitem legi peccati inservit (cfr ad *Gal.* 5,19 ; ad 1 *Cor.* 2,13 etc.), ob contextum tamen hic ipsum Spiritum S. baptizatis inhabitantem eosque dirigentem significare rectius teneri videtur (cfr *v.* 2).

Neque vero eos, *qui secundum carnem ambulant*, similiter atque eos, qui Spiritum acceperunt eumque ducem sequuntur, iustitiam Legis in se manifestare posse, Paulus nunc ita probat, ut ad alteram theseos suae partem (*lege Spiritus liberati sumus a lege mortis*) orationem traducat. Duorum enim principiorum (*carnis* et *Spiritus*) contrariis studiis descriptis, asseclas carnis ad aeternam mortem adduci longeque ab iis quae Deo placent (a Legis impletione) abesse (5-8), per Spiritum autem iustificatis veram vitam animae et corporis conferri docet (9-11).

Primum igitur rationem indicat, cur in iis solis, qui Spiritum sequuntur, iustificatio Legis impleatur : 5. *qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt* (φρονοῦσιν); *qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus* (*sentiunt*). Ultimum verbum (*sentiunt*), quum in graeco desit, interpres ex suis adiunxit, ex priore autem membro melius supplere potuit *sapiunt.* At ne hoc quidem verbum vim, quam graecum φρονεῖν hoc in loco habet, plane attingit. Namque φρονεῖν, uti *Cai.* bene adnotat ac reliqui interpretationibus suis insinuant, praeter intellectus actum etiam actum voluntatis denotat latinoque *studere* (alicui rei, vel iuxta *Cai.* etc. latino *curare*) magis respondet, uti etiam in *vv.* 6. 7. nomen derivatum φρόνημα aptius latino *studium* redditur, quam vocibus *prudentia* et *sapientia* a nostro interprete adhibitis (cfr *v.* 27 ubi noster verba τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος vertit : « quid *desideret* Spiritus »). Porro locutiones οἱ κατὰ σάρκα (πνεῦμα) ὄντες et οἱ κατὰ

σάρκα (πνεῦμα) περιπατοῦντες, licet easdem personas designent, idem significare (cfr *Thom. Est.* etc.) haud recte dicuntur. Prior enim latius patet carnemque (aut spiritum) principium totius vitae, quum internae tum externae, esse declarat, altera autem solam potius externam vitam respicit. Quia vero externa vita ab interna dependet, Apostolus suo iure in argumentatione secundae priorem substituit, ut eos, qui secundum carnem ambulant, in tota sua vita carne dirigi atque iis quoque quae carnis sunt studere, i. e. totam cogitationem contentionemque in iis ponere, doceret, quemadmodum ii, qui secundum Spiritum ambulant, mentem curamque omnem in iis quae sunt Spiritus collocant. Quaenam autem carnis et quaenam Spiritus sint, alibi (*Gal.* 5,15-25) edocemur, ubi Apostolus carnis spiritusque luctam in iustificatis describens tum opera enumerat, ad quae caro impellit, tum fructus, quos Spiritus producit.

Cuius argumenti vis ut clarius innotescat, Apostolus explicationis gratia (particula γάρ explicat.) addit : 6. *nam prudentia* (lege : *studium* φρόνημα) *carnis, mors est; prudentia* (melius : *studium*) *autem spiritus, vita et pax.* Multum laborant iuniores modernique in hac sententia cum praecedente connectenda, quum eam neque probare aut confirmare neque explicare videatur. Nonnulli eo usque progressi sunt, ut *nam* hic idem esse quod *atqui* dicerent (*Est*[1].), aut in praecedente sententia aliquid supplerent, quod nostra probaret (« qui secundum carnem sunt, ea quae carnis sunt sapiunt *ideoque morientur*... nam prudentia carnis mors est » *Est*[2]). Similiter *Thom.* in *vv.* 5. 6. syllogismum quendam proponi censet, cuius Maior sit *v.* 6, Minor vero *v.* 5 (« quicumque sequuntur prudentiam carnis, ducuntur ad mortem; sed quicumque sunt secundum carnem, sequuntur prudentiam carnis; ergo quicumque sunt secundum carnem ducuntur ad mortem »); sed praemissae syllogismi coniunctione γάρ (*nam*) inter se connecti nequeunt. Alii solius ultimi membri (*v.* 5.) probationem afferri putant (« ideo spirituales ea quae sunt Spiritus φρονοῦσιν, quia φρόνημα carnis affert mortem aeternam, φρόνημα autem Spiritus vitam aeternam et pacem cum Deo » cfr *Beel.* etc.). Verum nostra verba ad totam sententiam praecedentem pertinere patet; quin etiam Apostolus nostris in verbis ad prius membrum magis quam ad alterum attendere videtur, quum *vv.* 7. 8. non faciat spiritualium mentionem. Rectius igitur cum aliis dicemus, Paulum explicare velle, cur ii, qui carnem sequuntur et iis quae carnis sunt student, Legem implere non possint, ii vero, qui a Spiritu ducti in iis versantur quae Spiritus sunt, Legis iustitiam in vita sua manifestent. Terminum enim, ad quem caro asseclas suos adducit, termino Spiritus plane oppositum esse monens simul vias car-

nis et Spiritus inter se oppositas esse declarat. Ac revera opera carnis; quae ad mortem adducunt (*v.* 13) mortique fructificant (7,5), ita ut ii qui talia agant regnum Dei non consequantur (*Gal.* 5,21), Lege prohibentur; fructibus vero Spiritus tantum abest, ut Lex adversetur, ut eis potius adimpleatur (*Gal.* 5,23); unde ii qui in spiritu seminant, de spiritu metent vitam aeternam (*v.* 13; 2,6. 7; 6,22 etc.; cfr *Gal.* 6,8) pacemque habebunt cum Deo (cfr *v.* 7; 5,1).

Studium porro carnis hominem revera ad mortem aeternam adducere, Apostolus duabus rationibus confirmat, quarum prior (*v.* 7) ostendit, quomodo studium carnis sese habeat ad Deum, altera (*v.* 8), quomodo Deus se habeat ad carnem : 7. *quoniam* (melius : *nam* διότι cfr ad 1,19) *sapientia* (τὸ φρόνημα *studium*) *carnis inimica est Deo* (lege : *inimicitia est in Deum* ἔχθρα εἰς Θεόν cfr *VV. LL.*); *legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.* Vera vita a solo Deo est neque inimicis suis a Deo conferri potest; atqui studium carnis non tantum Deo est inimicum, sed est *inimicitia in Deum,* siquidem caro in ea semper tendit, quae Deo eiusque voluntati sunt contraria. Id Apostolus ipse explicat addens, carnem vel potius studium carnis Deo non subiici, i. e. non obedire, immo ne subiici quidem posse. « Non potest, inquit *Thom.*, aliquis Deum odire secundum quod in se est, quum Deus sit ipsa essentia bonitatis; sed secundum hoc aliquis peccator Deum odit, quod praeceptum divinae legis est contrarium suae voluntati; sicut adulter odit Deum, in quantum odit hoc praeceptum : non moechaberis; et sic omnes peccatores, in quantum nolunt subiici legi Dei, sunt inimici Dei; unde convenienter Apostolus probat, quod sapientia carnis sit inimica Deo, quia non est subiecta legi Dei ». Similiter *S. Aug.* (serm. 155,10) sapientiam carnis non ita dici inimicam in Deum adnotat « quasi eum laedere possit : resistendo inimica est, non occidendo ». Quod autem Apostolus studium carnis *non posse* Deo subiici asserit, id olim Patres contra Manichaeos fuse explicare cogebantur, qui his verbis carnem non esse a Deo probare studebant. Bene *S. Aug.* (l. c.) : « Quid est *neque enim potest?* Non homo non potest, non anima non potest, non denique ipsa caro, quia creatura Dei, non potest; sed prudentia carnis non potest, vitium non potest, non natura. Quomodo si diceres : claudicatio rectae ambulationi non est subiecta, neque enim potest; pes potest sed claudicatio non potest; tolle claudicationem et videbis rectam ambulationem; sed quamdiu claudicatio est, non potest. Sic quamdiu prudentia carnis est, non potest; non sit prudentia carnis et homo potest » (cfr c. Fortun. Manich. disp. 2,22; de octog. trib. quaest. 66,6 etc.; *Chrys. Theod.* etc.).

Altera ratio ex parte Dei sumitur atque per particulam δέ (*autem*)

priori, quae ex parte carnis desumta est, adiungitur, vel si mavis quasi opponitur : 8. *qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Non desunt, qui particulam δέ (*autem*) pro οὖν (*igitur*) poni arbitrati hanc sententiam ex prioribus velut conclusionem derivari censeant (cfr *Est. Reith.* etc.), aut etiam δέ pro γάρ adhiberi dicentes nostram sententiam priori velut causalem subiungi velint (cfr *Tol.* etc.). Utrumque aeque arbitrarium est; Paulus particulas graecas optime novit neque nostris correctionibus indiget. In priore argumento studium carnis ad mortem ducere ostenderat, quia inimicitia sit in Deum, a quo solo vera vita conceditur; idem nunc ex eo demonstrat, quod Deus studium carnis odio habeat. Recte enim *Beel.* « litotes, inquit, est in illo *Deo placere non possunt;* negando contrarium plus significat, quam dicit; vult enim dicere : qui in carne sunt, subiacent condemnationi » scilicet ad mortem. Nonnulli locutionem οἱ ἐν σαρκὶ ὄντες (qui *in carne* sunt), vicinam quidem superiori οἱ κατὰ σάρκα ὄντες (qui *secundum carnem* sunt), sed fortiorem esse putant, quia carnem non tam velut normam designet, iuxta quam vivant, quam velut rem, in qua vivant, ita ut tota eorum vita in carne versetur ipsique toti carni plane sint dediti. Ast nihil adest, quo ad fortiorem hanc significationem admittendam cogamur; sententiae enim illa plane congruit significatio, quam locutioni competere supra (ad 7,5) diximus.

Ab illis, qui quia in carne sunt legi mortis sunt subiecti, S. Paulus sese ad neophytos romanos convertens secundam theseos suae (*v.* 2) partem exponere aggreditur. Eos enim, quos ob S. Spiritus inhabitationem, quam adesse supponit, *in spiritu esse* dicit (*v.* 9), per eundem S. Spiritum etiam veram animi vitam adeptos (*v.* 10) gloriosamque corporis vitam certo adepturos esse (*v.* 11) ac proinde a lege mortis liberatos esse docet. 9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen* (εἴπερ) *spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Eodem modo, quo *in carne esse* ii dicuntur, in quibus *caro* est principium vitae moralis, *in spiritu esse* illi dicendi sunt, quibus *spiritus* est principium vitae. Licet autem in superioribus locutionibus (*secundum spiritum ambulare, secundum spiritum esse, prudentia spiritus*) nomine *spiritus* ipsum S. Spiritum baptizatis inhabitantem significari rectius teneatur (cfr ad *v.* 4), in hac tamen dictione spiritus hominis intelligatur oportet, animus scilicet noster gratia sanctificante ornatus et cum S. Spiritu inhabitante unitus. Id enim sententia addita suadet, qua ipsius S. Spiritus inhabitatio ratio esse indicatur, cur aliquis in spiritu sit, Spiritus Dei igitur a spiritu, in quo inhabitat, diserte distinguitur.

Namque ne fideles de Spiritus S. inhabitatione temere confidant,

Apostolus addit : *si tamen* (εἴπερ) *Spiritus Dei habitat in vobis.* Quibus verbis utique in dubium non vocat, an neophyti Spiritum Dei acceperint — omnibus enim qui ex fide iustificantur datur Spiritus, per quem caritas diffunditur in cordibus eorum (5,5) — sed fieri posse innuit, ut aliqui ex eorum numero peccatis suis post baptismum commissis una cum gratia sanctificante et caritate infusa etiam Spiritum iam amiserint. Cum *Chrys.* quidem iuniores Graeci (*Theoph. Oec. Euth.*) paucique moderni (*Sch. — Olsh.*) particulam εἴπερ (*si tamen*) pro ἐπείπερ (*quandoquidem*) hic adhiberi praecedentisque sententiae confirmationem afferre putant; sed haec minus recte dicuntur. Quamvis enim εἴπερ aliquoties hanc significationem admittat (cfr 3,30; 2 *Thess.* 1,6), hic non tantum nihil adest, quo a consueto eius usu hypothetico (*v.* 17; 1 *Cor.* 15,15; 2 *Cor.* 5,5 etc.) recedere cogamur, sed ab eo recedere prohibemur sequente sententia, qua Paulum asseverare noluisse apparet, etiam nunc omnibus et singulis fidelibus romanis Spiritum inhabitare (cfr *Est. Mai*, etc.). Etenim ut illos neophytos, qui forte Spiritum iam e cordibus suis expulerunt, terreat et ad bonam frugem indirecte revocet, subiungit : *si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ex ipso sententiarum nexu evidens est, eundem esse *Spiritum Dei* et *Spiritum Christi*, qui altero hoc nomine appellatur, quia non minus a Filio quam a Patre procedit (cfr *Thom. Tol. Est.* etc., *Reith. Beel.* etc.). Quod autem moderni aliqui acath. dicunt, Spiritum ideo vocari Christi, « quia Iesus sibi Spiritum Dei omnino assimilaverit » (*God.* : « Jésus s'est absolument assimilé l'Esprit de Dieu ; il en a fait sa vie personnelle »), id plane absurdum est. Alterum autem hoc nomen Paulus elegit, ut ipso nomine iam declararet, illos, qui in spiritu non sunt, quia in eis Spiritus Dei non (amplius) habitat, etiam ad Christum non amplius pertinere neque amplius genuina ac viva corporis eius mystici membra esse. « Sicut non est membrum corporis, quod per spiritum corporis non vivificatur, ita non est membrum Christi, qui Spiritum Christi non habet » (*Thom.*).

Quibus praemissis fideles per inhabitationem Spiritus Dei, quem supra (*v.* 2) *Spiritum vitae* appellavit, veram vitam spiritualem obtinere docet: **10.** *si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum* (νεκρόν) *est propter peccatum* (δι' ἁμαρτίαν), *spiritus vero vivit* (lege : *vita* sc. est; cfr *VV. LL.*) *propter iustificationem* (melius : *propter iustitiam* cum *Tert.* de resurr. carn. 46 etc., *S. Aug.* expos. n. 50; de octog. trib. quaest. 66,6 etc.; διὰ δικαιοσύνην). Quemadmodum in praecedente sententia nomini *Spiritus Dei* nomen *Spiritus Christi*, ita nunc personae Spiritus personam Christi substituit, « non iam, inquit *Chrys.*, Spiritum appellans Christum; absit! sed ostendens,

eum, qui Spiritum Dei habet, non tantum *Christi esse* sed etiam ipsum *Christum habere*. Neque enim potest, praesente Spiritu, non praesens esse Christus; ubi enim una Trinitatis persona adest, ibi tota adest Trinitas; indivulsa enim in se ipsa et intime unita est ». Itaque « templa sumus Dei vivi (2 *Cor.* 6,16), quia in nobis habitat per S. Spiritum Christus habens secum in propria natura illum quoque, ex quo substantialiter emanavit, Patrem Deum » (*S. Cyr. Alex.* in 1 *Cor.* 6, 19)[1]. Re igitur idem est, sive dicitur : *si Christus in vobis est*, uti in hac sententia, sive uti in sequente (*v.* 11) : *si Spiritus* (Dei Patris) *habitat in vobis;* neque dubitari potest, quin Apostolus in hac sententia non minus, quam in sequente, novam vitam, qua iusti fruuntur ac fruentur, « Spiritui vitae » appropriet.

Quisnam autem effectus in nostra sententia ei attribuatur, in controversia est. Iuxta Graecos (cfr *Orig. Chrys. Theod. Sever. Oec. Theoph. Euth.*), quibuscum aliqui moderni consentiunt (cfr *Reith. Ag. Weinh.* — *Olsh. Holst. Oltr.* etc.), de duobus effectibus agitur, quorum prior ad corpus pertinet, alter ad animum. Simili quippe modo, quo baptizatus peccato i. e. relate ad peccatum mori dicatur (6,2 sqq.), corpus hic *mortuum* vocari volunt non quidem secundum naturam sed secundum malitiam, ita ut relate ad peccatum sit mortuum. *Propter peccatum* eis igitur idem est quod « propter (seu ad) peccatum vitandum » (cfr 1 *Cor.* 7,2 διὰ τὰς πορνείας propter fornicationes vitandas[2]). Quae interpretatio, etsi verbis paulinis adaptari possit, ob orationis tamen seriem minus nobis probatur, quia ex sequente sententia satis est clarum, de mystica corporis morte hic non agi. Quamobrem in hoc membro de Spiritus S. effectu quodam non agi censemus, illudque cum Latinis (cfr *S. Aug.* de pecc. mer. et rem. I. 4-6; de octog. trib. quaest. 66,6 et Retract. I. 26; *Prim. Haym. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Tolet. Salm. Est. Iust.* etc.) ac plerisque modernis (cfr *Mai. Beel. Bisp. MEv. LR. Dr. Seh.* etc. — *God. Weiss, Goeb.* etc.) de physica corporis morte per peccatum invecta (5,12) interpretari malumus; corpus autem

1. Cfr etiam *S. Cyr. Alex.* Thesaur. assert. 33 (M. 75,568), qui *vv.* 9. 10. allatis concludit : « Hinc rectam de Spiritu notitiam haurire potes et discere, illum ex Salvatoris essentia subsistere neque ab una deitate alienum esse. Quum enim ipsius Dei vocasset Spiritum, statim subiungit esse Spiritum Christi, ut ostenderet omnia, quae Patri propria sunt, in Filium qui naturaliter ex ipso gignitur transire. Christum vero rursus Spiritum vocat significans eum non esse alienum (ἀλλότριον) a Verbi natura, sed ita ei unitum, quamvis propriam hypostasin habeat, ut ipse exsistat in Filio et Filius in ipso propter essentiae identitatem ». — Ceterum de Spiritu S. fidelibus inhabitante diximus ad 1 *Cor.* 6,19; ad *Gal.* 4,6 etc. ; fuse autem de hoc argumento agit *Petav.* de SS. Trin. VIII. cc. 5. 6. 7.

2. *Orig.* : « mors corpori *peccati causa*, i. e. *ne peccet*, imponitur »; *Chrys.* : τῇ ἁμαρτίᾳ (relate ad peccatum); *Sever.* apud *Oec.* : πρὸς τὴν τῆς ἁμαρτίας ἐνεργείαν (relate ad peccati virtutem); *Euthym.* : εἰς ἁμαρτίαν (quod attinet ad peccatum) etc.

non θνητόν (mortale) sed νεκρόν (*mortuum*) hic ideo vocari tenemus, « quia iam habet necessitatem moriendi, quam non habuit ante peccatum » (*S. Aug.*). *Propter peccatum,* quo homo vi originis suae est infectus, corpus eius ita iam est morti subiectum et obnoxium, ut mortuum vocari mereatur. Quodsi contra hanc interpretationem obiicitur, graece non haberi διὰ τὴν ἁμαρτίαν, de morte ergo propter peccatum originale contracta non esse sermonem (*Ag.*), respondemus nomen ἁμαρτίας etiam supra (6,14) sine articulo de peccato originali adhiberi, neque quidquam impedire, quominus Paulus nomen indeterminatum peccati, licet determinatum peccatum intelligi vellet, eodem modo adhibuisse dicatur, quo in altero membro indeterminate dixit διὰ δικαιοσύνην (*propter iustitiam*), quamvis determinatam iustitiam, quae ex fide Christi est, intelligeret. Neque rectius alii obiiciunt, satis superflue hoc membrum esse insertum, si nihil aliud significet, nisi hominem propter peccatum originale morti esse obnoxium. Nam ad alterius membri, quo solo proprium ac singulare Spiritus S. beneficium praedicatur, vim augendam non parum confert. « Si Christus in vobis est, spiritus vester vita est propter iustitiam, quamvis corpus vestrum propter peccatum adhuc morti sit obnoxium »; hac enim ratione sententiam construendam esse, particulae μέν... δέ (*quidem... autem*) insinuant. Qua ex oppositione duorum membrorum etiam elucet, in altero nomen *spiritus* neque de S. Spiritu recte intelligi, id quod cum multis Graecis (*Chrys. Oec. Theoph. Euth.*) etiam aliqui Latini (*S. Hilar. A^ter^* etc.) censent, neque de nuda parte rationali hominis, uti vult *Tolet.* Rursus *spiritus* hic significat « animum utpote spiritualem factum » (*Theod.*), i. e. animum gratia sanctificante ornatum, qui per inhabitantem Spiritum S. non tam vivit, quam *vita est propter iustitiam,* qua homo ex statu peccati in statum gratiae est translatus.

Verum eis non sola haec spiritualis vita, qua iustificati propter iustitiam fruuntur, per Spiritum eis inhabitantem confertur; corpora quoque eorum, quae adhuc morti sunt obnoxia, ad novam vitam eamque gloriosam propter Spiritum inhabitantem (vel per eum) revocabuntur : **11.** *quodsi spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis : qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit* (ζωοποιήσει) *et mortalia* (θνητά) *corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius* (αὐτοῦ melius : *suum*) *in vobis* (διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, vel : *per inhabitantem spiritum suum in vobis,* διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν cfr *VV. LL.*). Licet Iesus secundum divinam suam naturam propria virtute resurrexit, secundum humanam tamen naturam resuscitatus dicitur et quidem a Patre, cui omnipotentiae opera approprientur (cfr ad 6,4; 4,24). Ob eandem quoque rationem

resurrectio mortuorum Patri appropriatur, atque hanc ob causam Paulus Spiritum, quem antea Dei et Christi Spiritum vocaverat (*v.* 9), nunc disertius Patris esse significat. Argumentum autem Pauli est a simili : namque sicut Pater Filii sui mortui corpus, quod etiam post mortem cum divinitate unitum mansit, propter inhabitantem divinitatem in morte relinquere non potuit, ita etiam fidelium corpora, quae templa fuerunt S. Spiritus, propter Spiritum, qui in eis habitavit, ad vitam resuscitabit. Significanter autem Apostolus dicit *mortalia corpora vestra vivificabit,* « quia in resurrectione, inquit *Thom.*, non solum a corporibus auferetur quod sint *mortua*, i. e. necessitatem mortis habentia (*v.* 10), sed etiam quod sint *mortalia,* i. e. potentia mori, quale fuit corpus Adami ante peccatum ». Recte quoque monet *Chrys.* non esse dictum : *suscitabit,* sed *vivificabit,* ut gloriosa resurrectio fidelium indicaretur (cfr ad 1 *Cor.* 15,22); sed simul attendatur oportet, praecipuam vim in eo esse, quod corpora vitam indeficientem aeternamque sint acceptura, qualem decet eos habere, qui cum Spiritu vitae intime sunt uniti[1].

Duplicem esse huius loci lectionem, modo monuimus; secundam (διὰ ἐνοικοῦντος πνεύματος *per inhabitantem Spiritum*), quam recentissimi editores critici (*Tisch.* Ed. 8. et *W. H*) in textum sacrum receperunt, olim orthodoxi Patres contra Macedonianos defenderunt; quin etiam *Ps. Athan.* (de SS. Trin. dial. III. 26. *M.* 28, 1244) dicere non dubitat, eos hunc locum corrupisse, quum pro *per inhabitantem Spiritum* legerent *propter inhabitantem Spiritum*, atque contra eos ad « cuncta vetusta exemplaria » provocat, in quibus legatur *per inhabitantem Spiritum* (l. c. 20. *M.* 28, 1233). Clarius scilicet ex hoc loco divinitas Spiritus S. probatur, si *per eum* iusti ad vitam gloriosam resuscitari dicuntur. Quaenam germana sit lectio, cum certitudine definiri non potest, siquidem utraque non tantum magna testium criticorum auctoritate fulcitur, sed etiam bonum exhibet sensum contextui consonum.

2. — *Ob adoptionem suam, cuius S. Spiritus est sigillum, iustificati ius habent ad vitam gloriosam* (8,12-17).

8,12. *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* 13. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 14. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus : Abba (Pa-*

8,12. ἄρα οὖν, ἀδελφοί, ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκί, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν. 13. εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν· εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, ζήσεσθε. 14. ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοι υἱοί εἰσιν Θεοῦ. 15. οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλὰ ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ πατήρ. 16. αὐτὸ τὸ

1. De *vv.* 10. 11 genuino sensu prae ceteris egregie tractat *S. Aug.* de pecc. mer. et rem. II. 4-6.

ter). 16. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* 17. *Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ. 17. εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ, εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν [1].

Sua sponte quidem ex praecedente sectione monitum derivatur, ut fideles non secundum carnem, sed carnis operibus mortificatis secundum spiritum degentes veram vitam consequi studeant (*vv.* **12. 13**); illud tamen ad novam pericopen trahere maluimus, quia ab Apostolo pro transitione adhibetur ad novum describendum beneficium collatum, filiorum Dei nimirum dignitatem, cuius sigillum est S. Spiritus quem acceperunt. Namque ut illos, qui carnis opera spiritu mortificant, vere victuros esse confirmet, illos hac pugna sese filios Dei exhibere declarat (*v.* **14**). Quam dignitatem deinde eis ob suam adoptionem revera competere quasi parenthetice probans (*vv.* **15. 16**) eos tamquam filios etiam ius ad divinam hereditatem, i. e. ad gloriosam spiritus et corporis vitam, habere docet (*v.* **17**).

Quoniam per Spiritum S., qui eis inhabitat, neophyti iam iustitiam Legis implere ac spiritus vita fruentes corporis quoque vitam gloriosam certo exspectare possunt, iure merito Apostolus concludit : **12.** *ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Caro beneficia illa nobis non contulit, sed peccati mortisque legi nos subiecit, a qua Spiritus vitae nos liberavit; nulla igitur ratione nos sibi devinxit neque postulare potest, ut ipsam in vita nostra ducem sequamur. Mirum nonnemini videbitur, quod S. Paulus non potius concludat : « Ergo debitores sumus Spiritui eumque ducem sequi tenemur ». Revera sententiam suam ita exorditur (attende ad negationem verbo ἐσμέν postpositam), ac si hanc conclusionem, quae proxime ac

1. *VV. LL.* — 13. τοῦ σώματος (corporis) B ℵ A C K L P, omnes minusc. et PP., *Syr. Copt. Aeth. Arm.*; eodem sensu : τῆς σαρκός (*carnis*) D E F G cum *It.* (cfr *S. Iren.* int. V. 10, 2; *Tert.* de resurr. 46; *S. Cypr.* de zelo et liv. 14 etc.) et *Vulg.* — 14. υἱοί εἰσιν Θεοῦ (filii sunt Dei) hoc verborum ordine B F G, *It.* (*S. Hil.* de Trin.; *Orig.* int.), *Vulg.* (codd. *Amiat. Demid.*) *Syr.* (codd.); sed verbo postposito : υἱοὶ Θεοῦ εἰσιν legitur a ℵ A C D E, paucis minusc., *It.* (*A*[ter] etc.) *Vulg.* (cod. *Fuld.*); demum verbo praemisso : εἰσὶν υἱοὶ Θεοῦ (*sunt filii Dei*) a K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum *Harl. Tolet.* etc.) *Syr.* (codd.). *Copt. Arm.* — 16. αὐτὸ τὸ πνεῦμα (ipse spiritus), sine ulla coniunctione, est communis lectio codd. et verss., quibuscum etiam consentiunt *It.* (*A*[ter] etc.) melioresque codd. *Vulg.* (*Fuld. Amiat. Tolet.*); sed : αὐτὸ γὰρ τὸ πνεῦμα (*ipse enim spiritus*) pauci minusc. graeci et *Vulg.* (*Clem.* cum *Demid. Harl.* etc.); demum : ὥστε αὐτὸ τὸ πνεῦμα (*itaque* ipse spiritus) soli D E; prima lectio omnino est retinenda ob testium criticorum auctoritatem.

directe ex praecedentibus derivatur, exprimere voluisset. Quia autem vetus noster homo, quamvis in baptismo sit mortuus, semper reviviscere conatur, ideo Paulus neophytos ad periculum, quod eis a carne semper intentatur, attentos reddere et admonere maluit, ne carni imperium amissum recuperare permitterent (cfr 6,12 sqq.).

Licet vero negativum admonitionis membrum (*ne secundum carnem vivant*) solum enuntiet, positivum tamen (ut secundum spiritum vivant) connotat, quandoquidem in ratione addita ad utrumque respicit : **13.** *si enim secundum carnem vixeritis* (ζῆτε melius : *vivitis* cum *S. Iren.* int. V. 10,2, *S. Cypr.* de zelo et liv. 14), *moriemini* (μέλλετε ἀποθανεῖν *Tert.* de resurr. carn. 46 : *futurum est, ut moriamini* ; *S. Iren.* int. et *S. Cypr.* ll. cc : incipietis mori) ; *si autem spiritu facta carnis* (τὰς πράξεις τοῦ σώματος cfr *VV. LL.*) *mortificaveritis* (θανατοῦτε melius : *mortificatis* cum *S. Iren.* et *S. Cypr.*), *vivetis*. Tanti quippe admonitionem hanc habuit, ut ad eam profundius inculcandam ea, quae de utriusque vitae eventu antea (*v.* 5 sqq.) fusius exposuerat, paucis repetenda duceret : carnis vita est nostra mors, carnis mors vita nostra. Verbo *moriemini* (vel uti Graecus significantius habet : ἐμέλλετε ἀποθνήσκειν : « ex decreto Dei certe futurum est, ut moriamini » cfr 4,24) « mortem immortalem illam » (τὸν θάνατον ἐκεῖνον τὸν ἀθάνατον), quam altera vita non est secutura, i. e. « gehennae cruciatum et supplicium » (*Chrys.*) significari, non minus clarum est, quam verbo *vivetis* illam spiritus corporisque vitam promitti, quae per S. Spiritum nobiscum communicata finem non est habitura (*vv.* 10. 11).

Porro in secundo membro quum dicat : *si spiritu facta carnis mortificatis*, simili modo, quo *Gal.* 5,16. 17, Apostolus insinuat, qua ratione vita, quae est secundum spiritum, sese manifestare debeat. Nomine enim *factorum carnis* (*Tert.* et *Ruf.* legunt : carnis *actus* ; *S. Iren.* int. et *S. Cypr.* : carnis *opera*) omnes illas machinationes intelligit, quibus caro contra spiritum concupiscens dominium amissum sibi recuperare conatur ; quae mortificantur seu enecantur, si spiritus noster eis non consentit sed contrariis potius actibus eas debellat ac fructus spiritus operibus carnis opponit[1]. Graeca lectio (αἱ πράξεις τοῦ σώματος facta *cor-*

1. Addere hic iuverit, quomodo *Orig.* (i. h. l.) ad *Gal.* 5,19 sqq. respiciens *facta* (*Ruf.* : actus) *carnis spiritu mortificari* doceat : « Mortificat autem aliquis actus carnis hoc modo : Fructus spiritus est caritas, odium est carnis actus ; odium ergo per caritatem mortificatur et exstinguitur. Gaudium similiter est fructus spiritus, tristitia vero huius saeculi, quae mortem operatur (2 *Cor.* 7,10), carnis est actus ; haec igitur exstinguitur, si est in vobis gaudium spiritus. Pax fructus est spiritus, dissensio et discordia carnis ; sed certum est discordiam mortificari per pacem. Sic et patientia spiritus impatientiam carnis exstinguit, et bonitas malitiam perimit, et mansuetudo ferociam, et continentia intemperantiam, et castitas impudicitiam necat, talique ordine qui per spiritum actus carnis mortificaverit.

poris), quam plures ac graviores testes critici tuentur (cfr *VV. LL.*), sensu a latina non differt; corpus quippe eiusque organa in hoc contextu velut instrumenta considerantur, quibus caro et concupiscentia ei inhabitans abutuntur (6,12. 13; 7,5). Quare recte graeci interpretes cum *Chrys.* adnotant, non omnes corporis actus sed pravos esse mortificandos, « qui ad malitiam inserviant, ad nequitiam tendant, neque nisi spiritu mortificari possint ».

Ad ultimum autem sententiae praecedentis verbum (ζήσεσθε *vivetis*) respiciens pergit: 14. *quicumque* (ὅσοι i. q. omnes qui, *quotquot*) *enim spiritu Dei aguntur* (ἄγονται), *ii* (οὗτοι *hi*) *sunt filii Dei* (vel melius : *filii sunt Dei* cfr *VV. LL.*). Nomine *Spiritus Dei* ipsum hic designari S. Spiritum, ex addito genet. *Dei* clare elucet; neque tamen recte cum *S. Aug.* (serm. 128 n. 9; 136 n. 10) aliqui inde concludunt, etiam in praecedente sententia eundem nomine *spiritu* designari (*Ag.* etc.); ibi enim corpori seu carni opponitur spiritus humanus, i. e. animus hominis gratia sanctificante ornati et a Spiritu S. inhabitante adiuti et ducti. Unde etiam elucet, verbum *aguntur* (ἄγονται) non ita posse urgeri, ut libera hominis voluntas et operatio negetur; aeque parum enim iustificati libero arbitrio privantur, si a Spiritu S. acti facta carnis mortificant, atque homo peccati regno subiectus libertate caret, si captivatus lege peccati carne legi peccati servit (7,23. 25). Egregie *S. Aug.* (serm. 156 n. 11) : « Dicit mihi aliquis : Ergo agimur, non agimus. Respondeo : Immo et agis et ageris, et tunc bene agis, si a bono agaris; Spiritus enim Dei, qui te agit, agenti adiutor est tibi (cfr *v.* 26); ipsum nomen adiutoris praescribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis... Nemo adiuvatur, si ab eo nihil agatur. Quotquot enim, inquit, Spiritu Dei aguntur, non litera sed Spiritu, non Lege praecipiente minante promittente, sed Spiritu exhortante illuminante adiuvante; si non esses operator, ille non esset cooperator ». Ita igitur a Spiritu Dei iustificatus agitur, ut liber eius motioni sese permittat ipseque liber illa agat, quae Spiritus ei suadet et ad quae agenda eum adiuvat.

Fortiorem tamen hanc dictionem Paulus elegisse videtur, non tam ut vim efficacitatemque gratiae divinae efferret, quam ut facilitatem obse-

vivet. Intuendum sane est, quod sicut mortem non istam communem sed illam peccati dicit, ita et vitam non hanc communem, sed illam dicit aeternam, ad quam perveniet omnis, qui secundum ea, quae exposuimus, perfectus spiritu mortificaverit actus carnis. Sed et illud scire debemus, quod ista mortificatio actuum carnis per patientiam fiat, et non ad subitum, sed paullatim. Primo languescere eos (scil. actus carnis) necesse est in his qui incipiunt; tum deinde quum ardentius proficere coeperint et abundantiore spiritu repleri, actus carnis non solum languescere sed et tabescere incipient; ubi vero ad perfectum iam venerint, ita ut nulla in eis prorsus vel in facto vel in dicto vel in cogitatu peccati oriantur indicia, tunc plane actus carnis mortificasse et ad integrum morti tradidisse credendi sunt ».

quentiamque significaret, qua homo Spiritui duci sese permittere ac relinquere debet, et fiduciam quasi caecam connotaret, qua filius a patre se regi et agi sinit. Ad haec enim procul dubio attendit, quum omnes, quotquot Spiritu Dei agantur, *filios* esse *Dei* asserens ipso verborum ordine, quem cum *Tisch.* praeferimus, singularem quandam vim nomini *filii* tribueret. Neque tamen negamus, illum ordinem verborum ideo quoque esse praeferendum, quia argumentatio in eo nititur, quod neophytis tamquam *filiis* Dei hereditas divina, i. e. vita aeterna, competat. Ceterum attende, etiam pronomini οὗτοι (*hi*) magnum pondus inesse (cfr ad 7,10) atque recte eos sentire, qui ei vim quandam excludentem attribuunt (cfr ad *Gal.* 3,7) : omnes illi sed etiam illi soli, qui a S. Spiritu sese agi sinunt, se filios esse Dei probant. Huc quoque adnotatio *Chrys.* aliorumque Graecorum spectat. Paulum non dixisse : quicumque *Spiritum Dei acceperint*, sed *Spiritu agantur*, ne quis baptismi dono confisus subsequens vitae institutum negligeret; baptizatos enim, qui spiritu non agantur neque spiritu facta carnis mortificent, collatam filiorum dignitatem adoptionisque praerogativam perdidisse; de iis solis ergo Paulum loqui, qui a Spiritu semper acti se eum etiam retinere ratione vivendi probent.

Ad probationem suam complendam Apostolus ostendere nunc debuit, filios Dei ius ad vitam aeternam habere semperque victuros esse; sed tam excelsa est filiorum Dei dignitas, ut eam, antequam argumentum inchoatum terminet (*v.* 17), neophytis competere extra dubitationem ponere voluerit. Ideo ex dono per Spiritum, quo aguntur, collato eos filios adoptivos Dei esse ostendit : 15. *non enim accepistis spiritum servitutis* (πνεῦμα δουλείας) *iterum in timore* (cum *S. Aug.* expos. n. 52; de spir. et lit. 32,56 etc. bonisque nonnullis codd. latinis lege : *in timorem* εἰς φόβον), *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater*. Quoniam in secundo (positivo) sententiae membro sita est argumentationis vis, ab illo explicando exordiamur. In locutione *Spiritus adoptionis filiorum* (πνεῦμα υἱοθεσίας simplicius : *spiritus adoptionis* « quia adoptio fere non est nisi filiorum » *Est.*) multi genetivo effectum significari volunt, ita ut S. Spiritus inhabitatione sua nos filios adoptivos Dei constituere dicatur. Verumtamen quomodo haec explicatio cum *Gal.* 4,6 (« *quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba, pater* ») concilietur, equidem non video. Namque iuxta haec Apostoli verba adoptio inhabitationem S. Spiritus (non tempore quidem, sed ratione) praecedere dicenda est, ab illa ergo non efficitur. In baptismo enim gratia sanctificante accepta Christo, Unigenito Patris Filio, inserti et incorporati constituimur uti membra Christi ita filii adoptivi Dei; Spiritum Filii

autem accipimus velut sigillum factae adoptionis (cfr *Comm.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 527 sqq.). Quapropter Spiritum adoptionis rectius, ni fallor, intelligimus illud S. Spiritus donum, quod filiis adoptivis proprium eis in adoptionis signum ac testimonium datur eorumque quasi nota distinctiva et insigne est, quo dignoscantur.

Id quippe Apostolus insinuat, quum nos *in* Spiritu adoptionis (*in quo*), i. e. dono illo S. Spiritus ornatos, *clamare Abba, pater* dicit. Ad quae verba *Chrys.* bene adnotat : « Sicut Spiritum prophetiae novimus, quando ille qui eum habet res futuras non ex propria sua mente sed a gratia motus anuntiat, ita et Spiritus adoptionis cognoscitur, quatenus is qui eum accepit a Spiritu motus Deum vocat patrem ». Unde dono, quod nobis infundit, filiali nimirum caritate et pietate, qua Deum appellare patrem nostrum iam audemus, Spiritus nobis inhabitans, a quo agimur, dignoscitur esse Spiritus adoptionis nosque ipsi cognoscimus nos esse Dei filios adoptivos. Quantam autem filialem caritatem fiduciamque Spiritus nobis afferat, B. Paulus verbo κράζομεν (*clamamus*) innuit[1], quod hic non ad vocis sonitum sed ad cordis intentionem referendum esse patet, « quae propter suam magnitudinem clamor dicitur, sicut et ad Moysen tacentem (*Exod.* 14,15) dicitur : quid clamas ad me? scilicet intentione cordis; sed ista magnitudo intentionis ex magno affectu filialis amoris procedit, quem Spiritus in nobis efficit » (*Thom.*). Neque minus appellatione *Abba, pater* ('Αββᾶ ὁ πατήρ) vehementiam filialis pietatis ac fiduciae indicari censemus. Licet enim eam in Ethnicochristianorum ecclesiis eo tempore, quo scripta est epistola, pervulgatam fuisse concedamus, ex eo tamen orta esse videtur, quod neophyti chaldaico nomini (אַבָּא) graecam interpretationem (ὁ πατήρ) addere consueverint, ut nominis repetitione filialem suum amorem clarius manifestarent (cfr ad *Gal.* 4,6). Demum per se clarum est, quod *Est.* adnotat, in hac appellatione « nomen *patris* non esse proprium primae personae in Deo sed toti SS. Trinitati commune ».

Quibus praemissis etiam prius membrum difficultatem non iam creat, dummodo animadvertatur, adverbium πάλιν (*iterum*), uti vocabulorum ordo satis docet, ad verbum ἐλάβετε (*accepistis*) non pertinere, sed cum solis verbis εἰς φόβον (*in timorem*) vel, uti alii cum *Mopsu.* minus recte volunt, cum tota expressione δουλεία εἰς φόβον esse connectendum. A vero igitur aberrarunt multi Patres et interpretes, qui priore illo membro asseri putabant, neophytos antea « spiritum servitutis in timorem » accepisse, acsi scriptum sit : « non accepistis iterum spiritum servitutis » etc. Paulus enim prius negative (quid non sit) ac deinde

1. Quod ad primam personam hic transeat, quam in sequentibus retinet, id aliam rationem habere non videtur, nisi vehementiam affectus, qua Apostolus quasi abripitur.

positive (quid sit) Spiritum, quo neophyti agantur, vel potius eius donum definit (cfr 2 *Tim.* 1,7) et ob rhetoricam tantum rationem, ut sententiae suae maiorem vim sollemnitatemque tribuat, verbum ἐλάβετε bis ponit (cfr *Hebr.* 12,18. 22 « non accessistis... sed accessistis » *Eph.* 2,19 « non estis... sed estis » etc.). Eundem autem sensum minus sollemniter hunc in modum enuntiare potuit : « Spiritus, quem accepistis, non est Spiritus servitutis iterum in timorem (i. e. non est donum quoddam, quod utpote servis proprium vos servos esse indicat, ita ut iterum, sicuti ante conversionem vestram, Deum serviliter timere debeatis), sed Spiritus adoptionis (i. e. S. Spiritus donum, quod utpote filiis adoptivis proprium vos factae adoptionis certos reddit filiosque vos esse testatur), ita ut tamquam genuini filii Deum appellare possitis et appelletis patrem vestrum ».

Hanc explicationem *Mopsu.* iam proposuit, qui adverbium πάλιν cum verbo ἐλάβετε non esse coniungendum praefatus recte 2 *Tim.* 1,7 (« non enim dedit nobis Deus spiritum timoris [δειλίας] sed virtutis » etc.) comparat nostramque sententiam non ita esse intelligendam monet, ac si πνεῦμα δειλίας (Spiritus quidam timoris vere servilis) exsistat, sed ut timorem vere servilem a Spiritu non posse conferri doceatur; eandem moderni quoque multi sequuntur (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp.* etc.). Id unum addendum videtur, quod Paulus, quum neophytos romanos alloquatur, ad *solam* Legis servitutem, sub qua Iudaei degebant, suo πάλιν (*iterum*) respexisse haud satis recte dicatur; non minus enim ethnicorum, quam Iudaeorum, status erat servitus atque proprius character ethnicae religionis erat timor deorum proprie servilis (δεισιδαιμονία i. q. ἡ δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον *Theophr.* char. 16; cfr *Act.* 17,22, ubi Paulus Athenienses vocat κατὰ πάντα δεισιδαιμονεστέρους).

Quia ad constructionem non satis accurate attendentes *spiritum servitutis in timorem* neophytis antea datum esse arbitrabantur, Patres antiquioresque interpretes in priore membro explicando haud levem invenerunt difficultatem. Iuxta *Chrys.* (cfr etiam *Dam. Theoph. Oec. Euth.*) nomine *spiritus servitutis* designatur ipsa Lex mosaica, quae *spiritus* vocetur, quia a Spiritu sit data, *servitutis in timorem* autem esse dicatur, quia poenis minisque suis homines ad recte agendum coegerit. Similiter *Theod.* « spiritum servitutis, inquit, non appellat S. Spiritum, sed Legis lationem (τὴν τοῦ νόμου θέσιν), quae per divinum Spiritum facta est »; qua cum interpretatione *A*[ter] et *Pel.* fere consentiunt. *S. Aug.* vero uno in loco ipsum diabolum designari putat (expos. n. 52 : « Restat ut *spiritum servitutis* illum intelligamus, cui serviunt peccatores; ut quemadmodum S. Spiritus a timore mortis vindicat, sic spiritus servitutis, qui potestatem habet mortis, eiusdem mortis terrore reos terreat, ut se ad liberatoris auxilium quisque convertat etiam ipso diabolo invito, qui eum semper in potestate habere desiderat »); sed sibi non constans alio in loco Spiritum S. intelligi vult (serm. 156 n. 14 :

« Dicit aliquis : Alius est spiritus servitutis, alius spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret Apostolus : *iterum;* idem ergo Spiritus, sed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione »). Quae altera sententia ab Orig. iam indicata in Glossas recepta ad iuniores transiit, qui eam diversis modis explanant et contra Graecos defendere conantur, quippe qui cum *Chrys.* teneant : « Spiritum non accepit Iudaeorum populus ». Sed iuniorum varias explicationes afferre supersedemus; sufficit adnotasse, Paulum evidenter de timore proprie servili in oppositione ad filialem fiduciam loqui, timorem autem (serviliter) servilem a S. Spiritu non procedere.

Ut argumenti vis clarius appareat, Apostolus explicationis gratia addit : **16.** *ipse* (*enim*) *spiritus* (αὐτὸ τὸ πνεῦμα) ***testimonium reddit spiritui nostro*** (συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν i. q. simul testatur cum spiritu nostro), *quod sumus filii* (τέκνα) *Dei*. Particula *enim*, quamvis genuina non sit (cfr *VV. LL.*), retineri tamen potest, quum nova sententia asyndete adiuncta non tam novum argumentum afferat quam allatum explicet. Ipsa locutione αὐτὸ τὸ πνεῦμα (quae a *Vulg.* recte vertitur : *ipse Spiritus*, male a quibusdam modernis : *idem* aut *ille* Spiritus), Apostolus a *spiritu adoptionis*, i. e. a dono per S. Spiritum collato, quo nos filios Dei esse cognoscimus, *S. Spiritum*, i. e. doni illius auctorem, distinguit, ut testimonium, quo nos filios esse constat, non a nobis tantum illo dono ornatis, sed etiam ab illo reddi significet. Quare etiam in verbo συμμαρτυρεῖ (*una testatur*) praepositio σύν nequaquam est negligenda (acsi συμμαρτυρεῖ sit i. q. μαρτυρεῖ), sed ad nostrum testimonium, quando in spiritu clamamus Abba pater, testimonium Spiritus S. in nobis clamantis Abba pater accedere illudque confirmare docet, quatenus ipse nimirum nos ad Deum patrem appellandum incitet et impellat (Gal. 4,6).

Quem in sensum *Chrys.* : « non enim a voce sola, inquit, confirmor, sed et a causa, a qua haec vox nascitur. Spiritu enim dictante haec dicimus, id quod alibi clarius docetur, ubi dicitur : *misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba, pater*. Quid sibi vult illud τὸ πνεῦμα τῷ πνεύματι συμμαρτυρεῖ? Paracletus cum dono nobis collato; neque enim doni tantum sed etiam Paracleti donum dantis testimonium est, siquidem ipse nos per gratiam ita loqui docuit. Quum autem Spiritus ipse testetur, quae tandem remanet incertitudo? Nam si homo aut angelus aut archangelus aut similis potestas tale quid testaretur, posset fortasse dubitari; quando autem suprema potestas, quae hoc donum largitur, nobis per precationem, quam fieri iubet, testimonium reddat, quis de nostra dignitate dubitaverit? » (cfr *Theod. Dam. Theoph. Oec. Euth.*). Eandem explicationem iuniores quoque Latini modernique plurimi praeferunt (cfr *Cai. Tol. Est. Lap.* etc., *Mai. Beel.*

M Ev. Bisp. etc.). Neque ab ea antiquiores illi multum recedunt, qui *Vulg.* lectionem cum *Thom.* ita interpretantur, ut Spiritus divinus spiritui nostro, quod simus filii, testimonium reddere asseratur « per effectum filialis amoris, quem in nobis facit », i. e. per ipsum nostrum clamorem. Aliena autem a contextu sunt, quae alii quidam antiquiores iunioresque afferunt, testimonium Spiritus S. interpretantes « vitam voce, qua clamamus Abba pater, dignam » (*A^ter*), aut imitationem virtutum Christi, ad quam S. Spiritus nos impellat (*Herv.*) etc. Porro certitudinem, quam testimonium S. Spiritus nobis de nostra adoptione exhibet, non esse nisi coniecturalem aut moralem, clarum est. Nam licet illud testimonium, utpote divinum, per se fallere nos non possit, nobis tamen de testimonii ipsius origine vere divina non nisi coniecturis magis minusve probabilibus constat. Ab antiquioribus igitur protestantibus (*Calv. Calov.* etc.) hoc dictum paulinum contra doctrinam catholicam a *Conc. trid.* (sess. 6. de iustific. cp. 9 et cc. 14. 15) propositam frustra urgetur (cfr *Salm.* in Rom. 8 diss. 15; *Bellarm.* Controv. de iustific. III. 9; *A. Vega* de iustific. IX. 8 etc.).

Iam ad argumentum suum (*v.* 14) probatione adoptionis interruptum revertens Paulus concludit : 17. *si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Iudaei adoptionem ignorabant; ex romana ergo lege, quae adoptivis idem, quod naturalibus, filiis ius ad paternam hereditatem attribuebat, simili modo, ac *Gal.* 4,7, argumentatur; rem tamen hic accuratius explanat, quum nos *heredes Dei* et *coheredes Christi* dicens summam hereditatis praestantiam et magnitudinem adumbret atque ultimis verbis conditionem indicet, quae implenda est, ut hereditas nobis contingat. Analogice quidem nomen hic *heredis* usurpatur, siquidem defunctorum tantum parentum bona filii hereditare dicuntur; « dicendum autem est, inquit *Thom.*, quod illud habet locum in bonis temporalibus, quae simul a multis possideri non possunt, et ideo necesse est unum decedere, ut alius succedat; sed bona spiritualia simul a multis haberi possunt et ideo non oportet patrem decedere, ut filii sint heredes ». Cui explicationi addendum videtur, hoc loquendi modo quasi connotari mortem, quam Christus Deus in assumta natura suscepit, ut nobis iam aditum ad promissiones Abrahae eiusque semini factas, i. e. ad aeternam hereditatem, aperiret illasque nobis ratas faceret (cfr *Hebr.* 9,15 sqq.).

Quanta vero sit hereditas nostra, ex eo luculenter apparet, quod dicamur *heredes Dei;* ipsa ergo bona patris qui nos adoptavit, i. e. vita et gloria, qua Deus ipse fruitur, eam constituunt. De hac gloriosa enim vita Apostolum praeprimis cogitasse, tota argumentatio manifestat,

quippe qua iustos victuros esse (*v.* 13) probetur, et ultima nostrae sententiae vox (*conglorificentur*) sententiaque sequens (*v.* 18) confirmant. Gloriosam autem hanc vitam Christus iam hereditavit, qui semel mortuus nunc in aeternum vivit Deo (6,8 sqq.), ita ut cum eo viventes eius coheredes simus. Nostra igitur hereditas ab illa, quam Christus passione ac morte sua sibi acquisivit, non erit diversa. At sicut ille exaltatus est, quia se humiliavit factus obediens usque ad mortem crucis (*Phil.* 2,6 sqq.), ita et nos Christi coheredes non erimus, nisi cum eo compassi simus. « Itaque nemo sibi, inquiunt Patres *Conc. trid.* (sess. 6 de iustif. cp. 11), in sola fide blandiri debet putans, fide sola se heredem esse constitutum hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur ». Quamvis in baptismo gratiam adoptionis et cum ea ius ad hereditatem aeternam accipiamus, hanc tamen gratiam et hoc ius retinere et conservare non poterimus, nisi imitatione vitae Christi, cui velut primogenito nostro fratri conformari debemus (*v.* 29). Ceterum attentione dignum illud quoque est, quod Paulus dicat nobis cum Christo compatiendum esse *eo fine ut* (ἵνα) *conglorificemur;* longissime igitur a vero *Calv.* aliique novatores aberrarunt, contra quos *Conc. trid.* (sess. 6. de iustif. c. 31) stabilire debuit : « Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit ».

3. — *Iustificatis certa est futura vita gloriosa* (8,18-30).

8,18. *Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* 19. *Nam exspectatio creaturae, revelationem filiorum Dei exspectat.* 20. *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe :* 21. *quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei.* 22. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* 23. *Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes : et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemtionem corporis nostri.* 24. *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quae videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat?* 25. *Si autem quod non videmus, speramus : per patientiam exspectamus.* 26. *Similiter au-*

8,18. Λογίζομαι γὰρ ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. 19. ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται. 20. τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, ἐπ᾽ ἐλπίδι, 21. ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. 22. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν· 23. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες καὶ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν. 24. τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν· ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς· ὃ γὰρ βλέπει τίς ἐλπίζει; 25. εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν ἐλπίζομεν, δι᾽ ὑπομονῆς

tem et spiritus adiuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus : quia secundum Deum postulat pro sanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. 29. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et iustificavit : quos autem iustificavit, illos et glorificavit.

ἀπεκδεχόμεθα. 26. Ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν. τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν, ἀλλ' αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει στεναγμοῖς ἀλαλήτοις· 27. ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας οἶδεν, τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ὅτι κατὰ Θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων. 28. οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ ὁ Θεὸς εἰς ἀγαθόν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν· 29. ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισεν συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς· 30. οὓς δὲ προώρισεν, τούτους καὶ ἐκάλεσεν· καὶ οὓς ἐκάλεσεν, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσεν, τούτους καὶ ἐδόξασεν [1].

Magna quidem est dignitas, ad quam iustificatos iam pervenisse B. Paulus hucusque docuit, magnaque utilitas, quam secum attulit : adoptivi enim filii Dei sunt atque ius habent ad hereditatem divinam

1. *VV. LL.* — 18. λογίζομαι γάρ (*existimo enim*) est communis ac certa lectio; erronee : λογίζομαι δέ (existimo *autem*) A P, paucissimi minusc., *Aeth.* — 20. οὐχ ἑκοῦσα (*non volens*) iterum communis ac certa lectio; pro qua eodem sensu οὐ θέλουσα duo graecolatini (F G); Latini plerique : *non volens*, sed *A*ter etc. : *non voluntaria; alii* (*S. Hilar.* de Trin. XII. 5, *S. Ambr.* Hexaem. I. 22, *S. Aug.* de octog. trib. quaest. 67,3 etc.) accuratius : *non sponte.* — 21. ὅτι (*quia*) B A C E K L P, omnes fere minusc.; sed διότι (propterea quod) ℵ D F G; cfr *Comm.* — 23. ἀλλὰ καὶ αὐτοί... καὶ αὐτοί (sed et ipsi... et ipsi) solus B; magna est in hac sententia lectionum varietas, quum reliqui codd. ac versiones omnes addant ἡμεῖς, sed illud aut priori αὐτοί anteponunt (D E F G, *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*) aut secundo (ℵ A C); eam praeferimus lectionem, quam versiones omnes tuentur; ceterum sensus aliis non mutatur. — 24. ὃ γὰρ βλέπει τίς ἐλπίζει; (quis enim sperat quod videt?) B cum uno minusc.; fere consentit ℵ : ὃ γὰρ βλέπει τίς καὶ ἐλπίζει; (quis enim *et* sperat quod videt?); alii graeci codd. : ὃ γὰρ βλέπει τις, τί (καὶ) ἐλπίζει; (quod enim videt aliquis, quid [et] sperat?); *W H* primam lectionem (recte, ut videtur) praeferunt. — 26. τῇ ἀσθενείᾳ συναντιλαμβάνεται (*infirmitatem adiuvat*) B ℵ A C D, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.;* minus apte *textus rec. :* ταῖς ἀσθενείαις συναντιλαμβάνεται (*infirmitates* adiuvat) K L P, plerique minusc. *Copt.* — ὑπερεντυγχάνει (intercedit; *Vulg. :* postulat) sine additam. B ℵ A D E F G, pauci minusc.; sed *textus rec. :* ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν (intercedit, vel *postulat pro nobis*) cum C K L P, plerisque minusc., et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.;* quam lectionem ob versionum et Patrum auctoritatem praeferimus. — 28. πάντα συνεργεῖ ὁ Θεός (relate ad omnia cooperatur Deus) B A; sed retinenda videtur communis reliquorum testium lectio : πάντα συνεργεῖ (*omnia cooperantur*). — τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν (qui secundum propositum vocati sunt) sine ullo addito est communis lectio *omnium* codd. graec. (ut videtur) omniumque versionum excepta *Vulg.*, quae in plerisque codd. habet : *qui secundum propositum vocati sunt sancti;* at antiqui Patres latini (*S. Aug. A*ter *Pel.* Sed. *Prim.*) et aliqui boni codd. *Vulg.* (*Fuld.* etc.) illud *sancti* non agnoscunt.

una cum Filio Dei Unigenito adeundam. Verumtamen iis solis hereditatem attributum iri ultimis verbis monuerat, qui cum Christo compassi essent. Qua conditione commemorata viam sibi paravit ad obiectivam gloriae iustificatis promissae certitudinem demonstrandam. Ne quis enim conditione illa absterritus cum Christo compati refugiat, mala huius mundi nihil esse, si cum aeterna hereditate comparentur, breviter praefatus (*v.* 18) quatuor argumenta affert, quibus futurae gloriae certitudinem ita adstruit, ut neophytos simul ad tribulationes cum Christo libenter perferendas indirecte exhortetur. Atque primum quidem ex irrationabilibus mundi rebus desumit, quas omnes velut de praesente statu, utpote violento et infelici, gementes dolentesque ac glorificationem filiorum Dei sollicite et constanter exspectantes describit, quippe a qua sua ipsarum liberatio dependeat (19-22). Alterum deinde ex fidelium desiderio derivat, qui primitias gloriae quodammodo iam adepti in eius complementum ferantur neque spe sua destitui possint (23-25). Tertio in loco ad S. Spiritus iustis inhabitantis, ut ita dicam, desiderium transit, qui iustos, ut gloriam illam a Deo petant, impellat suaque potentissima intercessione, quae non possit non exaudiri, eos adiuvet (26-27). Demum ad ipsius Dei desiderium pervenit, qui electorum suorum curam in omnibus habeat electosque, quos vocavit iustificavitque, certe etiam sit glorificaturus (28-30). In argumentorum igitur serie quasi gradationem quandam pulchram habemus, quum Paulus ab infimis creaturis ad Deum ab aeterno omnia praevidentem ac praedefinientem ascendens obiectivam gloriae nostrae futurae certitudinem omnium testimoniis confirmari doceat.

Itaque ne cui tribulationes huius mundi cum Christo tolerandae graves esse videantur, simili modo quo 2 *Cor.* 4,17, eas nullius prorsus momenti esse monet, si cum aeterna gloria comparantur : 18. *existimo enim* (λογίζομαι γάρ), *quod non sunt condignae* (ἄξια) *passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς i. q. πρὸς τὴν δόξαν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς : ad gloriam quae revelanda est in nos; cfr *Gal.* 3,23 εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι *Vulg.* : in eam fidem quae revelanda erat). Cum litote quadam se id, quod persuasissimum habet, dicit *existimare* (λογίζεσθαι i. q. collatis utrinque rationibus iudicare). Primam autem personam *singul.* adhibens suum ipsius duntaxat iudicium profert, velut homo qui utrumque expertus hac de re iudicare valeat (*Thom.*); plures enim, quam reliqui, tribulationes cum Christo perpessus erat (2 *Cor.* 11,23 sqq.), sed etiam aliquid saltem futurae beatitudinis praeceperat in tertium coelum et in paradisum

raptus (2 *Cor.* 12,2 sqq.); eius igitur iudicium hac de re neophytis parvi pendere non licebat. Iamvero comparatione tribulationum huius temporis ac futurae gloriae instituta iudicat οὐκ ἄξια εἶναι τὰ παθήματα πρὸς τὴν δόξαν. Qua in sententia adiectivum ἄξια primitivam suam significationem retinens illa designat, quae pondus habent, praepositio πρὸς vero normam indicat, ad quam res de qua agitur comparatur [1]. Sensus ergo est : tribulationes nullum habere pondus nihilique aestimandas esse, si cum gloria aeterna comparantur. Animadvertatur deinde oportet, Apostolum a consueta constructione recedentem participium (μέλλουσαν) substantivo suo (δόξαν) praemisisse et ab infinitivo suo (ἀποκαλυφθῆναι) removisse, ut ei maiorem vim attribueret. Sicuti enim supra (*v.* 13; 4,23) μέλλειν cum infin. hic quoque non est pro simplici futuro (*quae revelabitur*), sed rem ex decreto Dei *certe* futuram esse connotat (*quae revelanda est*, vel quae certissime revelabitur); argumentationem scilicet sequentem Apostolus praeparat. Recte demum cum *Chrys.* multi adnotant, Paulum, quum gloriam non simpliciter futuram sed *revelandam* dicat, obscurius indicare, illam iam adesse sed nondum esse manifestam; in Christo quippe glorificato iam adest et in secundo eius adventu in nos redundabit, ita ut non tam *in nobis* quam *in nos* (εἰς ἡμᾶς) sit revelanda.

Ad ultimum igitur illud membrum respiciens gloriam in nos certe revelatum iri demonstrare incipit primum argumentum ex hoc mundo aspectabili desumens : 19. *nam exspectatio* (ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία) *creaturae revelationem filiorum Dei exspectat.* Ad nexum quod attinet huius sententiae cum praecedente, inter modernos acath. unus alterve demonstrari putat, hoc in tempore tribulationes revera adesse (*God.* : « oui, ces souffrances existent, car tout soupire! »); at Apostolus, si hanc rem per se notissimam probare voluisset, ad suam neophytorumque experientiam procul dubio provocasset. Inde ab *Orig.* et *Chrys.* aetate multi ex eo, quod totus mundus revelationem filiorum Dei exspectet, *magnitudinem* gloriae probari arbitrati sunt (cfr *Theod. Theoph. Oec. Euth.*, *S. Ambr.* ad Horont. ep. 35,6, *Thom. Cai. Est.* etc., *M Ev. Ag.*). Quae sententia, etsi aliqua forte ratione primo huic argumento

1. Iuxta *Etymol. M.* 117,1 : ἄξιος· ἀπὸ τοῦ ἄγω ἄξω ἄξιος· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν σταθμῶν τὴν ἴσην ῥοπὴν ἐχόντων. Proprie igitur ἄξιον significat id quod in librae cuiusdam lance positum in hanc agit eamque deorsum trahit vel premit. In altera ergo lance omnes tribulationes, in altera gloriam aeternam imponi sumens Paulus hanc secundam tantum deprimi videt, ut tribulationes οὐκ ἀξίας, nullius omnino ponderis, esse concludat. Iuniores Latini suam linguam scholasticam Vulgatae interpreti attribuentes et ad graecum textum parum attendentes sibi hoc in loco inutiles crearunt difficultates, quas iure praetermittimus; quid latinum *condignus* hic significet, ex graeco ἄξιος clarum est. — De usu praepos. πρός c. acc. ad designandam rem, quacum altera comparatur cfr *Beelen* Gramm. p. 437; *Winer* Gramm. p. 378; *A. Buttm.* Gramm. p. 292.

respondeat, tribus reliquis adaptari nequit; quare *certitudinem* futurae hereditatis demonstrari cum plerisque iunioribus modernisque tenemus (cfr *Herv. Tol. Iust. Lap. Picon.* Nat. etc., *Reith. Mai. Beel. Bisp. L R. Weinh. Sch.*). Quoniam autem Apostolus sua argumentatione id quoque efficere vult, ut neophyti in gloriae certo adventurae spe leves huius temporis tribulationes patienter et constanter tolerent, non nude tantum in memoriam eis revocat, quae de deteriore statu, in quem peccatum mundum deiecit, et de futura eius restitutione in integrum a primis suis magistris iam didicerunt, sed pulchra prosopopoeia usus *creaturam*, i. e. mundum hunc aspectabilem seu res creatas huius mundi ratione expertes, in personam constituit, quae de praesente suo statu doleat atque gloriam filiorum Dei, a qua suam ipsius meliorem conditionem dependere scit, sollicite et ardenter expetat : si enim illa iam ita agit, « quid nos facere aequum est, quos proprie coelestia ac plane divina bona manent, quae Dei filiis iure debentur? » (*Iust.* cfr *Reith.* etc.).

Sed priusquam ulterius progrediamur, difficultas quaedam enodetur oportet, a qua totius huius loci explicatio pendet. Iuxta *S. Aug.* (de octog. trib. quaest. 67,1) « hoc capitulum obscurum est, quia non satis apparet, quam nunc Apostolus vocet *creaturam* » ; de hoc ergo nomine quid probabilius sentiatur, antea definiamus. Iamvero κτίσις, quod nomen *Vulg.* latino *creatura*, sed *Tert.* et *S. Irenaei interpres* plerumque *conditio* reddunt, aliquoties ipsum actum creandi (cfr ad 1,23), saepissime rem creatam (cfr 1,25) ita significat, ut ex contextu definiri debeat, utrum una ex rebus creatis (*v.* 39), an maior minorve illarum numerus (1,25; *Col.* 1,23 etc.), an earum universitas designetur (*Hebr.* 9,11; 2 *Petr.* 3,4 etc.). Quid autem hoc in loco Paulus nomine illo intelligi velit, inde a Patrum aetate in controversia est.

Latissimo sensu aliqui illud interpretantes omnia omnino creata (solis, ut videtur, daemonibus exceptis, angelorum bonorum autem ordinibus diserte inclusis) designata vident (cfr *Orig. Theod.* in *v.* 22, *S. Greg. Naz.* orat. 4,15, *S. Hilar.* de Trin. XII. 5, *S. Ambr.* ad Horont. ep. 34,7-10). Ex contrario *Pel.* et *Prim.* arctissimo sensu aut solos primos parentes aut solos iustos Vet. Test. intelligunt, uti *Mopsu.* quoque, qui de solis angelis bonis agi arbitratur. Arctiorem quoque sensum *S. Aug.* nomini hic attribuit, quum uno in loco (expos. n. 53) ad solum genus humanum vel potius ad hominem generatim, qui tamquam microcosmus *omnis creatura* vocari possit, et alibi (de octog. trib. quaest. 67,2) ad solos iustos ambitum eius coarctat; cui secundae sententiae *S. Gregor. M.* quoque (Moral. V. 32) subscribere videtur. At-

tamen iuxta communiorem Patrum, praesertim graecorum, expositionem omnes huius mundi aspectabilis res creatae, quae ratione expertes sunt, intelligantur oportet, ita ut homines non minus quam angeli excludantur et creatura hic proxime humano generi opponatur (cfr *S. Iren.* c. haer. V. 32; *Tert.* de cor. 6 et c. Hermog. 11; *Chrys. Cyr Alex. Dam. Oec. Theoph. Euth. A^ter*).

Media aetate secunda S. Augustini sententia, quae in *Glossas* erat recepta, omnino praevaluit (cfr *Haym. Abael. Herv. Lomb. Lyr. Dion. Cai.*), *S. Thomas* tamen integrum locum (19-22) triplici modo, iuxta utramque Augustini et iuxta communiorem Patrum sententiam, ita exponit, ut quamnam ex illis praeferat non indicet. Inde vero a medio saec. 16. vix non omnes interpretes ad eam explicationem reversi sunt, quae Patrum tempore vulgatior fuerat (cfr *Gagn. Tol. Est. Iust. Lap. Perer. Tirin. Men. Picon. Nat. Calm.*), atque similiter hodie omnes tenent, Paulum prosopopoeia uti atque *creaturae* nomine intelligere cunctas res creatas ratione carentes (cfr *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. L R. Dr. Weinh. Ag. Sch.*).

Ac profecto angeli, licet administratorii spiritus sint in ministerium missi eorum qui hereditatem capiunt salutis (*Hebr.* 1,14), a Paulo hic nomine creaturae non comprehenduntur, quia neque vanitati subiecti (*v.* 20) neque a servitute corruptionis liberandi (*v.* 21) recte dicerentur. Homines iusti autem excludantur oportet, quia tamquam filii Dei opponuntur creaturae (*vv.* 19. 21. 23), atque iniusti quoque excludendi sunt, quia neque futuram gloriam filiorum Dei cum desiderio exspectant (*v.* 19), neque ullo modo gloriae illius participes fiunt, id quod creaturae promittitur (*v.* 21). Si quis vero obiiceret, de iniustis ad fidem convertendis locum exponi posse, responderemus impios illos eo ipso, quod convertantur, fieri filios Dei neque proinde relate ad gloriam adipiscendam filiis Dei recte opponi. De creaturis ratione praeditis ergo Paulus non loquitur, nulla autem hoc in loco invenitur ratio, cur eum unam alteramve classem reliquarum creaturarum exclusisse asseramus. Cum sua quidem schola *Chrys.* solas res inanimatas intellexisse a nonnullis putatur, sed ni fallor erronee; nam inanimatas solas ideo tantum nominare videtur, ut maiore pudore afficiat Christianos, qui in futurae gloriae cura ab infima creaturarum classe se superari permittant[1]. Rectius iuniores quidam cuncta animalia una cum plantis

1. Cfr *Chrys.* in *v.* 22 : « Vide quomodo auditorem pudore afficiat; dicit enim quodam modo : Noli esse deterior quam creatura, neque te rebus praesentibus dedas. Neque enim tantum illis inhaerere non debes, sed tibi etiam ingemiscendum est, quod tardius ex illis emigrare possis; nam si hoc creatura facit, multo magis te, utpote ratione ornatum, id facere oportet » etc.

exclusisse dicuntur (cfr ex. gr. *Tolet.* : « primas universi partes sensibiles, coelum, terram, ceteraque elementa, lunam, solem, planetas ac stellas »); sed ad nominis ambitum coarctandum ea sola ratione adducti videntur, quod cum *S. Thom.* (Summ. theol. supplem. qu. 91 a. 5) iuxta physicas suae aetatis notiones in mundo renovato locum non esse plantis animalibusque quasi a priore statuerent. Nescio vero, num haec eorum opinio cum Scripturis Patribusque de *universi* mundi restauratione loquentibus satis consonet. Quoniam autem hoc ex loco haec quaestio definiri nequit, eam interim theologis discutiendam relinquentes nomine *creaturae* hic a Paulo omnes illas res creatas ratione expertes significari dicimus, quae iuxta Scripturae testimonium aliquando in integrum redigentur, ut « novos coelos novamque terram » constituant (2 *Petr.* 3,13 cfr *Is.* 65,17 sqq. etc.).

Quibus de sensu nominis *creaturae* praemissis ad argumentum ipsum explanandum accedimus, quod Apostolus poetice exornatum proposuit. Si scholastico modo argumentari voluisset, hoc ferme syllogismo uti potuisset : « Ex revelatione scimus (cfr ad *v.* 22), creaturam, quae ob hominis peccatum in deteriorem conditionem deiecta est, in integrum esse restituendam; atqui haec eius restitutio cum glorificatione filiorum Dei intime est connexa neque locum habebit, nisi quando filii Dei ipsi completam suam gloriam consequentur; ergo omnino certa est filiorum Dei futura glorificatio ». Verumtamen creaturas, uti iam diximus, nobis velut personas depingere maluit, quae ardente cum desiderio firmaque cum spe nostram glorificationem exspectent, ut ipsae quoque ad meliorem suam conditionem revertantur. Primo igitur iam vocabulo (ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως) quasi completam imaginem nobis proponit : creaturas nimirum exporrecto capite intentisque oculis gloriam beatorum a longinquo advenientem speculantes observantesque et eius adventum sollicite praestolantes. Haec quippe est potestas graeci vocabuli[1], quod a *Chrys.* ἡ σφόδρα προσδοκία (vehemens exspectatio),

1. Graecum καραδοκεῖν (ex τὸ κάρα, caput, et δοκεῖν observare) significat intense observare (s. rem futuram intense exspectare), quasi exporrecto capite et intentis oculis speculari (cfr *Sever. Antioch.* in *Caten. graec.* : καραδοκία γὰρ ἡ ἐπιτεταμένη τῶν ἐλπιζομένων ἐπιτήρησις εἴρηται· ὡς τὸν προσδοκοῦντα μονονουχὶ καὶ ἐπικλίνειν τὴν κεφαλὴν καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐντείνειν, ὡς παραυτίκα ἰδεῖν μέλλων τὸ προσδοκούμενον). In composito ἀποκαραδοκεῖν autem praepositio ἀπό non est praemissa, uti aliqui volunt, ad actionis cessationem indicandam (cfr *Mopsu.* : καραδοκεῖν λέγεται τὸ ἐλπίζειν [sperare], ἀποκαραδοκεῖν δὲ τὸ ἀπελπίζειν [desperare]; neque satis recte ad actionis perfectionem absolutionemque (uti in ἀπαρτίζειν. ἀπεκδέχεσθαι) indicandam praemissa dicitur, ut significet « constanter usque ad finem exspectare » (*Grimm.* etc.); sed potius rem exspectatam longe abesse indicat, ut sit i. q. a longinquo exspectare (cfr *Gennad.* in *Cat. graec.* : ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τουτέστιν ἡ ἄπωθεν αὐτῆς προσδοκία). Creatura igitur erecto capite oculisque versus regionem illam, ex qua salutem adventuram esse spe-

melius a *Cyr. Alex.* ἡ ἐλπὶς καὶ ἡ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως προσδοκία τε καὶ ἐπιτήρησις (spes et futuri rerum eventus praestolans observatio), minus accurate a *Vulg.* nudo *exspectatio* redditur. Quemadmodum autem subiectum (ἡ ἀποκαραδοκία) ardens desiderium connotat, quo creaturae *revelationem filiorum Dei* (τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ), i. e. tempus praestolantur, quo iusti completam suam gloriam adepti omnibus tamquam filii Dei manifesti fient, ita praedicatum ἀπεκδέχεται, cuius propria significatio est « *assidue et constanter* exspectare » (cfr *vv.* 23. 25; ad *Cor.* 1,7; *Gal.* 5,9) firmam spem connotat, qua creaturae longa renovationis sibi promissae retardatione non fatigatae tristem suam conditionem praesentem perferunt.

Cur vero tam constanter ac sollicite gloriam filiorum Dei expectant, Apostolus unica in sententia (*vv.* 20. 21) ita exponit, ut in priore eius parte (*v.* 20) infelicem statum earum praesentem adumbret, in altera (*v.* 21) feliciorem conditionem futuram declaret, quam sperant : 20. *vanitati enim* (τῇ γὰρ ματαιότητι) *creatura subiecta est* (ὑπετάγη), *non volens* (οὐχ ἑκοῦσα) *sed propter eum qui subiecit eam* (διὰ τὸν ὑποτάξαντα), *in spe* (ἐπ' ἐλπίδι i. q. *spe facta* seu proposita), 21. *quia* (vel hic melius : *quod* ὅτι) *et ipsa creatura liberabitur* etc. Ultimam *v.* 20 locutionem (ἐπ' ἐλπίδι *spe facta*) sua interpunctione *Vulg. Clem.* quidem ad participium immediate praecedens (ὑποτάξαντα *eum qui subiecit*) trahere videtur; cum Graecis tamen antiquioribus et modernis Latinis eam ad primariae sententiae verbum ὑπετάγη (*subiecta est*) rectius trahemus, uti ex infra dicendis patebit; quare eam commate posito ab immediate praecedentibus seiunximus.

Vanitatem B. Paulus hic velut reginam considerat, quae *creaturam*, i. e. totum hunc mundum aspectabilem, in sua potestate teneat; aoristo ὑπετάγη autem significat, creaturas ab initio ad regnum vanitatis non pertinuisse, in meliore igitur fuisse conditione, ex qua nunc deiectae quidem sint, sed in quam aliquando sint restituendae, quum spes futurae liberationis eis sit relicta (*v.* 21). Sed de quonam vanitatis

rat. directis revelationem filiorum Dei exspectare dicitur. Unde *God.* iure adnotat : « Quelle représentation plastique! Un artiste ferait une statue de l'Espérance sur ce terme grec ». — Ceterum animadvertatur oportet, Paulum duplici prosopopoeia hoc in loco uti; priorem in illo iam habemus, quod creaturas ratione expertes velut personas aliquid exspectantes considerat; quam si solam adhibere voluisset, dixisset : Ἀποκαραδοκοῦσα γὰρ ἡ κτίσις ἀπεκδέχεται κτλ (erecto capite praestolans creatura constanter exspectat etc.). Verum ipsam quoque creaturae intensam praestolationem in personam convertit, et hinc illud : ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεται (cfr 1 *Petr.* 3,20 : ἀπεξεδέχετο ἡ μακροθυμία τοῦ Θεοῦ). Haud recte cum *Thom.* aliqui iuniores ad graecum textum non attendentes latinum *exspectatio exspectat* ita explicant, ut geminatione eiusdem verbi (uti in locutione : *expectans expectavi*) intensionem designari dicant.

regno loquitur? *S. Aug.* (expos. n. 54), qui creaturae nomine ipsum hominem significari vult, *vanitati subiectum esse* idem esse censet, quod « temporalibus rebus deditum esse, quae transeant velut umbra » (similiter *Haym. Herv. Thom*[1.2]. *Lyr. Dion.* etc.); sed hanc interpretationem praetermittere licet, quia de homine non agitur. Cum nonnullis Patribus (cfr *Chrys. Theod. Oec. A*[ter] etc.) haud pauci iuniores ac moderni (cfr *Thom*[3]. *Est. Nat. Picon.* etc., *Reith. Mai. MEv. Beel. Bisp. Ag.* etc. — *Reuss, God. Lips.* etc.) vanitatem interpretantur ipsam rerum huius mundi mutabilitatem et corruptionem, a cuius servitute creaturam liberatum iri Paulus ipse statim doceat (*v.* 21) quamque propter Adami peccatum invectam esse arbitrantur, quando Deus terrae maledixit (*Gen.* 3,17 sqq.). Omnia quippe vix orta iam interire monent continuisque mutationibus esse subiecta : « quid est ergo, inquit *A*[ter], in quo vanitati subiecta est (creatura), nisi quod quae generat caduca sunt? Operatur enim, ut fructus faciat corruptibiles; corruptio ergo ipsa vanitas est. Omnia enim, quae nascuntur in mundo, infirma et caduca et corruptibilia ac per hoc vana sunt; vana enim sunt, quae statum suum tenere non possunt » etc. Verum haec quoque interpretatio, non obstante magna qua fulcitur auctoritate, nobis non probatur. Ante Adami enim peccatum creaturae etiam mutabilitati et corruptioni erant subiectae, quum hominum usui et servitio essent destinatae (*Gen.* 1,28 sqq.; 2,15 sqq. etc.). Continuae ergo rerum mutationes, quae sine corruptione quadam fieri non possunt, etiam adfuissent, si Adam non peccasset. Quam difficultatem ut effugeret, *Theod.* creaturas in sua origine iam mortalem et mutabilem naturam ideo sortitas esse opinatur, quia Deus Adami transgressionem mortisque sententiam in eum ferendam praevidisset; sed ut alia praetermittamus, quae singulari huic opinioni iure opponuntur, Apostolus suo aoristo (ὑπετάγη) clare indicat, creaturas inde a sua origine vanitati non subiacuisse.

Iuxta *Cyr. Alex.* ἡ ματαιότης (vanitas) hic idem est, quod οἱ μάταιοι (vani), hominesque designat, « qui in vanitate, i. e. in carnali affectu vivunt », atque creaturam *non volentem* eis subiectam dici censet, « quia creatura, si vel minimum intelligere posset, non pateretur tam turpem servitutem servire, neque iis subesse et famulari vellet, qui inutilem pravamque vitam degere decreverunt ». Quibus verbis, quamquam abstractum (ἡ ματαιότης) pro concreto (οἱ μάταιοι) adhiberi haud recte asseritur, genuina tamen interpretatio innuitur, quam inter Latinos *Tertull.* (de coron. 6) clarius iam indigitavit. Nam « Dei aemulus, inquit, universam conditionem [i. e. omne quod conditum est, i. q. omnem creaturam] certis usibus homini mancipatam cum ipso homine corrupit; unde eam et Apostolus invitam ait vanitati succi-

disse [i. e. succubuisse seu subiectam esse], vanis primum usibus, tum turpibus et iniustis et impiis subversam ». Ad quorum mentem recte, ni fallor, *vanitatem* interpretabimur vana illa et inania, quin etiam perversa ac prava hominis lapsi studia, quibus creaturae post Adami lapsum inservire coguntur[1]. Fine quippe suo proprio, propter quem a Deo conditae sunt, quasi orbatae nunc vanitati sunt subiectae, quatenus homo lapsus « in vanitate sensus sui ambulans ac tenebris obscuratum habens intellectum » (*Eph.* 4,17) in earum usu ad finem eis a Deo praefixum non amplius attendens pro suo arbitrio novos perversosque fines eis statuit. Neque enim eis utitur, ut earum ope in cognitione et laude et servitio veri Dei promoveatur (ad quem finem ei sunt datae), sed eis abutitur, ut aut eas ipsas pro diis habeat eisque cultum soli Deo debitum exhibens veritatem Dei in mendacium commutet, aut concupiscentiae suae obediens per eas aut vanam vel turpem oblectationem voluptatemque aut inanem vel impiam laudem gloriamque etc. sibi quaerat. Tantum ergo nunc abest, ut eas ad Deum glorificandum adhibeat, ut per eas Deum continuo offendat. Simili igitur modo, quo *Eph.* 4,17, hic quoque nomen vanitatis perversitatem connotat, licet eam non solam significet et parum recte ab uno alterove acath. (*Fritzsche* etc.) ad Adami peccatum directe referatur. Quamobrem nihil quoque obstare arbitramur, quominus vanitatis nomine hic simul intelligatur dominium, quod diabolo, principi huius saeculi ac rectori tenebrarum harum, in creaturas exercere permittitur et quo ille utitur ad homines seducendos et a divino servitio avertendos. Clarius enim, si haec explicatio priori additur, apparet, quam tristis et quam turpis sit conditio et servitus, in quam creatura post Adami peccatum delapsa est et ex qua liberari vult.

Porro creatura οὐχ ἑκοῦσα (*non volens*, vel iuxta *Tert.* l. c. *invita* et iuxta *Aug.* etc. *non sponte*) huic vanitati subiecta aptissime dicitur. Cuiuscumque enim entis naturae repugnat, ut fine suo proprio privetur et ad contrarium finem obtinendum inservire cogatur. Adiicit autem Apostolus hanc appositionem, ut explicet, cur creatura tam sollicite glorificationem filiorum Dei expetat, quippe qua sese ex praesente suo statu violento non minus quam infelici liberatum iri confidat. Ob eandem quoque rationem sequens membrum adiecit : *sed propter eum qui subiecit eam* (διὰ τὸν ὑποτάξαντα), i. e. quia ita est Dei eam subiicientis beneplacitum. Dissentiunt quidem interpretes, quisnam locutione διὰ

1. Similiter *Tolet.*, postquam priorem illam mutabilitatis corruptionisque interpretationem impugnavit ac reiecit, vanitatem hic appellari dicit « haec opera servilia et has corruptiones, quibus creaturae occupantur propter hominem ». Quam interpretationem *Lap.* aliique transumserunt.

τὸν ὑποτάξαντα designetur. *Tert.* (l. c.) « aemulum Dei » seu diabolum intelligere videtur; sed *propter* diabolum creatura vanitati subiecta dici nequit. Cum *Chrys.* iuniores modernique multi Adamum vel hominem in genere intelligunt, quia propter hominis peccatum status ille creaturae sit exortus; verum iuxta hanc explicationem non intelligitur, quid sibi velit illud *in spe* (ἐπ' ἐλπίδι). Namque quum *ille qui subiecit* creaturam (ὁ ὑποτάξας) evidenter sit idem atque ille a quo creatura *subiecta est* (ὑπετάγη), locutione ἐπ' ἐλπίδι, sive cum participio sive cum verbo finito connecteretur, hominem illam spem creaturis proposuisse vel fecisse significaretur; eiusmodi autem spes ab homine facta profecto nullius esset valoris. Itaque cum plerisque teneatur oportet, Deum, supremum omnium rerum moderatorem, creaturam vanitati subiecisse, simul autem ei spem futurae liberationis fecisse, atque creaturam sua ex parte *non volentem* quidem seu *non spontaneam*, sed propter Deum id volentem sese vanitati subiecisse et nunc subiectam esse. Ἑκών quippe agit, qui non iussus sed motu proprio agit, οὐχ ἑκών autem vel ἄκων, qui non spontaneus sed praecepto coactus rem imperatam exsequitur (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 254 sq.).

Quaenam vero spes sit creaturae divinitus facta, sequentia verba declarant : spe facta, **21**. *quia* (vel potius : *quod*) *et ipsa creatura* (καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις) *liberabitur a servitute corruptionis* (ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς) *in libertatem gloriae filiorum Dei.* Non tam spei factae obiectum (spe proposita, fore ut et ipsa liberetur), quam eius motivum (spe proposita, *quoniam* liberabitur) his verbis enuntiari, haud pauci moderni arbitrantur, quibus nonnullorum codicum lectio (διότι i. q. *nam* cfr *VV. LL.*) favet. Satis ieiuna tamen esset praecedens locutio ἐπ' ἐλπίδι, nisi simul indicaretur, quid creatura sperare iam possit. Quare cum *Chrys.* et *A*[tro] maior interpretum numerus particulam ὅτι (*quia* s. *quod*) hic declarativam esse speique argumentum introducere recte tenet; ceterum argumentatio Pauli eadem fere manet, si sensus causalis particulae ὅτι attribuitur aut lectio διότι praefertur.

Prima porro verba καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται (*et ipsa creatura liberabitur*), quum alium sensum non admittant, nisi creaturam aeque ac filios Dei et una cum eis liberatum iri, clarissime creaturam ab hominibus glorificandis secernit. Nomine creaturae ergo neque homines in genere neque iustos designari aut comprehendi omnino teneatur oportet [1]. Bene *Chrys.* : « Quid est hoc : *et ipsa* liberabitur? Non tu solus,

1. *S. August.* (de octog. trib. quaest. 67,4) suam interpretationem ita tueri conatur : « *Quia et ipsa creatura,* i. e. ipse homo, quum iam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura [haec verba S. Doctor in suis Rectract. I. 26 aliquantulum mitigavit] : *et ipsa* igitur *creatura,* i. e. et ipsa quae nondum vocatur filiorum forma

sed etiam quod te inferius est et quod neque intellectum neque sensum habet, hoc quoque tecum bonorum particeps fiet ». Minus vero nobis probatur, quod iterum *Chrys.* et cum eo plurimi *corruptionem*, a cuius servitute creatura liberetur, physicam rerum dissolutionem mutabilitatemque interpretantur. Simili potius modo, quo 2 *Petr.* 1,4 et 2,12. 19, nomine φθορᾶς totam depravationem moralem et physicam per peccatum in mundum invectam designari censemus[1]. Neque enim ulla est ratio, cur in hac sententia *corruptio* plane idem, quod *vanitas* in praecedente, significare dicatur. Nam fortiori φθορᾶς locutioni latiorem sensum attribuamus oportet, ut vanitatem quidem, prout eam descripsimus, complectatur, praeprimis tamen turpitudinem ignominiamque praedicet, quae creaturae inflicta est, quatenus post hominis peccatum a Deo maledicta nunc quodam modo dominio diaboli subiacet atque simul proprio suo fine quasi orbata ab hominibus vix non semper ad Deum creatorem suum offendendum et inhonorandum adhibetur et hac ratione contra finem ei divinitus praefixum homini damnum potius quam utilitatem affert. Ab huius igitur corruptionis servitute mundus hic aspectabilis propter homines conditus liberabitur, quum futurum sit, ut iuxta S. Petri verba in integrum omnia restituantur (οἱ χρόνοι ἀποκαταστάσεως πάντων *Act.* 3,21) eandemque omnino perfectionem recuperent, quam ab initio habuerunt, quando Deus sexto creationis die, postquam universa quae creavit protoparentibus subiecit, cuncta *valde bona* esse declaravit (*Gen.* 1,31); in eo autem statu rebus creatis non omnem mutabilitatem aut corruptionem defuisse, antea iam monuimus.

perfecta sed tantum vocatur creatura, *liberabitur a servitute interitus*. Quod itaque ait : *et ipsa liberabitur*, facit intelligi : *et ipsa*, quemadmodum et nos; i. e. et de ipsis non est desperandum, qui nondum vocantur filii Dei, quia nondum crediderunt, sed tantum creatura [vocantur]; quia et ipsi credituri sunt et liberabuntur a servitute interitus, quemadmodum nos qui iam filii Dei sumus ». At, quoniam Pauli sententia est universalis (*et ipsa creatura liberabitur*), nonne iuxta S. Aug. explicationem dicendum esset, omnes omnino homines, quum fideles tum illos qui fideles nondum sunt, a corruptionis servitute liberatum iri? — Qui cum altera Augustini sententia nomine *creaturae* iustos solos designari censent, hac ratione verba nostra interpretantur : « Non solum nos Apostoli, sed et alii iusti [sc. creatura] liberabuntur »; sed nullibi in toto contextu Apostoli iustis opponuntur neque apparet, quid hoc in loco haec oppositio sibi velit.

1. Novies tantum φθορά in Novo Testamento legitur, diversis autem significationibus; etenim semel de physica animalium morte usurpatur (2 *Petr.* 2,12 a); bis vel ter de corruptione vel putrefactione physica (1 *Cor.* 15,42. 50 et forte *Col.* 2,22); semel vel bis de aeterno interitu animae (*Gal.* 6,8 et forte *Col.* 2.22, saltem hoc in loco iuxta *S. Aug.*); ter tandem de corruptione morali simul et physica (2 *Petr.* 1,4; 2,12 b; 2,19). Solo igitur contextu definiri potest, quisnam interitus vel quaenam corruptio significetur; atqui nostro in loco nihil adest, quo nomen de *sola* putrefactione aut corruptione physica interpretari cogamur; immo ne id quidem video, quo cum iure de physica putrefactione aut de mutabilitate creaturae hic intelligendum esse dicatur.

Ad sequentem deinde locutionem εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ (*in libertatem gloriae filiorum Dei*) quod attinet, haud satis recte *Chrys.* eam additam esse putat ad causam futurae liberationis creaturae indicandam, acsi εἰς τὴν ἐλευθερίαν esset idem quod διὰ τὴν ἐλευθερίαν (*propter* libertatem); neque rectius *Theod.* eam de tempore futurae liberationis interpretatur. Cum *Oecum.* enim et *Herv.* brachylogiam quandam (structuram scilicet, quam grammatici praegnantem vocant) admittere malumus, quum ex verbo ἐλευθερωθήσεται (*liberabitur*) aliud verbum facile suppleatur, a quo praepositio εἰς dependeat : ἐλευθερωθήσεται καὶ ἐλεύσει (*Oec.*), « *a servitute corruptionis liberabitur* et transferetur *in libertatem gloriae filiorum Dei* » (cfr *Herv.*). Iamvero id animadverte, quod creatura non in gloriam, sed *in libertatem gloriae filiorum Dei* translatum iri dicatur, i. e. illam in libertatem, quam gloria filiorum Dei secum creaturae afferet. Tunc enim creatura vanitati non amplius subiecta solis iustis iuxta finem sibi primitus praefixum ad Deum glorificandum inserviet, et a servitute corruptionis liberata in pristina sua perfectione infinitam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem aliaque attributa clarius manifestabit. In hanc autem libertatem gloriae filiorum Dei homo ipse quoque transferatur oportet; nam secundum corpus etiam ipse ad creaturam, de qua agitur, pertinet et vanitati corruptionique subiectus est, quum corpore suo eiusque membris in statu naturae lapsae contra finem a Deo statutum uti soleat. In istam vero libertatem homo transferetur, quando corruptibile hoc induet incorruptionem et mortale hoc induet immortalitatem (1 *Cor.* 15,53). Ad minorem igitur hanc et ut ita dicamus negativam gloriae corporis nostri partem Apostolus respexit, quum *et ipsam* creaturam aeque ac filios Dei in libertatem gloriae filiorum Dei translatum iri doceret. Quae autem futura sit positiva perfectio creaturae aeque parum Paulus docet ac S. Petrus, qui nos novos coelos et novam terram, in quibus iustitia habitet, secundum divina promissa exspectare dicit (2 *Petr.* 3,13). Neque enim ex eo, quod iustorum corpora, quae Christi membra et templa S. Spiritus sunt (1 *Cor.* 6,15. 19), in spiritualia transformabuntur dotibusque supernaturalibus exornabuntur (1 *Cor.* 15,32 sqq.), concludere licet, eandem vel parem fore perfectionem *creaturae*. Sed de hac quaestione fusius disserere ad hunc locum non pertinet, quia Apostolus de positiva creaturae perfectione hic non agit.

Primum hoc argumentum confirmat ad communem Christianorum persuasionem de futura omnium rerum restitutione appellans : 22. *scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit* (συστενάζει *S. Ambr.* de fide I. 14,87 et *Ruf.* accuratius : *congemiscit*) *et parturit* (συνωδίνει *S. Ambr.* l. c. : *comparturit*) *usque adhuc*. Apostolum suo οἴδαμεν (*sci-*

mus) omnes homines comprehendere, quia omnes, dummodo ratione sua utantur, creaturam quasi dolere et ad meliorem statum anhelare videant aut videre possint (cfr 2,2), aliqui moderni (cfr *Mai. Bisp. Sch.* etc. — *God.* etc.) haud recte asserunt; nam conditionem, in qua creatura nunc, i. e. ab Adami peccato *usque adhuc* versatur, violentam esse neque primitus a Deo stabilitam, sola revelatione didicimus. Neque tamen ideo cum *Thom.* dicere licet : « scimus *nos Apostoli* per S. Spiritum instructi », siquidem de solis Apostolis neque in hoc contextu neque uspiam in tota hac epistola agitur, neque ulla tantae limitationis adest ratio. Namque doctrinam de omnium rerum restitutione in integrum, quam Iudaeis ex vetere revelatione notam esse S. Petrus in secunda sua oratione supponit (*Act.* 3,21), inter prima quoque capita fuisse, quae neophytis (probabiliter una cum doctrina de gloriosa resurrectione *Hebr.* 6,2) proponebantur, luculenter ex 2 *Petr.* 3,12 apparet, quo in loco non velut nova docetur sed velut omnibus nota affertur, ut exhortationi maior vis addatur (cfr etiam 1 *Ioan.* 2,15-17; 5,19, ubi tristis conditio praesens rerum creatarum nota supponitur). Simili igitur modo Paulus, ne argumentum allatum uberius explanare rationibusque fulcire debeat, neophytos ad ea reiicit, quae de maledictione a Deo in creaturam pronuntiata et de futura eius liberatione a magistris suis in catechesi iam audierant : « Nemo enim nostrum, qui Christiani sumus, ignorat » etc. (cfr 7,14).

Quo ex nexu huius sententiae cum praecedentibus etiam elucet, locutionem πᾶσα ἡ κτίσις (*omnis creatura*) latius non patere, quam in praecedentibus singularem definitum ἡ κτίσις, quem universaliter esse sumendum omnes consentiunt. Sine sufficiente ergo ratione *Theod.* nostra in sententia angelos comprehendi arbitratus est, quos in prioribus recte excluserat. Clarum quoque est, iterum per prosopopoeiam creaturam dici *congemiscere* et *comparturire;* minus vero clarum est, quo praepositio σύν in verbis συστενάζειν et συνωδίνειν respiciat. Aliqui moderni, uti forte etiam latinus noster interpres qui eam neglexit, praepositionem ad augendam tantum vim verborum simplicium praemissam esse parum recte statuerunt. Minus recte quoque cum nonnullis Graecis (cfr *Orig. Oec. Euth.*) alii eam ad filios Dei pertinere voluerunt (creatura cum filiis Dei congemiscit), quia haec explicatio, quamvis per se apta videatur, sequentibus verbis (*non solum autem, sed et nos*) hic excluditur. Communiori igitur interpretationi acquiescamus oportet, « compositis illis verbis significari communem gemitum et dolorem partium creaturae » (*Est.*) : inter se congemiscunt vel simul gemunt omnia entia, quae collectivo nomine *creaturae* designantur. Quemadmodum autem verbis συστενάζειν et συνωδίνειν proxime ac directe dolor

creaturae de infelici suo statu praesente declaratur, ita indirecte utroque quidem, maxime autem secundo, exspectatio laetioris conditionis futurae connotari videtur; parturienti similis nunc quidem dolores creatura patitur, partu autem edito gaudebit (*Ioan.* 16,21).

Minus in primo argumento, in quo dumtaxat per prosopopoeiam de desiderio creaturae sermo est, quam in secundo, ad quod Apostolus nunc gradatione quadam ascendit, ante oculos id habeamus oportet, quod *Thom.* iure merito ad 2 *Cor.* 5,2 adnotavit : « Si desiderium naturae non est frustra, multo minus desiderium gratiae frustra est ». Plane simili enim modo, quo illo in loco, pro certo sumens, Deum illud desiderium, quod per gratiam suam nobis indidit, etiam esse impleturum, Paulus id unum neophytis in memoriam revocat, nos quoque completam gloriam adhuc anxie desiderare (*v.* 23), quia eam spe tantum teneamus, quae semper circa nondum habita versatur (24. 25).

Itaque « post mundanam creaturam, inquit *A*[ter], adiecit etiam *nos* hoc exspectare et ingemiscere ad Deum, ut hinc liberemur cuncti destinati ad vitam » : 23. *non solum autem* (*illa*), *sed et nos ipsi primitias spiritus* (τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος) *habentes*, *et ipsi intra nos* (καὶ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς) *gemimus adoptionem filiorum exspectantes* (ἀπεκδεχόμενοι), *redemtionem* (τὴν ἀπολύτρωσιν) *corporis nostri*. Satis magna hic est lectionem varietas (cfr *VV. LL.*), sed quia ex omnibus idem sensus legitime eruitur, in iis diiudicandis haud immorati eam sequimur, quam cum *Vulg.* nostra graecolatini codd. ac pleraeque versiones tuentur et quae reliquis clarior est. Pronomen enim definitum ἡμεῖς αὐτοί solo isto καὶ αὐτοί resumens aperte indicat, de una eademque hominum classe in hac sententia agi. Elliptica formula οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καί (cfr ad 5,3. 11) ex praecedentibus sua sponte completur : *non solum autem* creatura ingemiscit, *sed et nos ipsi* gemimus. Duo igitur subiecta inter se opponuntur, ita ut iterum appareat, quam erronee *S. Aug.* nomine creaturae iustos significari putaverit[1]. Recte enim S. Doctor ipse (cfr expos. n. 53; de octog. trib. quaest. 67,6; de pecc. mer. et rem. II. 8,10) non minus quam reliqui Patres (cfr *Chrys. Cyr. A. Theod. Mopsu. Genn. Theoph.* etc., *A*[ter] *Pel. Prim.* etc.) iunioresque ac moderni

1. Satis miro modo *S. Aug.* (de octog. trib. quaest. 67,6) oppositionem quandam extundere conatur : « non solum autem, inquit, omnis creatura congemiscit et dolet, sed et nos ipsi : i. e. non solum *in homine corpus et anima et spiritus simul* dolent ex difficultatibus corporis, sed et nos ipsi, *exceptis corporibus*, in nobis ipsis congemiscimus ». Melior utique est oppositio, si nomine creaturae genus humanum nondum regeneratum intelligitur, quam explicationem in exposit. 53 affert : « Non solum ipsa, quae tantummodo creatura dicitur in hominibus qui nondum crediderunt,... sed etiam nosmet ipsi qui credimus et spiritus primitias habemus ». At haec explicatio aliis, quas supra attulimus, argumentis excluditur et a S. Doctore ipso postea est relicta.

plurimi (cfr *Tol. Est. Lap. Nat.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Dr. LR. Sch.* etc.) pronomine *nos ipsi* iustos omnes significari tenent, qui postquam iam Spiritum S. velut arrham futurae hereditatis acceperint, gemebundi hereditatem ipsam exspectent.

Sunt quidem, qui cum *Orig.* et *S. Ambr.* (ad Horont. ep. 35,9-12) pronomine illo solos Apostolos designari putent (cfr *Haym. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Salm. Iust. Picon. Ag.*); quin etiam inter acath. aliqui lectionem textus graeci recepti (ἀλλὰ καὶ αὐτοί.. καὶ ἡμεῖς αὐτοί...) praeferentes de duabus hominum classibus, sc. de duodecim Domini discipulis, qui primitias Spiritus habuerint (καὶ αὐτοί) et de omnibus Christianis, quibus Paulus se ipsum accenseat (καί ἡμεῖς αὐτοί) interpretari voluerunt. Verum altera haec explicatio atque aliae similes, quae duas classes distinguunt (Christianos et Paulum, vel neophytos et Christianos iam antea conversos etc.), non tantum lectionem minus probatam sequuntur, sed etiam contra grammaticam peccant, quia ad distinctionem illam exprimendam necessario scribi debebat: καὶ αὐτοὶ οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, articulus autem ille (οἱ) in nullo codice legitur. Ad priorem dein *Orig.* et *S. Ambr.* interpretationem quod attinet, praeprimis contextus prohibet, ne Paulum, qui in praecedentibus et in sequentibus personam omnium regeneratorum in se suscipit, hac in sententia in persona solorum Apostolorum loqui dicamus, praesertim quia iuxta eius doctrinam omnes regenerati non minus quam Apostoli glorificationem sui corporis sollicite exspectant (2 *Cor.* 5,1 sqq.). Praeterea tantum abest, ut verba ipsa hanc explicationem postulent, ut eam aegerrime admittant. De solis scilicet Apostolis hic agi dicunt, quia nomine *primitiarum* id significetur, quod in genere suo sit praestantissimum, Apostoli soli autem prius et abundantius reliquis fidelibus Spiritum S. acceperint, soli ergo *primitias Spiritus habere* dici debeant. Verum nomen ἀπαρχή (*primitiae*), quamvis ab Alexandrinis semel (aut non saepe certe) de re in suo genere praestantissima usurpetur (cfr *Num.* 18,12 i. q. חֵלֶב), nusquam in Novo Test. hoc sensu legitur. Sicut enim proprie primas fruges significat, quae ex agro desumuntur, ut earum oblatione messis integra Deo consecretur (cfr ad 1 *Cor.* 15,20), ita translate designat quidquid tempore et ordine prius est, ita ut ab aliis eiusdem generis rebus tempore posterioribus distinguatur[1] (11;16: 16,5; 1 *Cor.* 15,20-23; 16,15; 2 *Thess.* 2,13; *Iac.* 1,18; *Apoc.* 14,4; saepius non legitur). De dono igitur, quod Apostolis ita proprium fuit, ut eum aliis communicari non potuerit aut communicatum non sit, nomen hoc in loco interpretari non licet; idque eo minus, quia Paulus ipse inter illos non fuit,

1. Bene *Est.*: « Ad rationem *primitiarum* non pertinet, quod sint praestantiores; qualescunque enim essent, eo nomine erant optabiles et offerendae Deo secundum Legem, quod *primi* fructus erant, quemadmodum etiam *primogenita* hominum et pecorum non quia meliora, sed quia prima erant, iubebantur offerri. Comparantur ergo primitiae seu primordia spiritus hoc loco ad integrum et plenum proventum, i. e. ad eam spiritus abundantiam, quam accepturi sumus in futuro saeculo ».

qui primi S. Spiritum acceperunt, una autem cum duodecim Apostolis alii quoque discipuli Domini in die pentecostes S. Spiritu repleti sunt (*Act.* 2,1 sqq. cfr 1,15). Quare immerito *Thom.* ex nostra sententia concludere vult, « Apostolos omnibus aliis Sanctis, quacumque praerogativa praefulgeant sive virginitatis sive doctrinae sive martyrii, esse praeferendos tamquam abundantius Spiritum S. habentes » (cfr etiam *eius* Summ. theol. II .1. qu. 106. a. 4 in Θ); num alia argumenta, quae in commentario affert, id evincant, non inquirimus, quia haec quaestio ad hunc locum omnino non pertinet.

Cum *Chrys.* multi iuniores ac moderni in locutione ἡ ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος (*primitiae spiritus*) genetivum τοῦ πνεύματος (*spiritus*) partitivum esse censent, ita ut ea donorum spiritualium pars, quae hac in vita regeneratis contingat, ab altera longe abundantiore, quae altera in vita illis sit reposita, sicut primitiae a completa messe, distinguatur. « Si primitiae, inquit *Chrys.*, tantae sunt, ut per illas a peccatis liberemur ac iustitiam consequamur, cogita, quanta futura sit tota messis » (cfr *Dam. Oec. Theoph.* etc., *Tol. Est. Nat.* etc., *Beel. Bisp. MEv.* etc.). Alii tamen cum *S. Cyr. Alex.* (Thesaur. de SS. Trin. assert. 34. *M.* 75,601) et *Theod.* genetivum quasi appositionem nominis regentis considerare malunt (« habentes primitias i. e. Spiritum », vel : « habentes Spiritum tamquam primitias » cfr ad 4,11), ita ut nomine Spiritus non tam eius dona quam ipsa eius persona designetur, quae regeneratis hac in vita tamquam sigillum divinae adoptionis iam factae datur (cfr ad *v.* 15) ac simul arrha est futurae hereditatis (*Eph.* 1,14 cfr ad 2 *Cor.* 1,22). « Per *primitias*, inquit *Theod.*, significatur nos in futura vita multiplicatam Spiritus gratiam accepturos esse; si enim Spiritus, qui nunc datur, primitiae et arrha appelletur, clarum est illud donum futurum esse multo maius[1] » (cfr *Euth.* etc., *Reith. Mai. Sch.* etc.). Ambae explicationes aptae sunt neque quidquam refert, utra adoptetur, quum inter se parum differant. Item parvi referre arbitramur, utrum participium ἔχοντες (*habentes*) constructione concessiva an causali resolvatur; totius enim sententiae sensus haud multum mutatur, sive iuxta priorem maior vis verbo finito (*gemimus*) attribuitur (quamquam iam primitias spiritus habemus, tamen adhuc gemimus in exspectatione doni promissi), sive

1. Quemadmodum *arrha* (ἀῤῥαβών) prima pars pretii est eum in finem soluta, ut integri pretii postea solvendi fidem faciat, ita *primitiae* sunt frugum pars, in qua reliquae simul Deo consecrantur; unde satis intelligitur, cur multi *Eph.* 1,14 et etiam (licet minus recte) 2 *Cor.* 1,22 velut sententias ad nostram parallelas considerant. — *S. Cyr. Alex.* l. c. nostram sententiam adhibet ad S. Spiritus divinitatem demonstrandam : « Si nobis, utpote futuro in saeculo perfectissimam divinitatis participationem consecuturis, nunc primitiarum loco Spiritus S. datur, necessario consequitur, ut divinae naturae esse dicatur id quod primitiarum rationem habet ».

iuxta alteram participio (*exspectantes* ἀπεκδεχόμενοι) praecipua vis tribuitur, quum assiduae constantisque exspectationis nostrae (cfr ad *v.* 19) ratio afferatur (quia iam primitias spiritus possidemus, gemimus exspectantes completum donum). Toto tamen contextu considerato cum iunioribus plerisque secundam explicationem praeferimus, quia Apostolus in eo est, ut certitudinem futurae hereditatis demonstret, ideoque non tam ad dolorem ipsum nos attentos reddere vult, quem de nondum accepto dono sentimus, quam ad doloris huius naturam, quippe qui non ex dubitatione quadam exoriatur, quasi adeptio hereditatis nobis sit incerta, sed ex magno desiderio, quo eam quam citissime recipere cupimus.

Porro *adoptionem filiorum Dei,* quam hic adhuc exspectare dicimur, non eodem sensu sumi patet, ac supra (*v.* 15), ubi nos eam iam habere insinuatur; ibi enim de inchoata, hic de completa adoptione agitur. « Inchoata autem est, inquit *Thom.,* huiusmodi adoptio per Spiritum S. iustificantem animam, atque consummabitur per ipsius corporis glorificationem ». Quare Apostolus ad errorem omnem praecavendum, quo sensu nomen hic sumendum sit, appositione *redemtionem corporis nostri* (τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν) declarat. Nos totos Christus pretio sanguinis sui soluto redemit in cruce; iamvero quod ad animum spectat, redemtionis effectum iam in hac vita recipimus a peccatis soluti et vita gratiae donati; corpus autem nostrum, quod per peccatum mortis dominio subiectum est, a servitute corruptionis ac mortis liberabitur eodem tempore cum creatura, quae revelationem filiorum Dei exspectat : in fine nimirum saeculorum, quando corruptibile hoc induet incorruptionem et mortale hoc immortalitatem (1 *Cor.* 15,51 sqq.). Optime *Tol. :* « Attende in hoc saeculo esse adoptionem filiorum quantum ad substantiam, quia filii Dei sumus, iustificati per fidem Christi; attamen adoptionis effectum nondum participamus perfecte, sed primitias quasdam et has non in corpore, sed in anima. Anima enim vivit vita gratiae, corpus autem adhuc morti obnoxium est; in resurrectione autem erit effectus adoptionis perfectus et completus tum quantum ad animam, quae perficietur gratia consummata et gloria, tum quantum ad corpus, quod glorificabitur accipietque simul et primitias et fructus integros ».

Revera completam adoptionem a nobis adhuc exspectari, Apostolus ex eo confirmat, quod spe tantum (nondum re) salutem consecuti simus, spes autem de rebus futuris sit : 24. *spe enim* (τῇ γὰρ ἐλπίδι) *salvi facti sumus; spes autem quae videtur* (ἐλπὶς δὲ βλεπομένη) *non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* (vel iuxta meliorem lectionem graecam cfr *VV. LL.* : ὃ γὰρ βλέπει τίς ἐλπίζει; *quod enim videt, quis sperat?* vel

sine inversione : *quis enim sperat id quod videt?*). Tota confirmationis vis primo vocabulo τῇ ἐλπίδι innititur, qui dativus a *Chrys.* etc. pro instrumentali (i. q. *per spem*) haud recte sumitur, neque etiam est dativus commodi (i. q. *ut speremus*), uti moderni aliqui volunt (*Sch.* — *Weiss*), sed modum indicat (i. q. *secundum spem* cfr 6,20). De salute enim consummata Apostolus loquitur, sicut in praecedente sententia de completa adoptione. Initium quippe salutis hac in terra re iam possidemus, quia iustificati Spiritum tamquam arrham hereditatis accepimus; consummabitur autem salus nostra, quando omnia quae nobis promissa sunt obtinebimus. Hoc igitur sensu spe tantum (nondum re) salvi facti sumus et ideo adhuc gemimus completam nostram adoptionem exspectantes. Iure merito adnotat *Est.*, hanc rationem ad solos Apostolos non pertinere, ergo etiam in praecedente sententia de solis Apostolis non esse sermonem; sibi autem *Thom.* non constat, si *v.* 23. de solis Apostolis ac nostra verba de « Apostolis et ceteris fidelibus » interpretatur.

Cuius confirmationis vis ut clarius appareat, Paulus spem non nisi de rebus futuris esse addit, quae re nondum possidentur. Acute enim scribit, idem quidem nomen ἐλπίδος retinens sed illud per metonymiam pro re sperata (uti saepe cfr *Col.* 1,5; *Tit.* 2,13 etc.) sumens : *spes quae videtur*, i. e. res sperata quae praesens adest ac tenetur, *non est spes* seu res sperata : *quis enim sperat, quod videt.* Quamprimum enim aliquis re desiderata iam fruitur, eam sperare non amplius potest. Confirmationem demum terminat generali sententia : 25. *si autem quod non videmus speramus* (id quod in nobis accidit, qui completam salutem nondum adepti eius consummationem in futura corporis glorificatione speramus), *per patientiam exspectamus*, i. e. consequens est, ut redemtionem corporis assidue et constanter exspectemus. Quoniam verbum ἀπεκδέχεσθαι, quo Apostolus utitur, per se iam patientem constantemque exspectationem significat (cfr ad *v.* 19; 1 *Cor.* 1,7), locutio δι' ὑπομονῆς (*per patientiam* cfr ad 2,7; 5,3) pleonastica videri potest; procul autem dubio inserta est, ut neophyti simul ad tribulationes huius temporis, quibus consummatam salutem merere debent (*v.* 17), fortiter tolerandas incitentur.

Quemadmodum a creaturis ratione expertibus ad iustos, ita a iustis ad S. Spiritum, cuius primitias iusti iam acceperant, Paulus nunc transit, ut illius quoque testimonio certitudinem hereditatis eis promissae demonstret : 26. *similiter* (ὡσαύτως) *autem et spiritus adiuvat* (συναντιλαμβάνεται) *infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus* (τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν), *sed ipse spiritus postulat pro nobis* (ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν) *gemitibus inenarrabilibus.*

Quo adverbium *similiter* (ὡσαύτως) sit referendum, dissentiunt quidem interpretes; ad paulinae enim argumentationis structuram haud satis attendentes alii, ut nexum inveniant, usque ad *v.* 11 recurrunt (« similiter ac corpora nostra vivificabit, Spiritus S. nos adiuvat » cfr *Thom. Tol.* etc.), alii ad *v.* 16 (« sicut Spiritus nobis contestificatur nos esse filios Dei, ita nos adiuvat » cfr *Est. Bisp.* etc.), alii ad omnia beneficia Spiritus S. in superioribus recensita adverbium referre volunt (cfr *Lap.* etc.), alii ad sola ultimae sententiae verba *per patientiam* (« sicut nostrum est patientia uti, ita vicissim Spiritus nos adiuvat » *Mai. Beel.* etc.). Sed germanum nexum *Orig.* iam indicavit monens Apostolum gemitibus, quibus creatura iustique glorificationem filiorum Dei expetunt, ipsius Spiritus nobis inhabitantis ac nostro loco interpellantis gemitus inenarrabiles addere. Obiicientibus autem, adverbium *similiter* ad prius verbum *adiuvat*, non ad secundum *postulat gemitibus* pertinere (cfr *Tol. Est.* etc.), respondemus, ipsum illud auxilium, quod Spiritus nobis praestat, gemitibus eius inenarrabilibus constare; nam secundo verbo (*postulat gemitibus* prius (*adiuvat*) explicatur ac definitur, ita ut ab illo separari non possit. Gemitus S. Spiritus sunt nostris similes, quatenus et ipsi certitudinem hereditatis nostrae testantur; in eo tamen a nostris differunt, quod non tantum certius ac sublimius testimonium, sed simul auxilium nobis sint potentissimum, id quod ex dicendis apparebit.

Nomine *Spiritus* hoc in loco non tam donum Spiritus, uti aliqui Graeci volunt (cfr *Cyr A. Theod.* etc.), aut animum nostrum dono Spiritus elevatum, uti *Chrys.* vult, aut spiritum quendam angelicum, uti *Lyr.* cum paucis coniecit, quam ipsam Spiritus personam designari, cum plurimis Patribus (cfr *Orig.*, *S. Greg. Naz.* orat. 31,12; *Novat.* de Trin. 29. M. 3,944, *S. Hilar.* in Ps. 64 n. 3, *S. Ambr.* ad Horont. ep. 36,2 sqq., *S. Aug.* ad Prob. ep. 130 n. 28, ad Sixt. ep. 194 n. 16 sq., c. serm. Arian. 25 etc., *A*[ter], *S. Greg. M.* Moral. II. 35,58, *Prim.* etc.) iuniores ac moderni fere omnes recte tenent. Significanter autem Spiritus *adiuvare* (συναντιλαμβάνεσθαι i. e. una nobiscum [σύν] et nostro loco [ἀντί] rem in se suscipere, med. λαμβάνεσθαι) *infirmitatem nostram* dicitur, ut nobis ipsis quoque, quamvis infirmis, aliquid agendum esse manifestetur; nam « nemo adiuvatur, qui ipse nihil agit » (*S. Aug.* serm. 146,11). Pro singulari (τῇ ἀσθενείᾳ *infirmitatem*), quem meliores testes tuentur (cfr *VV. LL.*), graecus textus receptus, nonnullis iunioribus interpretibus approbantibus (cfr *Tol. Est.* etc.), pluralem (ταῖς ἀσθενείαις infirmitates) exhibet; at parum apte, quia non tam de omnimoda nostra miseria, quam de sola imbecillitate nostra in precando (cfr F G: τῇ ἀσθενείᾳ τῆς δεήσεως ἡμῶν, S. *Ambr.* l. c. *A*[ter] etc. :

infirmitatem orationis nostrae) sublevanda hic agi, ratio addita docet: *nam quid oremus sicut oportet nescimus.*

Quam sententiolam multi ita interpretantur, ut duo ignorare dicamur, rem scilicet quam petamus (τί προσευξώμεθα) et modum quo petere debeamus (καθὸ δεῖ); melius tamen cum *Chrys.* verba καθὸ δεῖ cum pronomine τί arcte connectimus: « Quid convenienter (i. e. secundum divinum beneplacitum, seu *secundum Deum v.* 27) oremus ignoramus »; de sola quippe re, quae petenda sit, Apostolum hic loqui ex sequente sententia elucet. Ceterum Patres antiquioresque interpretes optime iam adnotarunt, nos in genere quidem quid petendum sit ex Domini ipsius doctrina habere (*Matth.* 6,9 sqq. 33 etc.), in specie autem saepissime ignorare, quid hic et nunc velut nobis necessarium aut utile rogare debeamus. Iure merito enim *Chrys.*: « Ne putetis illa, quae vobis utilia videntur, vere talia esse; ad id enim discernendum divina ope indigemus; usque adeo homo infirmus est et ex se nihil ». Quin etiam in sanctissimis hominibus id obtinere exemplis constat Pauli ipsius remotionem stimuli carnis sibi ad humilitatem conservandam dati, Moysis ingressum in Palaestinam, Ieremiae liberationem populi etc. frustra a Deo petentium[1].

Quum autem tanta nostra sit imbecillitas in precatione, ut ne id quidem, quod secundum divinum beneplacitum petere debeamus, cum certitudine cognoscamus, *ipse Spiritus* nostram infirmitatem adiuvans *postulat* (ὑπερεντυγχάνει) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (ἀλαλήτοις). Utrum verba *pro nobis* (ὑπὲρ ἡμῶν), quae a melioribus codd. graecis omitti, ob versionum autem auctoritatem inserenda videri diximus (cfr *VV. LL.*), revera sint genuina necne, ad sensum parum vel nihil refert; siquidem mente saltem ea supplenda esse, graecum ver-

1. Cfr *Thom.*: « Dicendum, quod in generali quidem possumus scire quid convenienter oremus, sed in speciali hoc non possumus scire. Primo quidem, quia si desideramus aliquod opus virtutis facere (quod est implere voluntatem Dei sicut in coelo et in terra) potest contingere, quod illud opus virtutis non est huic vel illi congruum; sicut alicui, qui utiliter potest in actione proficere, non expedit contemplationis quies et e converso. Secundo aliquis desiderat aliquod temporale bonum ad sustentationem vitae (quod est petere panem quotidianum), quod tamen sibi vertitur in periculum mortis; multi enim propter divitias perierunt. Tertio aliquis desiderat liberari ab aliqua molestia tentationis, quae tamen ei est ad custodiam humilitatis; sicut Paulus petiit amoveri a se stimulum, qui tamen ei erat datus, ne eum magnitudo revelationum extolleret ». — Fuse eadem de re *S. Aug.* agit (ad Prob. ep. 130 n. 25 sqq.) atque praesertim « in tribulationibus, quae possunt et prodesse et obesse », contingere docet, « ut nesciamus quid nobis orandum sit ». Exemplis deinde allatis, ubi « nonnullis impatientibus Deus quod petebant concessit iratus », concludit: « haec scripta sunt, ne forte se quis magnipendat, si fuerit exauditus, quum aliquid impatienter petit, quod non impetrare plus prosit; aut se abiiciat et de divina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur, quum forte aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius aut a prosperitate corruptus penitus evertatur ».

bum ὑπερεντυγχάνειν (i. e. *pro aliquo* [ὑπέρ] aliquem supplicandi causa convenire [ἐντυγχάνειν *vv.* 27. 34; *Hebr.* 7,25 etc.] seu pro aliquo apud aliquem intercedere) satis clare indicat. Ne Macedonianis divinitatem S. Spiritus impugnantibus favere viderentur, aliqui Graeci (cfr *Chrys. Cyr. Alex.* etc.) verba haec de ipso Spiritu S. interpretari veriti nomine *ipse Spiritus* aut nostrum spiritum supernaturali dono elevatum aut donum quoddam spirituale (donum orationis) designari asserebant. Verum contextus, uti supra iam monuimus, omnino postulat, ut de ipsa S. Spiritus persona verba nostra intelligamus, neque quidquam profecto eis inest, quod Macedonianis aliisve pneumatomachis faveat. Etenim *postulat pro nobis* S. Spiritus a Deo, quando nos impellit et inspirat, ut ipsi Deum precemur atque simul preces nostras ad eum dirigit finem, qui est secundum Dei voluntatem.

Ita saepe *S. Aug.*; fusius suam sententiam exponit ad Sixt. ep. 194 n. 16 : « Quid est autem *interpellat*, nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est *interpellare gemitibus*; nullius autem rei esse indigentem fas est credere S. Spiritum. Sed ita dictum est *interpellat*, quia interpellare nos facit nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio : *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* 10, 20); neque enim et hoc ita fit de nobis, tamquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit. Nam non esse intelligendum spiritum nostrum, de quo dictum est *interpellat gemitibus ineffabilibus*, sed Spiritum S., a quo nostra infirmitas adiuvatur, satis ipse demonstrat Apostolus; inde enim coepit : *Spiritus*, inquit, *adiuvat infirmitatem nostram*, deinde ita subiunxit : *quid enim oremus sicut oportet nescimus* et cetera [unde patet conclusio eundem esse Spiritum, qui nos adiuvat et qui interpellat pro nobis]. De hoc quippe Spiritu apertius alibi dicit : non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, *in quo clamamus Abba Pater* (v. 16); ecce hic non dicit, quod ipse Spiritus clamat orando, sed *in quo clamamus Abba Pater*. Alio tamen loco ait : quoniam filii Dei estis, misit Deus *Spiritum Filii sui* in corda nostra *clamantem Abba Pater* (*Gal.* 4,6); non hic ait : *in quo clamamus*, sed ipsum *Spiritum clamantem* dicere maluit, a quo efficitur ut clamemus : sicut sunt illa : *ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus*, et *Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis* ».

Ab hac explicatione communiore (cfr *S. Greg. M.* l. c., *Herv. Thom. Cai. Est. Iust.* etc.) verbis potius quam re discedunt *Orig.*, qui Spiritum S. comparat magistro puerum docenti nomenque literae prius dicenti, ut respondendo discipulus discat (« ipse velut magister orationem praemittit, quam noster spiritus, si tamen discipulus Spiritus S. esse desiderat, prosequatur; ipse offert gemitus, quibus noster spiritus doceatur ingemiscere, ut repropitiet sibi Deum »), et *S. Ambr.* l. c., qui eadem comparatione utitur. Neque re dissentit *Tol.*, quamvis suam sententiam velut novam communiori opponat : « S. Spiritus dicitur postulare et gemere non in sua persona sed in nobis ipsis, qui tamquam animata et rationalia instrumenta ipsius sumus; quod autem per instrumentum fit, ipsi moventi causae primae tribuitur. Ideo dicitur Spiritus S. loqui in nobis et postulare in nobis, non solum quia nos loqui et postulare

facit, sed quia ipse per nos tamquam per instrumenta separata operatur ». Attendatur enim oportet, nos esse instrumenta libera, ut etiam a Spiritu in nos agente dissentire possimus; unde verbis tantum *Tol.* a communiore sententia discedit.

S. Spiritus igitur, qui nobis inhabitat, noster quasi interpres est ad Deum; nobis enim quid convenienter a Deo petere debeamus ignorantibus succurrens nostro loco et pro nobis precatur. Ardenti quippe desiderio gloriae aeternae nobis promissae eorumque, quae ad illam obtinendam necessaria et utilia sunt, nos accendit et nos impellit, ut hoc desiderium nobis immissum Deo proponamus. Quoniam vero non clare cognoscimus, quo desiderium illud tendat neque quaenam complectatur, verbis illud exprimere Deoque proponere non possumus. Ideo Spiritus pro nobis postulare dicitur *gemitibus inenarrabilibus* (στεναγμοῖς ἀλαλήτοις), quorum scilicet argumentum non tantum verbis a nobis non enarratur sed etiam utpote intellectui nostro impervium verbis enarrari a nobis non potest[1]. Ad quam locutionem obscuriorem elucidandam cum *Orig. Chrys.* etc. multi ea apte conferunt, quae Apostolus de glossolalia tradit. Sicut enim glossolalus, quando linguis sibi ignotis orare a S. Spiritu impellebatur neque dono interpretationis instructus erat, sibi ipsi mysteria quidem loquebatur, quia suorum ipsius verborum sensum non percipiebat, sese tamen vere aedificabat, utpote pio affectu, qui locutionem comitabatur, ad Deum elevatus, et vere quoque orabat, quum spiritus eius (i. e. voluntas a S. Spiritu mota et recta) intimius cum Deo coniungeretur et uniretur (cfr ad 1 *Cor.* 14,2. 4. 14), ita hic quoque de extraordinario quodam orandi modo agi videtur, quo affectus seu voluntas a S. Spiritu quasi abripitur et ad desideria sibi immissa Deo proponenda impellitur, licet intellectus ad ea intelligenda nondum pertigerit[2].

1. Cfr *Caiet.*: « Gemitus appellantur ineffabiles [inenarrabiles], quorum termini, ad quos tendunt, sunt nobis incogniti; propterea siquidem ineffabiles dicuntur et sunt, quia nobis eorum materia ad quam tendunt ignota est; quae enim nobis sunt ignota, sunt etiam nobis ineffabilia. Experimur autem in nobis tales gemitus, quum ardenti desiderio orantes petimus dirigi seu duci ad aeternam salutem et similia, nescientes quid nobis de occurrentibus magis expediat. Talibus siquidem gemitibus nobis ineffabilibus, quia nescimus particulares terminos, particularia remedia seu adminicula, ad quae impetranda tendunt, Spiritus S. postulat pro nobis, quoniam Spiritus S. in nobis habitans dirigit eos ad utilia nobis impetranda ». Arctius *Thom*[1]. eos ineffabiles dici putat, quia sint propter rem inenarrabilem, sc. coelestem gloriam; neque satis clare *Thom*[2]. addit, eos ita appellari, quia sufficienter enarrari nequeant secundum quod a S. Spiritu procedant.

2. *Cassian.* Collat. 9,31 affert dictum S. Antonii abb. : « Non est perfecta oratio, in qua se monachus vel hoc ipsum quod orat intelligit ». De hoc orationis genere cfr *Alph. Rodriguez* Exercitium christianae perfectionis. I. diss. 5. c. 4. — Ceterum attendas velim, S. Paulum glossolaliae nudae, qua spiritus quidem orat, mens autem sine fructu est, praeferre glossolaliam cum interpretatione coniunctam, ut homo et spiritu et mente oret psallatque (cfr *Comment.* in 1 Cor. p. 426 sqq.).

Porro ut appareat, quo cum iure gemitus S. Spiritus certitudinem glorificationis nostrae testari dicantur, eos non exaudiri non posse Apostolus addit, quia a Deo et intelligantur et approbentur : **27.** *qui autem scrutatur corda* (ὁ δὲ ἐραυνῶν τὰς καρδίας cfr *Apoc.* 2,23; *Ps.* 7,10; *Ier.* 11,20; 17,10 etc.) *scit quid desideret spiritus* (οἶδεν τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος quodnam sit studium vel desiderium Spiritus, cfr ad *vv.* 5. 6), *quia* (ὅτι quod) *secundum Deum postulat* (ἐντυγχάνει *S. Aug.* etc. : interpellat) *pro sanctis.* Quoniam Deus *corda,* non Spiritum, *scrutari* (i. e. perfectissime cognoscere, cfr ad 1 *Cor.* 2,10) hic dicitur, *Chrys.* concludit, in ultimo praecedentis sententiae membro nomine *Spiritus* non Paracletum, sed « cor spirituale » seu spiritum nostrum esse designatum. At parum recte; de gemitibus enim agi diximus, qui Spiritui S. quidem tamquam primae causae attribuantur, a nobis autem per S. Spiritum elevatis et impulsis in cordibus nostris edantur. Quamvis autem gemitus illi nobis sint inenarrabiles, quia eorum argumentum non clare perspicimus, Deus tamen pro omniscientia sua, qua omnia etiam occultissima perfecte intuetur, videt ac scit, quo desiderium a Spiritu in nobis excitatum tendat et quaenam complectatur. Neque vero illud intelligit tantum, sed etiam illud approbat; id enim altero docetur membro, quod ipsum quoque a verbo οἶδεν (*scit*) dependens Deum etiam scire addit, S. Spiritum *secundum Deum postulare pro sanctis.* Qua in sententiola vis praecipua, id quod verborum ordo docet, illi *secundum Deum* inest, quo superior locutio *sicut oportet* (καθὸ δεῖ) resumitur accuratiusque definitur. Etenim preces nostrae, quas a gratia ordinaria adiuti verbis exprimimus, a Deo haud semper approbantur et exaudiuntur, quia propter imbecillitatem nostram, quid convenienter (*sicut oportet*) a Deo petamus, saepe ignoramus, ita ut aut inutilia aut etiam nociva rogemus; quae vero S. Spiritus pro nobis postulat, ea semper *secundum Deum*, i. e. secundum divinum beneplacitum (cfr 2 *Cor.* 7,9. 11), esse evidens est. Quamobrem gemitus a Spiritu S. in nobis excitati a Deo non approbari aut non exaudiri non possunt. De eiusmodi enim precibus ex speciali instinctu Spiritus S. editis omnino valet Domini verbum : petite et accipietis etc. (*Matth.* 7,7. 8), nam « quodcumque petierimus secundum voluntatem Filii Dei, audit nos » (1 *Ioan.* 5,14 sq.).

Ab hac explicatione, quam multi tradunt (cfr *Tol. Est. Iust.* etc., *Beith. Mai. Bisp.* etc.), alii cum antiquioribus quibusdam recedentes verbum οἶδεν hic sensu praegnante de cognitione benevola et approbante (i. q. *scit et approbat*) usurpari volunt particulaeque ὅτι non expositivam sed causalem significationem attribuunt : « Deus scit et *approbat* desiderium Spiritus,

quia Spiritus secundum divinum beneplacitum pro sanctis postulat » (cfr *Herv. Thom.* etc., *Cai. Lap. Nat. Pic. Beel. M Ev.* etc.). Quae altera interpretatio sensum quidem gignit aptum neque longe a nostro dissentientem, sed constructioni minus congruit. Neque enim Apostolus scripsit : οἶδεν τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος (*scit* et approbat *desiderium* Spiritus), sed : οἶδεν τί τὸ φρόνημα τ. πν. (*scit quodnam sit desiderium* Spiritus, seu *quid desideret*). Si autem verbum εἰδέναι hic iuxta constructionem non nisi nudam scientiam denotat, particula ὅτι causalem significationem recipere nequit; omnia enim Deus cognoscit, sive sunt sive non sunt secundum eius beneplacitum, atque ratio *cur* cognoscat, quod sit desiderium Spiritus, in subiecto (*qui scrutatur corda*) iam est expressa. A vero igitur aberrant aliqui moderni (*Sch.* — *God. Weiss.* etc.), qui verbum οἶδεν de nuda scientia recte interpretantes causalem particulae ὅτι sensum retinent; ea potius praeferenda est explicatio, iuxta quam secundo membro (*scit, quod secundum Deum postulat*) prius (*scit quid desideret Spiritus*) exponitur.

Mirum nonnemini videbitur, quod Apostolus non dixerit : quia secundum Deum postulat *pro nobis* (cfr *v.* 26), sed dicere maluerit : *pro sanctis;* sed generaliorem hanc expressionem elegit, haud dubie ut argumentum proxime sequens praepararet. Ad divinum enim decretum nunc transit, quo omnibus qui Deum diligunt, i. e. omnibus *sanctis,* gloria ab aeterna est destinata; hoc autem decretum, uti certissima futurae nostrae glorificationis est ratio, ita etiam ad omnes omnino sanctos eodem plane modo pertinet. Atqui gloriae nostrae certitudinem eo potissimum fine tot argumentis confirmavit, ut fideles ad tribulationes huius temporis constanter et fortiter tolerandas efficacius exhortaretur, quum ii soli cum Christo gloriam sint consecuturi, qui cum eo compassi fuerint (*vv.* 17. 18 25). Hinc ergo est, cur etiam in principio huius argumenti moneat, ipsas illas passiones ad aeternam salutem obtinendam iuvare : 28. *scimus autem* (οἴδαμεν δέ, scilicet nos omnes Christiani, cfr *v.* 22), *quoniam* (ὅτι quod) *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν), *iis qui secundum propositum* (κατὰ πρόθεσιν) *vocati sunt* (*sancti* [1]).

Dubitari nequit, quin locutione *diligentibus Deum* (τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν Θεόν) Apostolus eosdem designet, quos modo (*v.* 27) *sanctos* appellavit, ergo omnes illos qui vi efficacis suae vocationis sunt sancti (cfr ad 1, 7), seu omnes pios Christianos, in quibus fides per caritatem operatur qui-

1. Ultimum vocabulum latinum *sancti* ad sacrum textum non pertinere diximus (cfr *VV. LL.*) : velut glossa explicationis gratia a iunioribus librariis (forte ex 1,7 κλητοῖς ἁγίοις; *vocatis sanctis* aut simili ex loco) inserta est. Sensum per se non mutat, sed attende latinum *vocati,* quum graeco κλητοί respondeat, sensu participiali non posse explicari, minime igitur sententiam reddere licere : qui sunt vocati *ut sint* sancti.

busque hoc nomine gloria est praeparata (1 *Cor.* 2,9; *Iac.* 1,12). Hisce autem *omnia ad bonum* (εἰς ἀγαθὸν sine artic., in genere igitur ad id quod eis ad salutem conducit) dicit *cooperari* (συνεργεῖ), quatenus singulae res sua ex parte laborant iuvantque ad hunc finem (cfr *v.* 22 συστενάζειν *congemiscere*). *Omnia* porro dicens procul dubio « etiam quae videntur adversa comprehendit; sive enim tribulatio sive paupertas sive carceres sive fames sive mors sive quidvis aliud nos invadit, Deus ea omnia in contrarium vertere potest; ea quippe est eius potestas, ut onerosa nobis reddat levia et in subsidia [salutis] convertat » (*Chrys.*). Similiter *S. Aug.* (ad Prob. ep. 131) : « *omnia*, inquit, non solum ergo illa quae appetuntur ut suavia, verum etiam quae ut molesta vitantur; quando alia sic sumimus, ne capiamur, alia sic ferimus ne frangamur, et secundum praecepta divina in omnibus gratias agimus Deo ». Si vero *S. Aug.* alibi (de corr. et grat. 9,24), haud paucis approbantibus (cfr *Gl ord. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Est.* etc.), etiam peccata, quibus aliqui « deviant et exorbitant », includi vult, quia iis « humiliores et doctiores » pii reddantur, ad contextum non satis attendit; in eo enim est Apostolus, ut fideles doceat, compatiendum eis esse cum Christo, ut cum eo conglorificari possint (cfr *Tol. Iust.* etc., *Reith. Mai.* etc.).

Cur vero res ita se habeat, addita appositione declaratur : omnia, etiam adversa, Deo ita disponente, ad bonum cooperantur diligentibus Deum, utpote *iis qui secundum propositum vocati sunt* (τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν). Adiectivum κλητός (*vocatus*), quod aeque ac nomen correspondens κλῆσις (*vocatio*) in Novo Test. semper de divina invitatione ad gratiam accipiendam adhibetur, per se eum quoque designare potest, qui invitationem sequi recusavit (*Matth.* 20,16; 22,14); verum in apostolicis literis semper eum significat, qui vocationem divinam audivit et secutus est. Efficaciam ergo vocationis connotat[1], atque haec connotatio nostro in loco eo magis admittatur oportet, quia Deus eos quos *vocavit* iustificasse statim dicitur (*v.* 30).

Quid vero locutio *secundum propositum vocati* (οἱ κατὰ πρόθεσιν κλητοί) hic sibi velit, in controversia est. Graeci plerique nomen πρόθεσις de bona vocatorum voluntate interpretantur, qua nimirum fideles divinam vocationem secuti sint. « Nam liberalis quidem, inquit *S. Cyr. Ieros.* (Procatech. n. 1. *M.* 33, 333 sq.), Deus est ad benefaciendum,

1. Cfr 1,1 et 1 *Cor.* 1,1 (κλητὸς ἀπόστολος vocatus ad gratiam et munus apostolatus), 1,6. 7; 1 *Cor.* 1,2. 24; *Iud.* 1; saepius, si nostrum locum addis, in epistolis non legitur; simili autem modo legitur *Apoc.* 17,14, ubi idem fere significat ac *electus* et *fidelis*. — *Clem. Alex.* (Strom. I. 18) iam docet : « Quum igitur omnes homines sint *vocati* (κεκλημένοι), illi *qui audire voluerunt* appellantur *vocati* (κλητοί) ».

sed exspectat singulorum bonam voluntatem[1]; propterea subiecit Apostolus : *iis qui secundum propositum sunt vocati*. Propositum tuum si sincerum est, facit ut vocatus sis; quantumvis enim corpus hic habeas, si mens abfuerit, nulla ad te perveniet utilitas ». Similiter *Chrys.* : « *Propositum* hic nominat, ne totum vocationi tribuatur, secus enim gentiles et Iudaei contradixissent; si enim sola vocatio sufficeret, cur non omnes salvi facti sunt? Ideo non vocationem tantum sed etiam propositum vocatorum dicit effecisse salutem; neque enim necessitatem infert vocatio » (cfr etiam *Theod. Dam. Oec. Theoph. Euth.*). Ab hac autem sententia, iuxta quam nomine *propositi* cooperatio vocatorum cum vocationis gratia designatur, eatenus iam *S. Cyr. Alex.* recedit, quatenus et vocantis et vocati propositum intelligendum esse censet, atque longius omnes fere Latini recedunt, qui de solius Dei proposito vel decreto hic agi recte tenent.

Nomen πρόθεσις enim, licet semel a S. Paulo (2 *Tim.* 3,10) et bis a S. Luca (*Act.* 11,23; 27,13), ubi contextu omnis ambiguitas excluditur, de humano proposito adhibeatur, reliquis in Novi Test. locis[2] semper significat divinum decretum beneficii supernaturalis conferendi (9,11; *Eph.* 1,11; 3,11; 2 *Tim.* 1,9; quibus addere licet *Rom.* 4,5 iuxta *Vulg.* cfr supra p. 217 sq.). Quibus ex locis rite colligimus, locutione *secundum propositum vocati* efficacem vocationem ad gratiam iustitiamque potissimum tamquam beneficium prorsus gratuitum designari (cfr *Tol. Lap. Men. Tir. Picon.* etc., *Mai. Reith. M Ev. Ag.* etc.). Etenim propositum describitur velut decretum, quo Deus ab aeterno voluntate consequente et absoluta (*Eph.* 3,11; 2 *Tim.* 1,9) certum numerum hominum elegit (cfr ad 9,11) eisque non secundum eorum praevia opera naturalia (9,11; 2 *Tim.* 1,9) neque ex debito (cfr ad 4,6), sed ex mera

1. Ne S. Doctorem hic cum Pelagianis ac Semipelagianis (cfr *Conc. araus.* II. c. 4) sentire suspiceris, attende eum hic catechumenos alloqui, neque proinde de prima gratia ad conversionem invitante cogitasse. Immo vero, uti bene adnotat *Toutteus* l. c.), de gratia baptismali loquitur : « *Propositum* illud bonum, quod a Deo exspectari Cyrillus ait, non est bonus voluntatis gratiam adiuvantem praecedens motus et Deum ad nos eligendos alliciens, quae Pelagianorum est sententia; sed sincera ad sacramentum accedentis voluntas, hypocrisin excludens et debitas praeparationes apportans; qua fit, ut ex eorum vocatorum, quibus sacramentum bene succedit quique ex convivio nuptiali non eiiciuntur, numero simus. Hunc huius loci genuinum sensum esse quum tota contextus et orationis series, tum similium ac parallelorum locorum (n. 3; cat. 3 n. 2; 1 n. 3) comparatio declarat » etc. — Reliquos quoque Graecos (*Chrys.* etc.) non pelagiano sensu esse locutos, verba eorum satis docent; iuxta eam sententiam locuti sunt, quae praedestinationem ad gloriam docet esse post praevisa merita; cfr *Franzelin* De Deo uno. Ed. 2. Romae 1876 p. 638. 737 sq.

2. Omittimus eos textus, in quibus πρόθεσις sensu suo proximo sumitur tamquam *expositio* rei, quae in conspectu ponitur; ita adhibetur de *panibus propositionis* (οἱ ἄρτοι τῆς προθέσεως *Matth.* 12,4; *Marc.* 2,26; *Luc.* 6,4; *Hebr.* 9,2). Reliquos locos omnes, in quibus nomen reperitur, supra allegavimus.

sua liberalitate ac benevolentia (*Eph.* 1,11, εὐδοκία ibid. *vv.* 5. 9. *Vulg.*: propositum, beneplacitum) propter merita Christi (2 *Tim.* 1,9 etc.) gratiam iustitiamque et consequenter gloriam aeternam conferre statuit. Hoc sensu recte *Thom.*: « Propositum ad praedestinationem refertur, quae est secundum Augustinum *propositum miserendi* ».

Haud satis recte aliqui nomine *propositi* generalem Dei voluntatem salutiferam intelligunt seu « decretum illud, quo Deus ab aeterno statuit lapsum perditumque hominum genus ex mera sua bonitate et clementia per Christum restituere in viam salutis » (*Beel.*), atque immerito hanc definitionem ex loco parallelo (2 *Tim.* 1,9) « luculenter constare » dicunt. Neque enim ibi de antecedente et universali, sed de consequente et particulari voluntate divina, qua aliqui *efficaciter* vocati sunt, sermo est. Immerito quoque alii ex nostra appellatione (*secundum propositum vocati*) absolutam aliquorum praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita derivari contendunt (cfr *Perer. Iust. Est.* etc., *Bisp.* etc.); nostro enim in loco (non minus quam 9,11 et *Eph.* 1,11; 2 *Tim.* 1,9) proxime ac directe de efficaci vocatione ad gratiam agi, non attendunt. Nam vocatio, ubi vox nuda ponitur, semper a Paulo intelligitur ad gratiam fidei atque statim quoque (*v.* 30) inter dona, ad quae est praedestinatio, prima nominatur vocatio ad fidem, quam vocationem deinde ex ordine iustificatio et in eis, qui cum gratia cooperari perseverant, glorificatio sequuntur. Neque nobis *S. Aug.* (expos. n. 55; cfr de praed. sanct. 16,32 etc.) sententia probatur, qui « vocatos secundum propositum » et « vocatos *non* secundum propositum » hic tacite inter se ita opponi insinuat, ut priore appellatione illi designentur, qui efficaciter vocati vocationem secuti sint, altera illi qui eam secuti non sint. Quemadmodum enim iam monuimus, Paulo ὁ κλητός (*vocatus*) semper est ille, qui vocationem audivit et secutus est; tautologiam igitur haberemus, si verba *secundum propositum* ad efficaciam vocationis significandam addita dicerentur. Quoniam nec huius loci nec nostri muneris est totam praedestinationis doctrinam exponere, in S. Aug. sententiam accuratius non inquirimus; cfr de ea *Em. Franzelin* De Deo uno p. 655-686, ac de sensu, quem Aug. locutioni *secundum propositum* attribuit, *ibid.* p. 604 sqq.

Iamvero omnia, tribulationibus huius temporis non exceptis, ad salutem cooperari diligentibus Deum, utpote efficaciter ad fidem vocatis, B. Paulus ex eorum praedestinatione accuratius descripta probat. Deum enim illos, quos tales praescivit, ab aeterno ad gloriam praedestinasse (*v.* 29) praedestinatosque ad eam in tempore adducere (*v.* 30) docet; unde deinde consequitur, nihil omnino eos ab assequenda gloria retinere posse (*v.* 31 sqq.). Apposite recteque *Iust.* adnotat, Apostolum, ubicumque de praedestinatione agit, ita semper loqui, ut non dubitare videatur, quin omnes fideles, quos alloquitur vel de quibus

loquitur, ex electorum numero sint[1]. Quamobrem *secundum propositum vocatos* et *diligentes Deum* ad mentem Apostoli illos hic intelligamus oportet, qui in fide, quam efficaciter vocati receperunt, et in dilectione Dei usque ad vitae suae finem sint perseveraturi. De hisce igitur primum ait : 29 *nam* (vel iuxta graec. textum : *quoniam* ὅτι) *quos praescivit* (προέγνω), *et praedestinavit* (προώρισεν) *conformes fieri*[2] *imaginis Filii sui, ut sit ipse* (εἰς τὸ εἶναι αὐτόν) *primogenitus inter multos fratres*. Ad constructionem quod attinet, sententiam esse incompletam ac velut protasin cum sequente *v*. 30 connecti debere, aliqui praeeunte *Lap*. censent (cfr *Men. M Ev*. etc.). Duo enim verba (*praescivit et praedestinavit*) inter se coniuncta sequenti phrasi relativa (*quos autem praedestinavit*) anacoluthice resumi statuunt, ut haec exoriatur constructio : « quos Deus praescivit praedestinavitque conformes fieri imaginis Filii sui, quos inquam praedestinavit, hos et vocavit » etc[3]. Ve-

1. Hic illud quoque valet, quod *S. Aug*. (ad Paulin. ep. 149,20) adnotat : « Scripturae mos est ita loqui de parte tamquam de toto : sicut Apostolus Corinthios in primis suae epistolae partibus ita laudat, tamquam omnes tales sint, quum essent laudabiles quidam eorum, et postea in nonnullis epistolae ipsius locis ita reprehendit, tamquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant ». Conferri ea quoque merentur, quae *S. Aug*. (de dono persev. 22,57-62) de modo tradit, quo coram fidelibus de praedestinatione dici conveniat.

Ceterum ne quis ex nostro similibusque locis (cfr *vv*. 31 sqq. etc.) deducat, Paulum omnes fideles pro praedestinatis habuisse, aut iuxta eius doctrinam singulos fideles de sua salute certitudinem habere perseveraturosque esse ac iustitiam semel acceptam non posse amittere etc., illi loci prohibent, quibus fideles exhortatur, ut acceptam gratiam conservare studeant (1 *Cor*. 10,12 etc.), cum timore ac tremore salutem suam operentur (*Phil*. 2,12 etc.), bonis operibus ad praemium promissum anhelent (1 *Cor*. 9,24 sqq.) etc., aut quibus dubitationem quandam exprimit (8,9 etc.) vel eos se ipsos probare et diiudicare vult (1 *Cor*. 11,28. 31 etc.), ac similes haud pauci.

2. In textu graeco verbum εἶναι aut γενέσθαι non est expressum, quia verbum προορίζειν ex eorum numero est, quae duplicem accusativum (subiecti ac praedicati) admittunt; cfr *Winer* Gramm. p. 213 sq. — Attende quoque graecum adiectivum σύμμορφος (*conformis*) cum genetivo aut cum dativo construi nostrumque interpretem priorem constructionem contra consuetam loquendi rationem Latinorum imitatum esse vel retinuisse.

3. Similem constructionem etiam cl. *Simar* (Theologie des h. Paulus. Ed. 2. 1883 p. 226; *eiusdem* Lehrbuch der Dogmatik. 1880 p. 561) videtur esse secutus, quia hunc nexum sensumque loci nostri esse statuit : « Spes eorum qui diligunt Deum est certa; nam Deus non tantum praescivit, eos ad iustificationem sanctitatemque esse perventuros, sed praeterea eos iam antea — ante praevisa scilicet merita et ante electionem ad gratiam — ad gloriam praedestinavit ». Ad quam explicationem tenendam ipse quoque contra Patrum aliorumque interpretum sententiam duo verba (*praescivit et praedestinavit*) connectere ac proin anacoluthum statuere cogitur, quum aut particula ὅτι (quia vel *nam*) abundet aut relativum οὕς (*quos*) in demonstrativum mutari debeat. Praeterea mira est interpretatio verbi προώρισεν (*praedestinavit*), quum illud πρό (*prae*) ad praecedens verbum referre videatur (praedestinavit antequam praescivit). Neque tamen novam hanc interpretationem esse fateor; *Cai*. enim eam iam velut « magnum mysterium alterius [vel : altioris] ordinis » proposuit : « Praepositio *prae* posita ante *definivit* refertur non tantum ad definitos sed etiam ad praescientiam, dispari tamen ordine, nam ad illos ordine durationis..., ad istam ordine quasi causalitatis »; « nam *quos praescivit et praedestinavit* hoc est : etiam prius quam praesciret praedestinavit ». Sed suo « mysterio alterius ordinis », quod nemo prudens unquam

rum licet non negemus, particulam δέ (*autem*) resumendae sententiae interruptae aliquoties inservire (cfr ad 2 *Cor.* 5,6-8; 10,2 etc.), nulla tamen hic est interruptae sententiae vestigium neque ulla suppetit ratio, cur anacoluthum quoddam sententiaeque suspensionem statuamus; aptissima enim est illa constructio, quam inde a Patrum tempore omnes secuti sunt. Neque enim duo verba illa inter se connectunt, sed ita separant, ut prius cum pronomine relativo protasin constituat, alterum vero, ad quod ex relativo demonstrativum pronomen sua sponte suppletur, ad apodosin pertineat : « *nam quos praescivit*, (hos) *et praedestinavit conformes fieri* etc.

Ex arcto huius sententiae praecedentisque nexu, quem graeca particula ὅτι clarius quam latinum *nam* indicat, pronomen οὕς (*quos*) ex superioribus accuratius determinandum esse apparet; de iisdem enim, quibus omnia ad salutem cooperari asseruit, Apostolum loqui tenendum est, nisi forte hanc probationem (attende ad causalem nexum particulis ὅτι *nam* indicatum) vanam irritamque esse neque ad rem pertinere dicere audeamus. Quare non assentimur illis (licet in tota interpretatione nobiscum consentiant), qui in priore membro ex suis supplent : « Quos pios aut devotos Christo conformes futuros praescivit »; sed sententiae sensus est, Deum eos, quos in sua vocatione ad fidem et in ipsius dilectione perseveraturos ab aeterno cognovit, etiam ab aeterno praedestinasse *conformes fieri imaginis Filii sui*. Hanc quippe explicationem *S. Aug.* quoque, ni fallor, innuere vult, ubi ait : « Propositum ad praescientiam et ad praedestinationem Dei pertinet; nec praedestinavit aliquem, nisi quem praescivit crediturum et secuturum vocationem suam ».

Conformitas autem cum Filio hic intelligenda videtur perfecta conformitas in gloria, ita ut *conformes fieri imaginis Filii Dei* re idem sit quod *conglorificari cum Christo* (*v.* 17). Sicut enim Dei Filius, *forma servi* (μορφὴ δούλου) accepta, nobis quodammodo conformis (σύμμορφος) factus est (*Phil.* 2,7), ita praedestinati formam Christi glorificati accipientes Filio Dei conformes fient. Perfecta ergo conformitas illa designatur, quae in resurrectione habebitur, quando praedestinati completam filiorum adoptionem, quam hac in terra gemebundi exspectant, i. e. redemtionem corporis sui, consequentur (cfr ad v. 23), quando nimirum Christus in secundo suo adventu « transformabit (μετασχη-

concesserit, parum confisus statim alteram interpretationem adiungit eamque « planiorem » (sed vix meliorem), ne « maiestate tam alti sensus », uti ipse ait, lectorum animi opprimantur. De altera hac interpretatione, iuxta quam *praescivit* idem est quod *praeelegit*, infra dicemus; eam cl. *Simar* iure merito respuit, sed quomodo priorem approbare potuerit, non intelligo.

ματίσει) corpus humilitatis eorum, ut sit conforme (σύμμορφον *Vulg.* minus bene : configuratum) corpori gloriae suae » (*Phil.* 3 21). Nam haud sine causa *imagini Filii Dei* conformes futuri dicuntur; qui enim tamquam *Adami Filii* in corpore suo animali et corruptibili *imaginem terreni hominis* (τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ) portaverunt, ii tamquam *Dei Filii* adoptivi, quandò completam adoptionem acceperint, *imaginem coelestis hominis* (τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου), i. e. Christi glorificati, in corpore suo spirituali et glorificato portabunt (cfr ad 1 *Cor.* 15,49 p. 502 sq.). Simili igitur modo, quo *vv.* 11 et 23, Apostolum de corporis glorificatione, quae utique animi glorificationem beatitudinemque supponit, hic proxime ac directe loqui censemus, atque *imaginem Filii* iuxta 1 *Cor.* 15,49 cum *Theod.* interpretamur gloriosum Christi corpus. Etenim ut praedestinationem ad integram gloriam designet, illud donum aptissime nominat, quod praedestinati, quando Christus mortem velut novissimum hostem devicerit (1 *Cor.* 15,22 sqq.), velut ultimum gloriae beatitudinisque complementum accepturi sunt (cfr *Reith. Mai. Beel.* etc.). Attamen Christus exaltationem suam corporisque sui gloriam sua ipsius passione sibi promeruit; quia enim sese humiliavit factus obediens usque ad mortem crucis, exaltatus est (*Phil.* 2,8 sq.) et propter passionem mortis gloria et honore est coronatus (*Hebr.* 2,8). Quare illi quoque, qui praedestinantur conformes fieri imagini Filii Dei, praedestinari dicendi videntur ad gloriam, quam et ipsi divino auxilio adiuti tribulationibus huius temporis cum Christo fortiter toleratis sibi promerere debeant. Nisi enim gloria praedestinata velut merces praedestinata est, de conformitate proprie dicta non nisi aegre loqui possumus. Connotari igitur recte dicitur, praedestinatis cum Christo compatiendum esse, ut cum eo conglorificentur (*v.* 17).

Ad hanc vero conformitatem cum Christo, quae in completa et consummata adoptione constat, praedestinantur, *ut sit ipse* (εἰς τὸ εἶναι αὐτόν) *primogenitus in multis fratribus.* Qua in sententia particula *ut,* quum graeco εἰς cum infin. respondeat, minus recte a nonnullis (cfr *Thom. Tol. Ag.* etc.) pro consecutiva habetur (i. q. *ita ut*); finalis enim est, siquidem Deus praescitos eo consilio ad conformitatem cum Christo glorificato seu ad consummatam adoptionem praedestinavit, ut haec conformitas in Unigeniti sui, quem in omnibus primatum tenere voluit, maiorem gloriam cederet. Namque in *primogeniti* nomine non tantum notio primum nati sed etiam praerogativae cum primogenitura coniunctae (cfr *Deut.* 21,17; *Ps.* 88,28; *Apoc.* 1,5) attendatur oportet. Quin etiam haec omnino praevalet; primum quidem, quia Christus tamquam Filius naturalis ius proprium ad hereditatem habet, reliqui vero coheredes non sunt nisi velut filii adoptivi; deinde vero maxime, quia ex-

cellentia singularis Christo ex eo exoritur, quod ipse sua gratia reliquos omnes ad excelsam filiorum adoptivorum dignitatem exaltavit. Egregie enim *Thom.*: « Sicut Deus suam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, participando eis similitudinem suae bonitatis, ut non solum sit bonus sed etiam actor bonorum, ita Filius Dei voluit conformitatem suae filiationis aliis communicare, ut non solum sit ipse filius, sed etiam primogenitus filiorum et sic qui per generationem aeternam est Unigenitus, secundum collationem gratiae sit primogenitus in multis fratribus » (cfr etiam *S. Cyr. Alex.* Thes. de SS. Trin. Assert. 25. M. 75, 400 sq.).

Praeeuntibus *S. Ambr.* (de fide V. 6,83 : « Unde et Apostolus ait : *quos praescivit, et praedestinavit;* non enim ante praedestinavit quam praescivit, sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit »), *A^tro* (« istos quos praescivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa praemia capessenda ») *Prim. Sed. Haym.* aliisque nonnullis antiquioribus haud pauci quoque ex modernis interpretibus eandem, quam nos, interpretationem tradunt (cfr *Reith. Mai. Beel. Weinh. Ag.* etc. — ex acath. *Mey. God. Lut.* etc.). Vicinissima quoque est plerorumque Graecorum explicatio, qui in eo potissimum dissentiunt, quod praecedens *secundum propositum* de hominum voluntate (parum recte) intelligentes prius membrum interpretantur : « Quos Deus secundum propositum, i. e. ex animo [gratiis utique adiuto] vocationi obedientes praevidit » etc. (cfr *Cyr. Alex. Theod. Oecum. Theoph. Euth.* etc.). Neque longe abest iuniorum nonnullorum explicatio, qui conformitatem cum Christo, ad quam est praedestinatio, de iustitia in hac vita et de gloria alterius vitae intelligunt, ita ut Deus eos, quos vocationem ad fidem sequi praevidit, ad ulteriora bona, ad perseverantiam scilicet in iustitia et consequenter ad gloriam praedestinasse dicatur (cfr *Tol. Tirin. Calm. Picon.* etc.). Iuxta hos omnes, licet in minoribus quibusdam inter se dissentiant, ex verbis paulinis rite colligitur, praedestinationem adultorum ad gloriam, si per se seorsim spectatur, esse posteriorem (non temporis utique sed ordinis ratione) praevisione meritorum, ita ut illa ab hac dependeat; omnino tamen tenendum est, praedestinationem, si completa spectatur prout est ad gratiam efficacis vocationis et ad perseverantiam et ad gloriam, non esse ex meritorum praevisione[1].

1. Ultima haec verba diserte addidimus, quia moderni interpretes catholici ad distinctionem indicatam non attendunt. Ex. gr. *Reith.* eandem, quam nos, interpretationem sequitur; nihilominus ex ea praedestinationem ad gloriam post praevisa merita sequi multis verbis negat, quia illos theologos, qui praedestinationem post praevisa merita defendunt,

Restat ut de aliis interpretationibus nonnulla addamus. Inter antiquiores Latinos aliqui sententiam hac ratione (quasi hyperbato admisso) construxerunt : « Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii, i. e. imitatores futuros esse Christi, etiam praedestinavit illos hoc fore » (*Herv.* cfr *Lomb.* etc.). Quam constructionem admitti non posse clarum est; ad sensum autem qui hac constructione obtinetur adnotat *Thom.* : « Hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam [i. e. si de praedestinatione ad gloriam seorsim spectata ageretur, id quod revera nostro in loco obtinere supra ostendimus]; sed sub praedestinatione [complete spectata, de qua tamen hic non agitur] cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno praeparatum;... unde ponere quod aliquod meritum ex nostra parte supponatur, cuius praescientia sit ratio praedestinationis [complete spectatae], nihil est aliud, quam gratiam ponere dari ex meritis et quod principium bonorum operum sit a nobis », uti Pelagiani et Semipelagiani docuerunt. Quo sensu antiquiores illi praedestinationem sumserint, ex eorum verbis non satis elucet; *Lomb.* tantum monet, praedestinationem improprie accipiendam esse, « de praesenti, scilicet pro gratiae appositione [seu collatione], per quam praeparantur ad recipiendum verbum »; sed hoc sensu praedestinationis nomen in Scripturis non usurpatur.

Alii antiquiores cum *Thom.* verbum quidem *praesciendi* eodem modo, quo omnes, quos hucusque recensuimus, de solo actu divini intellectus intelligunt, praedestinationem autem complete spectari volunt. Quae vero deinde praescientiae ad praedestinationem relatio hic admittenda sit, non explicant; *Thom.* id unum adnotat : « Dicit autem : *quos praescivit, et praedestinavit,* non quia omnes praescitos praedestinet, sed quia eos praedestinare non poterat nisi praesciret » (cfr etiam *Lyr.* etc.).

Ad alteram iam interpretum classem transeamus, qui verbo *praesciendi* (προγινώσκειν) non tam intellectus quam voluntatis actum designari volunt. Haud pauci iuniores ad eam pertinent, quorum sententiam *Est.* his verbis exponit : « Quemadmodum simplex verbum *scire* iuxta phrasin hebraicam (?) saepenumero in Scripturis ad effectum seu voluntatem refertur, ut sit idem quod *approbare, diligere, curare,...* sic et compositum *praescire* significat *praediligere,* i. e. ante diligere, *in bonum praeordinare* ». Quo verbi supposito nostra verba hac ratione explicant : « Quos Deus *praescivit,* i. e. ab aeterno praedilexit et amicos habere voluit, eosdem *praedestinavit conformes fieri Christo,* i. e. eosdem certo fixoque decreto iam olim et ab aeterno statuit ad hoc tam eximium bonum aliquando perducere » (*Est.* cfr *Cai*[2]. *Sasb. Salm. Perer. Iust. Nat.* etc.). Quibus ex modernis cath. accensendus est *Bisp.*, qui praemonens verbum γινώσκειν (*cognoscere*) in Scripturis interdum per euphemismum de actu generandi usurpari (*Gen.* 4,1 etc.) inde concludit, προγινώσκειν (praescire) hic idem esse, quod *antea eligere* : « quos ab

de praedestinatione complete spectata loqui arbitratur. Similiter *Sch.* (p. 209) hanc doctrinam parum accurate exponens intelligentiam huius loci reddidit difficiliorem. — Ceterum de hac doctrina cfr *Franzelin* De Deo uno, p. 615-655.

aeterno elegit, etiam praedestinavit » etc. Similes explicationes a multis acath., qui ad calvinisticam haeresin de positiva reprobatione antecedenti inclinant, propositae sunt aut proponuntur; neque desunt, qui προγινώσκειν idem esse velint, quod *antea decernere*, quia verbum simplex γινώσκειν aliquoties non tantum de iudicis sententia sed de omni consilio, quod capitur, adhibeatur. Quoniam autem *antea decernere* et *praedestinare* re non differunt, arbitrarias quaerunt distinctiones : προγινώσκειν esse i. q. *secum* antea decernere, προορίζειν autem i. q. decretum illud exsecutioni destinare (*Rück.*). aut verbum προγινώσκειν, quod decernendi sensu rarissime usurpetur, « termino technico » προορίζειν quasi explicari (*Fritzsche*) etc. Quibus ultimis sententiis, utpote arbitrariis et absurdis, immorari opus non est; ad catholicorum autem, qui praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita hic invenire volunt, opiniones quod attinet, non negamus quidem, verbum simplex γινώσκειν, quod proprie significat « cognoscere aliquem qualis sit », interdum approbationem *connotare*, si nimirum de Deo bonos iustosque cognoscente adhibetur (cfr 1 *Cor.* 8,3 etc.); at illis quoque in locis directe ac proxime actum intellectus significat, neque ullibi actui voluntatis directe designando inservit. Porro significationes derivatae aut connotatae, quae simplici verbo ex contextu aliquoties attribuendae sunt, ad composita transferre in genere non licet. Nihilominus concedere possumus, nostro in loco verbum προγινώσκειν, quum de iis agatur, quos Deus vocationem ad fidem sequi et in dilectione ipsius perseveraturos esse praevidit, praescientiam benevolam et approbantem significare. Verum hinc nequaquam sequitur, προγινώσκειν esse idem quod *antea diligere* aut *antea curare* aut *antea eligere;* nam his verbis actus voluntatis directe ac proxime declaratur. Revera aliis in locis omnibus, in quibus verbum occurrit, de nuda praescientia agitur (*Act.* 26,5; 1 *Petr.* 1,20; 2 *Petr.* 3,17), ac semel tantum (11,2) iuxta multos interpretes approbatio connotatur, quamvis haud pauciores etiam isto in loco nudum intellectus actum designari (minus recte) censeant. Quae quum ita sint, moderni cath. interpretes tantum non omnes, quos vidi, illam antea diligendi aut antea eligendi significationem verbo competere iure negant.

Altera controversia est de locutione *imaginis Filii*. Inter graecos Patres *S. Athan.* (ad Serap. ep. 1,24 et ep. 4,3) et *S. Basil.* (c. Eunom. V. *M.* 29,724) Spiritum S. hic imaginem Filii dici voluerunt; sed haec loquendi ratio, quamvis etiam *S. Cyr. Alex.* (Thes. de SS. Trin. Assert. 33. *M.* 75,572), ad nostrum locum tamen non alludens, illam adhibeat, in Scripturis non est usitata neque nostro contextui congruit. Duplicem interpretationem *Orig.* proponit; iuxta priorem, cui consentit *Thom*[1]., alter genetivus (*Filii*) pro appositione prioris (*imaginis*) sumitur, ut sensus sit : « conformes *imagini*, i. e. *Filio*, qui imago Patris vocatur » (2 *Cor.* 4,4; *Col.* 1,15); ac proin conformitas cum Christo secundum divinam eius naturam significetur; ast haec constructio hic admitti nequit. Iuxta alteram, quae consueta constructione retenta genetivum *Filii* a praecedente genetivo *imaginis* dependere conce-

dit, *imago Filii* intelligitur « Christi Iesu anima, quae se per omnia Verbo ac Sapientiae Dei ita coaptavit, ut in nullo prorsus ab eius similitudine decolor haberetur, ita ut quicumque summam perfectionis ac beatitudinis consectatur, ad illius imaginem ac similitudinem tendat, quae primo loco ac super omnes Filii Dei imago est ». Conformitas igitur significaretur, quae per mentis renovationem et inchoatam adoptionem habetur. Verum uti supra iam diximus, in praecedente sententia (*diligentibus Deum, secundum propositum vocatis*) haec iam est expressa; quare etiam negavimus, *conformari imagini Filii* idem esse quod « filiorum perfectam adoptionem recipere, quae et huius saeculi iustitiam et futuri gloriam complectatur » (*Tol.* cfr *Chrys.* etc.). Melius alii consummationem adoptionis, quae habebitur in gloria, solam intelligunt (cfr *Thom*[2]. etc., *Est.* etc.); attamen haec quoque interpretatio latior videtur. Eo igitur modo, quem supra indicavimus, restringatur oportet, ut ultimum adoptionis complementum, i. e. futuram corporis nostri glorificationem, designet. Haec enim sola in 1 *Cor.* 15,49 nomine *imaginis* significatur, quem locum *Thom. Est.* aliique multi ad nostram locutionem illustrandam recte afferunt.

Qua demum ratione Deus eos, quos ab aeterno ad gloriam (praevisis eorum meritis) praedestinavit, in tempore ad illam perducat, B. Paulus variis quasi stationibus enumeratis describit, quibus electi ad ultimum gloriae suae complementum, ad corporis sui redemtionem, perventuri sint. Quia autem in toto hoc loco id maxime intendit, ut futuram gloriam certam esse demonstret (cfr ad *v.* 19), hominis in salutis suae opere cooperationem cum gratia divina tacite supponit atque solos actus divinos recenset, quibus obiectiva gloriae certitudo clarius illucescit : 30. *quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos* (τούτους, melius : *hos*) *et glorificavit.* « Primum, inquit *Thom.*, in quo incipit praedestinatio impleri, est vocatio hominis; quae quidem est duplex, una exterior, quae fit ore praedicatoris (*Prov.* 9,3), alia interior, quae nihil est aliud, quam quidam mentis instinctus, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum his quae sunt fidei vel virtutis (*Is.* 41,2); et haec vocatio est necessaria, quia cor nostrum se ad Deum non converteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret (*Ioan.* 6,44), et etiam efficax in praedestinatis, quia huiusmodi vocationi assentiunt ». Efficacem deinde vocationem consequitur iustificatio, quae infusione gratiae sanctificantis efficitur, qua peccatis deletis homo iustus coram Deo constituitur adoptionisque primum gradum consequitur. Verbo iustificandi autem non sola iustificatio prima, qua homo ex peccatore fit iustus, sed simul omnes gratiae comprehendi recte dicuntur, quibus in accepta gratia sanctificante perseverat continuoque crescit usque ad mortem suam; iustificationem enim iuxta Apostoli verba sequitur glorificatio.

Quia de illa eodem modo, quo de vocatione (ἐκάλεσεν) et iustificatione (ἐδικαίωσεν), aoristus adhibetur (ἐδόξασεν *glorificavit*), cum *Chrys.* haud pauci hic de inchoata glorificatione, quae hac in terra » per gratiam et (incompletam) adoptionem « habetur, sermonem esse parum recte arbitrantur; nam in tota hac pericope de aeternae gloriae certitudine ac proxime de futura corporis gloria agi vidimus. Rectius ergo cum aliis aoristum proleptice pro futuro adhiberi tenemus. Haud raro quippe Apostolus de futura gloria atque etiam de corporis nostri resurrectione ac transmutatione ita loquitur, quasi eam adepti iam simus, idque ideo, quia revera ius acquisitum ad illam possidemus illiusque arrham iam accepimus (cfr *Comm.* in 2 *Cor.* et Gal. *p.* 136 sqq.). « Verbis utitur, inquit *Tolet.*, in praeterito, quamvis nondum exhibita sint, ut certitudinem et infallibilitatem significet ». Ac profecto ea quoque, quae duobus primis aoristis enuntiantur (*vocavit, iustificavit*), eo tempore, quo Paulus scripsit, in paucis tantum erant impleta, de omnibus tamen praedestinatis dicta sunt. Itaque omnes tres aoristos pro gnomicis sumantur oportet; ad ea nimirum, *quae certis positis conditionibus semper fiunt*, enuntianda Graeci aoristum saepe adhibent, ita ut et praeterita et praesentia et futura complectatur (cfr *Alex. Buttmann* Gramm. p. 174 sqq.). Quod vero nonnulli coniiciunt, praeteritum *glorificavit* ideo adhiberi, quia in Christo capite suo omnia eius membra iam sint glorificata, id minus recte dicitur, quoniam immediate antea *conformitas* cum Christo glorificato tamquam obiectum et finis praedestinationis est exhibita.

Memoriae tantum causa adnotamus, *Ambr. Catharinum*, O. Praed., duas salvandorum classes distinxisse, ad quarum priorem nonnulli tantum eximii sancti (B. Virgo, Apostoli, Prophetae etc.) pertineant, qui ante omnem meritorum praevisionem ad gloriam absolute praedestinati tot tantisque gratiis a Deo cumulentur, ut gratiam acceptam nunquam sint amissuri; in altera deinde reliquos omnes salvandos ponit eosque post meritorum praevisionem praedestinari censet, atque nostrum locum de sola priore classe agere tenet. At non tantum duarum istarum classium distinctio antiquis omnibus theologis erat ignota et a iunioribus omnibus velut arbitrarium figmentum reprobatur, sed luce quoque clarius est, nostro in loco Apostolum de omnibus praedestinatis eadem plane ratione loqui; quare singulari huic sententiae non immoramur.

4. — *Sectionis epilogus* (8,31-39).

8,31. *Quid ergo dicemus ad haec? si Deus pro nobis, quis contra nos?* 32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

8,31. Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα; εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; 32. ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται;

33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat. 34. Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36. (Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : aestimati sumus sicut oves occisionis.) 37. ***Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39. neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.***

33. τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Θεὸς ὁ δικαιῶν. 34. τίς ὁ κατακρινῶν; Χριστὸς ὁ ἀποθανών, μᾶλλον δὲ ἐγερθείς, ὃς καί ἔστιν ἐν δεξιᾷ Θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. 35. τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ; θλῖψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα; 36. καθὼς γέγραπται ὅτι ἕνεκεν σοῦ θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν, ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς. 37. ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. 38. πέπεισμαι γὰρ ὅτι οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε δυνάμεις, 39. οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν [1].

1. *VV. LL.* — 33. 34. De harum sententiarum interpunctione cfr *Comment.* — 34. Χριστός (Christus) alio nomine non addito B D E K, plerique minusc., *Syr.*; sed melius Χριστὸς Ἰησοῦς (*Christus Iesus*) cum ℵ A C F G L, paucis minusc., *Ital. Vulg. Copt. Arm. Aeth.* — μᾶλλον δὲ ἐγερθείς (immo qui resurrexit) B ℵ A C, pauci minusc., *Vulg.* (cod. *Amiat.*), *Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς (*immo qui et resurrexit*) cum D E F G K L, plerisque minusc., *It. Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* aliisque fere omnibus) *Syr.* — ἐγερθείς (*qui resurrexit*) sine additam. B D E F K L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Arm.*; sed ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν (qui resurrexit *a mortuis*) ℵ A C, pauci minusc., *Copt. Aeth.* Utra lectio sit praeferenda, dubium est; idem autem plane manet sensus. — ὃς καὶ ἔστιν (qui *etiam* est) B D E F G K L, plerique minusc., *Vulg.* (codd. *Amiat. Harl.*), *Syr.* (codd.); sed ὅς ἐστιν (*qui est*) ℵ A C, pauci minusc., *It. Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* etc.) *Copt. Goth.*; de hac quoque lectione dubitari potest. — ἐν δεξιᾷ Θεοῦ (*in dextera Dei*) sine artic. solus B; articulus (τοῦ) cum reliquis testibus addendus est. — 35. τίς (quis) sine copula est communior lectio codd. graecorum et versionum, quibuscum etiam meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.*) consentiunt; sed τίς οὖν (*quis ergo*) F G, unus alterve minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum Demid. et plerisque) *Arm.* — ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (a caritate Dei, quae est in Christo Iesu) solus B, probabiliter ex *v.* 39; ceterum lectionem ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ (a caritate *Dei*) exhibet etiam ℵ cum nonnullis minusc. et PP. ac *Syr.* (codd.); praeferenda tamen communis lectio : ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ (*a caritate Christi*) A C D E F G K L, omnes fere minusc., *It. Vulg. Copt. Syr.* (codd.) *Arm. Goth. Aeth.* — 37. διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς (*per* eum qui dilexit nos) B ℵ A C K L, omnes fere minusc. et PP. graeci, *It.* (*S. Ambr.* in Ps. 43 n. 35, *S. Aug.* ad Anast. ep. 145, 6 et saepius) *Syr. Copt. Arm. Goth.*; minus apte : διὰ τὸν ἀγαπήσαντα ἡμᾶς (*propter eum qui dilexit nos*) D E F G., *It.* (*Tert.* Scorp. c. Gnost. 13 : « pro eo », *S. Hilar. A*[ler] etc.) *Vulg.* — 38. Satis magna est varietas lectionum in hac enumeratione, quum alii legant plur. οὔτε ἄγγελοι (ita plerique), alii singularem οὔτε ἄγγελος (ita graecolatini et etiam antiquiores latini Patres *S. Ambr.*, *S. Aug.* ll. cc. antiquioresque *Vulg.* codd. *Amiat.*

Certissimam electis esse gloriam futuram S. Paulus quatuor suis argumentis extra omnem dubitationem posuit; hinc mirum non est, quod pro conclusione quasi triumphans securitatem celebret, qua ipse omnesque fideles, qui vocantem Deum secuti in eius dilectione perseverant, mediis in omnibus temporis huius tribulationibus invicti perstare possint. Neque tamen in his sententiis ad ultimam tantum pericopen de gloriae certitudine attendit, sed omnia animo eius obversantur, quae ad virtutem Evangelii exponendam inde a 5,1 de iustitiae, quae ex fide est, fructibus disseruit, ita ut eas totius huius sectionis epilogum esse plerique iure teneant.

Summa enim epilogi sententia est, electis nihil esse timendum, quum Deus ex eorum parte stet. Eam autem primum generali quodam modo proponit brevique argumento confirmat (31. 32); aliquos deinde ex adversariis, qui electos ab assequenda salute retinere posse videntur, brevibus interrogationibus enumerat eosque illis nocituros non esse responsis suis insinuat (33-37), ac demum firmam suam profitetur persuasionem, nihil esse in rerum universitate, quo Deus electos a se separatum iri permittat (38. 39). Ad stylum huius particulae quod attinet, *S. Aug.* (de doctr. christ. IV. 20,43) eam velut exemplum grandis et ornatae orationis affert, atque *Erasm.* quoque Ciceronem nihil usquam grandiloquentius dixisse recte adnotat.

31. *Quid ergo dicemus ad haec* (πρὸς ταῦτα)? *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Formula τί οὖν ἐροῦμεν; (*quid ergo dicemus*) Apostolus haud raro utitur ad conclusionem ex dictis derivandam (cfr ad 6,1); additis autem verbis πρὸς ταῦτα (*ad haec*) significat, unde conclusionem derivari velit [1]. Iam vero multi illud *haec* ad ultimas solas sententias de praedestinatis (28-30) aut ad solum locum de gloriae certitudine (19-30) haud recte restringunt. Nam ex altera interrogatione satis elucet, Apostolum non tantum ad primam huius capitis sententiam (*v.* 1. *nihil ergo damnationis* etc.) sed etiam ad totius huius sectionis principium (5,1-11) respexisse, in quo iustificatos pacem cum Deo habere et in tribulationibus gloriari asseruit securitatemque, quam ex Christi morte tamquam maximo caritatis documento hauriant, simili modo

Fuld. etc.), alii deinde post οὔτε ἄρχαι addant οὔτε ἐξουσίαι, uti C cum aliquibus minusc. et PP. graecis ac cum multis latinis codd., licet meliores codd. graeci et meliores *Vulg.* codd. illud omittant etc.; cfr *infra.*

1. Haud satis recte antiquiores nonnulli Latini verba *ad haec* idem esse statuerunt quod *contra haec*, acsi Paulus interrogasset, num quid contra ea quae exposuit obiicienda haberent (cfr *Thom*[1]. *Lyr. Cai.* etc. praeeunte *Gl. interlin.*). Hunc enim sensum graeca locutio πρὸς ταῦτα aegerrime admittit; πρὸς potius hic uti saepe significat « relate ad », aut etiam, si mavis, normam indicat, secundum quam res diiudicanda est.

quo hic (*v.* 32) delineavit. De praedestinatis utique nostro in loco sermonem esse, nexus cum praecedentibus docet, sed Apostolus pro more suo iustificatos omnes, de quibus loquitur aut quos alloquitur, ex electorum numero esse supponit (cfr ad *v.* 29). Unde etiam in tota hac particula omnes romanos neophytos, quibus scribit, secum prima persona plurali complectitur : « Quatenus ergo quisque fidelium confidere potest ac debet, se esse e numero electorum, eatenus sententiam hanc cum iis quae sequuntur potest ac debet sibimet applicare » (*Est.* cfr *Iust. Tol.* etc.).

Verbis suis *quis contra nos?* adversarios nobis exstituros esse Apostolus non negat, sed vel acerbissimos hostes, Deo nos protegente, nobis non esse nocituros declarat. Quam sententiam simili argumento, quo 5,6 sqq., a maiore ad minus concludens confirmat : 32. *qui etiam* (ὅς γε i. q. *ille quippe idem qui*) *proprio filiio suo* (τοῦ ἰδίου υἱοῦ) *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Pro perfecto *donavit* lege futurum *donabit,* quod cum omnibus graecis codd. et PP. (χαρίσεται) reliquae versiones tuentur atque latina quoque versio, uti ex *S. Aug.* de civ. Dei XXII. 24,5, ex *A^tri^ Pel. Prim.* etc. commentariis et ex cod. *Fuld.* apparet, antiquitus exhibuit. Id etiam contextus postulat, qui non de donis iam concessis, sed de gratiis illis loquitur, quibus ad adversarios omnes repellendos indigemus.

Recte quidem inde a Patrum tempore non pauci locutionem τοῦ ἰδίου υἱοῦ (*proprio filio*) urgent, ut Christum non adoptione sed generatione ac natura Filium Dei esse demonstrent[1]. Verum Paulus eam hic non tam ideo elegit, ut divinam Christi naturam, quam ut Patris caritatem

1. Cfr *Orig. Cyr. Alex. Theoph.* etc., *S. Ambr.* de fide I. 17,108; fuse *S. Hilar.* de Trin. VI. 45 : « Num quidquam adoptionis in eo erit, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens caritatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum *proprio filio suo* docuit : non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturae, sed pro alienis suo, pro connuncupandis [sc. qua adoptivis] proprio. Quaere virtutem dicti, ut magnitudinem caritatis intelligas; quid sit *proprium* expende, ne ignores veritatem. Nunc enim ait Apostolus *proprium* filium, quum in multis vel *suum* vel *eius* saepe dixisset. Et quamvis multi codices [sc. latini] per translatorum simplicem intelligentiam in hoc loco pro *proprio filio* conscriptum habeant *suo filio*, tamen graecitas, qua lingua Apostolus est locutus, *proprium* nunc magis quam *suum* nuncupat. Et licet communis intelligentiae sensu non satis inter *proprium* et *suum* differat, verum Apostolus, quum in ceteris aliis dictis *suum filium* commemorasset, quod est graece τὸν ἑαυτοῦ υἱόν, tamen in hoc loco secundum quod ait : ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ ἐφείσατο *qui proprio filio non pepercit*, naturae veritatem significanter expressit; ut qui superius filios plures per spiritum adoptionis demonstrasset, nunc unigenitum Dei Filium *proprietatis* vocabulo ostenderet ». Paucis *Thom.* : « quum supra de multis filiis mentionem fecisset, ab omnibus illis hunc separat dicens : *proprio Filio,* i. e. non adoptato, uti haeretici mentiuntur, sed naturali et coaeterno ».

maiore cum vi assereret, qui id nobis dare non recusavit, quod maxime proprium et carissimum habuit, proprium unigenitumque suum Filium (*Ioan.* 3,16 etc.). Quin etiam, si ad verborum similitudinem attendimus, improbabile non est, quod aliqui iuniores ac moderni coniecerunt, Apostolum hic illa in mente habuisse, quibus Deus ipse caritatem Abrahami filium unicum offerentis laudavit: « Quia fecisti hanc rem et *non pepercisti filio tuo unigenito* propter me, benedicam tibi » etc. (*Gen.* 22,16). Quidquid autem hac de re est, dubitari nequit, quin Christi incarnatio ac mors hic simili ratione, qua supra (5,6 sqq.), velut summum caritatis divinae documentum ac simul velut maximum donum designetur, in quo omnia quibus indigemus (τὰ πάντα) continentur. « In ipso Filio Dei omnia exsistunt sicut in primordiali et praeoperativa [et meritoria] causa; unde eo tradito omnia nobis traduntur » (*Thom.*); traditus autem nobis est, quando pro nobis incarnatus est, ut mortem pro nobis subiret. « Deus ergo, qui nos pretiosos proprii Filii pro nobis fundendo sanguinem fecit, quomodo non cum ipso omnia donabit? Nihil est enim sive visibilis sive invisibilis creaturae, quod Filio possit adaequari; nullo enim pacto creatori suo creatura potest conferri; et si creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso nobis omnis creatura donabitur? » (*Orig.*).

Generali interrogationi suae, qua nullum hostem nobis nocere posse ostendit, tres particulares (*v.* 33 *quis accusabit, v.* 34 *quis est qui condemnet, v.* 35 *quis nos separabit*) quasi illustrationis gratia subiungit, ut clarius omnique ex parte pateat nihil nobis esse timendum. Atque prioribus quidem duabus securos nos fore in iudicio docet: 33. *Quis accusabit adversus electos Dei* (κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ sine artic. i. q. adversus tales quos Deus elegit)? *Deus qui iustificat.* 34. *Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui* et *est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Sententiarum constructio et nexus similis est praecedenti. Sicuti enim interrogationi (*quis contra nos?*) assertio (utique forma interrogativa) adiungitur, qua negativum quod exspectatur responsum (« nemo nisi frustra exsurget contra nos ») confirmatur, ita hic quoque ad utramque interrogationem (*quis accusabit? quis condemnabit?*) negativum responsum exspectatur (« nemo nisi incassum nos accusabit aut condemnare ausus fuerit ») et utriusque responsi confirmatio adiungitur. In secunda nimirum et in quarta sententiola copula ἐστίν *est* suppleatur necesse est, ut completam habeamus constructionem (Θεός ἐστιν ὁ δικαιῶν, Χριστός ἐστιν ὁ ἀποθανών). Unde hic exoritur sensus : Securi esse poterimus in iudicio; si quis enim contra nos exsurgit accusator, nihil contra nos proficiet, nam *Deus* ipse est, *qui nos iustificat*, i. e. iustos nos esse

sententia iudiciali declarat nosque ab intentata accusatione absolvit (δικαιοῦν *iustificare* hic sensu forensi cfr ad 2,13; *Gal.* 2,16 etc.). Neque quisquam nos condemnare audebit, nam *Christus Iesus*, supremus vivorum ac mortuorum iudex (cfr 2,16; 2 *Cor.* 5,10; *Act.* 10,20 etc.), ipse est, *qui mortuus est* ad nostra delicta expianda, *immo qui et resurrexit*, ut nos participes redderet fructuum mortis suae (cfr ad 4, 25), *qui et est ad dexteram Dei* secundum humanam suam naturam, ut regnum quod sanguine suo sibi acquisivit (*Act.* 20,28) administrans nos, amicos suos, adiuvet et corroboret (cfr ad 1 *Cor.* 15,24 sqq.), *qui etiam interpellat pro nobis* tamquam advocatus noster (1 *Ioan.* 2,1), « dum semper hominem quem suscepit glorificatum quasi nostrum pignus Patri ostendit et offert velut verus et aeternus sacerdos » (*Prim.* cfr *Hebr.* 7,24 sq. etc.), vel uti eodem sensu *Thom.* habet : « interpellat pro nobis humanitatem pro nobis assumtam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando ». Recte *Cai.* adnotat, illud *pro nobis*, quod ultimo soli membro sit additum, ad omnia quatuor pertinere; immerito autem *Tol.* id negat, quia ultimum beneficium velut maius quoddam tribus prioribus quasi opponi arbitratur. Maiore enim cum iure duo priora, quae participiis graecis exprimuntur (ὁ ἀποθανών, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς) a duobus posterioribus sententia relativa expressis (ὅς καὶ ἔστιν..., ὅς καὶ ἐντυγχάνει) distingui dicuntur, quatenus illis beneficia semel pro semper praestita, his beneficia semper duratura significantur. Ceterum ordine quodam historico recensentur, ut electis condemnationem non esse timendam eluceat, quum Christus tot tantaque beneficia eis praestiterit ac praestet.

Hac ratione locus interpretandus est iuxta interpunctionem, quam *Vulg. Clem.* exhibet [1] quamque ex modernis acath. multi sequuntur (cfr *God. Weiss Goeb. Lips. Lange* etc.). Revera simplicitate sese commendat et vel ideo admittenda est, quia conformis est praecedenti constructioni (*vv.* 31-32) et sequenti (*vv.* 35-37). Patrum tamen, ut videtur, auctoritate permoti fere omnes catholici alias interpungendi rationes praeferunt, quibus utique sensus universus totius loci haud multum mutatur.

Cum antiquioribus Latinis moderni plerique, praeeunte *S. Aug.* (de doctr. christ. III. 3,6; ad Simplic. de div. quaest. II. qu. 5), omnes quatuor sententias interrogative legendas esse statuunt : « Sic ergo, inquit *Aug.*,

1. Meliores saltem *Vulg. Clem.* editiones, uti taurinensis (Taurini. H. Marietti 1851), quam decretum S. Congreg. indicis a Pio IX die 26. Iunii 1856. approbatum « ceteris editionibus post Clementem VIII. evulgatis praestare » declaravit, ac romana, quam *P. C. Vercellone* iussu Pii IX. a. 1862. in typographia S. Congreg. de prop. fide imprimendam curavit, hanc interpunctionem exhibent. Minus accuratam igitur editionem *Est.* adhibuit, quum interpunctione clementina tertiam, quam statim exponemus, Graecorum interpretationem confirmari dicit.

pronuntiabitur, ut post percontationem qua dicimus : *quis accusabit adversus electos Dei?* illud quod sequitur sono interrogantis enuntietur : *Deus qui iustificat?* ut tacite respondeatur : *non;* et item percontemur : *quis est qui condemnet?* rursusque interrogemus : *Christus Iesus, qui mortuus est? magis autem qui resurrexit? qui est in dextera Dei? qui et interpellat pro nobis?* ut ubique tacite respondeatur : *non* ». Quibus *S. Eucher. Lugd.* (Instruct. ad Salon. II. *M.* 50,804) addit, « haec in quibus ipse sibi respondeat, quasi εἰρωνικῶς esse legenda : « numquid forte Deus qui iustificat accusabit adversus electos Dei? Quamvis autem haud paucis haec explicatio probetur (cfr *Haym. Herv. Abael. Lomb.* etc., *Mai. Beel. Bisp. Dr.* etc. — *Olsh. De W.* etc.), non tantum ironiae hic non videtur esse locus, sed aliquid miri quoque habet hypothesis, quod Deus velut accusator cogitetur (apud quem iudicem enim Deus quemquam accusare potest?), atque nexus quoque parum est aptus, si interroganti, quis sit accusator, responsi loco exponatur, quid facturus sit iudex.

Melior altera videtur interpunctio, quam cum graecis Patribus (cfr *Orig. Chrys. Theod.* etc.) iuniores plurimi ac nonnulli moderni praeferunt (cfr *Tolet. Est. Lap. Nat.* etc.,*Reith. M Ev.* etc.). Primae scilicet interrogationi negative responsum iri supponentes duas sequentes sententiolas in unam contrahunt, quae negationis rationem afferat : « Quis accusabit adversus electos Dei? Nemo, nam Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? » i. e. quis electos, quum a Deo iusti declarentur, condemnare audeat[1]? Similiter quartam sententiam cum insequente interrogatione (*v.* 35) ita connectunt, ut eam negandam esse insinuet : « Quum Christus sit ille, qui mortuus est etc. pro nobis, quis ergo nos separabit a caritate Christi? » Verum Paulus, si quartam ac quintam sententiam tam arcte coniungi voluisset, procul dubio scripsisset : a caritate *eius;* praeterea in *v.* 35 scribendum fuit τίς οὖν (*quis ergo*), ut nexus cum praecedentibus innotescat, sed hanc lectionem testes critici non approbant (cfr *VV. LL.*); demum interrogatio *v.* 35 suum responsum accipit *v.* 37, quae sententia superflua esset, si negationis ratio iam *v.* 34 esset indicata. Itaque *Vulg. Clem.* interpunctionem, quam secuti sumus, omnino praeferendam ducimus.

Electis Dei non tantum in supremo iudicio sed etiam in tota sua vita auxilia Christi non esse defutura, duobus ultimis membris *v.* 34 iam indicatur, accuratius autem tertia particulari interrogatione (*v.* 35) exponitur, quae prioribus parallela negativum, sicut illae, responsum exspectat negationisque confirmationem (*v.* 37) annexam habet. 35. *Quis* (*ergo*) *nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Ad

1. Ad hanc interpretationem confirmandam aliqui ad *Is.* 50,8. 9 provocant, quem locum Paulum imitatum esse volunt; at tanta non adest similitudo, ut pro argumento afferri possit; immo iure plerique dubitant, num Apostolus illum locum in mente habuerit.

latinam lectionem quod attinet, particulam *ergo* hic abundare, modo iam monuimus (cfr *VV. LL.*), ita ut tres interrogationes (τίς ἐγκαλέσει; τίς ὁ κατακρινῶν; τίς ἡμᾶς χωρίσει;) asyndete se excipiant. Praeterea animadverte in paenultimo enumerationis membro ponendo (*an persecutio?*) latina exemplaria inter se dissentire; nam cum graecis codd. aliisque versionibus consentientes illud tertio in loco exhibent *A^ter Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* antiquioresque *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.); quarto in loco *Primas.*, quinto *Dion.*, sexto cum *Vulg. Clem.* soli iuniores codd. latini. Quod demum Apostolus, quamvis res tantum enumeret, pronomine τίς (*quis?*) utatur pro neutro τί (quid?), id non est mirum, quia ad personas praecipue attendit, quae persecutionibus suis electos Christo eripere conantur.

Unica huius sententiae difficultas est, quidnam nomine *caritatis Christi* designetur, num nimirum genetivus *Christi* sit obiectivus an subiectivus (cfr ad 5,5; 2 *Cor.* 5,14). Patres fere antiquioresque interpretes caritatem, qua nos Christum diligimus, intelligunt; postquam enim beneficia, quibus Christus, aeque ac Pater (*v.* 33) et Spiritus S. (*v.* 26), nos cumulavit, sint enumerata, his verbis nos admoneri censent, ut continuum Christo rependamus amorem : « Neque tamen dixit : debetis et vos ita illum amare, sed ineffabili eius liberalitate quasi abreptus exclamat : quis nos separabit » etc. (*Chrys.* cfr *Orig. Theoph.* etc., *A^ter Prim.* etc.[1], *Herv. Thom.* etc., *Lap. MEv. Ag.* etc.). Verum iuniores modernique fere cuncti caritatem Christi erga nos interpretantur (cfr *Cai. Tol. Est. Iust.* etc., *Reith. Mai. Beel. Bisp. Weinh. Dr.* etc.), idque ni fallor rectius, si ad interrogationem ipsam ac totius pericopes structuram scopumque attendimus. Satis enim mira profecto videtur locutio : « Quis me separabit a meo amore erga Christum? » Praeterea in eo versatur Apostolus, ut omnimodam electorum securitatem celebret; ad hanc autem quam maxime pertinet certitudo, nihil in toto mundo esse, quod eis continuam Christi caritatem protectionemque eripere possit. Iamvero mundus omni quidem qua potest ratione electos opprimens et affligens illos eo adducere studet, ut caritate, qua Christus eos amplectitur et protegit, sese indignos reddant ac proin ab ea separentur. At Christus similis non est hominibus, ut amicos in aerumnis positos derelinquat et contemnat, sed electos suos, si affliguntur ac vexantur, adiuvat protegitque, ne adversis rebus frangan-

1. In eandem sententiam etiam *S. Basil.* (reg. brev. tract. 157), *S. Cypr.* (ep. 26,4), *S. Ambr.* (in Ps. 118 serm. 8,36), *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,9), *S. Aug.* (de mor. Eccl. I. 11,18) aliique Patres allegari possunt; sed eorum testimonia rem non evincunt, quia nostra verba dumtaxat occasione data afferunt argumentoque suo accommodant, in accuratum sensum, quem contextus postulat, non inquirentes.

tur amoreque suo, quo eos diligit, indigni fiant. Hunc esse sensum nexumque satis clarum est, quum statim addatur, nos in omnibus calamitatibus victuros esse *per eum qui nos diligit* (*v*. 37); quin etiam locutio sequens (*caritas Dei quae est in Christo v*. 39) de Christo caritate erga nos agi confirmat.

In calamitatibus, quibus mundus electos a caritate Christi separare conatur, recensendis Paulus ad ea respexisse iure dicitur, quae ipse aliique viri apostolici illo tempore semper experiebantur (cfr 2 *Cor*. 4, 6 sqq.; 6,4 sqq.; 11,23 sqq. etc.) quorumque suam quoque partem fideles omnibus fere in ecclesiis perpetiebantur. Duobus primis nominibus (*tribulatio, angustia*, θλῖψις, στενοχωρία) omnes quasi comprehenduntur magnusque earum gradus indicatur (cfr ad 2,9); reliquis particulares nonnullae ita recensentur, ut ab earum causa communi (*persecutio* διωγμός) ad varios effectus (*fames, nuditas, periculum,* λιμός, γυμνότης, κίνδυνος) deveniatur ultimoque in loco supremum supplicium (*gladius* μάχαιρα metonym. pro *occisio*) nominetur.

Ne quis vero miretur, quod ipsam violentam mortem fidelibus timendam esse supponat, dictum sacri cuiusdam poetae ex filiis Core (*Ps*. 43,23) affert, qui suae gentis eo tempore iniuste oppressae tristissimam sortem delineans simul futuram electorum oppressionem praesagivit: 36. *sicut scriptum est : quia propter te mortificamur* (θανατούμεθα i. q. morte afficimur, vel delemur) *toto die* (ὅλην τὴν ἡμέραν); *aestimati sumus sicut oves occisionis*. Velut parenthesis a *Vulg. Clem*. haec inseruntur, sed parenthesin proprie dictam non constituunt, quia sequens sententia (*v*. 37) non minus ad hoc dictum, quam ad *v*. 35 refertur atque verba nostra praecedentem constructionem continuant. Iuxta plerosque Patres *Ps*. 43. vaticinium est de persecutione, quam contra populum israeliticum, quia patriam religionem deserere nolebat, Antiochus Epiphanes excitavit; iuxta modernos autem in Psalmo hoc poeta quidam sacer, de cuius aetate non constat, tribulationes describit, quas suo tempore cum contribulibus suis ipse perferebat. Quidquid hac de quaestione est (de qua cfr Comm. in Psalt.), ex toto carmine elucet, similem fuisse populi israelitici sortem, de qua agitur, sorti Christianorum a mundo semper oppressorum. Pii ergo Iudaei, qui ob fidelitatem, qua Domino adhaerebant (*propter te*), continuis mortis periculis erant expositi (*toto die*, i. e. quasi singulis horis a mane ad vesperum, nunc hi nunc illi, *mortificamur*), sicut oves caedi destinatae, iure merito velut typus considerari possunt electorum, quibus mundus, ut eos a caritate Christi separet, omnis generis calamitates ipsamque mortem violentam machinatur. Licet autem ovibus occisionis similes aestimentur electi, nihil est, quod eos movere debeat: 37. *sed in his omnibus*

superamus (ὑπερνικῶμεν, cum *Tert.* Scorp. c. Gnost. 13, *S. Cyr.* Testim. c. Iud. III. 18, *S. Aug.* de doctr. christ. IV. 20,43 etc. significantius : *supervincimus*) *propter eum* (cum melioribus testibus cfr *VV. LL.* lege : *per eum*) *qui dilexit nos*. Quibus verbis negativum responsum confirmatur, quod ad interrogationem *v.* 35 exspectatur : calamitates enim enumeratae nos a Christi caritate separare nequeunt, quia *per* Christi caritatem nobis auxilia abundantissima subministrantem (*per eum qui dilexit nos*) eas non simplici sed splendidissima victoria superamus (*supervincimus* i. e. « cum omni facilitate, sine sudoribus laboribusque vincimus » *Chrys.*). In eundem sensum latina lectio *propter eum* trahi potest, si eam cum antiquioribus interpretaris « propter eius auxilium, non propter nostras vires » (cfr *Herv. Thom.* etc.).

Demum Apostolus assertum suum, electos a caritate Christi separari non posse, intima sua persuasione, quae fide nititur, quasi triumphans confirmat : 38. *certus sum enim* (πέπεισμαι γάρ), *quia neque mors neque vita, neque angeli neque principatus* (ἀρχαί) *neque virtutes, neque instantia neque futura, neque fortitudo*, 39. *neque altitudo neque profundum, neque creatura alia* (οὔτε τις κτίσις ἑτέρα) *poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* De huius sententiae lectione neque in graecis neque in latinis codicibus satis constat; quoniam autem varietates, si totius loci sensum spectamus, non admodum magni sunt momenti, illud adnotasse sufficit, quintum membrum latinum (*neque virtutes* οὔτε ἐξουσίαι) iuxta meliores testes graecos et latinos omittendum, et in octavo membro latino (*neque fortitudo*) pluralem (*neque fortitudines*, uti *Tolet.* legit, vel melius : *neque virtutes* οὔτε δυνάμεις) substituendum videri[1]. Verbo πέπεισμαι hic non certitudinem fidei exprimi, quum fides eam, quam Apostolus hoc in loco exprimit, non tantum non praebeat sed semper cum timore ac tremore salutem quaerere iubeat, *Iust.* haud recte cum nonnullis monet; de electis enim et in electorum persona Apostolus loquitur : « Certus enim sum, neque dubitatio ulla mihi est, quia fides me ita docet, nullam creaturam separare posse electos a dilectione, qua Deus eos diligit in

1. Fatemur tamen hunc loci textum, quem hodie omnes fere sequuntur, pro certo et indubitato haberi non posse. Quia enim bina membra Apostolus coniungere videtur, solitarium illud *fortitudo* vel *virtutes* (δυνάμεις) octavo in loco positum perturbat ordinem, idque eo magis quia duo paria, quae arctius inter se cohaerent (*instantia et futura, altitudo et profundum*) ab invicem separat. Concinnitate sua sese magis commendant lectiones *S. Basil.* (de bapt. qu. 13,2) : οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐξουσίαι οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα κτλ, et *A^{tri}* : « neque mors neque vita, *neque angelus neque virtus*, neque altitudo neque profundum, neque praesentia neque futura, neque alia creatura » etc. At neutra sufficientibus testimoniis munitur; quare in expositione sequimur textum, quem moderni critici (*Lachm. Tisch. W H*) praeferunt.

Christo et per Christum » (*Tolet.* cfr *Est.* etc.). Persuasionem autem suam summo cum animi ardore et impetu pronuntiat; unde difficile est dictu, quo accurato sensu singula enumerationis membra nos a caritate, qua Deus electos amplectitur, separare posse significet.

Primo in loco *mortem* et *vitam* nominat, et mortem quidem, uti *Thom.* recte coniicere videtur, velut « praecipuum inter terribilia », vitam vero « velut praecipuum inter appetibilia ». Minus apte a *Chrys. Theod.* intelligitur aeterna mors et vita, ac si sensus sit : « neque si quis mortem aeternam mihi comminaretur, ut a Christo separer, neque si vitam aeternam promitteret, ego conditionem admitterem » (*Chrys.*); neque enim de re plane impossibili, sed de tentationibus, quae hominem ad infidelitatem adducere et caritate Dei indignum reddere per se possunt, Apostolum loqui censemus (cfr *Est.* etc.). Quare duo (vel tria) sequentia quoque membra : *neque angeli neque principatus* (*neque virtutes*) de bonorum angelorum ordinibus non interpretamur, qui electos tentare per impossibile supponantur (cfr *Gal.* 1,18 ubi eiusmodi hypothesis impossibilis utique admittenda est), sed de malis angelis, qui ordinum, ad quos ante lapsum pertinuerunt, nomina viresque naturales retinent (cfr ad 1 *Cor.* 15,24; *Eph.* 6,12). Neque a communi sententia, iuxta quam utroque nomine (vel omnibus tribus nominibus) aut boni angeli soli aut soli mali designantur, cum nonnullis modernis recedere licet, ut uno bonos, altero malos spiritus, aut uno angelicas vel daemoniacas, altero humanas potestates significari dicamus. Imbecilla enim est eorum ratio, in praecedentibus inter vitam et mortem et in sequentibus inter instantia et futura atque inter altitudinem et profundum adesse oppositionem quandam, similem igitur in his membris esse admittendam. Immerito quippe supponitur, Apostolum antithesibus quasi ludere oppositaque cumulare; nam id unum agit, ut nihil omnino in rerum universitate electis nocere posse doceat. Hanc ob causam praeter angelos etiam unum vel duos ex superioribus ordinibus nominat, ut omnes etiam potentissimorum daemonum vires vincendis electis impares esse efficacius inculcet.

Ad visibilia iam transiens prius omnia bona et mala, quae hominibus tentationi esse possunt, iuxta temporis ordinem distinguit : *neque instantia* (ἐνεστῶτα i. q. *praesentia* cfr ad 1 *Cor.* 3,22), sive delectationem sive dolorem inferunt, *neque futura* (μέλλοντα), sive desiderium sive timorem excitant, nos a Christo separare possunt. Deinde humanos magistratus commemorare videtur : οὔτε δυνάμεις *neque virtutes*, quibus hoc in loco, quid aliud designetur, non apparet; similiter latinum *fortitudo* ab antiquioribus iunioribusque explicatur « potentia tyrannorum et persecutorum » (*Tol.*), « fortitudo principum

huius saeculi » (Est.) etc. Sicut autem modo temporis, ita nunc loci ratione omnia bona ac mala distinguit : *neque altitudo neque profundum;* quin enim abstracta haec nomina (ὕψωμα, βάθος) pro concretis (ὑψηλά, βαθεῖα alta, profunda) sint adhibita, vix potest esse dubium. Accuratiorem tamen horum nominum non magis quam praecedentium (*instantia, futura*) definitionem quaerendam esse existimamus; satis arbitrariae enim sunt eae, quae proponi solent : « spiritus nequitiae de coelestibus et de infernis » (*Orig.*), « coelum et gehennam » (*Theod.*), « celeberrima et maxime ingloriosa » (*Mopsu.*), « neque altitudo, ex qua sc. mihi minaretur praecipitium, neque profundum, in quo aliquis submersionem mihi minaretur » (*Thom.*), « neque prosperitas neque adversitas » (*Tol.*) etc.

Tam persuasum autem est Apostolo, nihil omnino electos a Deo separaturum esse, ut sua enumeratione, quae omnia iam complectitur, quasi non contentus ultimo in loco addat : *neque aliqua creatura alia* (οὔτε τις κτίσις ἑτέρα); quibus verbis nullam plane rem cogitari posse asserit, qua electi separentur *a caritate Dei, quae est in Christo Iesu,* i. e. a caritate, qua Deus eos prosequitur quamque eis Christus meritis suis conciliavit. Divinae enim erga nos dilectionis fundamentum Christus est tamquam mediator ac propitiator noster.

Eadem igitur ratione Apostolus sectionem hanc terminat, qua eam inchoarat. Per Iesum Christum enim nobis pacem cum Deo ac spem gloriae aeternae redditam esse ibi asseruerat (5,1 sqq.), atque nunc demonstratione sua terminata de certitudine futurae nostrae gloriae iure gloriatur. Clarum autem est, eundem non esse hominem, qui hic tanta cum vi fiduciam salutis suae profitetur et qui supra (7,24) gemebundus exclamavit : « Quis me liberabit de corpore mortis huius! » Quodsi hoc in loco iustificatus loquitur, id quod nemo in dubitationem vocare audebit, ibi hominem sub Legis et peccati iugo constitutum loqui necessario erit dicendum.

SECTIO TERTIA.

QUAE EVANGELII SIT RELATIO AD SALUTIS PROMISSIONES POPULO ISRAEL DIVINITUS FACTAS (9,1-11,36).

In generali sua thesi S. Paulus, quum Evangelium « virtutem Dei in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco » diceret (1,16), Iudaeis speciale quoddam ius ad iustitiam salutemque per Evangelium allatam competere haud sine ratione insinuavit. Populo enim Israel inde a patriarcharum aetate Deus iterum iterumque Messiam promiserat, cuius regnum summam ei allaturum esset felicitatem; quare ad benedictiones per Christum allatas non tantum eadem ratione, qua reliquae nationes, propter divinam misericordiam, sed etiam quasi iure suo proprio propter Dei promittentis fidelitatem aspirare potuerunt (cfr 15,8 sq.). Verum Iudaei cum ducibus sacerdotibusque suis Christum advenientem eiusque Evangelium respuerant, atque eo tempore, quo scripta est epistola nostra, i. e. triginta circiter annis post Domini mortem, totus fere populus in sua infidelitate sese quasi obduraverat, ita ut a messianica iustitia ac salute, quam non nisi fide evangelica obtineri Apostolus docuit, plane exclusus esse videretur. In eorum autem locum successerant ethnici, qui paene ubique fidem magna cum promptitudine acceperant florentissimasque ecclesias in praecipuis romani imperii civitatibus fundaverant. Qui rerum status, quoniam divinis promissionibus repugnare videbatur, haud levem creavit difficultatem, quam Apostolo praetermittere non licuit. Haud enim improbabile est, incredulos Iudaeos hac obiectione praedicationem evangelicam impugnasse scrupulosque animis neophytorum iniecisse[1]. In prima quidem epistolae sectione Paulus iam ostenderat, doctrinam

1. Medio saec. 5. *Gennadius*, patriarcha constantinop., hanc difficultatem egregie iam exposuit (cfr *Cramer* Catena graec. in N. T. IV. 159 sq.) : « Apostolus postquam eos, ut Evangelio firmiter credentes pro eo cunctas tribulationes alacriter tolerarent, omni modo confirmavit (8,31-39), ad obiectionem sibi propositam, eamque validissimam respondere vult... Dicebant enim Iudaei illi, qui Apostolis eorumque praedicationi adversabantur, unum e duobus necessario esse admittendum : aut Evangelium esse falsum aut Deum esse mendacem. Si enim, inquiunt, ea quae vos praedicatis vera sunt, Deus est mendax, quia patrias promissiones, maioribus nostris de nobis dictas, opere non implet; Abrahae enim promisit,

de iustitia fidei cum veteris oeconomiae revelatione plane consonare (3,21 sqq.; 4,1 sqq.), ac promissiones quoque divinas incredulitate aliquorum irritas non reddi obiter iam monuerat (3,1 sqq.); sed ut thesin suam invicte stabiliret, totam quaestionem accuratius tractandam censuit.

Itaque doctrinam suam ab illa Iudaeorum obiectione vindicaturus in hac sectione, ultimis theseos suae verbis (*Iudaeo primum et Graeco*) quasi explanatis (cfr *Cai.*), ostendit, quae Evangelii, quod divinam suam virtutem ad omnes credentes sine distinctione extendit, relatio sit ad messianae salutis promissiones soli Israeli olim a Deo datas. Primo autem in loco, promissionum illarum, quae naturali generationi aut operibus Legis non sint alligatae neque perfectam Dei ad salutem vocantis libertatem coarctent, indole explanata, earum efficaciam eo non tolli demonstrat, quod iuxta prophetarum vaticinia ethnici multi vocentur, Iudaei autem pauci tantum salutis participes fiant (9,1-29). Causam deinde, cur multi Iudaei ad iustitiam, quam ethnici fide apprehenderint, non perveniant, eorum ipsorum esse ignorantiam culpabilem monet, quum Legem non intelligentes iustitiam propriam statuere velint, evangelicae autem fidei iustitiam respuerint (9,30-10,21). Demum ex praesente Iudaeorum multorum infidelitate ad totius populi reiectionem immerito concludi praefatus infidelitatem illam sapientissimo Dei consilio permitti docet; eam quippe saluti esse gentibus, quae ipsae fide sua Iudaeos quoque ad fidem sint adducturae, ut hac ratione utrique sese mutuo adiuvantes ex infidelitate salventur (11,1-32). Unde totam tractationem laude terminat misericordiae ac sapientiae, qua Deus viis humano intellectui imperviis omnes ad salutem perducit (11,33-36).

Tribus ergo paragraphis quaestio ita absolvitur, ut in prima doceatur, praesentem Iudaeorum infidelitatem et reiectionem cum divinis promissionibus non pugnare (9,1-29); in secunda, eos sibi ipsis suam exclusionem a salute promissa debere (9,30-10,21); in tertia, eorum infidelitatem, a Deo ob sapientissimas rationes permissam, dumtaxat partialem esse et temporariam (11,1-36).

se eius semini benedictiones esse collaturum, nunc autem ad eas nostro loco impuros homines et alienigenas, scilicet gentes, admisit. Si igitur praedicatio vestra, uti vos dicitis, est effectus promissionum illarum, manifestum est, Deum patribus nostris mentitum esse. Quod quum dicere impium sit, vos estis mendaces et praedicatio vestra est fallax. Talia Apostolis continuo obiicientes haud leves eis creabant molestias et difficultates » etc.

§ 7. — *Praesens Israelis exclusio a salute messiana cum promissionibus divinis non pugnat* (9,1-29).

De tristi contribulium suorum conditione, quae electorum felicitati ac securitati modo descriptae prorsus est opposita, locuturus Paulus quasi a benevolentiae captatione exorditur, qua dolorem suum de gentis suae reiectione declarat (9,1-5). Ad argumentationem dein transiens promissiones, eo quod non omnes Iudaei salutis messianae participes facti sint, irritas non reddi ex patriarcharum historia demonstrat, quae vocationem quum ad veteris oeconomiae bona tum ad regni messiani iustitiam a naturali generatione aut a praeviis operibus non pendere, sed gratuitae Dei electioni deberi doceat (9,6-13). Difficultatem vero, quam Iudaei movere poterant, quod Deus, quum prae ipsis gentes eligeret, iniustus esse videretur, ita solvit, ut Scripturae testimoniis Deum in gratiarum suarum distributione liberrimum esse ostendat (9,14-24), et in sua electione, quum gentibus vocatis magnam Iudaeorum partem a salute messiana excludat, ea sequi doceat, quae per prophetas iam annuntiaverat (9,25-29).

1. — *Exordium.* — *Apostoli tristitia de praesente populi sui infidelitate* (9,1-5).

9,1. Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: 2. quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, 4. qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa: 5. quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

9,1. 5. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ, 2. ὅτι λύπη μοί ἐστιν μεγάλη καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου· 3. ηὐχόμην γὰρ ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα, 4. οἵτινές εἰσιν Ἰσραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ διαθήκη καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, 5. ὧν οἱ πατέρες καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν [1].

1. *VV. LL.* — 1. ἐν Χριστῷ (*in Christo*), altero nomine non addito, B ℵ A C K L, omnes fere minusc., *It.* (*S. Aug.* c. advers. Leg. II. 2, 7, *Prim.* etc.) *Vulg.* aliaeque vers.; sed ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (in Christo *Iesu*) D E F G, *It.* (cfr *Ambr.* *Orig.* interpr. etc.) *Arm.*

Magna cum sollemnitate veracitatem suam asseverans (*v.* 1) Apostolus summum suum dolorem de contribulium suorum infidelitate (*v.* 2) ardensque suum desiderium salutis eorum enuntiat (*v.* 3) magnis eorum privilegiis agnitis et celebratis (4. 5).

Asyndete nova haec sectio praecedenti adiungitur; quo tamen nexu exordium hoc cum clausula superiore colligitur, facile apparet. Fructibus enim, quos iustitia fidei credentibus affert, consideratis B. Paulus electorum nomine securitatem celebraverat, qua omnes, qui vocationem ad Evangelium secuti in Dei dilectione perseverant, mediis in persecutionibus tribulationibusque perstare possint. Sed in eorum numero non nisi paucos contribules suos invenit; contra vero ad populum suum oculos convertens eum fere totum salutem illam, quae ei proxime ac directe erat promissa, repellere Evangeliique praecones persequi videt. Hinc acerbus ille dolor, quem a principio ita exprimit, ut causam eius celet : 1. *veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente* (συμμαρτυρούσης μοι) *conscientia mea in Spiritu sancto*, 2. *quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.* Positive (*veritatem dico*) et negative (*non mentior*) veracitatem suam asserit (cfr 1 *Tim.* 2,7) et utrumque membrum appositione quadam corroborat augetque. Veritatem enim se dicere asserit *in Christo*, i. e. tamquam virum intime unitum cum Christo, ad quem omnes suas cogitationes actionesque referat, vel tamquam membrum et ministrum Christi. Haud infrequens Paulo est hic loquendi modus (cfr ad 2 *Cor.* 2,17; 12,19; 1 *Thess.* 4,1 etc.); quare minus recte alii verba *in Christo* (ἐν Χριστῷ) pro iurandi formula (i. q. *per Christum!* πρὸς Χριστοῦ) habent (cfr *Haym. Thom.* etc., *Est. Iust. Lap.* etc., *Ag.* etc. — *Beng. Reiche, Vollm.* etc.). Quamquam enim locutio ὀμόσαι ἔν τινι (iurare in aliquo) per hebraismum pro ב נִשְׁבַּע aliquoties usurpatur (cfr *Ierem.* 5,7 etc.; *Matth.* 23,16. 18. 20-22 etc.), nusquam tamen nu-

(codd.). — 3. ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγώ (anathema esse ipse ego) hoc verborum ordine B A D E F G, aliqui minusc. et PP., *It.* (*S. Pacian.* ad Sympr. ep. 2,8; *S. Ambr.* in Luc. III. n. 5 etc.); sed *textus rec.* : αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι (ipse ego anathema esse) cum C K L, omnibus fere minusc. et PP., *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Demid. Harl. Tol.*) *Arm. Copt. Aeth.*; cum *It.* tamen (cfr *S. Aug.* c. Faust. XII. 3 etc., *Auct Prim.* etc.) *Vulg. Clem.* iuxta iuniores codd. minus energice : *ego ipse anathema* esse. — 4. ἡ διαθήκη (*testamentum*) B D E F G, aliqui PP. gr., *Vulg. Clem.* (cum *Fuld. Demid.* et iunioribus codd.) *Aeth.*; sed melius *textus rec.* : αἱ διαθῆκαι (testamenta) cum ℵ C K, omnibus fere minusc., *It.* (*S. Aug.* c. Faust. III. 3; XII. 3 etc. *Auct Prim.* etc.) *Vulg.* (cfr *S. Hier.* ad Algas. ep. 121,9; codd. *Amiat. Harl. Tolet.* etc.) *Syr. Copt. Goth. Arm.* — 5. De huius sententiae interpunctione, num nimirum verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων κτλ puncto a praecedentibus sint separanda, cfr *Comment.*

dum ἔν τινι (in aliquo) velut iurandi formula reperitur. Negativum porro membrum (*non mentior*) corroborat ad conscientiam suam appellans, quae ipsum contra mentem suam non loqui (i. e. non mentiri) testetur. « Quia autem interdum, inquit *Thom.*, conscientia errat, nisi per S. Spiritum rectificetur, subdit *in Spiritu S.* ». Quae tamen appositio haud recte a nonnullis immediate ad nomen *conscientia* trahitur (conscientia quae est in S. Spiritu, cum eo unitur, ab eo dirigitur), siquidem eodem modo, quo locutio ἐν Χριστῷ, locutio ἐν Πνεύματι adhiberi nec solet nec potest. Ad participium (συμμαρτυρούσης simul testimonium perhibente) potius pertinet, ut sensus sit : conscientia mecum (scilicet loquente) testatur in Spiritu S., i. e. Spiritu illam illustrante et impellente. In hoc quoque membro antiquiores iunioresque multi iuramentum deprehendunt ac praeeuntibus *Chrys.* et *Hier.* (ad Algas. ep. 121,9) in tota sententia tres veritatis testes a Paulo invocari censent, Christum, conscientiam, Spiritum (cfr *Cai. Tol. Est. Iust. Lap.* etc.). Verum gravis asseveratio veritatis nondum est iuramentum atque alio modo Paulus loqui solet, ubi Deum vel Christum testem invocat (cfr 1,9; 2 *Cor.* 1,23; 11,10; *Gal.* 5,3; 1 *Tim.* 5,21 etc.).

Iamvero quia tanta est assertionis vis, nemini sane dubitare licet, quin verum sit, *quoniam* (i. e. *quod* ὅτι) *magna ei est tristitia et continuus dolor animi.* Qua de re doleat, hic quidem nondum dicit, sed quum eam in proxima sententia iam indicet, satis mirum est, quod *Hugo Victor.* (qu. 231) coniicere potuerit, eum dolere, « quod prius cum errantibus errans persecutus sit Ecclesiam ». De tristi enim populi sui a Christo separati conditione dolet; tanta autem cum sollemnitate hunc dolorem asseverat, quia una ex parte haud ignorat, se etiam a multis Iudaeochristianis adversarium contribulium suorum et Legis patriae obtrectatorem haberi (cfr *Act.* 21,21), altera ex parte summae curae ei est, ut omnibus neophytis sine exceptione persuadeat, tantum abesse, ut contribules suos contemnat aut aversetur, ut maximo potius amore eos complectatur. Secus enim timendum ei erat, ne omnia illa, quae Iudaeis ingrata dicturus erat, odio invidiaeque magis quam puro veritatis studio zeloque animarum suo attribuerentur.

Hanc ob causam etiam statim, quanto cum ardore salutem gentis suae desideret, gravissimis verbis explanat : 3. *optabam* (ηὐχόμην lege cum *Cassian.* collat. 23,6 : *optarem*) *enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem* (iuxta graecum : ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα melius : *pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem* cfr *A*[ter]; minus accurate *S. Hier.* ad Algas. ep. 121,9 : « pro fratribus meis *ac* propinquis iuxta carnem »). Eodem modo, quo *Vulg.* interpres alibi

imperfectum indicat. ἤθελον latino imperf. coniunct. *vellem* reddidit, quia ibi de desiderio quod impleri nequeat agitur (*Gal.* 4,20), etiam nostrum ηὐχόμην coniunctivo *optarem* reddere omnino debuit, quia similiter de desiderio sermo est, quod non potest impleri [1]. Optaret igitur Apostolus pro contribulibus suis, si id fieri posset et ad fratres salvandos necessarium aut utile esset, ipse *anathema esse a Christo* (ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ praegnanter pro ἀνάθεμα εἶναι καὶ χωρίζεσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ) i. e. a Christo separatum perpetuis tormentis addici [2]. Quod desiderium tantum abest, ut quidquam habeat, quod male sonet, ut summam perfectionem spiret atque ardentissimae purissimaeque caritatis sit significatio. Quo enim sensu illud intelligatur oporteat, bene iam *Orig.* insinuat : « Quid mirum, si Apostolus pro fratribus suis anathema fieri velit, quum sciat eum qui in forma Dei erat exinanisse se ac suscepisse formam servi (*Phil.* 2,6 sq.) et factum esse pro nobis maledictum (*Gal.* 3,13)? Quid ergo mirum, si, quum Dominus pro servis maledictum factus sit, servus pro fratribus anathema fiat? » Similiter *S. Greg. Naz.* (orat. 2,55) Pauli virtutes celebrans : « quin etiam maius aliquid, inquit, pro suis fratribus secundum carnem ausus est, ut ipse quoque aliquid audeam dicens : suo loco eos ad Christum introduci pro sua caritate optat! O eximiam animi magnitudinem et liberalitatem! Christum, qui nostra causa maledictum factus est atque iniquitates nostras suscepit aegrotationesque nostras portavit (cfr *Matth.* 8,7) imitatur, vel ut moderatius dicam, primus post Christum eorum causa aliquid, etiam quasi impius (καὶ ὡς ἀσεβής) pati paratus est, dummodo illi salutem consequantur » [3]. Simili igitur ratione, qua Christus innocentissimus ob nostrum amorem, nostris in se susceptis peccatis, a Patre pro nobis factus est peccatum (cfr ad 2 *Cor.* 5,21) et in ligno suspensus, ut nostras poenas lueret, pro nobis

1. De indicativi temporum historicorum usu in eiusmodi optationibus cfr *Buttmann* Griech. Gramm. Ed. 20. p 417; *Curtius* Griech. Schulgramm. Ed. 14. 1880, p. 286 sq. etc. Interdum indicativo huic particula ἄν additur (ἐβουλόμην ἄν i. q. *vellem*). *Schoemann* quidem (ad Isaeum p. 435) adnotat : « Addita particula voluntatem significamus a conditione suspensam : *vellem si liceret;* omissa autem particula etiam conditionis notio nulla subintelligitur, sed hoc potius indicatur, vere nos illud voluisse, etiamsi omittenda fuerit voluntas, scilicet eo quod frustra nos velle cognovimus ». At hanc distinctionem saltem in graecitate Novi Test. non observari, iure monet *Winer* Gramm. p. 266), aliique eam gratis assertam dicunt.

2. De etymologia et significatione vocabuli ἀνάθεμα cfr *Comm.* in 1 Cor. *p.* 361.

3. Eandem interpretationem *S. Greg. Naz.* supponit, ubi Macedonianos quosdam, qui licet in fide errarent bonis moribus erant conspicui, in hunc modum alloquitur (orat. 41,8) : « Quin etiam maius aliquid vestra causa dicere illudque Apostoli adhibere non dubito : adeo vos amo et modestum hunc habitum vestrum revereor..., ut etiam anathema a Christo esse et aliquid quasi damnatus (ὡς κατάκριτος) pati paratus sim, dummodo vobis nobiscum unitis omnes uno ore Trinitatem celebremus ».

factus est maledictum, Paulus quoque ob purum fratrum suorum amorem, ut eos Christo subiugatos salvaret, eorum infidelitatis poenis in se susceptis a Christo glorificato separari ac damnatorum supplicia perferre optaret, si id fieri omnino posset, ut qui interne cum Christo gratia et caritate est unitus, externe ab eo in aeternum separaretur.

Cum hac explicatione *Chrys.* quoque consentit, licet Apostolum non tam ob Iudaeorum, quam ob Christi amorem ita locutum esse nimis urgeat; ita enim eius verba amplificat : « Propterea discrucior et, si id fieri posset, separari a Christi choro et abalienari, *non ab eius amore* — absit, quia id propter eius amorem faciebat — *sed ab eius fruitione et gloria* admitterem, ne Dominus meus blasphemaretur neque amplius audirem quosdam dicentes, rem in fraudem esse versam : Aliis promisit, aliis dedit; ex aliis natus est, alios salvat;... Ne igitur haec dicantur de Domino meo, etsi iniuste dicantur, a regno gloriae exciderem et a gloria illa ineffabili omniaque gravia sustinerem, magnam in labore consolationem sentiens, si non audirem illum, quem tantopere amo, blasphemari » (cfr etiam *Chrys.* de compunct. I. 5,6). Cum *Chrys.* ex Graecis consentiunt *S. Isid. Pelus.* epist. II. 58, *Damasc. Theoph.*; ex Latinis autem ad *Orig.* et *Greg. Naz.* sententiam propius accedit *Cassian.* (collat. 23,6) Pauli amorem erga Christum non tantopere premens : « Optarem enim ipse ego anathema esse a Christo pro fratibus meis, id est : vellem ego non solum temporalibus, verum etiam perpetuis addici poenis, dummodo omnes, si fieri posset, homines Christi consortio fruerentur; certus enim sum, utiliorem Christo et mihi omnium salutem esse quam meam ». Ad eandem ex iunioribus ac modernis accedunt *Est. Lap. Men. Tir. Nat. Pic.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. LR. Weinh. Ag.* etc., qui plerique haud immerito precationem Moysis (*Exod.* 32,31 sq.) comparant, quae etiam est de sola poena, et quidem de morte temporali (« dele me de libro tuo » i. e. de libro viventium cfr Ps. 138,16; 68,29).

De aliis interpretationibus pauca addamus. *Chrys.* iam duas velut absurdas impugnat, quarum prior ἀνάθεμα hic donarium Deo consecratum (i. q. ἀνάθημα *Luc.* 21,5 cfr 2 *Mach.* 3,2; 9,16) significare vult, acsi Apostolus cimelium Christi pro fratribus suis fieri desideraret! Altera occisionem designari censet, atque hanc sententiam ipse *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,9) tenuit : « Vult ergo Apostolus perire in carne, ut alii salventur in spiritu, suum sanguinem fundere, ut multorum animae conserventur. Quod autem anathema interdum occisionem sonet, multis Veteris Instrumenti testimoniis probari potest ». At *S. Hier.* non attendit, nomen ἀνάθεμα non nude poni, sed ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ (anathema a Christo), quae locutio nullo modo occisionem sonare potest. Ceterum recte quoque *Chrys.* et *Isid. Pel.* monent, Paulum, qui tot tantaque mortis pericula ad Evangelium propagandum quotidie subibat, haud singulare amoris sui erga Iudaeos signum daturum fuisse, si se pro iis mori dumtaxat paratum esse asseruisset. Hinc mirum non est, quod praeter *Haym.* vix quisquam Hieronymi opinionem

sit secutus. Plures autem antiquiores et iuniores Latini cum *Pel.* imperfectum indic. *optabam* urgentes Apostolum de desiderio loqui volunt, quod ante suam conversionem ad Christum habuit: « *Optabam* aliquando, quum persequerer Christum, non modo *optarem* » (*Pel.* cfr *Abael. Herv.* etc., *Cai. Tolet.* etc.). Cui explicationi ipsum imperfectum graecum nude positum iam obstat, quia aut aorist. ηὐξάμην adhiberi, aut saltem particula quaedam tempori imperfecto addi (ηὐχόμην ποτέ) debuit. Praeterea iuxta hanc explicationem quis sit nexus sententiae cum praecedentibus sequentibusque non apparet, et « nihil magnum, inquit *Thom.*, diceret Apostolus, quia tunc etiam *propter se* volebat esse separatus a Christo », vel potius : non a Christo, sed a Iesu, quem pro Pseudomessia habuit.

Hac igitur explicatione reprobata *Thom.* hunc esse sensum statuit : « Optabam, scilicet si fieri posset (ergo i. q. *optarem*) anathema esse a gloria Christi *vel simpliciter vel ad tempus* propter honorem Christi, qui est ex conversione Iudaeorum ». Nostrae igitur interpretationi, quam suo *simpliciter* indicat, alteram adiungit, iuxta quam simili modo, quo *Phil.* 1,23, sese paratum declarat ad longiorem vitam longioresque labores pro Iudaeis suscipiendos. Ast hunc sensum, quem *Thom.* omnino videtur praetulisse (cfr Summ. theol. II. 2 qu. 27 a. 8 ad 1; qu. 182 a. 2; similiter *Lyr.* etc.) locutio ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ non admittit. Numquid sanctos, quamdiu hac in terra degentes pro Christo laborant, anathemata a Christo appellare licet, quia gloria Christi nondum fruuntur?

Phot. (cfr *Oecum.* etc.) ad difficultatem solvendam monet, Paulum non dixisse : ηὐχόμην ἀνάθεμα γενέσθαι (optarem anathema *fieri*), i. e. abhinc in posterum a Christo separari, id enim optare ei non licuisse; sed dixisse : ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι (optarem anathema *esse*), i. e. hucusque nondum ad Christum accessisse, ita ut Iudaei ante eum accedere potuerint : « Nolite arbitrari, me vos ad Christum vocare, quia ego prius ad eum adierim; eligerem enim potius nondum ad eum venisse, si hoc ad vos adducendos iuvaret ». Sed contra hanc explicationem recte *Tolet.* obiicit, Iudaeos a conversione non fuisse retentos praecedente Pauli conversione, superfluum ergo istud Pauli desiderium fuisse; quin etiam illicitum illud fuisse, quia nemo potest desiderare, ut adhuc sit peccator et persecutor Ecclesiae.

Multo magis ultima obiectio valet contra nonnullorum acath. sententiam, qui Paulum non tantum separationem a gloriae Christi fruitione, sed ipsam quoque separationem ab eius gratia locutione illa significare volunt (cfr *Fritzsche* etc.). Mirum sane est, quod aliqui moderni cath. eidem sententiae faveant (*Mai. Sch.*) omnemque difficultatem se removere putent, si Paulum illud re non optavisse sed optaturum fuisse, si fieri potuisset, dicant. Atque magis mirum, quod ad suam sententiam corroborandam ad *Thom. Kemp.* (de imit. Christi III. 5) verba appellant : « Amor modum saepe nescit, sed super omnem modum fervescit »[1].

1. Cfr ex. gr. *A. Schäfer* Roemerbrief p. 283 sq. : « So aber ist es dem Apostel voll und ganz Ernst damit, dass er für seinen Theil zum Besten Israels *alles* daran zu setzen bereit

Undenam tam vehemens desiderium salutis Iudaeorum sit profectum, Paulus aliquo modo iam insinuat, quum eos *fratres suos* (secundum propinquitatem religiosam) ac simul *cognatos suos secundum carnem* appellat; natura enim duce favemus ac bene cupimus eis, quos religionis sanguinisque vincula nobiscum coniungunt. Veram tamen desiderii illius ardentis rationem praerogativae constituunt, quibus Deus populum israeliticum ditaverat ac prae omnibus nationibus decoraverat : 4. *qui* (οἵτινες *quippe qui*) *sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum* (ἡ υἱοθεσία) *et gloria* (ἡ δόξα) *et testamentum* (melius cfr *VV. LL.* : αἱ διαθῆκαι *testamenta*) *et legislatio* (ἡ νομοθεσία) *et obsequium* (cum *S. Hier.* ad Algas. ep. 121,9 lege : *et cultus* ἡ λατρεία) *et promissa* (*S. Hier.* l. c : *repromissiones* αἱ ἐπαγγελίαι). Pronomine οἵτινες (*quippe qui*) ratio introducitur, cur Paulus pro fratrum cognatorumque salute tam dira pati sit paratus; sunt enim *Israelitae*, quo honorifico nomine, quod a patre suo Iacobo hereditarunt, cui Deus ipse nomen Israel imposuerat (*Gen.* 32,29), omnia ornamenta divinitus collata quasi concluduntur.

Praecipua eorum quaedam oratione concitata enumerantur; praeprimis enim habent *adoptionem filiorum*, non illam quidem, qua in Novo Test. per gratiam sanctificantem infusam filii Dei nominamur et sumus (8,15 sqq. etc.), sed imperfectiorem illam, qua populus Israel prae aliis omnibus nationibus a Deo velut peculium erat electus (*Exod.* 19,5) atque a Deo *filius* seu *filius primogenitus* appellabatur (*Exod.* 4,22 sq.; *Deut.* 14,1 sq.; 32,6; *Os.* 11,1 etc.). Quia autem Deus populum Israel sibi in peculium elegerat, ideo etiam singulari ratione in eo ita inhabitare voluit, ut continua sua protectione atque interdum signis sensibilibus quoque suam praesentiam manifestaret. Postquam enim in tabernaculo foederis arca, quae praesentis Dei symbolum erat, deposita est, nubes operuit illud « et gloria Domini implevit illud » (Exod. 40,34 sqq.). Similiter templum salomonicum post arcam illatam a gloria Domini repletum est (3 *Reg.* 8,10. 11); unde deinceps « locus habitationis gloriae Domini » appellabatur (*Ps.* 25,8 etc.); antequam autem a Nabuchodonosor destrueretur, iuxta Ezechielis, visionem (*Ezech.* 10,11) gloria Domini ab eo recessit. Haec igitur Dei

ist, was nur immer *im Bereich der Möglichkeit* liegt; ja sogar — wenn dieses der Fall wäre — würde er auch bereit sein, die Rechte, Vorzuge und Segnungen der Zugehörigkeit zum neutestamentlichen Bundesvolke zu opfern und den Ausschluss von den Gnadenschätzen der Kirche wie deren Folge zu tragen, um seine Brüder zu retten ». In nota addit, desiderium vel actum voluntatis in Paulo non adfuisse, quia rem fieri non posse constructione hypothetica indicetur; attamen iuxta *Sch.* adfuit saltem inefficax et hypotheticum desiderium rei iuxta explicationem intrinsece malae.

in medio populo inhabitatio, quae etiam certo quodam modo in secundo templo sese manifestavit (2 *Mach.* 1, 18 sqq.), nomine *gloriae* designari recte dicitur. Arctius vero nonnulli solam arcam foederis (nimirum propter 1 *Reg.* 4,22) intelligere volunt (cfr *Tol. Iust.* etc.); nam inde ab exsilio babylonico hoc praesentiae divinae symbolum in templo non amplius adfuit, Paulus autem *gloriam* Iudaeis semper remansisse supponit. Nimis late vero et vage alii gloriam interpretantur ipsam populi israelitici electionem (cfr *Chrys.* etc., *Herv.* etc.), aut complexum beneficiorum (miracula, vaticinia etc.), quibus Israel inter omnes gentes fuerit gloriosus (cfr *Theod.* etc., *Est. Lap.* etc.).

Tertio in loco iuxta meliores testes (cfr *VV. LL.*) nominantur *testamenta* (αἱ διαθῆκαι), qua appellatione omnia foedera comprehenduntur, quae Deus primum cum populi maioribus, Abraham Isaac Iacob (cfr *Exod.* 2,24. *Lev.* 26,42), ac deinde per Moysen cum populo ipso pepegerat (cfr *Eccli.* 44,11; *Eph.* 2,11). Neque enim hic, ubi de Iudaeis nondum conversis agitur, vetus et novum testamenta, id quod cum *Theod. S. Hier.* (l. c.) *S. Aug.* (c. Faust. XII. 3) aliqui volunt, apte intelliguntur. Minus recte quoque alii duas Legis tabulas plurali significari censent, nam in sequente membro *legislatio*, utique mosaica, a praecedentibus ornamentis distinguitur. Legislationem sequitur ἡ λατρεία, i. e. cultus Deo iuxta Legis divinae praescripta exhibendus[1], qui quidem nomine legislationis iam aliquo modo erat indicatus, ob suam dignitatem tamen speciali mentione dignus erat. Similiter *promissa* seu *repromissiones* (αἱ ἐπαγγελίαι) partem constituunt foederum, quae eo tendebant, ut populo Legem divinitus datam observanti et Deo cultum praescriptum exhibenti benedictiones messianicae darentur; sed ipsae quoque promissiones plane singulare fuerunt populi electi ornamentum, quod nulli alteri genti erat concessum neque ullo modo in hac enumeratione omitti potuit.

Quibus Dei beneficiis, quae totidem sunt populi decora et ornamenta, enumeratis « dignitatem Iudaeorum ex eorum origine et prole describit » (*Thom.*) : 5. *quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem* (τὸ κατὰ σάρκα), *qui est super omnia Deus benedictus in saecula; Amen.* Nomine *patrum* hic ex cunctis Israelis maioribus proxime Abraham, Isaac, Iacob, quibus promissiones erant dictae, intelligendos

1. Graecum nomen λατρεία noster interpres hoc in loco aeque ac 12,1 et *Ioan.* 16,2 latino *obsequium* satis vage reddidit; in *Hebr.* 9,1 illud vertit *cultura* et pluralem αἱ λατρεῖαι (*Hebr.* 9,5) *officia;* saepius graecum nomen in Novo Test. non legitur. Latinum *obsequium* interpreti nostro etiam ad reddenda vocabula ὑπακοή (2 *Cor.* 10,5), λειτουργία (*Phil.* 2,17. 30), δωροφορία vel διακονία (*Rom.* 15,31; de lectione cfr infra) inservit; satis raro autem ab eo adhibetur, nam saepius non invenitur.

esse, clarum est. Summae enim gloriae sibi duxerunt Iudaei, quod ab illis descenderent, quos Deus tantopere dilexerat, ut eorum semen sibi eligeret (*Deut.* 4,37) et velut eorum Deus cognosci et celebrari vellet (*Exod.* 3,6 etc.; cfr *Act.* 7,32).

Summam autem gentis iudaicae decus est, quod ex ea *Christus secundum carnem* (τὸ κατὰ σάρκα quod ad naturam humanam attinet) nasci voluerit, *qui* secundum spiritum (cfr ad 1,4) vere *est super omnia Deus* (ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός) *benedictus in saecula.* Probe animadvertatur oportet, Paulum non dixisse : *quorum est Christus*, quemadmodum dixerat : *quorum sunt patres.* Nam salus ex Iudaeis quidem est (*Ioan.* 4,22), sed non est solorum Iudaeorum, et Christus, quamvis ex Iudaeis naturam humanam assumere voluerit, non ad solos Iudaeos salvandos advenit, quum salutare sit, quod Deus praeparavit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis Israel (*Luc.* 2,30 sqq.). Egregie *Thom.* his verbis quatuor haereses destrui dicit : « primo quidem Manichaeorum, qui dicebant Christum habuisse corpus phantasticum et non verum, quod removet per hoc quod dicit : *secundum carnem*...; secundo haeresin Valentini, qui dicit Christum non de massa generis humani, sed de coelo corpus attulisse, quod excludit in hoc, quod dicit Christum ex Iudaeis *secundum carnem esse*...; tertio haeresin Nestorii, qui posuit alium esse filium hominis, alium Dei, contra quem Apostolus hic dicit, quod *ille* est ex patribus *secundum carnem, qui est Deus super omnia;* quarto excluditur haeresis Arii, qui dicebat Christum esse minorem Patre et creatum ex nihilo, contra quorum primum dicit, quod est *Deus super omnia*, contra secundum quod est *benedictus in saecula;* hoc enim de solo Deo dicendum est, quod eius bonitas duret in saecula ».

Inde ab Erasmi aetate haud pauci acath., socianistico spiritu magis minusve imbuti, praeclarum hoc divinitatis Christi testimonium, interpunctione nova invecta, nobis eripere conantur. Puncto enim post ἐπὶ πάντων (*super omnia*) vel etiam post τὸ κατὰ σάρκα (*secundum carnem*) posito, aut verba ultima sola (Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν *Deus benedictus in saecula, amen*) aut integram sententiolam (ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς κτλ *qui est super omnia Deus benedictus in saecula, amen*) doxologiam esse declarant, qua Apostolus Deo de tot tantisque beneficiis populo israelitico collatis gratias agat.

Contra quos primum adnotamus, in doxologiis per modum exclamationis enuntiatis adiectivum εὐλογητός vel participium εὐλογημένος (*benedictus*), quoniam praecipuam sententiae vim habet, semper primum locum tenere, neque ullam huius usus loquendi in Novo aut in Vetere Test. inveniri exceptionem (cfr *Matth.* 21,9; 23,39; *Marc.* 11,9. 10; *Luc.* 1,68; 13,35. 38 [etiam 1,28. 42]; *Ioan*, 12,13; 2 *Cor.* 1,3; *Eph.* 1,3; 1 *Petr.* 1,3; — *Gen.* 9,26;

14,20; *Exod.* 18,10 etc.; 1 *Reg.* 25,32. 39 etc.; 3 *Reg.* 1,48; 8,15 etc.; *Ps.* 27,6; 30,22; 40,14 etc.). Ipsa igitur grammatica novam interpunctionem reprobat, idque eo magis, quia etiam participium ὤν, si sententiola ad Deum referenda est, prorsus abundat aut vitiose est positum (dicendum enim erat : εὐλογητός εἰς τοὺς αἰῶνας ὁ Θεός, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων). Praeterea quid sibi hic velit eiusmodi doxologia gratiarumque actio plane non apparet atque tantum abest, ut contextus eam postulet, ut ei repugnare videatur. De infidelibus enim Iudaeis hic agitur neque Paulus Deo gratias agere potest, quod tot beneficia infidelibus illis contulerit, contra quos divinam fidelitatem statim (*v.* 6 sqq.) defendere debet. Contra vero contextus antiquam, quam secuti sumus, interpunctionem postulat, non tantum quia in hac ornamentorum gentis iudaicae enumeratione summum ac maximum, quod nimirum Dei Filius ex ea carnem assumserit, silentio praetermittere non licuit; sed etiam quia locutio τὸ κατὰ σάρκα in priore membro Christum non fuisse merum hominem iam innuit; divina ergo eius natura declarari debuit, ut clarius appareret, cur Apostolus de fratrum suorum infidelitate tantopere doleret. Recte *Theod.* : « Quemadmodum in prooemio, quum dixisset : *factus ex semine David secundum carnem,* subiunxit : *qui definitus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis* (1,4), ita hic, quum dixisset : *secundum carnem* adiecit *qui est super omnia Deus benedictus in saecula*, et naturarum differentiam ostendens et merito lugere se docens, quod ex ipsis quidem sit secundum carnem, qui est Deus supra omnia, ipsi autem a nobilitate exciderint et ab illa cognatione alieni sint facti ».

Quae vero contra antiquam interpunctionem obiiciuntur, Paulum nusquam Christum Deum ac multo minus « Deum super omnia » appellare neque usquam eius nomini doxologiam addere, ea nullius iam essent momenti, si vera essent; quam plurima enim in hac, uti in aliis epistolis, Apostolus tradit, quae in reliquis non leguntur. At vera non sunt, nam Christus et *Eph.* 5,5 Deus appellatur et *Tit.* 2,13 « magnus Deus », neque quisquam mirari potest, quod nostro in loco ὁ ἐπὶ πάντων Θεός vocetur, si consideraverit, iuxta Pauli doctrinam « *in* Christo omnia (τὰ πάντα) condita esse in coelis et in terra, visibilia et invisibilia...; omnia *per ipsum* et *in ipsum* creata esse: ipsum ante omnes (omnia πρὸ πάντων) esse et omnia in ipso constare (*Col.* 1,16.17), in ipso omnem plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitare » (*Col.*2,9), eum « non rapinam arbitratum esse, esse se aequalem Dei » (*Phil.* 2,6) etc. Doxologia porro nomini Christi infra (16,27) additur et rursus 2 *Tim.* 4,18 et *Hebr.* 9,21. Optime quidem scimus, omnia haec testimonia variis effugiis obiectionibusque a rationalistis impugnari; quid vero eorum argumenta valeant, toties iam vidimus, ut sine ullo scrupulo ea interim spernere liceat; suis autem locis illa iure a nobis ad nostram interpretationem defendendam allata esse demonstrabimus.

Ceterum toti controversiae de huius loci interpunctione et interpretatione finem imponit antiquitatis christianae auctoritas. Etenim unanimi consensu Patres inde a primis fidei temporibus illam interpunctionem tuiti ac secuti sunt, quam ab illis traditam Ecclesia catholica, fidelis traditionis aposto-

licae custos, semper retinuit hodieque retinet. In erudita dissertatione de nostro loco *Em. Franzelin* (De Verbo incarnato. Ed. 2. Romae 1874. p.71-82) quadraginta circiter sex priorum saeculorum Patres scriptoresque ecclesiasticos velut testes citat, ex quibus praecipuos hic nominasse sufficit; ex Graecis nimirum *S. Iren.* (c. haer. III. 16,3), *S. Hippol.* (c. Noët. 6), *Auct. philosoph.* (c. haer. X. 33 in fin.), *Orig.* (in comm. h. l.), *S. Dion. Alex.* (c. Paul. Samos. resp. 6), *S. Athan.* (c. Arian. or. 1,10; 4,1; ad Epict. 10 etc.), *S. Basil.* (c. Eunom. IV. M. 29,677), *S. Greg. Nyss.* (c. Eunom. XI M. 45, 861), *S. Epiph.* (c. haer. 57,9), *S. Chrys.* (i. h. l.), *Theod.* (i. h. l.), *S. Cyr. Alex.* (c. Iulian. X. M. 76,1004) etc.; ex Latinis autem *Tert.* (c. Prax. 13), *Novat.* (de Trin. 13), *S. Cypr.* (Test. c. Iud. II. 6), *S. Hilar.* (de Trin. VIII 37 etc.), *S. Ambr.* (de fide IV. 11,139; de Spir. S. I. 3,46), *A*[ter] (i. h. l.), *S. Aug.* (expos. 59; c. Faust. III. 6; de Trin. II. 13,23 etc.), *Pelag.* (i. h. l.), *S. Hier.* (ad Algas. ep. 121,9) etc. Tam universalis et constans antiquitus fuit haec interpunctio, ut *Card. Franzelin* (l. c. p. 72) scribere non dubitet: « Immo inter veteres haereticos ipsos vix putem quemquam reperiri, qui diserte negare ausus sit huius incisi relationem ad Christum; video enim etiam eos, qui Christum verum Deum negabant, non detorsione verborum ad personam Patris — quae via sicut nostris rationalistis ita etiam illis veteribus fuisset expeditissima — sed aliqua perversione sensus sese extricare conatos esse ».

Quare satis mirari non possumus, quod *Tisch.*, quamvis ipse fere viginti gravissimorum Patrum nostram interpunctionem tuentium testimonia afferat, scribere audeat: « antiquitas christiana luculenter etiam testatur verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός κτλ *non* cum ὁ Χριστός coniungenda esse ». « Luculentos » autem sui asserti auctores ex tota antiquitate christiana usque ad finem saec. 9. afferre non potuit nisi quatuor, nimirum *Euseb.* (c. Marc. I. 1. M. 24,728; Demonstr. evang. III. 7; V. 13. M. 22,241. 392), *Ignat. interpol.* (ad Tars. 2. 5; ad Pilipp. 7), *Phot.* (c. Manich. III. 14), ac tandem JULIANUM APOSTATAM (apud *S. Cyr. Alex.* c. Julian. Ap. X. M. 76.1004). Verum ex his quatuor testibus duo priores (*Eus.* et *Ps. Ign.*) *nostrum textum non allegant*, sed ad *Eph.* 4,6 potius alludentes simili modo, quo alii nonnulli Patres, titulum ὁ ἐπὶ πάντων Θεός, uti Card. Franzelin recte monet, « *relative* ad intra intelligunt, ut significetur relatio principii, quod non est ex principio et quod est fons et principium omnium processionum ad intra ». Hoc enim sensu utique Pater solus vocari potest ὁ ἐπὶ πάντων Θεός. Nostro autem in loco titulus *essentialiter* sumitur, « ut significetur attributum *absolutum* eminentiae Dei et excellentiae super omnia, quae sunt vel concipi possunt; haec autem supereminentia, sicut omnia absoluta, non est propria uni personae neque proinde distinguens unam ab altera, sed est attributum realiter commune tribus, qui sunt unus Deus super omnia » ac de singulis personis, uti ipsum nomen Deus, praedicari potest. *Julianus Apost.* quoque *nostrum locum non allegat*, neque quidquam aliud habet nisi: « Paulus Iesum Deum dicere ausus non est »; quare etiam S. Cyr. ad illum refutandum nostro loco allato contentus est, neque accuratiore expositione aut defensione eum indigere censens clare ostendit, Iulianum quoque nova interpunctione eum non pervertisse. Solum igitur *Photium*, scriptorem (haereticum) exeuntis saec. 9. locum nostrum perverse interpretatum esse concedimus; numquid ipse solus tot tantisque antiquitatis testibus praevalet?

2. — *Admissionem ad promissiones a gratuita Dei vocatione pendere, patriarcharum historia docet* (9,6-13).

9,6. *Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae;* 7. *neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen :* 8. *id est, non qui filii carnis, hi filii Dei : sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.* 9. *Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam : et erit Sarae filius.* 10. *Non solum autem illa; sed et Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri.* 11. *Quum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali — ut secundum electionem propositum Dei maneret, —* 12. *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei :* 13. *Quia maior serviet minori, sicut scriptum est : Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

9,6. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ· 7. οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶν σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα, ἀλλ᾽ Ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. 8. τουτέστιν, οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκός, ταῦτα τέκνα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. 9. ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος· Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι καὶ ἔσται τῇ Σάρρᾳ υἱός. 10. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν· 11. μήπω γὰρ γεννηθέντων μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ φαῦλον, ἵνα ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ Θεοῦ μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ καλοῦντος, 12. ἐῤῥέθη αὐτῇ ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι, 13. καθάπερ γέγραπται· Τὸν Ἰσραὴλ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα [1].

Postquam in prooemio multis magnisque beneficiis, quibus Deus populum Israel prae omnibus nationibus exornavit, enumeratis ratio-

1. *VV. LL.* — 6. οὗτοι Ἰσραήλ (hi sunt *Israel*) B ℵ A K L, plerique minusc. et PP., *It.* (*S. Aug. Pel. Prim.* etc.) *Vulg.* (cod. *Tolet.*) *Copt. Syr.* etc.; sed οὗτοι Ἰσραηλεῖται (*hi sunt Israelitae*) D E F G, pauci minusc., *It.* (*S. Aug.* expos. n. 69; *A^ter* etc.) *Vulg.* (cum *Fuld.* et plerisque) *Arm.* — 7. οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶν σπέρμα (neque *quia* sunt semen) est communis lectio codd. graec. et verss., quam ex Latinis sequuntur *S. Aug.* (expos. n. 69 etc.) *A^ter Orig. interpr.* (in comm.) et aliqui boni *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Tolet. Floriac.* etc.). Num latinus interpres legerit : οὐδ᾽ ὅσοι εἰσὶν σπέρμα (*neque qui semen sunt*, uti semel legit *Orig.* (in Prov. 1,1 *M.* 13, 17), an latinum *qui* librariorum errori debeatur, non constat. — 10. οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ (non solum autem, sed) nullo pronomine inserto, est communis codd. graec. lectio, quam etiam ex Latinis *S. Aug.* (ad Simplic. I. qu. 2,1 et saepe), cod. *Amiat.* etc. sequuntur. Reliqui Latini variant : *Fuld.* cum multis : « non solum autem *illi*, sed », plerique autem, uti *Vulg. Clem.* : « non solum autem *illa*, sed ». — ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν (ex uno *concubitum* habens *Isaac patre nostro*) iterum est communis lectio, quam etiam cod. *Fuld.* cum aliis nonnullis exhibet; cum eadem *Amiat.* et pauci eatenus consentiunt, quod pro genetivo (*patris nostri*) ablativum habent : ex uno *concubitu* habens Isaac *patre nostro*; unde apparet ablativum *concubitu* esse mendum librariorum. — 11. μηδὲ πραξάντων (*neque* egissent) quoque est communis lectio, quam etiam sequitur *S. Aug.* (expos. n. 60; ad Simplic. I. qu. 2,1 etc.); ceterum sensu non mutato : ἢ πραξάντων (*aut* egissent) F G et plerique Latini (cfr de hoc particulae ἤ [*aut*] usu in sententiis negativis *Winer* Gramm. p. 410).

nem indicavit, cur de multorum fratrum suorum infidelitate tantopere doleret omniumque conversionem ad Christum tam ardenter desideraret, Apostolus iam thesin suam statuit, quam in hac sectione demonstrare vult, nimirum promissiones populo electo datas ideo pro irritis nequaquam haberi posse, quia multi non fiant earum participes (*v.* 6). Quam ut probet, ex patriarcharum historia ostendit, admissionem ad promissiones neque a sanguine naturalive generatione neque a praeviis operibus pendere, sed a gratuita Dei electione et vocatione. Quem in finem duo facta notissima affert, atque primo in loco monet, ex duobus filiis Abraham, cui promissiones primitus sunt dictae, illum solum ad earum hereditatem esse admissum et inter patriarchas populi locum obtinuisse, qui ipse erat promissionis filius (7-9). Atque idem in Isaaci filiis accidisse addit; quamvis enim ab eodem patre eademque matre eodem tempore sint geniti, illum solum, qui post alterum ex utero erat egressurus ac proin minus ius habere videbatur, iam ante nativitatem non iure operum, quae non habebat, sed gratuita Dei electione heredem promissionum esse vocatum (10-13).

Quae argumentatio ut clarius perspiciatur, iuverit praenotasse, « Apostolum hanc gratuitam electionem ad oeconomiam Veteris Testamenti inducere tamquam argumentum, ex quo concludat, arguens ex typo ad antitypum, electionem etiam ad novam oeconomiam et ad bona in ea promissa, nominatim ad iustitiam coram Deo, non esse debitam iuri sanguinis et operum humanorum, sed gratuitum supernaturale beneficium, quod Deus vult conferre per fidem Iesu Christi, sicut electionem ad populum V. T. conferebat verbo suo per supernaturalem promissionem et vocationem (cfr *Em. Franzelin* De Deo uno p. 715) ».

Ad *v.* 2 respiciens S. Paulus ad thema suum ita transit, ut luctum, quem ex praesente ac partiali contribulium suorum infidelitate ac reiectione sese concepisse manifestavit, radicem suam in praeiudicio illo iudaico habere neget, iuxta quod divinae promissiones de futuro Messia pro irritis sint habendae, nisi omnes, qui naturali generatione ad populum israeliticum pertinent, earum participes fiant : 6. *non autem quod* (οὐχ οἷον δὲ ὅτι) *exciderit verbum Dei*; i. e. dolorem meum asserens nequaquam dico promissiones Dei periisse vimque suam amisisse (de significatione verbi ἐκπίπτειν cfr ad 1 *Cor.* 13,8). Qua sententia elliptica thesin totius huius tertiae sectionis statui iam monuimus.

Sed difficultatem quandam graeca locutio οὐχ οἷον ὅτι creat, quae hoc solo in loco reperitur et a *Vulg.* interprete, qui vocabulum οἷον neglexit, haud omnino accurate est reddita. Sunt qui οἷον hic i. q. *possibile* significare arbi-

trentur, ut sensus sit : « fieri non potest, ut verbum Dei exciderit », seu promissiones non possunt (vel non potuerunt) irritae fieri (cfr *Erasm. Tolet. Picon.* etc — *Grot. Ros. Ew.* etc.). Similem versionem in suo codice iam habuit *S. Aug.* : « non potest excidere verbum Dei » (ad Paulin. ep. 136,31); quam sententiolam explicat : « Quod promittit Deus, non facit nisi Deus; habet namque aliquid rationis et veritatis, ut homo promittat et Deus faciat; ut autem homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superbae impietatis est reprobus sensus » (ad Sixt. ep. 194,36). Unde Paulum ostendere velle putat, « quod ea quae promisit Deus, potens est et facere; ubi maxime gratia commendatur, cuius (vos Pelagiani) estis inimici; neque enim in potestate hominum est, ut Deus impleat quae promisit, sed in ipsius qui promisit » (c. Iulian. op. imperf. I. 141). Verum non tantum haec explicatio verbis, prout ea S. Aug. legit, parum congruit, sed versioni ipsi quoque varia obstant. Neque enim nudum οἷον, sed οἷόν τε possibilitati significandae inservire solet, ac locutio οἷόν τε semper cum infinitivo coniungitur (ut scribi debuerit : οὐχ οἷόν τε δὲ ἐκπεπτωκέναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ). Praeterea in sequentibus Apostolus solum factum explicat, idque unum probat, verbum Dei revera non excidisse; quodsi demonstrare voluisset, verbum Dei *non potuisse* irritum fieri, procul dubio alia argumenta attulisset.

Rectius igitur reliqui locutionem οὐχ οἷον pro formula illa fortiter negante habent, qua iuniores Graeci ipsam quoque veri speciem deesse significant (i. q. nequaquam; multum abest ut etc.), quaeque similis est locutioni οὐχ ὅτι (*Phil.* 4,11) : « neque prope est, ut verbum Dei exciderit aut excidisse videatur » (*Phot.* cfr *Oec.*). Iuxta consuetum quidem usum locutio haec immediate cum verbo finito connectitur (ut scribi debuerit : οὐχ οἷον δὲ ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος); sed nihil impedit, quominus Apostolum, quum particulam ὅτι ante verbum finitum insereret, duas locutiones negantes οὐχ οἷον et οὐχ ὅτι (i. q. οὐ λέγω ὅτι), ut maiorem vim sententiae attribueret, coniunxisse et quasi commiscuisse dicamus. Hac ergo ratione sententia exponi potest : οὐ τοῖον δὲ λέγω οἷον ὅτι ἐκπέπτωκεν κτλ, « non tale (dico) quale (hoc est) quod exciderit verbum Dei » (cfr *Beel. Gr.* p. 533; similiter *Win.* Gr. p. 555; *A. Buttm.* Gr. p. 319). Alii constructionem ad synesin admittere malunt Apostolumque ad notionem *multum abest*, quae locutioni οὐχ οἷον competit, solam attendisse constructionemque coniunctione ὅτι continuasse suspicantur (*Fritzshe* etc.). Alii minus apte coniunctione ὅτι hic directam orationem introduci coniiciunt; scilicet verba ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ (excidit verbum Dei) obiectionem Iudaeorum fuisse, quam Paulus afferat fortiterque neget (*Weber*). Quae ultimae explicationes ad grammaticos potius spectant; sensus enim in illis idem ac in nostra est.

Multorum Iudaeorum reiectione divinas promissiones ad irritum cecidisse is solus persuadere sibi potest, qui eas ad omnes et singulos, qui naturali generatione a Iacob descendunt, pertinuisse arbitratur. Hinc brevi sententia, quam in sequentibus accuratius exponet expli-

cabitque, hunc errorem reiicit : *non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae* (vel : *hi sunt Israel* οὗτοι Ἰσραήλ cfr *VV. LL.*). In priore membro nomen *Israel* designat patriarcham Iacob, cui Deus ipse hoc nomen imposuit (*Gen.* 32,28), atque οἱ ἐξ Ἰσραήλ intelliguntur, qui secundum carnem ab eo originem trahunt. In altero autem *Israel* est nomen gentilicium, quod plerumque quidem cunctos ex patriarcha naturaliter exortos complectitur, hic vero ad eos solos, sive ex eo descendunt sive non descendunt, designandos adhibetur, ad quos promissiones divinae vere pertinent. Quinam hi sint, Apostolus nondum declarat; id unum asserit, promissiones populo Israel dictas non ad omnes pertinere, qui secundum naturalem suam originem Israelitae sunt; promissiones igitur irritas non esse, si aliqui ex his a salute messiana excludantur. Similem distinctionem supra iam adhibuit, ubi de circumcisionis, qua Iudaei gloriabantur, utilitate (2,28 sq.) et de vera Abrahae progenie (4,11 sqq.) egit; alibi quoque Israeli secundum carnem opponit Israelem secundum spiritum vel Israelem Dei (cfr ad 1 *Cor.* 10,18; *Gal.* 4,29; 6,16). Semper quippe urget, « Deum non naturae sed virtutis cognationem quaerere » (*Theod.*).

Iam sententiam eandem ita continuat, ut ad argumentationem deflectens ex iis, quae Scriptura de immediatis Abrahae filiis tradit, probare incipiat, promissiones messianas admissionemque ad regnum messianum naturali origini non alligari, sed a gratuita Dei electione pendere : 7. *neque qui* (lege : *neque quia* οὐδ' ὅτι cfr *VV. LL.*) *semen sunt Abrahae, omnes filii* (τέκνα), *sed In Isaac vocabitur tibi semen.* Priora verba, ad quae subiectum οἱ ἐξ Ἰσραήλ (*qui ex Israel sunt*) repeti oportet, sensu cum praecedente membro congruunt, probationem autem annexam habent, quum Scripturae testimonio quid tenendum sit insinuetur. Ob abrahamiticum enim sanguinem suum filii Israel sese heredes promissionum Abrahae seminique eius dictarum iactabant; at solum abrahamiticum sanguinem non sufficere, ut aliquis heres Abrahae vocetur, historia filiorum eius docet. Ismael non minus quam Isaac ex semine Abrahae progenitus erat, sed Deo iubente eiectus et solus Isaac a Deo agnitus est genuinus Abrahae filius, cui hereditas competeret (*Gen.* 21,12 cfr *Gal.* 4,30). Nomen *seminis* duplici sensu adhiberi patet; in principio enim sententiae significat omnes, quotquot naturali generatione ab Abraham descendunt, in Scripturae autem textu sensu arctiore eos solos complectitur, qui filii pleno iure ideoque heredes sunt (cfr 8,17). Geneseos porro verba sine ulla citationis formula afferuntur et non mutata argumentationi inseruntur (uti etiam 2 *Cor.* 10,7 cfr 1 *Cor.* 1,31; *Gal.* 3,11. 12 etc.). Proxime autem ac directe docent, iuxta divinam dispositionem genus ac nomen Abrahae, excluso Ismael,

per solum Isaac continuatum iri atque hunc solum ad patriarchae populi electi dignitatem admitti.

Quo proximo sensu literali supposito, Apostolus lectores ad altiorem verborum significationem maxime attendere iubet, quippe qua multorum Iudaeorum exclusione a salute messiana ethnicorumque multorum ad eam admissione promissiones divinas nequaquam irritas reddi appareat, quum a sanguine abrahamitico non pendeant. Typicum enim verborum sensum allegationi suae adiungit : 8. *id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine* (τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα, filii promissionis reputantur in semen, censentur semen). Qua in expositione nomen *seminis*, quum locutioni *filii Dei* (τέκνα τοῦ Θεοῦ) respondeat, spiritualem posteritatem Abrahae significare evidens est; fundamentum autem typicae explicationis est differentia, quam inter Ismaelis et Isaaci generationem intercedere Paulus alibi fusius docet (*Gal.* 4,22-30). Prior enim non tantum ex ancilla sed etiam *secundum carnem* (*Gal.* 4,23. 29), i. e. ordinario modo iuxta naturae leges a parentibus generationi naturaliter idoneis, est genitus; quare apte Israelitas incredulos praefigurat, qui naturali tantum generatione ab Abraham ortum trahentes non sunt nisi eius filii secundum carnem seu *filii carnis*. Alter vero, Isaac liberae filius, *per promissionem* et *secundum spiritum* (*Gal.* 4,23. 29), i. e. vi ac virtute promissionis divinae, quae emortuam generandi facultatem quum patris tum matris resuscitavit (cfr 4,19 sqq.), ergo praeter naturam singulari Dei beneficio genitus, iure merito *filius promissionis* atque etiam quodam modo *filius Dei* vocari potest; unde typus est eorum, qui ad novam oeconomiam admittuntur. Nam hi quoque et *filii promissionis* (*Gal.* 4,28) sunt, quia per fidem Christo inserti « semen Abrahae sunt, secundum promissionem heredes » (*Gal.* 3,7. 29), et *filii Dei* adoptivi, quia « non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed (credentes in nomine Dei) ex Deo sunt nati » (*Ioan.* 1,12. 13 cfr ad *Gal.* 3,26 sqq.).

Itaque verbis, quibus Deus Ismaele reiecto solum Isaac legitimum Abrahae filium heredemque agnitum iri declaravit, typice significari Paulus docet, veros filios Abrahae spirituales, qui ius ad promissiones ei seminique eius dictas, i. e. ad aditum in regnum messianum et ad eius benedictiones, habeant, nequaquam esse eos, qui physica tantum generatione ab eo originem trahant, sed eos solos, « qui ex gratia promissionis divinae facti sint filii Abrahae secundum imitationem fidei » (*Thom.*), sive sint sive non sint secundum carnem ex sanguine abrahamitico progeniti. Ad complendum autem argumentum B. Paulus miraculosam Isaaci nativitatem, cui innititur, promissione divina al-

lata confirmat : 9. *promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam, et erit Sarae filius* (κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός). Quae verba ex *Gen.* 18,14 iuxta alexandrinum quidem textum (εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον ἀναστρέψω πρὸς σὲ εἰς ὥρας καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός, versus hoc tempus revertar ad te proximo anno *et erit Sarae filius*), sed liberius ita sunt allegata, ut temporis accuratiore definitione omissa de vera promissione agi ac summo iure Isaacum *filium promissionis* dici appareat. Sensu etiam *Gen.* 18,10 plane consonat, quem versum alii citatum esse arbitrantur, licet ultimo suo membro (καὶ ἕξει υἱὸν Σάῤῥα ἡ γυνή σου, *et habebit filium Sara uxor tua*) longius distare videatur; neque primigenius utriusque sententiae textus ab allegatione paulina sensu dissonat.

In huius loci interpretatione omnes fere consentiunt. Haud recte tamen aliqui moderni acath. Paulum non tam verba Genesecos typice explicare, quam ex facto particulari universalem veritatem derivare censent (cfr *Weiss* etc.). Neque enim animadvertunt, verba Genesecos ad diversum altioremque rerum ordinem transferri, atque Apostolum ipsum historiae filiorum Abrahae praeter literalem et historicum sensum significationem allegoricam seu typicam diserte attribuisse (cfr *Comm.* in 2 Cor. et *Gal.* p. 548 et *Introd general.* in U. T. libr. sacr. p. 530 sqq. Ed. 2. p. 552 sqq.). Egregie id iam *Chrys.* insinuavit nostrum locum eadem fere ratione ac *Gal.* 4,28 interpretatus : « Ideo dicit : *In Isaac vocabitur tibi semen*, ut discas eos maxime esse semen Abrahae, qui nati sunt secundum Isaac. Quomodo igitur natus est Isaac? Non secundum legem naturae neque secundum vim carnis, sed secundum vim promissionis. Quid sibi hoc vult : secundum vim promissionis? *In hoc tempore veniam ad te et erit Sarae filius.* Haec igitur est promissio, et verbum Dei Isaacum formavit et genuit; neque enim vis matricis sed vis promissionis filium procreavit. Ita et nos nascimur per Dei verba, quae nos generant ac formant; nam in nomine Patris et Filii et Spiritus S. baptizati generamur. Haec autem generatio non naturae sed promissionis Dei est; sicut enim quum Isaaci generationem promisisset, rem exsecutus est, sic et nostram ante multa tempora per omnes prophetas praenuntiavit et postea in opus deduxit » etc. (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 555).

Aditum ad regnum messianum non esse ex iure sanguinis, ex praecedente argumento rite colligitur; minus clare autem ex illo deduci videtur, eum liberae ac gratuitae electioni Dei deberi. Etenim alibi (*Gal.* 4,22 sqq.) Apostolus praeter miraculosam Isaaci generationem simul urget eum ex libera matre esse natum, atque diversos quoque fuisse duorum filiorum mores insinuat (*Gal.* 4,29). Obiici ergo potuit, Isaacum propter meliorem matris suae conditionem suamque ipsius probatiorem vitam fratri servo et improbo esse praelatum; unde deinde sequeretur, Deum in admittendis ad regnum messianum forte externae conditionis meritorumque naturalium praecedentium rationem habere (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Thom.* etc.). Quas obiectiones praeoccupat

Paulus altero allato argumento, quo non tantum apparet, promissionem de Isaac pronuntiatam (*in Isaac vocabitur tibi semen*), non obstante sua universalitate, ad cunctos Isaaci posteros non pertinuisse, sed Deum in sua electione etiam ad externam conditionem meritaque praecedentia non attendere.

Ad historiam enim filiorum geminorum Isaaci transit, quorum ante nativitatem minor prae maiore iam est electus patriarcha populi Israel : **10.** *non solum autem illa, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri*, vel melius et accuratius (cfr *VV. LL.*) iuxta graecum : *non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitum habens Isaac patre nostro* (οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν). Qua in sententia locutio κοίτην ἔχειν ἔκ τινος (*concubitum habere ex aliquo*) per metonymiam causae pro effectu significat *concepisse ex aliquo* (κοίτη proxime *torus* s. *lectus coniugalis*; deinde i. q. *concubitus*; demum i. q. *partus* s. *fetus conceptus*), ita ut clarius vertamus : *non solum autem, sed et Rebecca quum ex uno Isaaco concepisset patre nostro*[1]. Ad prius membrum (οὐ μόνον δέ, qua de formula cfr ad 5,3. 11; 8,23) graecus textus nihil quidem addit; latinum tamen additamentum (*illa* sc. Sara), quod *Syrus* quoque exhibet, aptissimum est, si cum *S. Iren.* (c. haer. IV. 21,2) in altero membro velut praedicatum supplemus : « responsum a Verbo accepit » vel melius *promissionem accepit* (ἐπαγγελίαν ἔλαβεν). Namque Sarae, quae *v.* 9. nominatur, potius quam Abrahamo promissionem de Isaaco nasciturо dictam esse, ex *Gen.* 18,9-15 elucet, Rebeccae autem promissionem, de qua nunc agitur, dictam esse, Paulus ipse (*v.* 12) una cum Moyse (*Gen.* 25,23) testatur. Alii alia supplent[2]; quidquid vero sup-

1. Immerito aliqui antiquiores Latini (cfr *Herv. Thom.* etc.) illud *ex uno concubitu* urgent *S. Augustinum* (ad Simplic. I. qu. 2,3; ad Sixt. ep. 194,37) secuti, qui haec habet : « Vigilantissime ait *ex uno concubitu*, ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam forte diceret : Ideo talis natus est filius, quia pater ita erat affectus illo tempore, quo eum sevit in utero matris, aut ita mater affecta, quum eum concepit. Simul enim ambos uno tempore ille sevit, illa concepit. Ad hoc commendandum ait *ex uno concubitu*, ut nec astrologis daret locus, vel eis potius, quos genethliacos appellaverunt, qui de natalibus nascentium mores et eventus coniectant. Quid enim dicant, cur una conceptione, sub uno utique temporis puncto, eadem dispositione coeli et siderum, ut diversa singulis omnino annotari non possent, tanta in illis geminis diversitas fuerit, prorsus non inveniunt ».

2. Nonnulli ad *v.* 7. respicientes in priore membro nomen Abrahae supplere malunt : « non solum autem Abraham, sed et Rebecca... promissionem accepit » (cfr *Tol.* etc.; *Reith.* etc.). Minus apte alii, Sarae nomine retento, supplent : « non solum Sara *habuit filium, de quo facta est promissio*, sed et Rebecca » (cfr *Thom.* etc.); aut « non solum Sara hoc ostendit (scilicet ex sanguine non pendere hereditatem), sed et Rebecca » (cfr *Becl. Ag.* etc.).

Fuld. quum legit : « non solum autem *illi*, sed et *Rebeccae* ex uno concubitu *habens* Isaac patre nostro... dictum est *ei* », duplex durum anacoluthum admittit, quia non tantum dativo *Rebeccae* nominativum *habens* pro attributo addit sed etiam pleonastice pronomen *ei* inserit. Ceterum etiam aliqui moderni (cfr *Sch.* — *Weiss*) anacoluthum simile, ac 5,12 sqq.,

plendum videtur, clarum est, hac transitionis formula argumento novo, quod inducitur, maiorem gravitatem attribui.

Quae in eo est sita, quod etiam ex Rebeccae filiis geminis, quamvis *ex uno*, et quidem ex *Isaac patre nostro*, qui cum tota sua posteritate ad genus Abrahae continuandum vocatus videbatur (*v.* 7), ambo eodem tempore sint progeniti ac proinde inter se pares essent, Deus unum solum ad dignitatem patriarchalem elegerit neque ipsius *filii promissionis* filios omnes pro legitimo Abrahae semine, ad quod spectet promissio, agnoverit. Idem enim Isaac, qui per Iacob (Israel) Israelitarum pater est, Edomitarum pater est per Esau (Edom); neque vero unquam Iudaei Idumaeos legitimos Abrahae et Isaaci heredes habuerunt. Mirum ergo eis videri non debet, quod etiam Iudaei multi, sanguine suo abrahamitico non obstante, ad regnum messianum per prophetas promissum non admittantur, quum ex patriarcharum historia tam luculenter constet, divinas promissiones naturali origini non esse alligatas. Ad quam conclusionem insinuandam Paulus, Iudaeus cum Iudaeis disputans, Isaac vocat *patrem nostrum*, i. e. Iudaeorum; neque recte aliqui eum Christianorum patrem appellari arbitrantur. Nam illa paternitatis ratio, qua Abraham per fidem suam omnium fidelium, etiam eorum qui originem ex eo non trahunt sed fidem eius imitantur, pater vocatur et est, Isaaco non magis quam sancto cuicumque veteris oeconomiae in Scripturis usquam attribuitur (cfr p. 230).

Quoniam de re omnibus notissima agitur, Paulus brevissima historiae in *Gen.* 25,19-23 narratae mentione contentus ex illa statim, ne ipsis quidem filiis de quibus loquitur nominatis, argumentum suum ita derivat, ut simul Iudaeos quum origine sua abrahamitica tum Legis suae operibus frustra confidere doceat: **11.** *quum enim nondum nati fuissent* (melius: *essent*) *aut* (cum *S. Aug.* etc. melius: *neque* μηδέ) *aliquid boni egissent aut mali — ut secundum electionem propositum Dei* (melius: *propositum Dei quod est secundum electionem*, vel: *electivum propositum Dei* ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ Θεοῦ) *maneret* (μένῃ), — **12.** *non ex operibus sed ex vocante dictum est ei* (αὐτῇ). **13.** *quia* (melius: *quod* ὅτι) *maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Cum antiquioribus interpretibus *Vulgata Clem.* membrum istud: *non ex operibus sed ex vocante* a praecedente sententia finali, quam velut parenthesin uncis includit *ut secundum*

statuunt; iuxta eos enim Paulus sententiam *v.* 10. nominativo (*sed et Rebecca*) inchoatam non complevit, sed confirmatione, quam inserere voluit (μήπω γὰρ γεννηθέντων κτλ). *quum nondum nati essent*) quasi a proposito abreptus constructionem mutavit phrasinque passive (ἐῤῥέθη αὐτῇ *dictum est ei*) terminavit. At sine sufficiente ratione anacoluthum admittitur ac nostrum supplementum reliquis praeferendum videtur.

electionem propositum Dei maneret), separat, ut illud immediate cum praedicato sententiae principalis (*dictum est ei*) connectat; moderni vero vix non omnes illud ad sententiam finalem trahunt, quam non parenthetice insertam, sed verbo praedicati ad quod pertinet (*dictum est ei, ut propositum Dei maneret*) ideo praemissam censent, ut in illa praecipuam vim argumentationis esse clarius appareret[1]. Ad universum quidem loci sensum haud multum refert, uter nexus adoptetur, velut concinniorem tamen clarioremque antiquiori modernam constructionem praeferimus. Namque una ex parte tautologice dici videtur : « quum nondum quidquam boni aut mali egissent, non *ex operibus* dictum est ei »; altera vero ex parte constructio : « *ex vocante* dictum est » (ἐκ τοῦ καλοῦντος ἐῤῥέθη) saltem insolentior est. Apte autem membrum integrum cum sententia finali connecti, ex dicendis elucebit; antea tamen sententiam principalem explicabimus. Cuius sensus est : iam ante geminorum nativitatem Deus sua praedictione manifestavit, se unum ex eis et quidem illum, qui tamquam natu minor minus ius habere videbatur, ad patris hereditatem capiendam legitimumque patris genus continuandum elegisse, idque electione plane libera et gratuita, quia minoris assumtio aut maioris reiectio neque origini neque meritis alterutrius debeatur.

Quemadmodum supra iam monuimus, Ismael a paterna hereditate exclusus videri potuit non tantum quia ex serva natus esset sed etiam quia fratris sui illusor fuisset (cfr *Gen.* 21,9 sqq.; *Gal.* 4,29). Ne quis vero alteram exclusionis rationem etiam in Esau adfuisse suspicetur, Paulus non modo ante nativitatem electionem factam esse dicit, verum diserte quoque (forte ad puerorum in utero matris luctam alludens,

1. *Est.* iam hunc nexum praeferendum esse duxit, quia « maiorem lucem afferret toti sententiae ». « Sciendum est, inquit, verba Apostoli posse etiam aliter distingui, ut illud *non ex operibus sed ex vocante* pertineat ad praecedentem parenthesin velut explicatio particulae *secundum electionem*, hoc nimirum sensu : *ut propositum Dei, quod est secundum electionem ipsius, i. e. non ex meritis sed ex vocante, firmum maneret*; deinde sequatur : *dictum est* ». — Ceterum etiam iuxta *Vulg.* interpunctionem sententiam finalem ad verbum *dictum est* pertinere dicendum est, atque editores eam ideo probabiliter uncis incluserunt, ne quis eam a praecedente membro (*quum nondum quidquam boni aut mali egissent*) dependere putaret. Hanc enim constructionem, quae nec sensum aptum gignit neque contextui congruit, semel *S. Aug.* (ad Simplic. I. qu. 2,6) proposuit : « Antequam aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, id est : neque aliquid egissent boni aut mali, ut propter ipsam actionem electio aliqua fieret eius, qui bene egerat ». Qua in explicatione S. Doctor etiam in eo errat, quod locutionem *secundum electionem*, quam attributum subiecti esse graecus textus docet (ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις) ad praedicatum *maneret* trahat coniunctionemque *ut*, quae hic finali coniunctioni ἵνα respondet, pro consecutiva (i. q. *ita ut*) sumat. Alibi quidem S. Doctor recte sententiam finalem cum verbo *dictum est* connectit coniunctionique *ut* finalem significationem relinquit, sed nusquam verba *secundum electionem* pro attributo nominis *propositum* habet.

cfr *Gen.* 25,22) addit, eos nondum quidquam *boni aut mali* egisse, quo Deus ad unum alteri praeferendum permotus esset. Iure autem cum *S Aug.* (ad Simplic. I. qu. 2,5; ad Sixt. ep. 194 n. 35 etc.) plerique contra *Chrys. A*[trum] aliosque ex his verbis colligunt, Deum in Iacobi electione ad praevisa opera eius futura non attendisse. Nisi enim omnia omnino opera excludere planeque gratuitam esse electionem docere voluisset, Apostolus satis superflue commemorasset, geminos nondum natos nihil boni aut mali egisse (cfr *infra*).

Verba, quibus Iacobum fratri suo maiori praelatum esse significat, oratione directa (coniunctione recitativa ὅτι *quia*, vel melius *quod*, praemissa) ex *Gen.* 25,23 allegat. Ibi quidem ad populorum tantum ex duobus filiis progignendorum sortem futuram referri videntur (« duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit et *maior serviet minori* »), a Paulo tamen ad ipsos filios hic referuntur idque rectissime. Etenim oraculum divinum, quum ad geminorum in utero matris collidentium luctam explicandam editum sit, filios ipsos non minus quam eorum posteros spectare clarum est, ita ut de utrisque valeat; pater quippe et caput familiae vel gentis alicuius una cum illa velut una persona moralis in Scripturis frequentissime consideratur. Revera indoles ac sors diversa Idumaeorum Iudaeorumque indole sorteque diversa Esau et Iacobi quasi praefigurabatur, atque utraque ultimam suam radicem in eo habebat, quod minor ex fratribus divinitus electus erat, qui solus in semine Abrahae, cui datae erant promissiones, reputaretur, solusque in iura Isaaco, filio promissionis, ab Abraham collata succederet. Itaque illis verbis non modo Idumaeos Iudaeis subiectum iri praedicitur — id quod inde a Davidis tempore (2 *Reg.*8,13) fere usque ad assyriacas invasiones et iterum a Ioannis Hyrcani tempore (*Fl. Ios.* Antiqu. XIII. 9,1) usque ad romanam Palaestinae occupationem obtinuit — verum etiam filium ipsum maiorem, iure primogeniturae (sua culpa) amisso, servum futurum esse fratris sui natu minoris, id quod factum est, quando Iacob paterna benedictione accepta solus a patre constitutus est heres legitimus ac simul dominus, cui frater servire iure teneretur (cfr *Gen.* 27,27-29. 37. 40).

Neque vero nudam praedictionem sed divinum decretum vel potius promissionem divinam, quae divinae electioni Iacobi innitebatur, verbis illis contineri Paulus altero Scripturae loco insinuat, cui respondere dicuntur. Iis enim quasi causa indicatur, cur maior minori serviturus sit : *sicut scriptum est : Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Locus, qui Geneseos vaticinio consonat (καθάπερ γέγραπται), in ultimi prophetae sermone primo (*Mal.* 1,2 sqq.) legitur, quo Deus

Iudaeos ex babylonico exsilio reduces, quando de misera sua conditione murmurantes divinam erga se dilectionem in dubium vocabant, acriter quidem reprehendit sed simul consolatur, continuum suum amorem asserens infeliciorisque Idumaeorum sortis comparatione demonstrans. Idumaei enim, quamvis propinquae cognationis vinculo cum Iudaeis colligati, non tantum ex exsilio non sunt revocati, sed eorum regiones quoque vastationi ita sunt traditae, ut pristinis suis incolis non amplius stabilem sedem sint praebiturae : « Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, et *dilexi Iacob, Esau autem odio habui,* et posui montes eius in solitudinem et hereditatem eius in dracones deserti? Quodsi dixerit *Idumaea :* Destructi sumus, sed revertentes aedificabimus quae destructa sunt, haec dicit Dominus exercituum : Isti aedificabunt et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis et populus cui iratus est Dominus usque in aeternum ».

Simili igitur modo, quo *Gen.* 25,23, hic immediate de solis gentibus ex Iacob et Esau oriundis sermo fieri videtur, neque desunt, qui id censeant, ita ut Apostolus prophetae verbis ex historia duorum populorum quasi demonstret, Geneseos vaticinium per saeculorum cursum revera in opus deductum impletumque esse : « Addit : *sicut scriptum est,* quasi dicat : ecce quod in Genesi est praedictum, cernis ab ultimo demum propheta ex utriusque populi historia demonstratum et probatum : sine suo merito diligi populum Iacob, iuste puniri populum Esau » (cfr *Knabenbauer* Comm. in proph. minores II. 422 sq.). Quae explicatio mihi minus probatur, quia non satis intelligo, quomodo ex ista sententiola, quae sola ex sermone prophetico affertur, historica eiusmodi probatio desumatur, nisi quis forte (meo quidem iudicio parum recte) dicere velit, Apostolum primis prophetae verbis allatis totum eius sermonem lectoribus in memoriam revocare voluisse, ut argumenti historici, quod *in sententiis non allegatis* continetur, ipsi recordarentur. Nisi omnia nos fallunt, Malachias in priore sermonis sui parte proxime ac directe de ipsis geminis ita loquitur, ut in iis et cum iis etiam eorum posteros a Deo dilectos aut odio habitos esse significet; in altera autem de solis posteris agens demonstrat, Deum etiamnum Israelitas diligere, Edomitas odio habere. Ac profecto quum haud sine emphasi statim ab initio dicat : « *nonne frater* (erat) *Esau Iacob* », dubium vix esse potest, quin de ipsis personis loquatur; neque minus clarum est, eum posteros una intelligere, quum addat : « *et posui montes eius* (את־הריו sc. Esau posterorumque eius) *in solitudinem* ». Ubi vero de solis posteris Esau loquitur, nomen mutat et se de populo loqui constructione feminina indicat (כי־תאמר אדום *quod si dixerit Edom,* vel potius : si dixerint Idumaei). Iuxta hanc interpretationem

Paulus prophetae verbis impletionem vaticinii Geneseos non probat, sed eius rationem affert : Deus maiorem minori servire voluit, quia minorem dilexit, maiorem odio habuit. Hoc si intelligitur sensu, dictum Dei ad Rebeccam cum Malachiae oraculo de duobus filiis eorumque posteris consonat eoque confirmatur.

Dubitanti porro, num dicere liceat, Deum filium maiorem iam ante nativitatem *odio habuisse*, recte respondetur, in Scripturis verbum μισεῖν (*odio habere*) interdum comparative vel etiam privative adhiberi, praesertim ubi verbo ἀγαπᾶν (*diligere*) opponitur, neque aversionem proprie dictam sed minorem animi propensionem, i. e. minorem amoris gradum, vel specialis dilectionis, quae insignioribus beneficiis collatis sese manifestat, absentiam denotare idemque fere sonare, ac *minus diligere* vel *negligere*. Qua verbi significatione, de qua multis exemplis constat[1], hic admissa, Deus Iacobum dilexisse et Esau odio habuisse dicitur, quatenus eo iam tempore, quo ambo ex-

1. Ex. gr. *Gen.* 29,30. 31 (iuxta text. hebr. et alex.) : Iacob « *dilexit* Rachel *magis* quam Liam;... videns autem Deus, quod Lia *odio habebatur* (שְׂנוּאָה ἐμισεῖτο), aperuit vulvam eius » etc. Porro eadem profecto doctrina a Domino traditur, sive iuxta *Luc.* 18,26 dicit : « qui non *odit* patrem suum..., non potest meus esse discipulus », sive iuxta *Matth.* 10,37 : « qui *amat* patrem... *plus* quam me, non est me dignus ». Eodem sensu comparativo verbum μισεῖν (שָׂנֵא *odio habere*) usurpatur *Deut.* 21,15-17; *Iudic.* 14,16; *Prov.* 14,20 etc.; *Matth.* 6,24 etc. Recte quoque nonnulli monent, sensum privativum verbi μισεῖν clare explicari *Eph.* 5,29 : « nemo unquam carnem suam *odio habuit*, sed *nutrit* et *fovet* eam »; quibus ex verbis apparet illum iam *odio habere* corpus, qui illud non nutrit nec fovet, i. e. ei bonum aliquod determinatum non vult. Dubium ergo non est, quin cum plerisque iunioribus ac modernis hoc in loco comparativam aut privativam verbi μισεῖν significationem admittere possimus (cfr *Iust. Est. Lap. Men. Picon. Calm.* etc., *Reith. Mai. Bisp. M Ev. Beel. L R. Weinh. Sch.* etc.). Eandem quoque iam *S. Thom.* (Summ. theol. I. qu. 23. a. 3 ad 1) de praedestinatione agens insinuavit; etenim « Deus, inquit, omnes homines diligit et etiam omnes creaturas (*Sap.* 11,25), in quantum omnibus vult *aliquod bonum;* non tamen *quodcumque bonum* vult omnibus. In quantum igitur quibusdam non vult *hoc* bonum, quod est vita aeterna [vel aliud insigne bonum determinatum], dicitur eos *odio habere* ».

Satis absurde aliqui acath. (*Fritzsche* Comm. in Rom. II. p. 394, *Grimm* in Lexic. s. v. μισεῖν etc.) obiiciunt, « homines orientales pro maiore animi sui concitatione ibi *rei amorem* aut *odium* et *sentire* et enuntiare, ubi nos qui sumus in plagis occidentalibus, nihil nisi *rei studium* aut *neglectionem* et *incuriam* sentimus et eloquimur ». Scire quippe velim, quidnam sit « rei studium aut neglectionem et incuriam *sentire* »: nisi enim fallor, rei studium aut neglectio ad externam actionem pertinent tamquam effectus maioris vel minoris amoris interni; studemus iis quae magis amamus, negligimus ea quae minus amamus. Orientales porro non minus quam Occidentales, quia eadem utrisque est natura humana, diversos amoris gradus distinguunt, id quod allata exempla scripturistica extra dubium ponunt. Dicere autem utique licet, eos pro maiore animi concitatione interdum minus accurate ea quae sentiunt enuntiare, ita ut minoris dilectionis gradum aut absentiam specialis dilectionis interdum odii nomine designent. Neque inepte cum hoc dicendi modo, quo ille, qui minus diligitur, odio haberi dicitur, notissimum illum usum conferimus, « quo Hebraei, quum unum alteri praeferunt, non illud magis et hoc minus affirmare, sed illud affirmare omnino, hoc omnino negare solent », cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 33 sq. (ad 1,17), *p.* 459 (ad 15,10) etc.

terna conditione meritisque inter se pares erant, maiore neglecto minorem elegit, qui solus patris hereditate occupata genus Abrahae legitime velut patriarcha populi electi continuaret et in cuius solius posteros insignia beneficia (*vv.* 4. 5) conferrentur, quae alterius posteris negata esse historia testatur.

In neutro textu allegato de gratia interna ad sanctificationem pertinente ac multo minus de salute aeterna praecise ac per se spectata sermonem esse, ex verbis et ex contextu Geneseos et Malachiae tam clare elucet, ut non intelligatur, quomodo aliqui eis directe doceri putaverint, Deum alios (uti Iacobum) ante omnem meritorum praevisionem ad aeternam beatitudinem praedestinasse, alios (uti Esau) ante eorum peccata praevisa odio habuisse ideoque ab aeterna gloria exclusisse ac reprobasse. Proxime ac directe (simili modo ac *v.* 7) de sola hereditate temporali et de admissione ad foedus promissionum, quod Deus cum Abraham pepigit, minori fratri per gratuitam electionem concessa agitur. Exemplum autem hoc, aeque ac praecedens (*vv.* 7-9), Apostolus utique affert, ut altioris ordinis veritatem doceat, quae utroque typice praefiguretur. Quemadmodum enim antea verbis allegatis typicam interpretationem diserte adiunxit (*v.* 8), ita hic ad eam animos lectorum convertit sententiam finalem inserens, qua altiorem finem explicat, quem Deus in Iacobi gratuita electione ad hereditatem matri praedicenda habuit. Praedicta enim illa electione Deus significare voluit, admissionem ad novum quoque foedus eiusque bona non a sanguinis iure aut a praeviis operibus, sed a gratuita sua electione dependere. Hic quippe est sensus verborum : *ut secundum electionem propositum* (ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις) *Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante.*

Qua in sententia, quoniam Dei immutabilis proposita per sese firma sunt ac manent (« neque enim in Deum cadit facere aliquid eum in finem, ut aliquod propositum suum *sit firmum,* sed utique aliquid ideo facere potest, ut aliquod propositum suum *firmum esse* ab hominibus *cognoscatur* »), iure merito haud pauci interpretes moderni (*Beel. Reith. Mai. Bisp. L R. Dr.* etc. — *Fritzsche Mey.* etc.) verbum *manere* logice esse sumendum (cfr ad 3,4. 19. 26 etc.) adnotant, Deum ergo matri gratuitam minoris filii electionem eo fine manifestasse, ut decretum suum firmum ratumque *manere cognosceretur.* Porro qui ad graecum textum attenderit, nonnullorum antiquiorum Latinorum (cfr *S. Aug.* expos. n. 60; ad Simpl. I. qu. 2,6. 22 etc., *Thom.* etc.) interpretationem, qui dictionem *secundum electionem* ad praedicati verbum trahunt (*ut propositum Dei maneret secundum electionem*), reiicere non dubitabit. Ad subiectum enim velut attributum omnino

pertinent, atque ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις (*propositum Dei quod est secundum electionem*) idem fere est ac decretum Dei electivum, seu decretum in quo simul electionis ratio habetur; quale nimirum erat decretum, quo Deus inter geminos unum eligens minori soli hereditatem competere voluit.

Iamvero sunt, qui hoc ipsum decretum, quo Iacob prae fratre suo ad dignitatem patriarchalem ex mera benevolentia divina electus est, in nostra sententia finali ita intelligendum esse censeant, ut simul typus sit alterius decreti, quo Deus ab aeterno certum hominum numerum sine ullo respectu ad eorum conditionem aut opera ad gratiam fidei aliaque novae oeconomiae bona vocare statuit (cfr *Franzelin* de Deo uno p. 715 sqq. etc.). At rectius, ni fallor, dicemus de altero hoc decreto sola in sententia finali agi illudque literali sensu designari. Id enim et nomen ἡ πρόθεσις (*propositum*), quod semper hoc sensu usurpari supra (ad 8,28) monuimus et appositio οὐκ ἐξ ἔργων ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος (*non ex operibus sed ex vocante*) suadent; nam participium ὁ καλῶν (*vocans*), utpote absolute positum, secundum apostolicum loquendi usum (cfr ad 8,28) non nisi de efficaci vocatione ad fidei iustitiam et consequenter, si quis perseverat, ad gloriam (8,30) intelligatur oportet (cfr *Gal* 5, 8; 1 *Thess*. 2,12; 5,24; eodem sensu partic. aor. ὁ καλέσας *Gal*. 1,6. 15; 2 *Tim*. 1,9; 1 *Petr*. 1,15; 2 *Petr*. 1,3).

Haud minus vero apte verba illa cum aliquibus (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp*. etc.) participio οὖσα suppleto, ad totum subiectum referimus (« ut electivum Dei decretum, quod non ex operibus sed ex vocante dependet, manere cognosceretur »), quam cum aliis (cfr *Est*. etc.) per hyperbaton ad locutionem κατ' ἐκλογήν solam trahimus, ut eius quasi definitionem constituant (« ut decretum Dei, quod secundum electionem est, i. e. non ex operibus sed ex vocante dependet, manere cognosceretur »). Utraque enim constructio grammatice defendi potest[1] eundemque fere sensum gignit; iuxta utramque enim clare significatur, admissionem ad novam oeconomiam ab hominum suis solis viribus laborantium operibus non dependere, verum, a sola Dei vocantis gratia; eam ergo plane esse gratuitam (cfr 2 *Tim*. 1,9 « qui vocavit nos vocatione sua sancta non secundum opera nostra sed secundum suum propositum et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu, ante tempora saecularia »; *Eph*. 2,8. 9 etc.), sicut admissio Iacobi ad veterem

1. Probari vero nequit nonnullorum acath. constructio, qui verba illa cum praedicato *maneret* connectenda censent (cfr *Lips. Weiss, Goeb*. etc.). Nullo enim exemplo probabile redditur, locutionem μένειν ἐκ τινος ita adhiberi, ut significet « manere ex aliqua re suspensum » aut « perdurare per aliquid »; praeterea si verba illa cum praedicato coniungenda essent, pro particula negante οὐ omnino negatio μή adhiberi debuit.

oeconomiam, uti ex filiorum Rebeccae historia constat, operibus non debebatur, sed gratuitae Dei eligentis voluntati. Quamvis autem ex eadem historia etiam appareat, admissionem ad promissiones iuri sanguinis naturalisque generationis non esse alligatam, Apostolus id tamen hic non commemorat, quia praecedentis exempli typica explicatione iam satis erat demonstratum.

De diversis sententiae expositionibus pauca adnotasse sufficiet. Refutatione *Theod.* non indiget, qui perversam, ut videtur, lectionem secutus (ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις, propositum quod est secundum Dei electionem) nomine propositi designari vult bonam malamve *geminorum* voluntatem, propter quam praevisam Deus unum elegerit altero relicto. Ad similem sensum *Chrys.* cum sua schola (cfr *Theoph. Oec.* etc.; similiter etiam *A*[ter] etc.) pervenit, quum ei ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ Θεοῦ (propositum Dei, quod est secundum electionem) idem sit quod ἡ ἐκλογὴ ἡ κατὰ πρόθεσιν καὶ πρόγνωσιν τοῦ Θεοῦ (electio, quae secundum propositum *et praescientiam* Dei facta est), ita ut Deus Iacobum elegisse dicatur, quia eum probum futurum esse praevidisset; « nam ex primo die et novit et annuntiavit, uter bonus et non bonus esset futurus ». Qua parum accurata et satis arbitraria locutionis interpretatione praetermissa, S. Doctorem non considerasse monemus, a Paulo opera et gratuitam vocationem absolute inter se opponi, ab eo igitur etiam praevisionem sive operum sive bonae voluntatis non habitam esse pro electionis causa vel ratione. Contra Iudaeos enim, qui admissionem ad regnum messianum sibi ob sanguinem suum abrahamiticum Legisque suae opera deberi arbitrabantur, Apostolus hic quam maxime urget, admissionem illam esse plane gratuitam solique Deo vocanti deberi.

Id quidem recte vidit *S. Aug.* (ad Sixt. ep. 194,35; ad Simplic. I. qu. 2,5 etc.), at ipse quoque non tantum in priore quadam explicatione (expos. n. 60), uti postea confessus est (cfr Retract. I. 23,2; de praedest. Sanct. 3,7) a vero aberravit, quum Deum diceret saltem « fidem elegisse in praescientia, ut quem sibi crediturum esse praescivit, ipsum elegisset, cui Spiritum S. daret, ut bona operando etiam vitam aeternam consequeretur », sed in posterioribus quoque operibus genuinum sensum assecutus non est. Una enim ex parte, quia ad graecum textum non attendit, latinorum verborum quae esset recta connexio et constructio non perspexit (cfr supra p. 488. *n.* 1); altera autem ex parte, quia in suo codice erroneam *v.* 6 versionem habuit (cfr supra ad *v.* 6 p. 482), non percepit, Apostolum in hac pericope non de praedestinatione ad gloriam agere, sed de gratuita ad fidem evangelicam admissione, quam utique praeter alia novae oeconomiae bona etiam salus aeterna in iis consequitur, qui ad fidem efficaciter vocati cum gratia cooperantes in iustitia accepta perseverant[1]. Auctoritas porro S. Augustini multos quoque iuniores, quamvis meliorem *v.* 6 lectionem haberent scopumque Apostoli cognoscere possent, eo adduxit, ut nostro in loco prae-

1. Cfr *Petav.* de praedest. II. 1,5, qui hac de re fusius agit.

destinationem ad gloriam praecise spectatam doceri sibi persuaderent[1]. Quam in quaestionem ingredi opus non est; doctrinam enim illam nostro in loco nullum habere fundamentum, quum ex fine, quem Apostolus in hac pericope persequitur, tum ex tota eius argumentatione tam clare elucet, ut inter modernos non inveniatur, qui de praedestinatione ad gloriam hic diserte aut directe agi teneat.

3. — *Iniustus Deus non est quum inter pares unum prae altero ad fidem vocat* (9,14-24).

9,14. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit.* 15. *Moysi enim dicit: Miserebor cuius misereor: et misericordiam praestabo cuius miserebor.* 16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* 17. *Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* 18. *Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult indurat.* 19. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit?* 20. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?* 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* 22. *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa irae, apta in interitum,* 23. *ut ostenderet divitias glo-*

9,14. Τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ; μὴ γένοιτο. 15. τῷ Μωϋσεῖ γὰρ λέγει· Ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. 16. ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεῶντος Θεοῦ. 17. λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ, ὅτι Εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ. 18. ἄρα οὖν ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει. 19. ἐρεῖς μοι οὖν· Τί οὖν ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκεν; 20. ὦ ἄνθρωπε, μενοῦν σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι· Τί με ἐποίησας οὕτως; 21. ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν; 22. εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, 23.

1. Mirum est, quomodo huius sententiae patroni nostrum locum torqueant, ut suam doctrinam in eum ingerant. *Nat.* ex. gr. asserere non dubitat, verba ex Genesi allegata (*maior serviet minori*) typice significare: « Serviunt reprobi electis inviti ad eorum sanctificationem et salutem, disponente Deo et omnia illis vertente in bonum ». Similiter in Malachiae verbis iuxta eum « odium Esau aeternam eius reprobationem significat, dilectio Iacob aeternam eius electionem ad regnum coeleste et aeternam felicitatem ». Contra quae optime *Beel.* monet: « Quod a Paulo dicitur: *quum nondum nati essent neque aliquid boni egissent aut mali*, id profecto eodem iure tam ad Esau pertinet quam ad Iacob, atque si *diligere*, est *ad aeternam gloriam praedestinare* [*ante praevisa merita*], id quod in antithesi dicitur *odio habere* nihil aliud erit quam *ad aeternum supplicium praedestinare* [*ante praevisa peccata*]. Hoc utique sensu Calvinistae locum interpretantur indeque docent. Deum absoluto decreto adeoque ex solo suo beneplacito absque ulla praevii peccati praevisione homines certo numero quosdam positive reprobasse. A qua blasphema impietate catholici interpretes quotquot sunt abhorrent omnes, quamquam eorum plures in ea sunt sententia, ut credant Paulum hoc loco reapse docere hinc quidem *praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita*, illinc vero *reprobationem* quidem, sed talem quae facta sit *post praevisa mala merita*, et Iacobum typum gerere praedestinatorum, Esau typum reprobatorum. *Qua vero exegetica ratione* ex hoc loco efficiant, praedestinationem ad glo-

riae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam. 24. *Quos et vocavit nos non solum ex Iudaeis, sed etiam ex gentibus,...*	ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους, ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν, 24. οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν [1].

Deus quum inter Rebeccae geminos nondum natos non minus quam inter Abrahae filios unum solum, altero relicto, ad hereditatem patri promissam dignitatemque patriarchalem eligeret, promissiones suas naturalis generationis operumque iuri non alligari ostendit legemque simul revelavit, quam in admissione ad promissum regnum messianum, i. e. ad Evangelium eiusque bona, secuturus erat : ex Iudaeis quippe et ex ethnicis, nulla externae conditionis aut operum ratione habita, alios ex mera benevolentia ad fidem evangelicam efficaciter vocat, alios eadem ratione non vocat, licet his quoque sufficientes gratias nequaquam deneget, quibus ad fidem pervenire possent, si cum eis cooperarentur. Haec est summa eorum, quae in praecedente pericope Apostolus exposuit, ut partiali Iudaeorum reiectione multorumque ethnicorum vocatione promissiones divinas de regno messiano non excidisse demonstraret. Sed nova inde exoriebatur difficultas; obiicere enim Iudaei poterant, Deum iniustum videri, si ex illis, qui externa

riam fieri *ante* praevisa merita, praedestinationem ad supplicium *post* praevisa merita, illorum nemo, quod sciam, exponere conatus est ».

1. *VV. LL.* — 15. τῷ Μωϋσεῖ γάρ (*Moysi enim*) hoc verborum ordine, quo Moysis nomen cum emphasi quadam effertur, B ℵ D E F G P, aliqui minusc. et PP; sed *textus rec.* consueto ordine : τῷ γὰρ Μωυσεῖ cum A K L ac plerisque minusc.; prior lectio videtur praeferenda. — 19 τί οὖν ἔτι μέμφεται (quid *ergo* adhuc conqueritur) B D E F G, quibuscum ex Latinis consentiunt *S. Hier.* (c. Pelag. I. 37), *Sed.*; sed *textus rec.* : τί ἔτι μέμφεται (*quid adhuc queritur*), coniunctione οὖν omissa, cum ℵ A K L P, omnibus minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Goth.*; auctoritate testium praevalet secunda lectio. — τῷ γὰρ βουλήματι (*voluntati enim*) est communis ac certa lectio; a qua pauci tantum minusc. recedunt particulam γάρ omittentes. — 20. μενοῦν (*immo vero* vel *immo potius*) solus B; melius μενοῦνγε (eodem sensu) ℵ A K L P, omnes fere minusc., *Syr. Copt. Goth.*; nullam particulam exhibent D F G, paucissimi minusc., *It. Vulg. Aeth.* Dubium non est, quin particula μενοῦνγε sit retinenda; utrum vero cum ℵ A (B) paucisque minusc. post verba ὦ ἄνθρωπε ponatur, an cum reliquis testibus ante illa verba, ad sensum haud multum interest. — Totam sententiam a nonnullis haereticis (Manichaeis ut videtur) esse omissam, quia illam interpolatori cuidam adscripserint, adnotat *S. Aug.* (de octog. trib. quaest. 68,1); sed nulla prorsus adest interpolationis admittendae ratio, quia omnes antiqui testes sententiam pro genuina exhibent. — 22. ἤνεγκεν (*sustinuit*) est communis certaque lectio, a qua soli recedunt F G cum *Iuliano Pelag.*, qui verbum illud omittunt et ad sententiae constructionem complendam ante σκεύη (*vasa*) praepositionem εἰς (*in*) inserunt. — 23. ἵνα γνωρίσῃ (*ut ostenderet*), coniunctione καί omissa, B cum paucis minusc., *Vulg. Copt.*; legatur autem oportet : καὶ ἵνα γνωρίσῃ (*et* ut ostenderet cum ℵ A D E F G K L P, plerisque minusc., *It.* (cfr *Aug.* A[cr] etc.) *Syr.* — Sed de vv. 22-24 constructione et interpunctione dicemus in *Comment.*

conditione ac meritis inter se pares sint, unum prae altero eligat (*v.* 14). Quam obiectionem Paulus non tam directe quam indirecte solvit Scripturarum auctoritate, quam Iudaei agnoscere debebant. Illarum enim testimonio constat, Deum liberrimum esse quum in misericordia sua exhibenda (15. 16), tum in gratiis suis negandis, etsi ex earum negatione sequatur obduratio (17. 18). Praecavens vero, ne quis ex secunda responsionis suae parte inferat, Deo illos, quos ipse omnipotente sua voluntate induret, castigare non licere (*v.* 19), Apostolus praeprimis homuncionis cum Deo creatore suo de eius iustitia expostulantis superbiam temeritatemque reprimit (20. 21), ac deinde veram agendi rationem Dei explicat, qui erga ipsos peccatores (Iudaeos Evangelium obstinate repellentes), quamvis eos puniturus sit, longanimem sese exhibeat (*v.* 22), maxime autem divitias misericordiae suae in electos manifestet, quos ex Iudaeis et ex ethnicis vocare voluit (23. 24).

Duae igitur obiectiones (*vv.* 14. 19), quarum prior *vv.* 15-18, altera *vv.* 20-24 refutentur, distinguendae sunt. Quam loci structuram contextionemque, quum ipsa apostolicae argumentationis forma satis aperte prodatur, cum *SS. Ephr.* et *Aug.* omnes fere iuniores interpretes latini cunctique moderni iure admittunt. Verum antiquiores Patres, ac praesertim Graeci, alios sententiarum nexus proposuerunt, ut multas et graves difficultates, quas in hac pericope invenire sibi videbantur, effugerent. Cum *Orig.* inter Graecos *Mopsu.* et inter Latinos *S. Hier.* (ad Hedib. ep. 120,10) et *Sedul.* unam solam obiectionem contra liberum hominis arbitrium adesse volunt, quae *v.* 14. proponatur et reiiciatur, *vv.* 15-18. Scripturarum auctoritate ab obiiciente confirmetur, *v.* 19. repetatur ac demum *v.* 20 sqq. dissolvatur, ita ut ea, quae *vv.* 14-19 leguntur, ex Pauli mente non sint dicta.

A qua sententia *Chrys.* cum suis (cfr *Theod. Dam. Theoph. Euth.*) haud longe recedit; obiectionem enim *v.* 14 propositam reiectamque sententiis sequentibus (15-18) nondum refutari sed potius augeri arbitratur, quum Apostolus ipse aliis Scripturae exemplis allatis ostendat, hominem non posse iudicare, cur Deus alium prae alio eligat. Unde etiam iuxta *Chrys.* sententiae *vv.* 16. 18 ex mente Pauli non sunt dictae, quamvis eas rectam quoque explicationem admittere concedat.

Inter Latinos *A^ter* duas quidem obiectiones distinguit, sed secundam iam *v.* 18 proponi vult, ideoque ad eundem *v.* 18 trahit priora verba *v.* 19 (*dicis itaque mihi*) atque ab interrogatione *Quid adhuc queritur* (vel uti erronee legit : Quid adhuc *quaeritur?*) refutationem inchoat. Demum *Pelag.* in *vv.* 15-19 altercationem quandam deprehendit, quasi Iudaeus adversarius ex Scripturae locis, a Paulo al-

legatis (*vv.* 15. 17) erroneas conclusiones derivet (*vv.* 16. 18), quae deinde reiiciantur. Verum accuratius de his sententiis disserere opus non esse arbitramur[1]; etenim nullam rationem adesse, cur ab illa quam cum plerisque sequimur pericopes dispositione recedamus, ex sententiarum interpretatione apparebit.

Erroneam conclusionem, quam ex proposita doctrina adversarios forsitan derivaturos esse suspicatur, Paulus iisdem formulis, quibus saepius utitur (cfr 3,5; 6,1; 7,7), praeoccupat et reiicit : 14. *quid ergo dicemus? numquid iniquitas* (ἀδικία, melius hic : *iniustitia*) *apud Deum? Absit.* Haud immerito ex ipsa hac obiectione *S. Aug.* desumit, in praecedentibus non tantum praeterita sed etiam praevisa opera velut rationem, cur Deus unum prae alio eligat, excludi[2]. Etenim rem consideranti aliqua *iniquitatis* vel *iniustitiae* species in eo solo apparere potuit, quod Deus nullo omnino sive praeteritorum sive futurorum operum respectu habito ex illis, qui inter se pares aequalesque essent unum praeferre diceretur, cui dona sua conferret. Sed « iustitia distributiva, inquit *Thom.*, locum habet in iis quae dantur *ex debito*, puta

1. Fuse et accurate de iis agit *Val. Weber* (Krit. Geschichte der Exegese des 9. Kap. des Römerbriefes. Würzburg 1889 p. 38-107). In eo tamen eum a vero aberrasse arbitror, quod S. Chrysostomum iam ante S. Augustinum veram *vv.* 15-18 connexionem proposuisse dicat (p. 175. 74 sq.). Quemadmodum enim diximus, *vv.* 16 et 18 ex mente Pauli dici *Chrys.* diserte negat, licet verba, si a Paulo prolata essent, veram doctrinam continere concedat. Cfr ex. gr. in ep. ad Rom. hom. 16,9 : « Illud *non est volentis neque currentis*, etsi *per modum obiectionis* sit prolatum, tamen etiam a Paulo dictum nullam creat difficultatem » (τὸ γὰρ οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, εἰ καὶ ἐν τάξει ἀντιθέσεως εἴρηται, ἀλλ᾽ ὅμως καὶ παρὰ τοῦ Παύλου λεγόμενον οὐδεμίαν ἀπορίαν φέρει). Clarius idem, si fieri potest, altero ex loco (in ep. ad Hebr. hom. 12,3) elucet, ubi S. Doctor sibi ipsi verba illa (*non est volentis* etc.) obiicit, quasi iis Paulus liberum hominis arbitrium neget, atque ad obiectionem respondet : « primum quidem *non tamquam suam propriam* introduxit sententiam (πρῶτον μὲν οὐχ ὡς ἰδίαν γνώμην εἰσήγαγεν), sed collegit ex eo quod erat propositum » etc; deinde secundo responso explicat, quomodo verba explicanda sint, si ex mente Pauli dicta censeantur. Cum plerisque igitur tenendum est, etiam Chrys. genuinum nexum non percepisse; neque eum percipere potuit, quia sibi persuasit, Paulum in hoc loco probare, Deum semper digniorem eligere, hominem autem quis dignior sit non posse cognoscere.

2. Cfr *S. Aug.* ad Sixt. ep. 194,35 : « *Ideo,* inquiunt [adversarii], *nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera praevidebat.* Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis obiecta quaestione non id potius tam breve, tam apertum, tam (sicut isti putant) verum absolutumque respondit. Quum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis nec aliquid agentibus boni aut mali recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alterum odio habuerit, ipsa sibi obiecta quaestione motum exprimens auditoris : *Quid ergo dicemus?* inquit, *numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Hic ergo erat locus, ut diceret, quod isti sentiunt : *Futura enim Deus praevidebat, quando minori maiorem servitururum esse dicebat.* Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam et gloriam commendandam voluit valere quod dixit » etc.

si qui meruerunt mercedem, ut plus laborantibus maior merces detur; non autem locum habet in iis quae *sponte et misericorditer* dantur, puta si quis duos pauperes in via inveniens dat uni, quod potest vel disponit dare in eleemosynam, non est iniquus (i. e. iniustus) sed misericors; similiter si quis, duobus aeque ipsum offendentibus, uni dimittit offensam et non alteri, est misericors uni et iustus ad alterum, neutri autem iniquus (vel iniustus) ».

Verum hanc distinctionem, qua difficultas proposita directe solvitur, quum iustitiam fidei, i. e. admissionem ad regni messianici bona, Iudaeis non minus quam ethnicis non ex debito sed gratis ex mera benevolentia dari in superioribus fuse iam sit demonstratum (cfr 3,22 sqq.; 4,1 sqq. etc.), Paulus diserte non enuntiat; illam tamen supponens ex Scriptura argumentari mavult, in qua Deus sese ipse in misericordia sua praestanda aut neganda liberum esse proclamat atque eo ipso etiam in hac agendi ratione iniustitiam non adesse docet; Deum iustissimum enim sese ipsum iniustum dicere, ne stultissimus quidem sibi persuaserit. Primo porro in loco sententiam affert, quam Moysi dictam esse haud sine emphasi (saltem secundum probatiorem lectionem cfr *VV. LL.*) monet, ut illam, quia tanto talique Dei amico dicta sit, multo magis ad reliquos omnes pertinere significet: 15. *Moysi enim dicit* (τῷ Μωϋσεῖ γὰρ λέγει) *miserebor cuius* (melius : *cuiuscumque* ὃν ἂν) *misereor et misericordiam praestabo cuius miserebor* (melius : cuicumque misericordiam praesto ὃν ἂν οἰκτείρω).

Quae sententia (*Exod.* 33,19) accurate iuxta versionem alexandrinam allegata in eo solo a primigenio textu recedit, quod in membris relativis pro futuro praesens tempus adhibeatur (*text. hebr.* : « miserebor cuiuscumque miserebor et miserabor quemcumque miserabor[1] »). Qua formae mutatione sensus non mutatur, quem liberiore sua versione *S. Hier.* quasi explicat : « miserebor *cui voluero* et clemens ero *in quem mihi placuerit* ». Pro supremo enim suo beneplacito sese beneficia, quae non deberet, praestare neque ulla lege ad ea concedenda astringi, Deus significare voluit, quando a Moyse rogatus, ut sibi in confirmationem promissionis factae gloriam suam manifestaret, petitam gratiam se concessurum esse promittens sententiam istam generalem adiecit. Itaque illis verbis, uti Apostolus statim (*v.* 16) conclusione sua explanat, edocemur nos ad eiusmodi gratias nullum omnino ius habere neque eas nostris viribus laboribusque promerere posse, Deum ergo

1. In textu hebr. formas וְחַנֹּתִי et וְרִחַמְתִּי non minus quam praecedens וְקָרָאתִי, quae omnes cum primo verbo אַעֲבִיר sunt connexae, esse *Perfecta* quae dicuntur *consecutiva* locumque Imperfecti (s. *Futuri*) hic tenere, contextus docet.

iniustum non esse, si eas uni tribuat, alteri neget. Duo sententiae membra esse synonyma clarum est; coniunguntur autem, ut axioma repetitione ipsa animo profundius inculcetur. Quae accurata duorum verborum synonymorum (חנן ἐλεεῖν et רחם οἰκτείρειν) sit distinctio, difficile est dictu; plerique tamen consentiunt, 'secundum priore esse fortius, quoniam praeter internum misericordiae affectum etiam externam eius manifestationem innuat (similiter atque latina *misereri* et *miserari*). Sunt qui sententiam in Exodo ad solum Moysen pertinere, a Paulo autem velut generalem adhiberi censeant (*Bisp.* etc. — *Mey. Lips.* etc.); at licet Moysi proxime sit dicta, a Deo ipso tamen iam velut generalis lex profertur, id quod contextum Exodi legenti patet. Eodem porro contextu etiam *Chrys.* aliorumque, qui eum sequuntur, opinio excluditur, iuxta quam Deus sese alios ex Iudaeis, qui vitulum aureum sibi in deserto fecerant, puniturum, aliis autem parciturum esse significare voluerit.

Ex allegato divino testimonio Apostolus immediate infert : **16.** *igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Brevitatis pro more studiosus subiectum (et iuxta graecum textum etiam praedicati verbum : ἐστίν *est*) praetermittit, quia ex praemissis Dei verbis sua sponte suppletur τὸ ἐλεηθῆναι (« misericordiam consequi »), ita ut misericordiae (seu si mavis : beneficii indebiti) adeptionem non ab hominis voluntate aut labore, sed a Dei misericordis beneplacito dependere concludat. Si autem ad totam Apostoli argumentationem attendimus, subiectum omissum etiam accuratius definire et cum *Thom.* dicere nobis licet : « Igitur ipsa salus [sc. inchoata seu prima iustitia] hominis non debetur alicui per aliquam eius voluntatem vel exteriorem operationem, sed procedit ex sola Dei misericordia ».

Haud recte nonnulli in hac sententia cum *Theoph.* ad historiam duorum filiorum Isaaci respici arbitrati participio *volentis* Isaacum, qui Esau benedicere *voluerit*, et participio *currentis* ipsum Esau, qui venatum *cucurrerit*, aut cum *Tolet.* utroque participio Iacobum, qui patris benedictionem sibi acquirere voluerit ac studuerit, designari volunt. Nam de geminorum fatis, quae ob solam eorum typicam significationem commemoravit, Paulus non amplius agit, sed de ipsa re, quam ex illis demonstravit, i. e. de gratuita admissione ad regnum messianum, quae uni divinae misericordiae debeatur. Verbum *currere* autem hic, uti saepe, per metaphoram a stadiodromis petitam (cfr 1 *Cor.* 9,24. 26) idem significat quod *vires intendere* seu enixe laborare (*Gal.* 2,2; 5,7; Phil. 2,16 etc.).

De accurata sententiae significatione Patres inter se non plane consentire aliqui arbitrantur (cfr *Iust.* etc.). Revera enim nonnulli duo membra ita connecti volunt, ut prioris negatio non absolute sed relative ad alterum membrum intelligenda sit, cuius affirmatio hac ratione maiore cum vi effe-

ratur, ac si scriptum sit : « *non tam* volentis aut currentis hominis, *quam* miserentis Dei est » (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 33 sq. 459 sq.). Huc praesertim *Chrys.* cum sua schola pertinet, qui primo quidem in loco, uti supra adnotavimus, conclusionem hanc non ex mente Pauli sed ad priorem difficultatem augendam afferri arbitratur, deinde vero eam, si ex mente Pauli dicta sumatur, hoc modo explicat (in Rom. hom. 16,9) : « Quum dicit : *non est volentis neque currentis*, libertatem non tollit, verum ostendit, non totum illius esse [qui vult et currit], sed illum indigere divina gratia : oportet enim et velle et currere, confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitati, sicut et alibi (1 *Cor.* 15,10) dicit : non ego autem sed gratia Dei quae mecum est ». Quae quo sensu intelligi velit, docet in Hebr. hom. 12,3 : « Cuius est id, quod est amplius, eius dicit esse totum; nam nostrum quidem est praeeligere et velle; Dei autem est perficere et ad finem perducere; quoniam ergo quod plus est, est Dei, totum Dei esse dicit ». Qua in explicatione *S. Greg. Naz.* (orat. 37,13) praeiverat; nam « quod salvamur, inquit, id et a nobis et a Deo esse oportet; idcirco ait : *non volentis*, i. e. non solius volentis, *neque currentis* solius, *sed* etiam *miserentis Dei.* Quoniam autem velle quoque a Deo est, optimo iure totum Deo assignavit; quamtumlibet curras, quamtumlibet certes, opus habes eo qui det coronam ».

Ad eandem *S. Aug.* quoque in prioribus suis operibus prope accedere videtur, ubi docet (expos. n. 62) : « Quod autem ait : *non est volentis neque currentis sed miserentis est Dei,* non tollit liberum arbitrium, sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adiuvet Deus ». Postea tamen S. Doctor hanc explicationem saepius impugnavit : « Si propterea solum, inquit (ad Simplic. I. qu. 2,12), dictum est : *non volentis* etc., quia voluntas hominis sola non sufficit, ut recte iusteque vivamus, nisi adiuvemur misericordia Dei, potest et hoc modo dici : *igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis,* quia misericordia Dei non sufficit, nisi consensus nostrae voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur; illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus; si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus ». Similiter alibi, ut explicationem illam probabilitate carere demonstret, duo membra inter se converti non posse urget (Enchirid. 32; de grat. et lib. arb. 7,16). Idem *Thom.* quoque repetit argumentum, ut in illa conclusione « principalitatem gratiae Dei attribui » ostendat. Verum tantum abest, ut iuxta priorem explicationem, prout a SS. Greg. Naz. et Chrys. exponitur, principalitas gratiae negetur, ut ex illa clare derivetur atque in allegatis testimoniis diserte affirmetur.

Re igitur Graecorum explicatio a S. Augustini aliorumque, qui eum secuti sunt, Latinorum sententia non discordat; neque vero ideo nobis iam probatur. Nam neque graeci neque latini illi interpretes ad argumentum, quod Apostolus hoc in loco tractat, eiusque scopum satis videntur attendisse. In eo enim versatur, ut admissionem ad regnum messianum a libera electione Dei dependere ac merum misericordiae divinae donum esse confirmet; quare verba eius neque sensu omnino generali neque de iis, qui iam iustifi-

cati cum gratia cooperantur, intelligere licet. Conclusione sua ergo id unum docet, electionem ac vocationem ad novae oeconomiae bona esse meram gratiam, quam nemo, neque Iudaeus neque ethnicus, viribus liberi sui arbitrii aut operibus suis naturalibus sibi acquirere aut merere possit. Prioris ergo membri negatio absolute est intelligenda. Diversa vero est ratio illorum locorum, in quibus Paulus neophytos, i. e. iam iustificatos, exhortans ut currant (1 *Cor.* 9,24.26 etc.) hominem cum gratia cooperantem, i. e. sub influxu gratiae volentem et currentem, aliquid merere supponit. Ideo *S. Chrys.* ad suam explicationem confirmandam haud recte velut parallelam allegavit 1 *Cor.* 15,10. Ibi enim utique Paulus de laborum suorum fructibus loquens gratiae attribuit *potiorem partem* : « non ego sed gratiae Dei quae mecum est » i. e. « non tam ego, quam gratia »; hic autem, ubi de ingressu in ordinem supernaturalem agit, *omnia* tribuit *soli Deo* miserenti, neque quidquam ad hanc gratiam obtinendam confert voluntati, quae eam accipiat eique consentiat; quapropter hic locus efficacissimum praebet argumentum contra Semipelagianos.

Conclusionem suam, Deum scil. pro suo beneplacito misereri cuiuscumque velit, quasi e contrario Paulus confirmat, altero loco scripturistico proposito, quo Deus sese finem suum ultimum, i. e. suam gloriam, in iis quoque obtinere testatur, quorum non misereatur. Inde enim elucet, nihil adesse, quo ad exhibendam potius quam negandam misericordiam suam cogatur, sed eum in gratiis suis distribuendis liberrimum esse. Aptissime autem exemplum affert Pharaonis, qui Moysis adversarius, quamvis esset homo obduratus ac pervicacissime Deo resisteret, divinae tamen gloriae promovendae inservire debuit : 17. *dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitari te* (ἐξήγειρά σε), *ut ostendam in te* (ἐν σοί) *virtutem meam et ut annuntietur* (seu *divulgetur* διαγγελῇ) *nomen meum in universa terra.* Particulam causalem γάρ (*enim*) ad *v.* 14 respicere, ita ut hic versus velut parallelus ad *v.* 15 accedat cum eoque simul sumtus completum argumentum ad divinam iustitiam in concedenda et in neganda misericordia demonstrandam constituat, parum recte nonnulli (cfr *Tol.* etc.) censent; simplicior enim et clarior est nexus, quem indicavimus ac plerique tenent. Nomen *Scripturae* porro eodem modo hic, quo *Gal.* 3,8, metonymice pro eius auctore Deo usurpatur, qui suo nomine verba illa per Moysen Pharaoni promulgari et in sacris literis (*Exod.* 9,16) conservari voluit; ad verba allegata autem particula ὅτι (*quia*, quod) non pertinet, sed illa introducit (ὅτι recitat cfr *v.* 13 etc.). In testimonio ipso afferendo Apostolus ab alexandrina versione in duobus recedit : namque pro ἕνεκεν τούτου διετηρήθης (propter hoc conservatus es), quod illa habet, scribere maluit εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε (*in hoc ipsum excitavi* vel suscitavi *te*), ut

non tantum maiore cum vi finalem actionis divinae significationem urgeret, sed actionem ipsam quoque cum textu hebraico directe Deo attribueret eamque alio modo definiret. Procul dubio in his versionem, quam in reliquis fideliter sequitur[1], consulto mutavit, ut eam argumento suo pressius accommodaret; quid tamen verbo ἐξεγείρειν significare voluerit, in controversia est.

Quia ex sententia nostra immediate (*v.* 18) inferri videtur, Deum indurare quem velit, haud pauci cum *S. Aug.* hanc indurandi notionem verbo illo (saltem indirecte) exprimi censent, ita ut Deus simili ratione, qua gentes in desideria cordis eorum reprobumque sensum *tradidisse* dictus est (1,24 sqq.), Pharaonem ad peccata maiora, quibus induraretur, *incitasse* dicatur[2]. At haec explicatio graeco utique verbo ἐξεγείρειν aliquo fortasse modo (cfr 2 *Mach.* 13,4 ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλέων ἐξήγειρεν τὸν θυμὸν τοῦ Ἀντιόχου *suscitavit*

1. Nullius enim momenti est, quod loco ἵνα synonymam particulam ὅπως habeat; neque textum mutasse dici potest, quia pro ἰσχύν, quod sixtina editio vers. alex. cum B etc. legit, posuerit δύναμιν, quia hanc lectionem etiam boni codd. versionis alex. (A etc.) exhibent eamque praeferendam esse S. Pauli auctoritas suadet.

2. Cfr *S. Aug.* : « Excitavi te, ut contumacius resisteres imperio meo, non tantum permittendo, sed multa etiam tam intus quam foris operando, quae per occasionem maioris tibi contumaciae causa fuerunt » (haec verba tamquam ex Aug. operibus desumta *Iust.* allegat neque tamen ubi leguntur indicat; ceterum doctrina cum ea, quam alibi Aug. tradit, omnino consentit; cfr de gr. et lib. arb. cc. 20. 21; c. Iulian. V. 3 etc.); *Herv.* : « Non feci te malum, sed *excitavi;* malus enim eras sed quasi sopitus; ego autem ostendens tibi signa et mandans, ut populum meum dimitteres, *excitavi te in eandem malitiam ut deterior fias;* hoc enim iustum est, ut qui in sordibus est sordescat adhuc. Neque hoc est inutile quod excitatus es, sed ut in te obdurato et resistente ostendam virtutem meam ». Fusius eundem fere in sensum *Thom*². : « *Excitavi te in peccatum ut deterior fias;* quod quidem non est intelligendum, quasi Deus in homine causet malitiam, sed est intelligendum permissive, quia scil. ex iusto suo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter praecedentes iniquitates, sicut supra (1,28) dictum est : *tradidit* eos in sensum reprobum. Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum, quia videlicet instinctu quodam interiore moventur homines a Deo ad bonum et ad malum. Unde Aug. dicit (de gr. et lib. arb. 20,41), quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro eorum meritis. Unde et Deus dicitur saepius *suscitare* aliquos ad bonum (*Dan.* 13,45) et aliquos ad malum (*Is.* 13,17. 18), aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directe et per se tamquam actor bonorum, ad malum autem [indirecte et] occasionaliter, in quantum scil. homini proponit aliquid vel interius vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed quo homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum (2,4. 5). Et similiter Deus, quantum est de se, interius instigat hominem ad bonum, puta ad defendendum iura regni sui vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui; et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui quum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem ». Similiter verbum explicant *Lyr. Dion.* etc., *Est. Nat.* etc., *Mai. Beel. Bisp. Dr.* etc. — *de W. Fritzsche* etc. — Eandem verbi significationem admittit, sed aliter locum exponit *Cai.* : « Ideo *excitavi te* per Moysen et Aaron, *ut dimittas populum meum*, non tamen ut cum effectu dimittas, sed ut ostendam in te potentiam meam per multa miracula » etc.

iram), nullo autem modo verbo hebraico הֶעֱמַדְתִּיךָ congruit, quod proprie significat *stare te feci* vel *te constitui*, atque contextu interdum quidem ad conservationis, verum nusquam et nunquam ad incitationis significationem trahi potest; iamvero Paulum sensum plane diversum divinis verbis attribuisse, dicere profecto non licet[1]. Alii verbo ἐξεγείρειν hic idem quod verbo διατηρεῖν (*conservare*) significare volunt, ita ut Apostolus pro passiva forma versionis alexandrinae dumtaxat activam textus primigenii restituerit (cfr *Chrys. Theod.* in Cat. gr., *A^ler Haym. Thom*[1]. etc., *Klee, Reith.* etc. — *Ros. Hofm.* etc.); ad quam explicationem tuendam moderni nonnulli monent, simplex ἐγείρειν aliquoties de aegrotorum sanatione ac proin conservatione usurpari (*Iac.* 5,15; cfr *Marc.* 1,31; 9,27 etc.). At aliud est *in salutem restituere*, aliud *conservare*; praeterea de morbo, ex quo Pharao erigi debuerit, in Exodi contextu nihil habetur neque alexandrina versio (διατηρεῖν) de sanatione intelligi potest; demum verbo composito rara simplicis significatio arbitrarie assignatur[2]. Alii (maxime Calvinistae) explicant *exsistere te feci*, sed haec significatio, quam graeco verbo competere idoneo exemplo non probatur, hebraico certissime non competit[3].

Quapropter ad *Zach.* 11,16 (ἐξεγείρω ποιμένα *suscito* pastorem super terram; cfr *Fl. Ios.* Aut. VIII. 11,1 : βασιλεὺς ἐξεγείρεται ὑπ' ἐμοῦ etc.) respicientes cum *Phot.* (cfr Oec.) *Euth.* (ἐξήγειρά σε εἰς ὕψος βασιλείας) aliisque (cfr *Vat. Tol. Lap.* etc., *M Ev. Sch.* etc. — *Beng. Fl.* etc.) interpretari malumus: *constitui te regem*, ita tamen ut regis notio non e verbo ipso sed ex loci contextu petatur. Ad hanc autem interpretationem antiqui quoque textus hebraici interpretes *Chald.* (קַיֵּמְתָּךְ), *Syr.* (אקימתך), *S. Hier.* (*posui te*), aeque ac *Theoph.* (εἰς τὸ μέσον ἤγαγόν σε) proxime accedunt.

Quae quum ita sint, sententiae sensus est hic : Deus Pharaonem illa in vitae conditione, in qua degebat, altoque in loco, quem tenuit, eam ipsam ob causam constituit (et conservavit), ut in eo indurato et contumace potentiam suam multis mirandisque plagis immissis manifestaret atque hac ratione non tantum apud Israelitas Aegyptiosque, qui eius prodigia oculis suis spectabant, aut apud circumiacentes nationes, ad quas prodigiorum fama mox perlata est (cfr *Exod.* 15,14 sq., quo in loco pro *ascenderunt populi* omnino cum *Hebr. Alex. Syr. Chald.* etc. legatur oportet: *audierunt populi; Ios.* 2,9; 9,9; 1 *Reg.* 4,8; 6,6 etc.), sed etiam in universa terra, ubicumque et quamdiu libri

1. Si quis igitur hanc explicationem verbi ἐξεγείρειν tenere vellet, deberet admittere, Paulum in suo codice hebraico pro massorethica lectione הֶעֱמַדְתִּיךָ potius legisse הַעִירֹתִיךָ atque hanc esse genuinam lectionem; sed quo argumento id demonstrare possit, non video.

2. Verbum ἐξεγείρειν Novo in Test. bis tantum legitur, hic et 1 *Cor.* 6,14, quo in loco significat *ad vitam resuscitare*. In alexandrina versione saepius legitur, sed nusquam, ut videtur, significat *in salutem restituere*.

3. Recte ipse *Beng.* : « verbum העמיד omnibus locis praesupponit subiectum iam antea productum ».

sacri legentur, nomen suum celebre redderet[1]. Fatis igitur Pharaonis, qui velut pervicacissimae indurationis exemplum in Scripturis depingitur, Deus nos edocere voluit, se etiam in iis, quorum non misereatur quibusque gratias suas neget, sapientissimos fines suos obtinere, id quod ex fatis hominum in peccatis obduratorum, qui inferiore in loco constituti obscuram vitam agunt, eadem cum claritate non elucet. Sicut autem Pharao obstinatione sua Deum prohibere non potuit, ne populum israeliticum servaret, sed eum ad maiora patranda miracula impulit, quibus gloria divina clarius splendesceret latiusque diffunderetur, ita reliquos quoque peccatores induratione sua fines Dei impedire non posse clarum est. Suo igitur argumento Apostolus simul leviter iam innuit, quod postea (11,11 sqq. 30 sqq.) clarius fusiusque exponet, Iudaeos quoque, qui nunc obstinati Evangelium respuunt, sua induratione fines sapientissimos Dei non tantum non impedire, sed promovere, quatenus nunc quidem infidelitate sua ad Evangelium suum inter ethnicos latius propagandum conferant, postea autem finali sua conversione infinitam Dei misericordiam sint manifestaturi.

Iamvero ex duobus testimoniis scripturisticis illam nunc infert conclusionem, qua Deum in gratiis suis dandis aut negandis liberrimum esse ostendens difficultatem modo (*v.* 14.) propositam dissolvit : 18. *ergo cuius vult miseretur et quem vult indurat* (sc. Deus); atqui si pro beneplacito suo misericordiam suam alicui exhibet aut non exhibet, eum iniustum non esse patet, si unum prae altero eligat, cui eam exhibeat. Prius conclusionis membrum ex Dei verbis Moysi dictis (*v.* 15) immediate ac directe colligitur, quum eorum non sit nisi concinnior repetitio. Alterum vero ex altero dicto, saltem si iuxta eam quam secuti sumus interpretationem intelligitur, non tam clare infertur, quia in eo neque *indurandi* verbum est expressum neque de induratione aut indurato agi videtur. Haec praecipua est causa, cur multi, uti supra monuimus, in praecedente sententia verbum ἐξεγείρειν idem esse volunt quod « ad peccandum incitare », ut induratio saltem indirecte innuatur. Verum haec explicatio, quam admitti non posse ostendimus, etiam ad nexum definiendum non est necessaria. Neque enim ex uno illo verbo, sed ex tota sententia, prout eam explicavimus, conclusio

1. Cum hoc dicto divino *Tol.* haud male verba Domini de caeco nato (*Ioan.* 9,3) comparat : « neque hic peccavit neque parentes eius, sed (caecus natus est) ut manifestentur opera Dei ». Quemadmodum enim Deus caecum illum ipsa Christi aetate Ierosolymis nasci voluit, ut Dominus occasionem haberet magno miraculo divinitatem suam coram universo Israele manifestandi, ita Deo disponente factum est, ut eo tempore, quo filii Israel iuxta promissiones patriarchis iam annuntiatas ex Aegypto exire debebant, ibi rex durus obstinatusque sceptrum teneret, in quo potentia divina omnibus gentibus manifestaretur.

pendet; Pharaonem autem, ad quem dictum illud divinum spectat, a Deo esse induratum, eo minus neophyti romani ignorare potuerunt, quo frequentius et disertius id in Exodo affirmatur (*Exod.* 9,12; 10,1. 20. 27; 11,10; 14,4. 8. 17; cfr etiam 4,21; 7,3); solo ergo Pharaonis nomine, praesertim quum Moysis nomini opponatur, audito satis iam intellexerunt, eum hic afferri velut exemplum hominis, cuius Deus non sit misertus, atque verba illa, ex quibus Apostolus argumentatur, ei esse dicta tamquam homini per Deum indurato. Illatio ergo ex illis legitima est, dummodo in suo contextu considerentur.

Quodsi ad duorum membrorum oppositionem attendimus, iure colligimus, verbum *indurare* hic proxime per metonymiam quandam dici pro *non misereri;* unde *S. Aug.* (ad Sixt. ep. 194,14) ait : « non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam ». Quae quasi explicans *Thom.* : « Deus, inquit, non dicitur indurare aliquos directe, quasi in eis causet malitiam, sed indirecte, in quantum scilicet ex his, quae facit in homine intus vel extra, homo sumit occasionem peccati et hoc ipsum Deus permittit; unde non dicitur indurare quasi immittendo malitiam sed non apponendo gratiam ». Quibus verbis S. Thom. recte indicat, Deum in hominis obduratione, quamvis hic sese ipse induret, non mere passive aut permissive sese habere. Simili potius ratione homo, qua sese ipse in immunditiam tradere et in eandem a Deo tradi dicitur (cfr ad 1,24 p. 94 sq.), etiam sese ipse indurare et a Deo indurari dicendus est. Indurationis quippe causa directa et positiva est homo ipse, quum peccatis suis indignum sese reddat, qui uberioribus gratiis a Deo adiuvetur, quique divinis monitis sive internis sive externis resistere incipiens paullatim quasi habitum resistendi sibi acquirit suumque cor ita obsepit obstruitque, ut gratiis quodam modo aditum praecludat. Occasionalis tamen et indirecta obdurationis causa Deus dici potest, quatenus primum ea agit, quibus hominem ad suam indurationem abusurum esse praevidet, deinde in praecedentium peccatorum poenam uberiores, quibus cor indurescens emolliri posset, gratias denegat, tandem indurationem ipsam ad sapientissimos suos fines ordinat.

Quae omnia in Pharaonis historia adumbrata esse *Em. Franzelin* (De Deo uno, p. 725) hac ratione explanat : « In primis quinque plagis nunquam dicitur *Deus indurasse*, sed constanter ipse *Pharao indurasse cor suum* aut *induratum fuisse cor eius* (cfr *Exod.* 7,13.22; 8,15.19.32; 9,7); quando vero aucta erat voluntaria pervicacia per tam impiam repugnantiam contra manifesta miracula, tum demum in signis sequentibus, inde a sexto, Deus patrando prodigia coram Pharaone iam propria malitia indurato dicitur *indurasse cor eius*, ut manifestum sit, non antecedentem Dei intentionem

indurandi, sed effectum malitia hominis ex miraculis divinis secutum indicari (cfr *Exod.* 9,12; 10,1.20.27; 14,4.8.17). Propterea in posterioribus quoque signis his non solum Deus Pharaonem, sed etiam Pharao se ipse indurasse adhuc dicitur (*Exod.* 9,35; 13.15). Haec diversitas in modo loquendi de induratione in prioribus et posterioribus portentis, quae nobis attentione videtur dignissima, vim argumenti non perdit ex eo, quod Deus iam *Exod.* 4,21 et 7,3 ait : *ego indurabo Pharaonem;* illic enim non de singulis sed de omnibus prodigiis simul et complexe sermo est. Sicut igitur Deus indurationem Pharaonis tantummodo praescire (*Exod.* 3,19), ita eam etiam efficere dicitur, dum sub hac praescientia prodigia patrat, quae licet voluntate antecedente ordinentur ad regis emollitionem, praevidentur tamen occasio futura maioris indurationis. Voluntate porro ad hanc indurationem (praevisam) consequente Deus vult in ea et per eam manifestare suam maiestatem (*Exod.* 14,17 sq.; 10,1 sq.) ». Quibus addidisse iuverit, non ipsis aerumnis a Deo Pharaoni eiusque populo immissis sed earum cessatione Pharaonem esse induratum; durante enim aerumna cor regis emolliebatur, Deo autem ad eius precationem aerumnam removente rex iterum intumuit. Itaque Deus eum indurare dicitur, quatenus plagas cessare fecit, quamvis praevideret, illa cessatione Pharaonem iterum fore contumacem; re autem rex ipse suo divinorum beneficiorum abusu sese indurasse dicendus est.

Ceterum Apostolus hoc Pharaonis exemplum haud sine ratione elegit. Sicut enim illo tempore inter eorumdem miraculorum testes alii quidem (uti Israelitae) ad fidem in Deum adducebantur aut in ea confirmabantur, alii autem (uti Pharao et Aegyptii) in contumaci sua rebellione contra Deum obfirmabantur, ita Pauli tempore inter Israelitas ipsos alii miraculis Christi Apostolorumque spectatis Evangelium receperant benedictionumque messianicarum participes facti erant, alii vero, quamquam eadem miracula viderant, sua ipsorum culpa Evangelium miraculis illis confirmatum respuerunt et sese ipsi in rebellione contra Messiam suum obduraverunt.

Sed praecedentis obiectionis solutio ac praesertim alterum conclusionis membrum, quo Deus pro suo beneplacito quem velit indurare dicitur, novae difficultati ansam praebet : 19. *dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur* (μέμφεται)? *voluntati enim eius quis resistit?* Antiquiores Latini haud pauci, quia ad graecum textum non attenderunt, pro *queritur* (seu conqueritur, vel iuxta propriam verbi μέμφεσθαι significationem : *vituperat,* obiurgat) erronee legerunt *quaeritur,* obiectionisque sensum esse putarunt, « in causam bonorum vel malorum quae hic agantur non amplius esse inquirendum, quum omnia iam voluntati divinae attribuantur, quae sit causa sufficiens, quia nemo ei possit resistere » (cfr *Thom*[1]. *Haym. Lomb*[1]. etc.), aut etiam « ab homine non posse requiri, ut faciat bonum vel vitet malum, quia id iuxta praedicta non sit in hominis potestate, quum omnia divinae voluntati attribuan-

tur » (cfr *Thom*[3].). Quae secunda explicatio prope accedit ad sententiam *S. Hier.* (ad Hedib. ep. 120,10), qui rectam lectionem secutus obiectionem hac ratione amplificat : « Si hoc ita est et pro sua voluntate miseretur Israeli et indurat Pharaonem, Deus ergo frustra conqueritur atque causatur, nos vel bona non fecisse vel fecisse mala, quum in potestate ipsius sit et voluntate, absque bonis et malis operibus eligere aliquem vel abiicere; praesertim quum voluntati ipsius humana fragilitas resistere nequeat ». Haud recte tamen *S. Hier.* ex utroque conclusionis membro novam obiectionem derivari supponit; ex solo enim secundo eam desumi, docet verbum μέμφεται (vituperat seu obiurgat), ad quod velut subiectum *Deus* et velut obiectum *induratos* ex praecedente sententia suppleri debere patet : Cur adhuc Deus obiurgat induratos, si ipse, cuius voluntati nemo resistere potest, homines indurat ac proin induratio illis, qui indurantur, imputari nequit?

Obiectionem hanc non tam esse contra Apostoli argumentationem, quamvis eam *sibi* fieri dicat (*dicis itaque mihi*), quam contra ipsam agendi rationem Dei, qui in Scripturis Pharaonem indurasse atque nihilominus eundem obiurgasse ac punivisse diserte affirmatur, evidens est. Quapropter Apostolus, antequam illam aggrediatur Deique vera agendi ratione accuratius explanata solvat (22-24), homini illam moventi os obstruit. Loci enim sui eum memorem esse iubet ac figuli similitudine proposita ostendit, quam impudens absurdaque sit creaturae cum creatore suo expostulatio (20. 21). Itaque adversarium interpellat : 20. immo potius (μενοῦνγε), *o homo, tu quis es qui respondeas Deo*, vel rectius : *qui obloqueris Deo*, seu cum eo expostulas ab eoque rationes exposcis, acsi iniuste egerit? Iure enim *Chrys.* adnotat, Paulum non dixisse ὁ ἀποκρινόμενος τῷ Θεῷ (qui *respondes* Deo), sed ὁ ἀνταποκρινόμενος, τουτέστιν ὁ ἀντιλέγων, ὁ ἐναντιούμενος (qui *obloqueris* i. e. qui *contradicis*, qui *adversaris*); « nam dicere : sic debuit res esse, sic non debuit esse, obloquentis est et expostulantis ». Ipsa iam compellatione ὦ ἄνθρωπε (*o homo*), praesertim quum *Dei* nomini, quo prima interrogatio terminatur, cum emphasi quadam opponatur, adversarius conditionis suae humilis admonetur et ad vilitatis suae memoriam revocatur; quare haud inepte aliqui eam vertere malunt *o homuncio* vel *o homuncule* (cfr *Beel.* etc.). Singularem deinde vim particula μενοῦνγε habet, quam *Vulg.* hic praetermisit, licet eam aliis tribus in locis Novi T., in quibus reperitur, aliquo modo expresserit (10,18; *Phil.* 3,8; *Luc.* 11,28). Simili quippe modo, quo latinum *immo vero*, graecum μενοῦνγε, quo Hellenistae loco postpositivi μενοῦν utuntur, duos sensus oppositos admittit, quum pro contextu interdum praecedentia confirmet simulque augeat, interdum quasi neget et corrigat, ita ut latino

immo potius clarius reddatur (cfr *Koch* Griech. Grammat. Ed. 13. Leipzig 1889 p. 283; *Hartung* Partikellehre II. p. 400 etc.); atqui dubium non est, quin in tribus aliis N. T. locis priore sensu adhibeatur, haud minus autem certum est, eam nostro in loco altero sensu usurpari. Etenim adversarium, qui sibi responderi vult, cur Deus eos, quos ipse indurasse dicitur, obiurget, Paulus interpellat : *immo potius, o homuncio*, tu responde (cfr *Platon*. Gorg. 470 b : σὺ μενοῦν ἀπόκριναι) : *tu quis es qui obloqueris Deo?* Ad obiectionem igitur ipsam nondum attendit, sed eam interim quasi transmittens adversario ius negat Deo obloquendi obiectionisque istius proponendae; quidquid Deus creator facit, homo iuste recteque factum habeat oportet.

Iure merito autem sese adversario ius illud negare Paulus duabus sequentibus interrogationibus ostendit, quibus eius attentionem ad humilem locum, quem cum Deo comparatus occupat, directe convertens temeritatem absurditatemque talis expostulationis patefacit simul et castigat : *numquid dicit figmentum ei qui se finxit* (τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι fictile fictori) : *Quid me fecisti sic* (scilicet ut hanc determinatam formam conditionemque acceperim)? 21. *an non* (ἢ οὐκ melius : *aut non*) *habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν aliud quidem vas, quod honesto usui aptum est, qui vasi ipsi est *decori*, aliud autem, quod usui vili aptum est, qui vasi est *dedecori;* cfr 2 *Tim*. 2,20. 21)? Graecum ἢ οὐκ (in principio *v*. 21) latino *aut non* rectius quam *annon* reddi adnotavimus, quia idem argumentum continuatur (cfr ad 1 *Cor*. 6,16, 19 etc.); nam inchoata similitudo interrogatione tertia ita excolitur et completur, ut secundae absurditas clarius pateat. Quicumque enim ad plenam perfectamque libertatem attendit, qua figulus ex eadem massa pro suo arbitrio vasa diversa diversisque usibus apta confingit, negare non potest, figmento non licere cum fictore suo de sua forma suaque conditione expostulare. Ad absolutam autem figuli libertatem fortius efferendam Apostolus eum *potestatem luti* (genetivus πηλοῦ melius per hyperbaton ad accus. ἐξουσίαν *potestatem* trahitur, quam cum nomin. ὁ κεραμεύς *figulus* connectitur) tantam habere dicit, ut *ex eadem massa* vasa ad decorum et ad indecorum usum facere queat; significatur enim, eum ne ab ipso quidem luto, quamvis illo ad vasa sua facienda indigeat, in vasorum forma et usu definiendis pendere.

Porro similitudo figuli pro arbitrio suo vasa formantis ex Vet. Test. libris[1] a Paulo transumta esse ab omnibus conceditur; a prophetis au-

1. Cfr *Is*. 29,16; 45,9; *Ierem*. 18,3 sqq.; *Sap*. 15,7; *Eccle*. 33,13 sq. — Si ad similitudinis expositionem animum advertimus, dubitare non possumus, quin Apostolus ad librum

tem ad supremum Dei dominium perfectamque libertatem, qua res humanas disponit ac regit, asserendam vel potius ad humile piumque obsequium silentiumque inculcandum adhibetur, quo homines rerum ordinem a Deo libere pro suo beneplacito stabilitum venerari, ab eo diiudicando autem et vituperando sese abstinere tenentur. Hic igitur similitudinis sensus ac finis neophytis romanis percognitus erat ideoque statim ac sua quasi sponte sese illis offerebat, quando eam hic adhibitam legebant. Quare optimo iure concludimus, hunc sensum et finem etiam ab Apostolo esse intentum totamque similitudinis vim in eo solo esse, ut manifestet, quam absurdum et quam turpe sit, quod homuncio divinum providentiae ordinem in iudicium vocare et iniustitiae arguere audeat. Nulla vero adest ratio, qua similitudinem latius extendere aliumque eius sensum quaerere cogimur, quasi difficultatis *v.* 19. obiectae solutionem quandam contineat (haec enim *vv.* 22-24 traditur). Varios autem conatus, quibus inde a Patrum aetate multi aut indirectam aut directam obiectionis refutationem ex illa eruere voluerunt, ad huius loci intelligentiam nihil contulisse censemus.

Illam interpretationem secuti sumus, quam ab *Orig.* et *S. Ephr.* iam insinuatam plerique Graeci (cfr *Chrys. Cyr Alex. Dam. Theoph. Euth.* etc.) ac nonnulli iuniores (cfr *Cai. Iust.* in paraphr. *Lap.* etc.) modernique (cfr *Beel. LR.* etc.) tenent. Prae ceteris egregie *Chrys.* hunc locum explicavit, quare eius commentarium, etsi longior sit, tran-

Sap., quem aliis quoque in epistolae nostrae locis ante oculos habuit (cfr ad 1,20 sqq. etc.), proxime respexerit, quia solus Sap. auctor eam integram eadem ratione proposuit, licet non iisdem verbis : « Sed et figulus... *de eodem luto* (ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ) fingit quae munda sunt in usum vasa (rectius : *vasa quae mundis usibus inserviant* τὰ τῶν καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη) et similiter quae his sunt contraria (i. e. quae immundis usibus inserviant); *horum autem vasorum quis sit usus, iudex est figulus* ». Sin vero ad finem attendimus, propter quem similitudinem proposuit, Apostolus ad unum ex isaianis locis et proxime quidem ad *Is.* 45,9 respexisse dicendus est. Nam Isaias quoque ibi primum impudentiam hominis Deo obloquentis carpit et castigat : « vae qui contradicit fictori suo, testa de samiis terrae » (i. e. testa una vilis ex innumeris vilibus testis terrae); ac deinde prohibet, ne quis de divinis operibus iudicium sibi arroget eaque vituperet : « numquid dicit lutum figulo suo : Quid facis et opus tuum sine manibus est? », vel accuratius iuxta textum hebr. : « numquid dicit lutum figulo suo : Quid facis? et opus tuum (numquid dicit) : non sunt ei manus »? i. e. numquid opus, quod tu facis, forte dicit : ille qui me facit non habet manus, ineptus est ad me perficiendum? (cfr *Knabenb.* Comm. in Is. II. p. 180). Nobiscum consentiens *Est.* tenet, Paulum proxime ad *Is.* 45,9 respexisse, a vero autem longe aberrat, quando a propheta similitudine hac doceri dicit, » Deum pro mero suo beneplacito statuere de rebus humanis in utramlibet partem, quomodo figulus ex luto facit opus quodcumque voluerit ». Nam de figulo, qui pro arbitrio ex luto faciat quodcumque ei placuerit atque vasa in utramblibet partem (in mundum aut in immundum usum) fingat, Isaias ne verbulum quidem habet. Hunc nimirum sensum Estius verbis prophetae affinxit, ut ex paulino loco, quem ab isaiano dependere dixit, probare posset, « tam electionem quam reprobationem ex meritis non esse »; sed de hac explicatione statim (in textu) dicemus.

scripsisse iuverit: « Haec Paulus non eo sensu dicit, ut liberum arbitrium neget [quatenus sc. homines cum vasis inanimis comparare videtur], sed *ut ostendat quousque Deo obtemperare debeamus*. Neque enim nobis magis a Deo, quam luto [vel vasis] a figulo, rationem exigere licet; neque tantum ei contradicere aut cum eo contendere non debemus, sed neque quidquam adversus eum loqui aut cogitare. Inanimo potius luto similes simus oportet, quod figuli manum sequitur et quocumque ille voluerit circumducitur. *Ad hoc solum enim Paulus hanc similitudinem assumsit, non ad divinam administrationem declarandam* (εἰς τὴν τῆς πολιτείας ἐπίδειξιν), *sed ad humile obsequium ac silentium commendandum*. Atque hoc ubique observandum est, ut similitudines non secundum omnia premantur, sed secundum id unum, quod ad rem facit et ad quod illustrandum assumtae sunt, aliis omnibus relictis ». Postquam deinde hanc regulam generalem, quae utique summi momenti est, exemplis illustravit absurdisque, quae ex ea neglecta sequuntur, confirmavit, hunc in modum pergit: « *Nihil igitur nisi hoc persuadere lectori hic vult, ut omnino Deo cedat neque ullius rei unquam ab eo rationem reposcat*. Nam sicut figulus, inquit, ex eadem massa facit quidquid voluerit neque quisquam ei contradicit, sic tu noli Deo obloqui aut eum lacessere, si ex eodem hominum genere alios castigat, alios honorat, sed eum adora et lutum imitare. Sicut lutum sequitur manum figuli, sic tu sequere sententiam voluntatemque eius qui haec disponit (τῇ γνώμῃ τοῦ ταῦτα οἰκονομοῦντος); neque enim quidquam temere vel sine causa operatur, etiamsi tu sapientiae arcanum ignores. Tu porro figulo permittis, ut ex eadem massa vasa diversa faciat neque id ei vitio vertis; a Deo autem rationem expetis poenarum ac praemiorum neque ei concedis, ut ipse sciat quis dignus aut indignus sit; sed quia massa ipsa eiusdem substantiae est, postulas ut eadem quoque in omnibus sit animi deliberatio ac propositum (τὰς αὐτὰς προαιρέσεις). Quanta haec est insania!... *Ceterum, uti dixi, ad hoc unum similitudo accipienda est, ut nos cum Deo non expostulare, sed eius incomprehensibili sapientiae cedere debere doceat* ».

Huic vicina est multorum iuniorum modernorumque sententia, qui hac similitudine potissimum quidem impudentiam adversarii repelli, simul tamen eius obiectionem argumento quasi hypothetico refutari volunt (cfr *Tolet. Tir. Picon.* etc., *Reith. M Er. Mai. Sch. Ag. Weinh.* etc.). Deum enim pro supremo suo dominio sine ulla iniustitia aliis bona conferre, aliis inferre mala, quin etiam hominibus, etsi in eis non insit peccatum, plagas quascumque infligere posse praemonentes Paulum hac fere ratione argumentari arbitrantur: « Si Deus, uti tu asseris, inter aequales pro arbitrio bona malaque distribueret unumque

felicem et alterum infelicem etc. redderet, iniustitiae accusari non deberet, sicut figulus iniustitiae non incusatur, qui pro arbitrio ex eadem massa unum vas in honorem alterum in ignominiam facit ». Verum haec argumentatio tantum abest, ut difficultatem *v.* 19 obiectam solvat, ut eam ne attingat quidem. Adversarius enim in quaestionem non vocat, num Deo bona ac mala pro suo beneplacito distribuere atque unius misereri, alterius vero non misereri liceat, sed Deum illos iuste punire negat, quos ipse indurasse supponitur. Quapropter haec similitudinis extensio extra contextum vagari videtur.

Iam de aliis interpretationibus, quas longius a vero aberrasse censemus, pauca addamus. Operae autem pretium non esse arbitramur, ut Praedestinatianorum, Calvinistarum Iansenistarumque placita exponamus et refutemus, qui ex hac similitudine colligunt, Deum aliquos homines iuxta aeternum suum decretum ad inferni poenas creare eosque voluntate sua, cui resistere nequeant, indurare, ut eos postea « iusto iudicio » (!) inferno addicat; haec enim non minus absurda quam impia ac blasphema sunt. Alias quoque non omnes enumerabimus, sed eas solas, quae a Patribus nonnullis aut insignioribus interpretibus cathol. sunt propositae.

In prioribus suis operibus *S. Aug.* (cfr de octog. trib. quaest. 68,1-3; ad Simplic. I. qu. 2,17) simili fere modo, quo *Chrys.*, prima interrogatione impudentiam adversarii repelli ac duabus sequentibus, quae similitudinem exhibent, repulsam confirmari putavit. Quia vero illo iam tempore nomine *massae* vel *luti* genus humanum peccato originali infectum designari tenuit (« ex quo in paradiso natura nostra peccavit,... omnes una massa luti facti sumus, quod est massa peccati » qu. 68,3), Apostoli verba non ad omnes, sed ad luteos tantum homines, i. e. ad peccatores, pertinere voluit (cfr qu. 68,2: « non enim hoc loco sanctos prohibuit a quaerendo, sed eos qui nondum sunt in caritate radicati et fundati;... quos ergo prohibuit, nisi luteos ac terrenos, qui nondum intrinsecus regenerati ac nutriti imaginem hominis terreni portant? »). Eadem definitione nominis massae retenta, quae in eius operibus sexcenties recurrit, postea ad omnes quidem verba apostolica pertinere concessit, sed figuli similitudine completam ac directam praecedentis obiectionis refutationem contineri arbitratus est (cfr Enchirid. 99; ad Paulin. ep. 186 n. 16 sqq.; ad Sixt. ep. 194 n. 22 sq.; c. duas epist. Pelag. II. 7, 15 sqq. etc.). Quoniam hanc interpretationem haud pauci antiquiores iunioresque receperunt (cfr *Haym. Herv. Thom.* etc., *Nat.* etc.), eam ex *Nat.* commentario transcribimus, qui paucis verbis eam clare comprehendit: « Sicut figulus ius et potestatem habet ex eodem luto faciendi aliud vas ad usus honorificos, aliud ad usus viles et sordidos, ita Deus ex eadem massa humani generis peccato Adami corrupta et damnationi obnoxia iure suo alios quidem eligit ad gloriam ex mera misericordia, alios reiicit reprobatque et damnat iusto, quamvis occulto, iudicio ».

Contra quae primum monemus, in toto hoc contextu de electione seu

praedestinatione ad gloriam et de reprobatione non agi, sed de admissione ad fidem iustitiamque aliis gratuito concessa, aliis non concessa. Deinde nulla omnino adest ratio, cur nomen *massae* vel *luti* in paulino textu aliter quam in textibus propheticis explicetur, quos Apostolum ante oculos habuisse omnes concedunt. Atqui in illis unice ad materiam designandam adhibetur, quae figulo inservit, neque per se quidquam ad similitudinis ipsius significationem confert. Si quis vero illud in comparatione singulare momentum habere putaret, rectius cum *S. Hier.* *A*[tro] aliisque communem naturam humanam, neque gratia ornatam neque peccato infectam, significari diceret. Nam Scriptura, quoties hac imagine utitur, nullum vitium in luto supponit, sed naturalem eius conditionem solam considerat, iuxta quam per se omni operi figulino non minus indifferens quam aptum est. Tertio demum idem obiici potest ac debet, quod contra praecedentem sententiam monuimus. Similitudo nimirum, prout a S. Aug. exponitur, satis quidem explicat, quomodo Deus sine ulla iniustitia unius ex illa massa corrupta misereatur vocatione ad fidem, alterum vero in massa relinquat, aut etiam uni peccatori gratias uberiores neget, quas alteri peccatori concedit; sed nullatenus ostendit, Deum illos iuste punire, quos ipse indurasse supponitur. In similitudine paulina figulus vasa, quae ipse in contumeliam fecit, obiurgasse non dicitur (cfr de hac S. Aug. interpretatione *Petav.* De praedestinat. X. 1,8-13).

S. Augustini sententiam nonnulli cum *Estio* ita mutaverunt, ut nomine *massae* absolute intelligerent genus humanum sine ullo respectu ad gratiam, qua erat in Adamo ornatum, aut ad peccatum, quo per Adamum nunc est infectum. Tota autem similitudine doceri voluerunt, Deum pro suo beneplacito « ex eadem massa humani generis alios eligere et per effectus suae electionis facere vasa ad honorem, alios autem reprobare et per effectus reprobationis suae facere vasa ad ignominiam; in hominibus igitur, velut partibus unius generis humani, non esse rationem, cur hic eligatur aut ille reprobetur, sicut in partibus massae luteae non sit ratio, cur ex hac fiat vas in honorem et ex illa in contumeliam; satis aperte ergo ex hac similitudine colligi, tam electionem quam reprobationem ex meritis non esse » (*Est.* cfr *Bisp.* etc.). Quid haec doctrina valeat, qua Deus omnium hominum salutem serio velle satis aperte negari videtur, theologis dogmaticis relinquimus diiudicandum; atque aliis quoque praetermissis difficultatibus, quibus haec explicatio premitur, illud unum adnotamus, eam non tantum non solvere sed augere vereque insolubilem reddere obiectionem *v.* 19 propositam. Equidem saltem non video, quomodo Deus vocari posset iustus, si homines puniret, quos ipse ad eorum merita plane non respiciens reprobavit ac deinde « per effectus suae reprobationis fecit vasa ad ignominiam ».

S. Hier. (ad Hedib. ep. 120,10) cum nonnullis Graecis (*Mopsu. Theod.* etc.), quum alium plane nexum sententiarum statueret, aliam quoque viam in similitudine explicanda inire coactus est. Omnia quippe praecedentia (14-19) pro una obiectione contra liberum hominis arbitrium sumit, quae tribus his interrogationibus quasi retorqueatur. « Ex eo quod tu respondes

Deo et calumniam facis et de Scripturis tanta perquiris, ut loquaris contra Deum et iustitiam voluntatis eius incusas, ostendis te liberi esse arbitrii et facere quod vis, vel tacere vel loqui. Si enim in similitudinem vasis fictilis te a Deo creatum putas et illius non posse resistere voluntati, hoc considera, quod vas fictile non dicit figulo : Quare me sic fecisti? Figulus enim habet potestatem de eodem luto aut eadem massa aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam. Deus autem aequali cunctos sorte generavit et dedit arbitrii libertatem, ut faciat unus quisque quod vult, sive bonum sive malum. In tantum autem omnibus dedit potestatem, ut vox impia disputet contra creatorem suum et causam voluntatis eius perscrutetur ». Verumtamen quam parum haec explicatio, etsi nexum (quem admitti non posse evidens est) seponamus, verbis paulinis congruat, nemo non videt. Novum enim sensum in illa ingerit, quum pro similitudine dissimilitudinem quandam statui insinuet multaque addat, quibus hunc sensum extorqueat (cfr *Tolet. Iust.* etc., qui haec contra S. Doctoris sententiam recte iam monuerunt). Haud multum abludit sententia *Gennadii* (cfr *Cramer* Catena gr. p. 349), qui tamen aptius solam praecedentis (*v.* 19) obiectionis confirmationem, scilicet Dei voluntati neminem posse resistere, tribus interrogationibus refutari censet : « Interrogas me, quis resistat eius voluntati; ego autem respondeo, te prae ceteris resistere, quippe qui cum Deo expostules » etc. Sed in hac confirmatione nec tota nec praecipua obiectionis vis sita est; quare haec quoque explicatio contextui non congruit ac multo difficilius similitudo ipsa huic novo nexui adaptatur.

Sed haec sufficiunt; alias Patrum sententias videsis in opusculo *Val. Weber.* Krit. Geschichte der Auslegung des 9 Kap. des Roemerbr.

Obiicientis temeritate impudentiaque repressa, Apostolus ad obiectionem ipsam se convertit (cfr *Chrys.* etc.). Quam simplici quidem distinctione refutare potuisset, si Deum peccatores non directe et positive sed occasionaliter tantum et negative (gratiarum nimirum uberiorum ad quas ius nullum habent negatione) indurare monuisset (cfr ad *v.* 18). At aliam viam inire obiectionique locum non esse demonstrare maluit tota agendi ratione divina delineata, ex qua tantum abesse apparet, ut Deus quemquam positive induret, ut Iudaeos ipsos, qui obstinata sua Evangelii reiectione sese ipsi ad interitum aptaverunt, multa in longanimitate tulerit (tempore poenitentiae eis concesso cfr 2,4) ac simul divitias misericordiae suae in illos manifestarit, quos ipse ex Iudaeis ethnicisque ad fidem iustitiamque evangelicam elegit. Qua indirecta ultimae obiectionis (*v.* 19) solutione ad difficultatem illam quasi revertitur, quae obiectionis contra iustitiam divinam causa fuit, atque Iudaeorum exclusionem a salute messiana et gentilium ad illam salutem admissionem iniustam non esse docens utrumque *v.* 18 membrum quodammodo explanat : 22. *quodsi* (εἰ δέ cum *S. Hier.* ad

Hedib. ep. 120,10 lege : *sin autem*) *Deus volens ostendere* (ἐνδείξασθαι) *iram et notam facere potentiam suam* (τὸ δυνατὸν αὐτοῦ i. q. τὴν δύναμιν αὐτοῦ, proprie tamen : id quod potest) *sustinuit in multa patientia* (ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ melius verte, uti 2,4 : *in multa longanimitate*) *vasa irae* (σκεύη ὀργῆς) *apta* (κατηρτισμένα) *in interitum*, 23 et (καί cfr *VV. LL.*) *ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae* (σκεύη ἐλέους), *quae praeparavit in gloriam*, 24. *quos et vocavit nos non solum ex Iudaeis sed etiam ex gentibus?*

Priusquam singula explicemus totiusque sententiae sensum exponamus, de eius nexu et constructione dicendum est. Ad nexum quod attinet, animadvertatur oportet, praecedens responsum non continuari, sed novum ei adiungi et certa quadam ratione opponi. Id enim particula εἰ δέ docet, quam multo accuratius meliusque *S. Hier.* suo *sin autem*, quam *Vulg.* suo *quodsi* expressit. Si enim nonnulli, quia peccatores *vasa irae* (σκεύη ὀργῆς) et electi *vasa misericordiae* (σκεύη ἐλέους) nominantur, praecedentem similitudinem exponi aut applicari arbitrantur, ita ut *vasa irae* respondeant *vasis in contumeliam* et *vasa misericordiae* similiter *vasis in honorem*, non attendunt nostro in versu locutiones illas articulo carere, quem Apostolo omittere non licuisset, si vasa iam commemorata aut designare aut directe in memoriam revocare voluisset. Praeterea in similitudine praecedente nec *vasa in contumeliam* velut obiecta irae figuli interitui destinata neque *vasa in honorem* velut obiecta singularis misericordiae eius considerantur. Accedit demum, quod dictionis cuiusdam nuda repetitio profecto non sufficit, ut eas de iisdem rebus intelligendas esse asseramus; saepe quippe fit, ut scriptores locutiones, quae quia aliquid singulare habent memoriae sese fortius infixerunt, eodem in contextu repetant sed alteri rei simili adaptent. Cuius usus luculentum testimonium alterum hoc ipso in loco reperimus: namque verba θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ superiori Dei dicto ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου (*v.* 17) tam similia sunt, ut ea illius uberiorem expositionem declarationemque esse omnes consentiant; neque tamen ideo cum *Chrys.* aliisque antiquioribus iunioribusque admittere licet, Pharaonem nunc appellari vas irae et de eo iterum agi. Etenim ultimum sententiae membrum (*v.* 24) clare insinuat, Apostolum in oppositione ad electos ex Iudaeis et ethnicis hic iam de Iudaeis Evangelium obstinate respuentibus loqui neque amplius de Pharaonis induratione et punitione cogitasse. Itaque praecedens quoque similitudo neque continuatur neque exponitur, licet in locutionibus *vasa irae* et *vasa misericordiae* allusionem quandam ad eam vel potius eius reminiscentiam haberi libenter concedamus.

Porro qua ratione construenda sit sententia, dubitatur, quia non tantum protasis hypothetica (*sin autem Deus... sustinuit* etc.) sua caret apodosi, sed etiam haud clare apparet, quae secundi membri (*v.* 23. *et ut ostenderet* etc.) ad prius (*v.* 22) sit relatio. Quae difficultates fuerunt causa, cur iam antiquitus mutaretur textus, aliis particulas εἰ δέ (*v.* 22), aliis coniunctionem καί (*v.* 23), aliis verbum protaseos (ἤνεγκεν *sustinuit*) delentibus. At textus, prout eum iuxta plures et graviores testes supra transcripsimus, bene se habet neque ulla indiget mutatione, etsi constructionem anacoluthicam esse fatendum sit. Nam, ut ab altera quaestione exordiamur, cum nonnullis antiquioribus (cfr *Oecum. Herv. Thom. Cai.* etc.) modernisque (*Reith. Mai.* etc. — *Phil. God. Oltram.* etc.) versus 23. 24 censemus esse secundam protaseos hypotheticae partem, priori (*v.* 22) parallelam cum eaque connexam coniunctione καί (*et*), qua particulam εἰ ad eam quoque pertinere insinuatur. Constructio autem secundae huius partis est anacoluthica; Apostolus enim sicut in priore veram agendi rationem Dei erga peccatores forma hypothetica describens dixit : « si Deus, volens ostendere iram, sustinuit in multa longanimitate vasa irae, apta in interitum », ita in secunda divinam agendi rationem erga electos iterum forma hypothetica descripturus probabiliter dicere voluit : « et (*si Deus*), ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam, (*ea non tantum ex Iudaeis sed etiam ex gentibus elegit*) ». At magni beneficii, quod ipse lectoresque eius iam acceperant, recordatione quasi abreptus inchoatam constructionem non terminat, sed gratiam acceptam, addita sententia relativa (*quos et vocavit nos non solum ex Iudaeis sed etiam ex gentibus*), ita commemorat, ut simul llam ideam, quam declarare voluerat, satis clare insinuet; etenim vocatio, quam commemorat, supponit electionem, de qua in hac pericope potissimum agit. Duae igitur sunt partes protaseos hypotheticae; quod autem ei desit apodosis, id difficultatem non creat. Graeci enim frequenter in sententiis hypotheticis apodosin, quae ex contextu facile cognoscitur, reticentes aposiopesi utuntur[1], neque raro in eiusmodi constructione interrogativam apodosin suppleri volunt, ita ut particulae εἰ δέ vel εἰ οὖν eis idem fere valeant, quod Latinis formulae *quid vero si? quid ergo si?* in quibus etiam interrogativum pron. *quid*

1. Cfr *Buttmann* Griechische Gramm. Ed. 20 p. 517, qui praeter alia exempla ex *Plat. Thucyd.* etc. hoc affert ex *Hom.* Iliad. I : Ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί, (supple : καλῶς ἔχει) · εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι. — Huc ex Novo Test. pertinent *Luc.* 19,42 : « si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, (supple : *ad saluti tibi esset*) : nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis »; 22,42; *Marc.* 7,11 etc.

ex contextu accuratius definiendum exponendumque est[1]. Qua aposiopeseos specie hic admissa cum plerisque ad obiectionem *v.* 19 propositam, quae Apostolo refutanda est, respicientes facillime supplemus : « quid tunc dices? num tunc quoque Deum peccatores induratos increpantem iniustitiae arguere audebis? » Quam aptum autem sit hoc supplementum, explicatio duorum membrorum protaseos docebit.

De aliorum constructionibus haec pauca accipe. Sunt qui protasin usque ad *v.* 29 extendentes primis *v.* 30. verbis (τί οὖν ἐροῦμεν; *quid ergo dicemus?*) apodosin aut contineri aut inchoari opinentur (*Vatabl. Ag.* etc. — *Beza, Schr.* etc.); at non tantum particula ratiocinativa (οὖν *ergo*) huic nexui obstat, sed tam miram quoque perplexamque protasin vel ideo admittere non licet, quia opinata apodosis ei non responderet. Neque enim ad nostram hypothesin aut ad prophetarum verba *vv.* 25-29 relata Apostolus suo *ergo* respicit, sed ad totam nostram pericopen eiusque argumentationem. Postquam scilicet ex Iudaeorum multorum exclusione a salute messianica ad abrogationem divinarum promissionum immerito concludi demonstravit (*vv.* 6-29), inde a *v.* 30 veram causam exponit, cur tot Iudaei sint exclusi, tot gentiles vocati. Alii, ne quid supplere cogantur, hypotheticam nostram sententiam cum *v.* 20 connectendam coniiciunt : « Tu quis es, qui respondes Deo,... si Deus volens ostendere iram sustinuit in multa patientia vasa irae? » (cfr *Franzelin* p. 727. — *Homb.* etc.). Quae explicatio, licet praecedente sit melior aptioremque sensum gignat, admitti nequit, primum quidem quia particula adversativa δέ nostram sententiam hypotheticam praecedentibus opponit (εἰ δέ *sin vero*), ac deinde quia duae aliae interrogationes (*v.* 21) pro mera parenthesi sumi nequeunt; cum prima enim coniunctae completum argumentum constituunt, quo obiectio (*v.* 19) tamquam impudens interpellatio repellitur. Cum *S. Aug.* (ad Simplic. I. qu. 2,18) tamen aliisque pro supplemento apodoseos, quod nos praetulimus, satis apte in fine *v.* 24 suppleri potest : « Quis tu, o homo, tunc es, qui expostulare audeas cum Deo »?

Longius a vero aberrant *Mopsu. Theod.* etc., qui solis particulis εἰ δέ completam protasin contineri ac reliquam sententiam apodosin constituere arbitratur : « Pro eo, inquit *Mopsu.*, quod dicendum erat : si autem sciscitaris, cur malorum pauci (hac in terra) poenas reddant et ceteri prosperam vitam agant, bonorum autem pauci hac in vita prosperi sint ac plerique nulla mercede fruantur, solum illud εἰ δέ posuit, quasi ex praedictis sententia omni-

1. Editiones nostrae apodoseos interrogativae reticentiam signo interrogationis protasi hypotheticae addito indicare solent; eiusmodi signum igitur etiam in fine *v.* 24 ponatur oportet. Cfr *Ioan.* 6,63 : « Hoc vos scandalizat? *si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* » ad quam protasin supplendum est : « quid tunc dicetis? num tunc quoque scandalizabimini! » Similiter *Act.* 23,9 : « Nihil mali invenimus in homine isto; *quid si* (secundum graecum εἰ δέ lege : *si vero*) *Spiritus locutus est ei aut angelus?* » ubi iterum supplendum videtur : « quid tunc erit dicendum? nonne iniustissime eum damnaremus? » — De aposiopesi in Novo Test. cfr *Beel.* Gr. p. 538; *Win.* Gr. p. 557 sq.

bus appareret eiusque enuntiatio superflua esset ». Tantum vero abest, ut haec sententia sua sponte ex praecedentibus derivetur, ut ex iis extundi plane non possit. — Neque multo minus a vero aberrantes nonnulli moderni acath. verbum protaseos (ἤνεγκεν *tulit*) in principio *v.* 23 repetunt, ut ab eo apodosin incipiant : « Si autem Deus volens ostendere iram *tulit* vasa irae, etiam *ea tulit* (vel : etiam id fecit), ut manifestaret divitias gloriae » etc. (cfr *Ew. Hofm. Lünem.* in Win. Gr. p. 531 etc.). Neque enim in profanis neque in sacris, opinor, operibus exemplum talis ellipseos reperitur.

Aliis de apodosi supplenda coniecturis, utpote plane improbabilibus, neglectis varias opiniones de membri secundi (*v.* 23) ad primum (*v.* 22) relatione paucis addimus. Inter acath. aliqui sententiam finalem (καὶ ἵνα γνωρίσῃ κτλ) cum solo participio κατηρτισμένα connectunt, cui passivam significationem (*parata* sc. a Deo) attribuunt, neque dicere verentur, Deum vasa irae parasse in interitum (i. e. ut interirent) et ut divitias gloriae suae clarius erga vasa misericordiae manifestaret (*Beza*, *Rück. Fritzsche* etc.). Quem nexum ineptum esse sensumque Deo indignum gignere, demonstratione non indiget. Ceterum participio κατηρτισμένα hic passivam significationem non competere statim videbimus; quomodo vero aliquis sibi persuadere potuerit, verba εἰς ἀπώλειαν et ἵνα γνωρίσῃ eadem ratione a κατηρτισμένα dependere, ut simplici καί connecti potuerint, non intelligo.

Reliqui cath. et acath., qui constructionem anacoluthicam a nobis adoptatam respuunt, particulam finalem ἵνα cum integra praecedente sententia vel, si mavis, cum eius verbo (ἤνεγκεν *tulit*) connectunt; non omnes tamen eodem modo. Quidam enim copulativo particulae καί sensu retento quasi duos fines, ob quos Deus vasa irae tulerit, indicatos vident, primum *quia voluit* (θέλων) ostendere iram in vasa irae, deinde *etiam ut* (καὶ ἵνα) ostenderet divitias gloriae in vasa misericordiae. Quam inconcinnam et parum aptam constructionem, quae sententiam causalem participio expressam finalemque parallelas ponit et coniunctione καί copulat, alii evitant, quum particulam καί pro epexegetica sumant (i. q. *et quidem* seu *idque*) et participium θέλων concessiva sententia exponant (*quamquam voluit*), ita ut sola manifestatio divinae misericordiae dicatur finis, cur Deus vasa irae tulerit : « Deus, quamquam voluit ostendere iram, tulit vasa irae *et id quidem* ut ostenderet » etc. Alterutrum ex his sensibus ii quoque admittunt, qui cum *Vulg.*-particulam καί pro legitima non agnoscunt, finalem tamen sententiam verbo *tulit* dependere censent. At neutra explicatio mihi probatur, quia non satis apparet, quo cum iure manifestatio divinae gloriae erga electos dicatur finis longanimitatis divinae erga peccatores; sed de hac quaestione statim recurret sermo in membrorum interpretatione, ad quam iam transimus.

Primo igitur in loco Paulus, ut Deum induratos iuste punire ostendat, veram eius rationem agendi erga peccatores delineat : *sin autem Deus, volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit* (ἤνεγκεν tulit, *toleravit*) *in multa longanimitate vasa irae, apta*

in interitum,... num tunc quoque eum peccatores induratos iniuste punire contendes? » Forma quidem descriptionis est hypothetica, verum hypothesin non esse nisi rhetoricam, rem ipsam autem non velut dubiam proponi, sed uti in similibus argumentis innumeris (cfr 5,10. 15. 17 etc.) tamquam certissimam, de qua non licet dubitare, asseri, ad unum omnes concedunt. Similiter moderni omnes fere recte tenent, aoristo (ἤνεγκεν) hic non designari unum factum praeteritum (puta longanimitatem Pharaoni exhibitam, quam antiquiores proxime aut unice intelligendam esse arbitrati sunt), sed consuetam agendi rationem Dei describi. Proxime enim, uti ex contextu apparere supra iam monuimus, Apostolus de modo cogitavit, quo Deus Iudaeos, qui Messiam suum occiderant Evangeliumque obstinati respuebant, eo usque tractasset; poenam eis nondum irrogarat, sed in misericordia sua poenitentiam eorum exspectabat. Quia autem eo tempore, quo scripta est epistola, Deus iram suam erga eos nondum manifestaverat atque obstinatos patienter tulit, evidens est, aoristum stricto suo sensu historico hic non usurpari, verum latiore illo sensu, quo de iis adhibetur, quae uti certis positis conditionibus olim facta sunt, ita iisdem in conditionibus semper fiunt (cfr ad 8,30)[1]. *Solet* ergo Deus peccatores multa in longanimitate sustinere vel *tolerare;* cur vero ita erga illos agat, Paulus hoc in loco non addit, quia incredulos Iudaeos obstinatosque peccatores, quos hic iterum alloquitur, iam antea (2,4) increpaverat : « an divitias benignitatis Dei et patientiae et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas eius ad poenitentiam te adducit? »

Si autem Deus peccatores in multa patientia eo consilio tolerat, ut eis tempus ad poenitentiam agendam concedat, clarum est, eum non efficientem directamque sed indirectam dumtaxat occasionalemque causam indurationis illorum esse. Ipsi enim, benignitate Dei contemta eiusque gratiis reiectis, tempore ad poenitentiam concesso abutuntur, ut nova peccata veteribus addentes sese ipsi indurent maioremque poenam sibi contrahant. Porro peccatores illi, quia « secundum duritiam suam et impoenitens suum cor sibi ipsis iram thesaurizant, quae in eos effundetur in die revelationis iusti iudicii Dei » (2,5), recte vocantur *vasa irae, apta in interitum* (σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν,), quia scilicet continuis suis peccatis iram seu vindictam di-

1. De hoc aoristo, qui gnomicus hodie vocari solet, cfr *Phil. Buttmann* Griech. Gramm. Ed. 20 p. 410; *Koch* Griech. Schulgramm. Ed. 13 p. 217, ac praesertim *Alex. Buttmann* Grammat. des neutestam. Sprachgebr. p. 174 sq.; qui contra *Winer* Gr. p. 260 et *Beel.* Gr. p. 297) iure merito tenet, hunc aoristi usum scriptoribus N. T. non fuisse ignotum (cfr 8,30; *Eph.* 5,29; *Iac.* 1,10, 23; 2,6; 1 *Petr.* 1,24; *Ioan.* 15,6).

vinam in se ipsos, quasi in vasa quaedam, colligunt et coacervant seseque ipsi aptos dignosque reddant, qui aeterno interitui tradantur.

Ex dictis iam apparet, participium θέλων (*volens*) concessiva sententia (*quamquam voluit* seu *vult*) exponendum esse; nam describitur, qua ratione misericordia Dei se habeat ad eius iustitiam et quomodo iustitia non obstante Deus misericordiam suam erga peccatores manifestet. Iustitia postulat, ut ordo peccato turbatus peccatoris poenis restituatur; a sua iustitia igitur ad peccata vindicanda impellitur ideoque pro sua iustitia iram (i. e. vindictam seu iustitiam vindicativam cfr ad 1,18) potentiamque suam in peccatoribus contumacibus puniendis manifestare vult ac velle debet. Altera vero ex parte misericordia sua movetur, ut peccatoribus poenis dilatis tempus concedat, quo ipsi poenitentiam agentes ordinem turbatum restituant. Itaque pro sua misericordia peccatorem sustinet et tolerat in multa longanimitate, quamvis pro sua iustitia eum punire velit. Magna cum vi textus primigenius (εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς κ.τ.λ.) participium illud concessivum in principio sententiae ponit ipsique nomini, ad quod pertinet, praemittit, ut clarius oppositionem manifestet inter iustitiam vindicativam, quam Deus *ostendere vult*, et longanimitatem, quam *re exhibet*.

Ab hac explicatione, quam a *Chrys.* aliisque Graecis insinuatam cum haud paucis modernis (*Reith. L R. Weinh.* etc. — *Weiss, God.* etc.) sequimur, plerique recedentes participio causalem significationem attribuunt, ita ut Deus vasa irae sustinuisse vel sustinere dicatur, *quia* voluit vel vult ostendere iram (cfr *Orig. A*[ter] *S. Hier.* ad Hedib. ep. 120,10 etc., *Herv. Thom.* etc., *Cai. Tol. Est.* etc., *Mai. Beel. Ag.* etc. — *Calv. Rück. de W.* etc.), Significari ergo volunt, Deum punitionem distulisse, « ut iustius damnaret, quos tanto tempore sustinuerat » *S. Hier.* l. c.), quia novis peccatis additis graviorem poenam contraxerant. Verum magna interpretum illorum auctoritate non obstante, explicatio haec mihi non probatur. Haud satis enim videntur attendisse, totam vim argumenti, qua obiectio *v.* 19 proposita refutatur, in asserenda longanimitate sitam esse, qua Deus, quasi neglecta iustitia sua, quae punitionem postulat, peccatorem tolerat eiusque poenitentiam exspectat. Hinc enim potissimum elucet, Deum iustissime punire induratos, quippe qui tempus a benignitate divina ad poenitentiam concessum ad nova peccata committenda adhibere ipsi voluerint. Ad quid autem Apostolus longanimitatem divinam hic commemorasset, si dumtaxat significare voluisset, poenae dilationem clariori et splendidiori manifestationi iustitiae vindicativae inservire? nonne eiusmodi dilatio punitionis ad iram potius quam ad misericordiam longanimitatemque divinam pertinet?

Ob eandem rationem *Estii* quoque coniecturam velut ineptam reiicimus, qui graecum ἤνεγκεν, quia hic aoristus a Novi Test. scriptoribus in sustinendi tolerandique significatione non adhibeatur, latino *attulit* cum *S. Aug* (expos. n. 63; c. duas epp. Pelag. II. 7,15) vertere mavult sententiaeque nostrae sensum probabiliorem esse dicit : « Deus *attulit* (vel *adduxit*) *ad interitum* vasa irae, apta in interitum », scilicet « ea dimittendo, excaecando, indurando ». Etenim satis aperta contradictio habetur, si Deus *in multa longanimitate* peccatores dimittere, excaecare, indurare atque hac ratione ad interitum adducere dicitur; neque enim misericordiae et longanimitatis, sed irae divinae effectus est gratiarum subtractio, qua peccator vias suas ingredi et excaecari et indurari permittitur. Plane arbitrarie quoquè *Est.* vocabulis *ad interitum* insertis sententiam complet, sicut Syrus, qui similem sensum aoristo ἤνεγκεν attribuit, non minus arbitrarie alio supplemento electo interpretatur : « Deus *intulit* pro magna longanimitate *iram super* vasa irae ». Libenter quidem concedimus, aoristum ἤνεγκα aliis in Novi Test. locis significationem tolerandi non habere; monemus autem eum additis verbis ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ hic ita determinari ac definiri, ut alio sensu plane nequeat intelligi. Quare omnes quoque Patres graeci latinique non minus quam iuniores interpretes eundem adoptarunt. *S. Aug.* autem non tantum alibi consuetam lectionem latinam sequitur (de octog. trib. quaest. 68,4 etc. : « *pertulit* in multa patientia vasa irae »), sed illis quoque in locis, in quibus *attulit* legit, nullum sententiae supplementum indicat. Coniicere ergo licet, S. Doctorem eam pro completa habuisse ac proin composito *attulit* significationem simplicis *tulit* tribuisse.

Ad appellationem deinde, qua peccatores hic designantur (σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν) quod attinet, minus recte aliqui cum Graecis ad *Is.* 13,5 (*vasa furoris divini*) respicientes *vasa irae* interpretantur *instrumenta*, quibus Dei ira accenditur aut Deus iram suam manifestat. Nomen *vasis* enim, quum allusio sit ad praecedentem figuli similitudinem aut eius reminiscentia quaedam, instrumenti notionem hic non admittit. Multo minus recte alii *vasa irae* volunt esse « vasa destinata ad iram », i. e. homines, quos Deus destinavit, ut in eis iustitiam suam vindicativam manifestaret (*Est.* etc. — *Calv. Zwingl. Rück.* etc.); id enim si significare voluisset, Paulus scripsisset σκεύη εἰς ὀργήν (vasa in iram), sicut antea scripsit σκεύη εἰς ἀτιμίαν (*vasa in contumeliam*). Ex mutata constructione, ut reliqua omnia praetermittamus, ad mutatum sensum concludamus oportet. Accedit quod destinatio vasorum irae, i. e. hominum, qui peccatis suis iram divinam in se ipsis quasi thesauri-

zant (2,5) [1] ideoque obiecta sunt irae divinae, appositione sufficienter indicetur, quum κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν dicantur.

Porro participium perf. hic medialem significationem habere, praeeuntibus *Chrys.* (κατηρτισμένον εἰς ἀπώλειαν τουτέστιν ἀπηρτισμένον, οἴκοθεν μέντοι καὶ παρ' ἑαυτοῦ « aptatum ad interitum, i. e. paratum, sed *proprio ingenio et a se ipso* ») et *Pel.* (« *a semet ipsis* ad interitum praeparata ») iuniores plerique recte tenent (cfr *Theod. Dam. Theoph. Euth.* etc., *Cai. Tol. Lap. Pic. Nat.* etc., *Reith. Mai. M Ev. Dr.* etc. — *Grot. Gloeck. Olsh.* etc.). Quem medialem sensum participium etiam in unico alio loco habet, in quo a Paulo adhibetur Corinthios rogante, ut « sint κατηρτισμένοι in eodem sensu et in eadem sententia », i. e. ut suo ipsorum studio sese in unitate conservent perficiantque (1 *Cor.* 1,10). Nihil tamen obstat, quominus cum *Vulg.* participium hic adiectivo (*aptus*) reddamus (cfr *Luc.* 6,41); sicut enim *S. Ign.* (ad Philad. 8) sese ipsum dicit κατηρτισμένον εἰς ἕνωσιν (aptum ad unitatem), i. e. hominem, in quo omnia apta sint ac tendant ad unitatem conservandam et perficiendam, ita peccatores sunt κατηρτισμένοι εἰς ἀπώλειαν, quia iuxta suam inclinationem tendunt ad interitum aeternum, vel quia iam « sunt idonei aeternae morti » (*Herv.*) et « in se habent aptitudinem ad aeternam damnationem » (*Thom.*).

Nequaquam vero passiva significatio participii admitti potest, quasi peccatores sint *vasa a Deo ad interitum parata*, id quod cum Calvinianis et Iansenianis etiam *Est.* censet. Quodsi Paulus Deum velut causam efficientem interitus designare voluisset, procul dubio dixisset: ἃ κατήρτισεν εἰς ἀπώλειαν (quae paravit ad interitum), uti statim electos vocat σκεύη ἐλέους, ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν (vasa misericordiae quae praeparavit ad gloriam); aut saltem participium *aoristi* pass. (καταρτισθέντα) adhibuisset, quo solo factum illud historicum praeparationis, quod explicatio illa supponit, recte exprimi potest. Demum Deum neminem ad interitum aeternum creare aut praeparare, clarum est. Ad explicationem suam defendendam monet quidem *Est.*: « Dicitur Deus vasa irae praeparasse ad interitum, non quia praeparavit eis peccata, quibus interitum mererentur, sicut praeparavit electis bona opera, quibus gloriam consequerentur (*Eph.* 2,10); ... sed praeparasse dicitur vasa irae ad interitum, quia illis ab aeterno praeparavit, i. e. praeordinavit atque inferre constituit interitum, sicut vasa misericordiae praeparavit ad gloriam, quia iis ab aeterno praeparavit et dare constituit gloriam... Hunc sensum confirmat locus *Matth.* 25,34. 41, ubi

1. Cfr *S. Aug.* ad *Opt.* ep. 190 n. 10: « eius rei vas (homo) est, qua plenus est [vel potius: qua impletur]; unde irae vasa dicuntur » peccatores.

quemadmodum dicitur electis a constitutione mundi praeparatum esse regnum, sic et reprobis praeparatus esse dicitur ignis aeternus; utrumque scilicet praeparatum a Deo ». At nonne mirum est, quod doctus vir non viderit, quantum differat « aliquem praeparare, i. e. aptum dignumque reddere ad poenam » et « alicui poenam praeparare »? Numquid rex, qui carcerem praeparat latronibus, dici potest praeparare latrones ad carcerem? Certe Deus ignem aeternum praeparavit peccatoribus contumacibus, qui poenitentiam agere nolunt, sed ubinam in Scripturis legitur praeparasse peccatores contumaces ad ignem aeternum? (cfr *Reith.*).

Quemadmodum autem Deus iniustitiae incusari nequit, si peccatores punivit (seu punit), qui tempore ad poenitentiam sibi concesso abusi sunt (seu abutuntur), ut novis peccatis commissis sese ipsi indurarent (seu indurent), ita etiam ne species quidem iniustitiae adest, *si* altera ex parte, *ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit ad gloriam,* aliquos ad fidem elegit *et vocavit non tantum ex Iudaeis sed etiam ex gentibus*. Quoniam praecedens membrum, uti vidimus, totum in eo est, ut misericordiam describat, qua Deus, iustitia sua non obstante, peccatores multa in longanimitate tolerat, ab eo sententiam nostram finalem (*ut ostenderet* etc.) dependere non posse, recte dixisse nobis videmur. Namque manifestatio divinae gloriae seu misericordiae erga unam hominum classem, i. e. erga iustos, parum apte diceretur finis longanimitatis ac misericordiae, qua Deus alteram classem, scilicet peccatores, ad poenitentiam adducere vult (2,4). Qui vero ad hunc nexum vindicandum monent, « condemnationem et reprobationem malorum, quae est secundum iustitiam Dei, manifestare et commendare gloriam sanctorum, qui ab ipsa tali miseria liberantur » (cfr *Thom. Nat.* etc.), aut « ex punitione incredulorum magis elucere beneficium gratiae collatum iis, qui credentes iustificati sunt » (cfr *Beel.* etc.) aut « ex poena et gravi vindicta malorum notam fieri magnitudinem gratiae et gloriae electorum » (cfr *Tolet.* etc.), ii longanimitatem et iram divinam confundere vel potius constructionem praecedentis membri invertere videntur, quum scriptum supponant: « Si autem Deus, *sustinens* (i. e. quamvis sustineret) in multa longanimitate vasa irae apta in interitum, *voluit* ostendere iram, ut ostenderet divitias gloriae » etc. Omnino igitur anacoluthum, quod supra indicavimus, praeferatur oportet, ita ut nunc Dei agendi ratio erga iustos describatur, sicut modo eius ratio agendi erga peccatores describitur. Erga utrosque suam manifestat misericordiam, sed diverso modo; peccatores tolerat eorum poenitentiam exspectans, alios eligit et vocat, ut eis divitias misericordiae suae exhibeat.

Dicimus *divitias misericordiae suae;* cum *Chrys.* **enim** et plerisque **censemus, Apostolum,** quum diceret *divitias gloriae suae,* per metonymiam **abundantiam** misericordiae benignitatisque divinae (cfr ad 2,4) **significare voluisse,** quia « summa Dei gloria est misericordiam impertire » (*Theoph.*). **Quodsi** pauci quidam, quia statim nomen δόξης de **gloria iustis parata** usurpatur (ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν), eandem **significationem in hac** locutione retinere malunt, non attendunt, pronomine **addito** (τῆς δόξης αὐτοῦ sc. τοῦ Θεοῦ gloriae *suae*) gloriam Dei a **gloria nostra** (εἰς δόξαν ἡμῶν 1 *Cor.* 2,7), quae a Deo nobis praeparatur, **clare distingui.** Quo sensu porro iusti vocentur σκεύη ἐλέους (*vasa* ***misericordiae***), **ex iis,** quae de vasis irae diximus, **elucet;** sunt quippe **homines, qui gratias** divinas in se recipiunt colliguntque et cum iis **cooperantes** sese ab omni iniquitate emundant, ut fiant vasa in honorem **sanctificata et utilia** Domino, ad omne opus bonum parata (2 *Tim.* **2,21).** Deus autem ea *praeparasse ad gloriam* dicitur, quia eis ad **fidem** vocatis omnia subministravit, quibus ad gloriam aeternam pervenire **possent.** Iure enim *Chrys.* adnotat, verba illa eo sensu non **esse intelligenda,** quasi totum opus sit solius Dei neque ullam in eo **partem homo habeat;** « id enim si esset, nihil impediret, quominus **omnes** salvarentur », quia Deus sua ex parte omnium salutem vult. In **anacoluthica** demum clausula secundi membri protaseos (*quos et vocavit* ***nos non solum ex*** *Iudaeis sed etiam ex gentibus*), quae quomodo **exponenda sit** supra (p. 517) indicavimus, ad ipsam difficultatem revertitur, **quod** Deus iniustus esse videatur, si Iudaeis relictis gentiles **ad bona** regni messiani admittat. Quam falsa autem haec obiectio sit, **sequenti** pericope demonstrat, qua vocationem gentium et Iudaeorum **iis consonare** docet, quae a prophetis iam sint annuntiata.

4. — *In vocandis ethnicis et Iudaeis ad fidem Deus ea sequitur, quae per prophetas praedixit* (9,25-29).

9,25. ***Sicut in Osee dicit :*** *Vocabo non* ***plebem meam, plebem meam*** *: et non di*-***lectam, dilectam :*** *et non misericordiam* ***consecutam,*** *misericordiam consecutam.* 26. ***Et erit in loco,*** *ubi dictum est eis : Non* ***plebs mea vos :*** *ibi vocabuntur filii Dei* ***vivi.*** 27. ***Isaias*** *autem clamat pro Israel :* ***Si fuerit*** *numerus filiorum Israel tamquam* ***arena maris,*** *reliquiae salvae fient.* 28. ***Verbum*** *enim consummans, et abbrevians* ***in aequitate :*** *quia verbum breviatum faciet* ***Dominus*** *super terram :* 29. *et sicut*

9,25. ὡς καὶ τῷ Ὠσηὲ λέγει· **Καλέσω** τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου, καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην· 26. καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς· Οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος. 27. Ἡσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ· Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται. 28. λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. 29. καὶ καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας· Εἰ μὴ Κύ-

praedixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.

ριος σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν [1].

Postquam igitur obiectionem Iudaeorum, promissiones sibi factas multorum suorum contribulium exclusione a salute messiana ad irritum cecidisse, ex patriarcharum historia refutavit, quae Ismaelis et Esau exclusione promissiones non ad omnes singulosque pertinere docet (6-13), ac deinde divinam in conferendis beneficiis libertatem auctoritate Scripturarum confirmavit et ab iniustitiae incusatione vindicavit (14-24), Apostolus nunc obiectionem illam directius aggreditur atque promissiones illas iuxta prophetarum testimonia neque solos neque omnes Iudaeos spectare ostendit. Duo enim ex Oseae vaticiniis dicta Dei affert, quibus gentiles quoque ad regnum messianum vocatum iri promittitur (25. 26), eisque addit similiter duo testimonia ex Isaia, quibus maiorem Iudaeorum partem salutem non esse consecuturam praedicitur (27-29).

Cum ultimis praecedentis pericopes verbis (*sed etiam ex gentibus*) Paulus arctissime, ita ut eandem sententiam quasi continuet, prophetae testimonia connectit, quae gentibus salutem promittunt : 25. *sicut* et *in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non dilectam, dilectam : (et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam;)* 26. *et erit in loco, ubi dictum est eis : non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi.* In formula, qua vaticinia introducuntur,

1. *VV. LL.* — 25. ὡς καὶ τῷ Ὡσηὲ λέγει (sicut et Oseae dicit) solus B; similiter tamen *S. Aug.* ad Simpl. I. qu. 2,19 : « sicut Osee dicit » et c. Faust. XXII. 89 « sicut et Osee dicit »; sed cum reliquis graecis codd. et PP., quibuscum etiam *S. Aug.* (expos. n. 64) consentit, lege : ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει (*sicut et in Osee* dicit). Particula *et* haud recte a *Vulg. Clem.* omittitur. — Cum *S. Hier.* (in Os. 1,10) optimi codd. latini (*Fuld. Amiat.* etc.) medium membrum (*et non dilectam, dilectam*) omittunt; graeci autem codd. et PP. omnes, consentiente *S. Aug.* (ad Simpl. I. qu. 2,19; c. Faust. XXII. 89) secundum illud membrum exhibent sed tertium *et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*) omittunt. Cum Latinis consentit 1 *Petr.* 2,10, quatenus eadem duo membra ante oculos habuit; sed cfr *Comment.* — 27. τὸ ὑπόλειμμα (*reliquiae*) B ℵ A, reliqui vero graeci codd. eodem sensu τὸ κατάλειμμα. — 28. λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει (verbum enim consummans et brevians faciet) B ℵ A, paucissimi minusc., *It.* (*S. Aug.* ad Simplic. I. qu. 2,19; de civ. Dei XVII. 5,4). *Syr.* (codd.) *Copt. Aeth.*; sed *textus receptus* : λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει (*verbum enim consummans et brevians in aequitate, quia verbum breviatum faciet*) cum D E F G K L P, plerisque minusc., *It.* (*A^{ler}* etc.) *Vulg. Syr.* (codd.) *Goth. Arm.* cfr *Comment.*

particula *et*, quam *Vulg. Clem.* immerito praetermisit, non pertinet ad vocabula immediate sequentia (*in Osee*), acsi testimonia Oseae aliis testimoniis adderentur, sed ad verbum *dicit;* significatur enim, Deum ex gentibus aliquos *vocasse sicut* id se facturum esse *etiam* iam *dicit* in Oseae vaticiniis. Duo porro dicta divina Paulus ex diversis Oseae locis desumsit (prius quippe *Os* 2,23. 24 [2,25], alterum *Os*. 1,10 [2,1] legitur), illa autem coniunxit et suo iure in unum quodam modo contraxit, quia eandem rem, licet diverso modo, declarent. Prius enim (*v.* 25), quod sensu fideliter retento suis quasi verbis refert, iuxta literam de incolis regni septemtrionalis, quibus reditus in gratiam Dei a quo defecerant promittitur, typice autem de gentibus ad fidem vocandis agit; alterum vero (*v.* 26), quod ex textu alexandrino, prout in plerisque eius codd. exstat, accurate transumsit, ipso literali iam sensu de gentium vocatione recte explicatur.

Priorem locum alexandrinus interpres cum Massorethis consentiens hac ratione (saltem iuxta plerosque codd.) reddidit : καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου· Λαός μου εἶ σύ (et miserebor eius, quae misericordiam non est consecuta, et dicam non populo meo : Populus meus es tu). Ad cuius intelligentiam adnotasse iuverit, locutiones לֹא רֻחָמָה (ἡ οὐκ ἠλεημένη *misericordiam non consecuta* vel iuxta *S. Hier.* versionem : absque misericordia) et לֹא־עַמִּי (ὁ οὐ λαός μου, *non populus meus*) esse nomina symbolica, quae Oseas filiae filioque suis imponere divinitus iussus est, ut significaret, incolas regni septemtrionalis, qui in idololatriam omnisque generis peccata delapsi erant, a Deo non amplius pro suo populo, quem peculiarem sibi elegerat, agnosci sed oblivioni esse datos, ita ut eorum non iam recordetur neque misereatur (cfr *Os*. 1,6. 9). Nostro igitur in loco Deus proxime promittit, se illos in gratiam esse recepturum, quos symbolicis illis nominibus se reiecisse significarat. At Israelitas illos, quum idololatria aliisque criminibus sese similes paresque gentibus reddidissent, S. Paulus, aeque ac S. Petrus (1 *Petr*. 2,10), divinitus illustrati considerant velut typos gentium. Unde ea, quae de illorum reditu in gratiam cum Deo promissa sunt, de gentium vocatione ad fidem iustitiamque regni messiani recte intelligunt. Ne autem vaticinio Oseae explicationem addere cogeretur, Paulus illius dumtaxat sensum suis fere verbis referre maluit; atque primum quidem, eodem modo quo Petrus, duorum membrorum ordinem invertit, quia epistolae lectores, quidnam feminino ἡ οὐκ ἠλεημένη (misericordiam non consecuta) designaretur, praemisso nomine ὁ οὐ λαός μου (non populus meus), quod sua sponte ad ethnicos transtulerunt, facilius intellexerunt. Deinde praecedente sententia

relativa (οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς... ἐξ ἐθνῶν quos et *vocavit* nos... ex gentibus) adductus videtur, ut pro ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου· Λαός μου εἶ σύ potius diceret καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου (*vocabo* non populum meum, populum meum) idemque verbum ad alterum membrum traheret: καὶ (καλέσω) τὴν οὐκ ἠλεημένην ἠλεημένην (et [vocabo] misericordiam non consecutam, misericordiam consecutam). Neque vero ideo cum nonnullis dicendum est, verbum καλεῖν hac in sententia eandem, quam in praecedente, habere significationem; simplici enim appellandi significatione adhibetur, id quod duplex eius accusativus satis docet. Dicere tamen licet, Apostolum verbum illud consulto retinuisse, ut eius quasi sono lectores promissionem de vocatione ad fidem intelligendam esse recordarentur.

Porro in explicatione eam lectionem ultimi membri retinuimus, quam in prophetae textu omnes fere codices graecae versionis exhibent, *S. Petrus* (l. c.) quoque retinuit et *S. Hier.* (in Os. 1,10) suo tempore communem fuisse testatur. Dubium tamen vix est, quin Paulus scripserit: καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην (*et* [vocabo] *non dilectam, dilectam*); id enim ex omnium codd. et PP. graecorum consensu apparet (cfr *VV. LL.*). Eandem lectionem in *Os.* 2,23 etiam cod. B exhibet; quia autem *Os.* 1,6 cum aliis consentiens nomen filiae dicat fuisse ἡ οὐκ ἠλεημένη (misericordiam non consecuta), lectio illa in 2,23 arbitrariae librarii mutationi videtur adscribenda. Ceterum haec lectionis differentia nullius est momenti; hebraicum enim verbum רחם non minus dilectionis quam misericordiae affectum designat atque dilectio misericordiam includit. Ad nostram tamen *Vulg. Clem.*, quae utrumque membrum coniungit (*et non dilectam, dilectam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*) adnotandum est, alterutrum abundare, quum ambo eiusdem membri hebraici sint versiones, atque rectius hoc in loco cum *S. Aug.* ultimum omitti, quia Paulus uti diximus priorem versionem praetulit. Accuratum igitur Pauli sensum antiquiores interpretes latini non enarrarunt, qui cum *Thom.* tribus membris textus latini tria diversa bona, quae gentilibus concederentur, designari arbitrati sunt.

Alterius testimonii (*v.* 26 ex *Os.* 1,10) hic est contextus apud prophetam; Deus postquam nominibus symbolicis filiorum Oseae reiectionem Israelitarum annuntiavit, se promissionem Abrahae datam impleturum esse statim addit: « et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quae sine mensura est et non numerabitur : et erit, in loco, ubi dicetur eis (*Alex.* : οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς *ubi dictum est eis*) : Non populus meus vos, dicetur eis : Filii Dei viventis (*Alex.* : ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος *ibi vocabuntur filii Dei vivi*); et congregabuntur

filii Iuda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum et ascendent de terra » etc. Quoniam primis vaticinii verbis promissio Abrahae facta, qui *multarum* gentium constitutus est pater, diserte in memoriam revocatur (cfr *Gen.* 22,17; 17,5), illa de gentium vocatione sensu literali agere cum *P. Knabenb.* (Comment. in Proph. min. I. p. 30) censemus; unde sequentibus quoque, quae a Paulo allegantur, eundem sensum literalem recte attribuemus. Obiicientibus autem, nomine « *loci ubi dictum est eis :* Non populus meus vos » designari Palaestinam, vaticinium ergo de solis incolis regni septemtrionalis (saltem proxime) esse intelligendum, locum illum neque Palaestinam esse neque Samariam respondemus, sed terram exsilii, in qua Israelitae e patria eiecti degebant et ex qua, uti in vaticinio clare enuntiatur (*et ascendent de terra*) post conversionem in patriam reversuri erant. Ibi igitur eis, uti gentibus, quibus sese plane assimilaverant et quibuscum permixti erant, dictum est : Non populus meus vos; atque ibi quoque, quando se ad Dominum iterum converterint, una cum ethnicis conversis *vocabuntur filii Dei vivi*, qui scilicet ipse vivit suisque veram vitam supranaturalem daturus est. Clarius hunc sensum cod. B (in *Os.* 1,10) sua lectione insinuat κληθήσονται καὶ αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος (vocabuntur *et ipsi* filii Dei vivi); tam amplum autem est vaticinium, ut ad solos Israelitas aegre coarctetur atque rectius gentes et Israelitas literali sensu complectere dicatur. Argumentum paulinum totam tamen suam retinebit probandi vim, si quis hoc vaticinium, similiter ac praecedens (*v.* 25), cum plerisque (cfr *Est. Nat. Picon.* etc. *Reith. Mai. Beel.* etc.) typice tantum de gentibus interpretari maluerit.

Vaticiniis Oseae, quibus gentium vocatio promittititur, Apostolus duo Isaiae testimonia adiungit, quibus maioris partis Iudaeorum reiectio praedicitur. Prius ex *Is.* 10,22. 23 desumtum iuxta alexandrinam versionem ita allegat, ut eam in priore membro leviter tantum mutet (sc. pro ὁ λαὸς Ἰσραήλ ex *Os.* 1,10 ponit ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ), alterum vero saltem iuxta antiquiorum testium lectionem (cfr *VV. LL.*), quam cum modernis criticis (cfr *Lachm. Tisch. Treg. WH.*) praeferimus, nonnullis vocabulis omissis satis libere referat : 27. *Isaias autem* (δέ) *clamat pro* (ὑπέρ) i. q. *super Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae fient;* 28. *verbum enim consummans et abbrevians (in aequitate, quia verbum breviatum) faciet Dominus super terram.* In formula, qua testimonium affertur, particula δέ est metabatica, verbum *clamat* (κράζει) gravitatem vaticinii declarat, praepositio ὑπέρ autem latino *super* vel *de* (cfr 2 *Cor.* 1,8; 7,14 etc.) rectius quam *pro* redditur, quia vaticinium non est promissivum sed

comminativum. Namque cladem stragemque annuntiat, quam tempore regis Ezechiae Assyrii, duce Sennacherib, regno Iuda allaturi erant tantam, ut non nisi pauci (*reliquiae* τὸ κατάλειμμα vel τὸ ὑπόλειμμα) ex illa essent evasuri incolumes (*salvae fient*). Pauci autem illi, qui quia ad Dominum suum se converterant salvabantur, Apostolo divinitus illustrato iterum typus sunt, et quidem exigui numeri Iudaeorum, qui Messiam advenientem sint agnituri et salutem consecuturi.

Notatu dignum est, Apostolum addito articulo (τὸ κατάλειμμα) reliquias illas velut omnibus notas designare. Ac profecto Iudaeis incognitae neque fuerunt neque esse potuerunt, quandoquidem Isaias, qui iam filio suo primogenito nomen propheticum Schear iaschub (*reliquiae convertentur*) imposuerat (*Is.* 7,3), Deum parvam tantum populi partem servaturum esse frequentissime annuntiare iussus est (*Is.* 1,10. 25; 4,2. 3 etc.). Similiter alii quoque prophetae docuerant, Deum in regendis filiis Israel, ne ob abrahamiticum suum sanguinem promissionesque Abrahae factas sese falsae securitati traderent, eam sequi normam, ut ex periculis, in quae peccatis suis semper se iniecerunt, non omnes sed eorum dumtaxat reliquias eriperet (cfr *Knabenb.* Comment. in Isaiam I. p. 38 sq. 254 etc.). Quamobrem scire debuerunt, promissiones non ad omnes ac singulos pertinere neque irritas reddi, si non omnes earum participes fierent, sed paucos illos spectare, qui mente et indole fidem pietatemque Abrahae imitarentur.

In altero vaticinii membro alexandrina versio, quam Paulus hic sequitur, a massorethico textu tam longe discedit, ut interpres aut diversam lectionem in suo codice hebraico habuisse aut eius sensum generatim tantum reddidisse dicendus esse videatur[1]. Quam in quaestionem ingredi neque huius loci neque nostri muneris esse arbitramur, quia sua allegatione Apostolus, vel potius ipse S. Spiritus, certos nos reddit, eum sensum, quem alexandrina versio exhibet, genuinis prophetae verbis accurate respondere. Apostolum vero erroneam versionem allegasse, quae prophetae sensum « ne a longinquo quidem attingeret » (cfr *Fritzsche, Weiss* etc.), ii soli asserere possunt, qui aut Scripturas inspiratas esse negant aut inspirationis rationem ac vim ignorant. Si ad multas diversasque nostri loci explicationes, quas Patres et antiqui interpretes tradiderunt, attendimus, satis obscurus dicendus videtur; verum iuxta meliorum testium lectionem (λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων

1. Massorethicum textum, quem iam habuit, *S. Hier.* ita vertit : « consummatio abbreviata inundabit iustitiam; consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae ». Accuratius *P. Knabenb.* eum interpretatur (Comm. in Isaiam I. p. 254) : « *internecio decreta* (*est*) *adducens iustitiam; excidium enim et firmiter decretum* Dominus exercituum *facit* in medio omnis terrae ».

ποιήσει ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς *verbum enim consummans et brevians faciet Dominus super terram* cfr *S. Aug.* ad Simpl. I. qu. 2,19 etc.) sensus verborum propheticorum, prout ab Apostolo allegantur, planus est.

Deus enim illud, quod praecedente sententia de reliquiarum salute ac proinde de plurimorum interitu annuntiatum est (λόγον sermonem seu *verbum*), plene perfecteque (συντελῶν *consummans*) atque celeriter seu iuxta alios certissime (συντέμνων *abbrevians*) exsecutioni mandaturus esse (ποιήσει *faciet*) praedicitur. Hoc igitur addito et veritas vaticinii confirmatur et gravitas augetur. Verbum συντελεῖν quippe idem valet quod rem ad eventum adducere seu integre complere (*consummare* cfr *Marc.* 13,4; *Thren.* 2,17); συντέμνειν autem (proprie : concidere vel praecidere), quod in Novo Test. hic tantum legitur, profanis interdum idem est atque aliquid paucis comprehendere verbis (*abbreviare*), interdum ubi de re peragenda sermo est, idem ac rem paucis absolvere seu celeriter peragere (*accelerare;* cfr *Fritzsche* in Rom. II. p. 350); in alexandrina tamen versione etiam hebraico חרץ (decidere seu *firmiter statuere* cfr *Knabenb.* in Is. 10,22; 28,22. I. p. 254. 514) respondet; unde participium συντέμνων aut celeritatem aut certitudinem exsecutionis designare recte dicitur.

Iamvero eundem sensum etiam lectio textus recepti admittit (λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς *verbum enim consummans et abbrevians in aequitate* [vel potius : *in iustitia*], *quia verbum breviatum faciet Dominus super terram*), quae alexandrinae versioni accuratius consonat et in eo tantum ab illa discedit, quod in principio particulam causalem (γάρ *enim*) inserat, quia etiam apud prophetam haec sententia priori confirmandae inservit, et quod in fine pro ὁ Θεὸς Κύριος τῶν δυνάμεων ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ (Deus Dominus exercituum in orbe terrae toto) minus emphatice exhibeat ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς (*Dominus* super terram vel *in terra*). In sententiae autem huius interpretatione observetur oportet, in priore membro participia συντελῶν καὶ συντέμνων, uti alibi quoque (cfr ad 3,24; 5, 10; 2 *Cor.* 7,5; 8,19 etc.) pro verbis finitis adhiberi (scil. συντελῶν καὶ συντέμνων ἐστίν vel ἔσεται, i. e. συντελεῖ καὶ συντέμνει vel συντελέσει καὶ συντεμεῖ *consummans et abbrevians est* vel *erit*, i. e. *consummat et abbreviat* vel *consummabit et abbreviabit*) atque velut verborum subiectum sua sponte nomen *Dei* suppleri, in utroque deinde membro verbum συντέμνειν eo sensu usurpari, quem indicavimus. Itaque iuxta alexandrinam versionem propheta quoque, ut vaticinium de solis reliquiis salvandis confirmet et aggravet, addit : « Dominus id quod praedixit (*verbum*) complete et celeriter exsequitur in iustitia (seu iuste), nam utique ver-

bum acceleratum (i. e. cuius eventum celerem esse vult) faciet Dominus in terra ». Duo membra idem fere significant; eiusdem tamen ideae repetitione eam mentibus profundius inculcant; quare sine sensus detrimento ea in unum contrahere Apostolo licuit.

Haec explicatio, quam uti simpliciorem ita veriorem esse censemus, hodie communior quoque est (cfr *Mai. Beel. Bisp. Dr. Weinh. Sch.* etc. — *de W. Phil. God.* etc.). Parum recte autem alii cum *Est. Iust.* etc. verbum συντέμνειν idem esse volunt quod ad parvum numerum redigere : « Deus quod locutus est faciet redigens Israelem, quem salvaturus est, ad exiguum numerum, ita ut paene consumatur » (*Est.* cfr *Reith. M Ev. LR* etc. — *Thol. Weiss. Lips.* etc.). Quomodo enim haec significatio alteri membro (λόγον συντετμημένον verbum abbreviatum) adaptetur, nemo intelliget.

Patres in hac sententiola interpretanda in diversissimas abeunt sententias, quae omnes ad nostrum locum elucidandum vix quidquam conferunt. Quapropter ab accuratiore earum recensione nos abstinentes pauca illa transcribere malumus, quibus *Iustin.* praecipuas eorum opiniones de verbo abbreviato complectitur : « Paene omnes, inquit, quos ego quidem videre potuerim, illud de Christo incarnato aut de evangelica praedicatione explicant; de Christo *Anacletus* (ep. 2), *Cyprianus* (c. Iud. II. 3), *Hieronymus* (ad Hedib. ep. 120,10); de Evangelio *Origenes* (i. h. l.), *Eusebius* (Demonstr. evang. II. 40), *Basilius* (in Is. 10,23), *Chrys.* (i. h. l.), *Theod.* (i. h. l.), *Phot.* (i. h. l.). *Tertullianus* (c. Marc. IV. 1,16), *Cyprianus* (de orat. dom. 28), *Hieronymus* (in Is. 10,23), *Augustinus* (ad Simpl. I. qu. 2,19; de discipl. christ. 2 etc.); utrique suam sequuntur rationem. Nam qui de Christo explicant, idcirco verbum abbreviatum nuncupant, quod divinitatis maiestatem quodam modo exinanivit; alii quod triginta tribus tantum annis inter mortales versatus est et paucissimos ex Iudaeis ad fidem convertit. Qui vero de evangelica doctrina intelligunt, aliam atque aliam rationem probant : Basilius enim Evangelium putat esse Legis compendium, quod ab iis abbreviari consummarique dicatur, qui re ipsa praestent, quae Evangelio continentur; cui interpretationi magna ex parte subscribunt *Procop.* (in Is. 10) et *A*^ter (in praef. ad ep. ad Gal.). Alii fere omnes verbum abbreviatum ad Evangelium referunt, quod veteris Legis amplitudinem in pauca quodam modo contraxerit... Unus tamen Photius consummatum verbum intelligit, quia Evangelio non succedet aliud Evangelium, sicut Legi veteri brevissimum successit Evangelium ». Quibus iure merito *Iust.* addit : « Quae sane omnia et vere et ingeniose dici non nego; sed quomodo cum superioribus sive apud Paulum sive apud Isaiam cohaereant, non intelligo ».

Porro contextui haud melius consonant, quae Latini antiquiores excogitarunt. Quin etiam longius a vero aberrasse dicendi sunt, quia ad graecum textum non attendentes in priore sententiae membro (λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων *verbum enim consummans et abbrevians*) nomen *verbum* pro nominativo et sententiae subiecto sumserunt. Unde *Thom.* illo membro « duplicem efficaciam evangelici verbi notari » arbitratur, quatenus Evangelium una ex parte « figuris Legis veritatem adhibuit et praecepta Legis debito modo exposuit » (verbum *consummans*), et altera ex parte « omnia sacrificia figuralia Legis in uno vero sacrificio comprehendit, quo Christus obtulit se ipsum pro nobis, et omnia praecepta Legis moralia in duobus praeceptis caritatis concludit » (verbum *abbrevians*). Qua in explicatione *Herv.* iam praeierat, iuxta quem « *verbum* Evangelii, quod salvandis tradetur, *erit consummans* hominem in iustitia, i. e. perfectionem iustitiae dans, et ea consummans et perficiens, quae Lex non poterat. Et *erit abbrevians* i. e. in uno geminae caritatis praecepto com-

prehendens omnia, quae Lex multiplicibus praeceptis instituerat ». Similia tradunt *Haym. Abael. Lomb. Lyr.* etc.; sed hisce immorari opus non est.

Alterum testimonium de parvo numero Iudaeorum, qui salutem messianam sint consecuturi, Apostolus ex *Is.* 1,9 accurate iuxta alexandrinam versionem affert : 29. *et sicut praedixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus et sicut Gomorrha similes fuissemus.* Contra *Erasm.*, qui paucis acath. (*Calv. Beza, Grot.* etc.) approbantibus verbum προείρηκεν (*praedixit*) vertere maluit *prius dixit*, ut intelligeretur, eundem prophetam haec verba dixisse ante illa, quae modo allegata sunt, recte *Est.* iam monuit, Paulum non curasse, priusne an posterius haec quam illa Isaias scripsisset; ad verborum enim sensum hoc nihil conferre, neque usquam a Paulo indicari, qua in libri parte verba ab ipso allegata inveniantur. Uti alibi (*Matth.* 24,25; *Marc.* 13,23; *Act.* 1,16 etc.) de prophetica praedictione omnino intelligatur oportet. Etenim id unum Apostolus docere vult, illa quae de statu et conditione Israelitarum sui temporis dixit, quando eis una urbs Ierusalem relicta erat, typicum esse vaticinium eorum, quae populo tempore messiano sint eventura. Quemadmodum iuxta praecedens vaticinium (*v.* 27) *reliquiae* tantum salvabuntur, ita iuxta hoc (*v.* 29) *semen* dumtaxat relinquitur. Verumtamen semen facit spem messis amplioris, ita ut Apostolus hanc pericopen consolatione quadam terminet, quam postea (11,1 sqq.) uberius accuratiusque proponet (cfr de hoc vaticinio eiusque nexu *Knabenb.* Comm. in Isaiam I. p. 38).

§ 8. — *Sua ipsius culpa Israel a salute messiana sibi promissa, quam gentes fide obtinuerunt, est exclusus* (9,30-10,21).

Infidelium Iudaeorum dilemma, aut fidem evangelicam, quam ab ipsis reiectam ethnici admittebant, non esse veram neque genuinam praestare salutem, aut promissiones divinitus olim sibi factas dici debere abrogatas (cfr p. 467), Apostolus satis quidem superiore in pericope diluit, qua multorum Iudaeorum exclusione a salute messiana ethnicorumque ad eam admissione promissiones divinas ad irritum non redigi ex patriarcharum historia ac Scripturae testimoniis demonstravit. Quam argumentationem ut compleat atque confirmet, nunc etiam ostendit, unde sit factum, ut tot Iudaei, suis promissionibus non obstantibus, in salute promissa assequenda ethnicis eiusmodi promissiones non habentibus postpositi esse videantur.

Paucis totam quaestionem a principio complexus ethnicos ex fide esse iustificatos, Iudaeos autem in vera iustitia, a qua salus pendet, quaerenda perversam viam iniisse monet, quia in Messiam suum credere noluissent (9,30-33). Quae accuratius expositurus, eos suam ipsorum iustitiam statuere voluisse docet, quoniam ignorarent Legem adventu Messiae esse abolitam atque veteris oeconomiae iustitiae, quae ex operibus erat, fidei iustitiam successisse, quae omni credenti sine ulla Iudaeorum Graecorumve distinctione datur (10,1-13). Hanc autem eorum ignorantiam culpabilem esse ex eo ostendit, quod Deus sua ex parte omnia fecerit, ut cuncti crederent, et Iudaei prophetarum quoque vaticiniis de gentium futura vocatione sint edocti (10,14-21).

Attentione dignum est, quam caute iterum Paulus incedat, ne infidelium Iudaeorum animos irritet; simili enim modo, quo supra (2,1 sqq. cfr pp. 110. 123 etc.) a directa accusatione esse abstinens gradatim gravem eorum culpam ita detegit, ut simul suum erga eos amorem manifestet eorumque zelum agnoscat.

1. — *In iustitia quaerenda Iudaei Messia suo reiecto perversam viam inierunt* (9,30-33).

9,30. ***Quid ergo dicemus? Quod gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem quae***

9,30. Τί οὖν ἐροῦμεν; ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην κατέλαβεν δικαιοσύνην, δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως.

ex fide est. 31. Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus; offenderunt enim in lapidem offensionis. 33. Sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali : et omnis qui credit in eum, non confundetur.

31. Ἰσραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης εἰς νόμον οὐκ ἔφθασεν. 32. διὰ τί; ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων· προσέκοψαν τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος, 33. καθὼς γέγραπται· Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου, καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται[1].

Iudaeis illis, qui fidem evangelicam nondum receperant sed bonae erant voluntatis, mirum utique videri potuit, quod ipsi, quamquam promissiones sibi factae in vigore erant, a salute messiana exclusi, ethnici vero, qui Messiam ignoraverant neque unquam de salute per eum consequenda cogitaverant, illius participes facti esse dicerentur. Ad hanc igitur difficultatem solvendam Apostolus transit interrogans : 30. *quid ergo dicemus?* Quae formula hic non, uti plerumque in hac epistola (3,5; 6,1; 7,3; 9,14), erroneae introducendae conclusioni inservit, sed simili modo, quo 4,1, transitioni inservit. Suo *ergo* autem ad sola vaticinia de vocatione gentium et reiectione Iudaeorum, uti multi volunt (cfr *Tol. Est. Mai. Reith. Beel.* etc. — *Weiss Goeb.* etc.), non respicit, sed ad totam praecedentem pericopen (cfr supra p. 498), ita ut sensus sit : « quid igitur, quum de promissionum abrogatione sermo esse nequeat, dicendum est de vocatione gentium et reiectione Iudaeorum? quae miri huius eventus est vera causa et quomodo fieri potest, ut ordine plane inverso illi, quibus nihil divinitus est promissum, iustitiam salutemque messianam obtineant, illi vero, quibus promissiones factae sunt, earum impletionem in se non experiantur? » Cui

1. ***VV. LL.*** — 31. εἰς νόμον οὐκ ἔφθασεν (in legem non pervenit) B ℵ A D E G, pauci minusc., *It.* (cfr ***Orig. interpr.*** *A^ter* ***Sed.***); sed *textus rec.* : εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασεν (***in legem iustitiae non pervenit***) cum F K L P, plerisque minusc. et PP., ***It.*** (cfr ***S. Aug.*** ad Paulin. ep. 186 n. 8; de spir. et lit. 29,50; *S. Hier.* in *Os.* 1,10; c. Pelag. II. 7 etc. ***Primas.***) ***Vulg. Syr.*** *Arm. Goth.*; cfr *Comment.* — 32. ὡς ἐξ ἔργων (quasi ex operibus), sine additam., B ℵ A F G, pauci minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* ll. cc. *A^ter* ***S. Hier.*** ll. cc.) ***Vulg. Copt.***; sed ***textus rec.*** explicationis gratia genetivum addit : ὡς ἐξ ἔργων νόμου (quasi ex operibus ***legis***) cum D E K L P, plerisque minusc., ***Syr.*** *Arm.* ***Goth.*** — προσέκοψαν (offenderunt), coniunctione γάρ non addita, B ℵ A F G, paucissimi minusc., ***It.*** (cfr ***A^ter Prim.***) ***Vulg.*** (cfr codd. *Fuld. Amiat.* ***Tol.*** *Copt. Goth.*; sed eam addit ***textus rec.*** : προσέκοψαν γάρ (*offenderunt enim*) cum E K L P, plerisque minusc. et PP. graecis, ***It.*** (cfr ***S. Aug.*** ep. 186,8; *S. Hier.* c. Pelag. II. 7; *Sed.*) ***Vulg.*** *Clem.* (cum ***Demid. Harl.*** et plerisque) ***Syr.*** *Arm.*; cfr *Comment.* — 33. ὁ πιστεύων (qui credit), vocabulo πᾶς non praemisso, B ℵ A D E F G, paucissimi minusc., *It.* (cfr *Orig. interpr.* ***A^ter S. Aug.*** ep. 186,8) ***Syr.*** (codd.) *Copt. Goth. Aeth.*; sed *textus rec.* : πᾶς ὁ πιστεύων (***omnis qui credit***) cum K L P, plerisque minusc., ***Vulg.*** *Syr.* (codd.) *Arm.* In *Is.* 28,16, qui locus allegatur, etiam deest πᾶς (omnis), attamen Paulus infra (10,11), ubi eundem locum allegat, vocabulum addit ibique omnes codd. illud tuentur; cfr *Comment.*

interrogationi respondet, diversis adumbratis viis, quas Iudaei et ethnici inierunt; hi nimirum crediderunt et ex fide iustificati sunt (*v.* 30), illi vero suis operibus Legis confisi credere noluerunt ideoque iustitiam Dei non sunt assecuti (31-33).

Sunt qui interrogationem usque ad finem *v.* 30 aut etiam ad totum *v.* 31 extendant (cfr *Mopsu.* etc.); at neutrum recte fieri contextus docet. « Namque, inquit *S. Aug.* (de doctr. christ. III. 3,6), nisi post percontationem, qua dictum est : *Quid ergo dicemus?* responsio subiiciatur : *quod gentes* etc., textus consequens non cohaerebit ». Revera nullum invenies responsum, quod suppositae interrogationi longiori sit adaptatum. Id tamen concedimus, *verbum* interrogationis (quid ergo *dicemus?*) in priore responsi membro, ut constructio compleatur, esse repetendum : Rerum statu considerato dicemus, *quod* (ὅτι) *gentes, quae non sectabantur* (τὰ μὴ διώκοντα) *iustitiam, apprehenderunt* (κατέλαβεν) *iustitiam, iustitiam autem* (δικαιοσύνην δέ) *quae ex fide est.*

Metaphoram e ludis, in quibus cursu concertabatur, desumtam hic adhiberi (cfr ad 1 *Cor.* 9,24), ipsa verba διώκειν (*sectari*) et καταλαμβάνειν (*apprehendere*) satis manifestant (cfr *Phil.* 3,12. 14; 1 *Tim.* 6,11. 12 etc.). Prius ergo, quod de omni cursore ad metam praemiumque anhelante adhibetur, hic idem valet, quod *operam dare ut aliquid obtineatur,* atque alterum, quod de solo victore metam attingente usurpatur, idem quod *assequi;* praemium vero, quod hic propositum cogitatur, est vera *iustitia,* i. e. supernaturalis illa conditio animi, qua homo Deo probatur salutisque aeternae fruendae capax redditur. Iuremerito Apostolus ethnicos, qui veritatem in iniustitia detinentes vero Deo relicto idololatriae sese dederant omnisque generis peccatis indulgebant (cfr 1,18 sqq.), iustitiam sectari negat, quamvis inter illos fuerint, qui natura duce ea quae Legis sunt faciebant opusque Legis in cordibus suis scriptum ostendebant (cfr 2,14 sq.). De universo enim ethnicorum genere loquens ad paucos, qui excipi potuerunt, aeque parum attendit atque in sequente sententia ad Iudaeorum reliquias iam salutem adeptas (11,5) respicit, ubi Iudaeos universe negat iustitiam esse assecutos. Iamvero permirum illud nunc accidit, ut qui praemium propositum (iustitiam) non curaverunt neque operam dederunt, ut illud obtinerent, illud nihilominus iam apprehenderint. Ad quod paradoxon explicandum eos *iustitiam quae ex fide est* credentibusque gratis a Deo confertur (3,23 sqq.) assecutos esse addit; nam particula δέ (*autem*) in ultimo sententiae membro est epexegetica latinoque *inquam* apte reddi potest (*iustitiam, inquam, quae ex fide est* cfr ad 3,22).

Ethnicis porro iustitiam veram, quamvis eam assequi non studuerint, ex fide apprehendentibus Iudaei opponuntur, qui eam assecuti non sint, quamvis eam assequi studuerint : **31.** *Israel vero sectando* (διώκων) *legem iustitiae* (νόμον δικαιοσύνης) *in legem iustitiae non pervenit* (οὐκ ἔφθασεν). Plerique hoc responsi membrum ita adnectunt, ut etiam a particula ὅτι (*quod v.* 30) dependeat; id per se quidem fieri potest, sed quia hac sententiola completum responsum non continetur atque sequentes sententiae, quibus completur, ab illa particula non dependent, aptius illam a praecedentibus maiore interpunctione cum *Vulg. Clem.* separabimus; ceterum nihil interest, utrum hunc an illum nexum praeferas. Ad textum quod attinet, antiquiores testes pro εἰς νόμον δικαιοσύνης (*in legem iustitiae*) nudum εἰς νόμον (*in legem*) exhibent; quare moderni critici (cfr *Lachm. Treg. Tisch. WH.*) hanc lectionem in suas editiones receperunt. Nihilominus consuetam lectionem cum haud paucis interpretibus (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp.* etc. — *Fritzsche, Mey. God.* etc.) praeferimus. Etenim sicut praecedentis membri acumen in eo cernitur, quod ethnici *id ipsum* quod non quaerebant assecuti esse dicantur, huius acumen haud dubie in eo est, quod Iudaei *id ipsum* quod quaerebant non assecuti esse dicantur. Idem igitur debet esse obiectum participii διώκων et verbi ἔφθασεν, ita ut genetivus δικαιοσύνης, si scriptus a Paulo non esse supponitur, mente saltem suppleatur oportet; multo tamen concinnior est sententia paulinoque stylo conformior, si genetivus exprimitur. Difficilius dictu est, quae accurata sit locutionis νόμος δικαιοσύνης (*lex iustitiae*) explicatio; attamen sententiam ipsam eiusque contextum consideranti dubium vix esse potest, quin hic idem significet quod nudum nomen δικαιοσύνη in praecedente sententia. Veram enim iustitiam, quae Deo probetur, Iudaeos Legis divinitus sibi datae observatione assequi voluisse concedens Apostolus simul docet, eos ad illam pervenire non potuisse, idque ob causam, quam statim (*v.* 32) indicabit. Verbum φθάνειν, quod proprie *praevenire* seu *antevertere* valet, Paulus cum Alexandrinis, notione *prae*veniendi neglecta, solo *veniendi* vel *perveniendi* sensu usurpat (cfr ad 2 *Cor.* 10,14 p. 274). Immerito autem a *Cai.* paucisque aliis praeveniendi significatio hic urgetur, quasi Paulus dicere vellet, Iudaeos non ante ethnicos ad iustitiam pervenisse. Nam id unum ei curae est, ut Iudaeos viam iniisse moneat, qua nulla prorsus ratione (nec ante nec post alios) ad iustitiam pervenire possent. Similiter pauci cum *Herv.* latinum *pervenire* male urgent; neque enim sensus est, Iudaeos partem quidem sed non totam iustitiam obtinuisse; omnis potius iustitia vera eis abiudicatur.

De locutione νόμος δικαιοσύνης (*lex iustitiae*), quam diversimode ex-

plicari diximus, nonnulla videntur addenda. Cum modernis quibusdam (cfr *Mai. Bisp. Sch.* etc.) in locutione illa nomen νόμος (uti *supra* 7,21. 23) *normam* vel *regulam* designare tenemus, ita ut *lex iustitiae* sit *norma verae iustitiae* vel etiam *via quae ad veram iustitiam ducit*. Apostolus enim Iudaeis in Lege mosaica eiusmodi normam datam esse supponit; idque recte, quia Legem rite observantibus vita aeterna, quae sine iustitia non obtinetur, erat promissa (*Lev.* 18,5; cfr infra 10,5 et ad *Gal.* 3,12 p. 486 sq.). Verum non tam externis mandatis Legis constituebatur haec norma, quam interno eius spiritu, tota nimirum eius voluntate ac sententia, quae quum eo tenderet, ut asseclas suos redderet gentem sanctam (*Ex.* 19,6 etc.) et ad Messiae adventum praepararet (*Gal.* 3,24), ante omnia fidem in Messiam venturum postulabat. Itaque *lex iustitiae* non est ipsa Lex mosaica, sed Legis illius mens ac voluntas; Legem ipsam Iudaei possidebant neque amplius quaerere poterant, sed Legis spiritum, quamvis eum assequi studerent, assecuti non esse neque assequi potuisse dicuntur, quia sola externa praecepta attendentes eorum impletione seu Legis operibus contenti erant. Hanc explicationem *Herv.*, ni fallor, insinuat, quum *legem iustitiae* dicit esse « Legem mosaicam *bene intellectam* »; similiter *Thom.*[1], quamvis de sola lege rituali loquatur, eandem videtur indicare voluisse, ubi legem iustitiae dicit « legem spiritus vitae, per quam homines iustificantur; ad hanc Iudaeos non pervenisse, quamvis eam sectarentur observando huius spiritualis legis umbram, quae consistit in observationibus legalibus ».

Ab hac autem explicatione plerique longe discedunt. Atque multi quidem, *Orig.* et *Mopsu.* praeeuntibus, *legem iustitiae* priore loco legem mosaicam, posteriore legem christianam interpretantur, ut Iudaei, quia (aut quamquam) suam Legem observare studebant, ad Christi legem non pervenisse dicantur (cfr *Pel. Prim. Sed. Haym. Thom*[2]. *Lyr.* etc., *Tol. Iust. Lap. Pic.* etc., *Reith. Mai M Ev. Ag.* etc. — Acath. multi). Contra quam sententiam, variis modis quibus excolitur aut vindicatur praetermissis (vix duo enim eadem ratione definitiones illas exponunt), adnotasse sufficit, locutioni *lex iustitiae* in hac sententia non magis, quam nomini *iustitiae* in praecedente, duos sensus diversos posse attribui, nisi totius loci acumen destruere velimus; deinde verbum διώκειν, uti ex praecedente sententia constat, valet « studiose illud quaerere, quod nondum possidetur », nunquam vero Graecis διώκειν νόμον idem est, quod « legis observationi intentum esse »; demum nexus quoque cum sequentibus hac explicatione turbatur, uti ex dicendis apparebit.

Alii cum *Chrys.*, hypallage admissa, *legem iustitiae* pro *iustitiam legis* poni arbitrantur ac legis nomine mosaicam designari sumunt; unde dicunt,

Iudaeos, quamvis iustitiam quae ex eorum Lege obtineri potuit sibi acquirere studerent, ne hanc quidem obtinuisse, quia totam suam Legem implere nequivissent (cfr *Theod. Theoph.* etc., *A*[er] *Est. Nat.* etc. — *Beng. Heum.* etc.). Contextum autem consideranti, opinor, clarum est, Apostolum hic non conqueri, quod Iudaei opinatam iustitiam sed quod veram non sint consecuti, quam ethnici ex fide adepti sint; praeterea hypallage ista satis arbitrarie statui videtur. Sunt tamen etiam, qui hypallagen respuentes sententiae sensum esse dicunt, Iudaeos, quum suam Legem implere studerent, ad Legis suae impletionem non pervenisse (cfr *de W.* etc.); sed hos etiam longius a vero aberrare, demonstratione non indiget.

Solum factum Apostolus *v.* 31 asseruit; in eius causam nunc inquirit interrogans : 32. *quare?* i. e. quae est causa, cur Iudaei, quamvis legem iustitiae, i. e. veram iustitiam, studiose quaerant, ad eam non perveniant? Atque respondet : *quia non ex fide sed quasi* (ὡς) *ex operibus* scilicet iustitiam assequi student. Veram iustitiam non nisi ex fide esse, in prima epistolae parte fuse demonstravit; mirum ergo esse non potest, quod ethnici, qui eam non quaerebant, eam assecuti sint, quamprimum crediderunt, Iudaei autem, qui fide neglecta operibus suis iustificari cupiebant, scopum suum non attigerint. *Opera* hic intelligi Legis omnes consentiunt, etiam ii qui cum textu recepto legere nolunt ὡς ἐξ ἔργων νόμου (cfr *VV. LL.*); quum autem opera hic opponantur fidei, mere naturalia opera intelligantur oportet, quae utique ad iustitiam supernaturalem non conducunt. Perversam igitur viam inierunt Iudaei, quum ad sola externa praecepta attenti se suis operibus iustificari opinarentur; neque immerito Apostolus suo ὡς inserto (ὡς ἐξ ἔργων *quasi* ex operibus) viam, quam inierint, non genuinam veramque sed opinabilem falsamque esse innuit. Parum recte vero *Chrys.* (cfr *Theoph. Euth.*) particulam ideo insertam arbitrari videtur, ut opera ipsa dicantur simulata, ac si Iudaei finxissent tantum se Legem observare; id enim rerum statui non respondet atque particula ad totam locutionem (ἐξ ἔργων) pertinet neque ad solum genetivum trahi potest, quasi scriptum sit : « ex opinatis operibus ».

Ulterius autem progrediens Paulus causam quoque adiungit, cur Iudaei *non ex fide* iustitiam assequi studuerint : *offenderunt enim* (γάρ) *in lapidem offensionis*, 33. *sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali : et omnis qui credit in eum non confundetur.* Particula γάρ (*enim*), licet a Paulo non esse scripta videatur (cfr *VV. LL.*), tamquam bona glossa apte retinetur, quia haec sententia revera prioris causam affert. Namque humilis vita Iesu superbis Iudaeorum opinionibus messianicis non congruebat, ac praesertim Christus crucifixus eis erat scandalum (1 *Cor.* 1,23; cfr *Gal.*

5,11), ita ut eum pro Messia suo agnoscere et in eum credere nollent. Itaque Iesus Christus, quem Simeon senex « in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum cui contradiceretur » positum esse dixerat (*Luc.* 2,34), incredulis Iudaeis factus est *lapis offensionis*, in quem pes eorum, quum stadium ingressi praemium verae iustitiae consectarentur, ita impegit, ut viam fidei sequi prohibiti sint.

Neque vero mirari eos debere Apostolus addit, quod res ita evenerit, quia hic eventus a propheta iam erat annuntiatus. Quod ut ostendat, duos textus propheticos (*Is.* 28,16 et 8,14) ita in unum contrahit, ut in priore (28,16) obiectum verbi ex altero (8,14) suppleat, ne longiorem explicationem eum fere in modum, quo 1 *Petr.* 2,6-8, addere cogatur[1]. Prior apud Alexandrinos, quos iterum cum libertate quadam sequitur, hic est : ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἐντίμιον, εἰς τὰ θεμέλια αὐτῆς, καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ (« ecce pono in fundamentis Sion *lapidem eximium, electum, angularem, pretiosum,* in fundamentis eius, et qui credit in eum non confundetur »[2]). In altero autem, quem Alexandrini minus accurate transtulerunt, ad primigenium potius textum respexisse videtur, qui a *S. Hier.* ita redditur : « Et erit (sc. Dominus exercituum) vobis in sanctificationem (melius : in sanctuarium), *in lapidem autem offensionis et in petram scandali* duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem, et offendent ex eis plurimi et cadent ». etc. Iamvero dubitari nequit, quin prior locus directe sit messianus atque appellatione *lapidis eximii* etc. Messias designetur (cfr *Knabenb.* Comm. in Is. I. p. 509). In altero utique ille, qui suis est protector, vocatur *Iahve Sabaoth* (Dominus exercituum); sed haud paucis Veteris Test. in locis nomine *Iahve* designatur *Verbum* incarnandum seu Messias promissus (cfr ad 1 *Cor.* 10,4 p. 276; *Hundhausen* Das erste Pontificalschr. Petri p. 233. 238 etc.). Atqui id etiam de *Is.* 8,14 valere, non tantum SS. Pauli et Petri (l. c.) auctoritate, qui ambo locum de Messia interpretantur, sed etiam prophetae contextu admittere cogimur. Namque immediate antea (*Is.* 8,8) innuitur, *Emmanuelem*, filium igitur Virginis promissum (*Is.* 7,14), terrae suae

1. Alibi quoque Apostolus verbis scripturisticis suam explicationem inserit variosque locos coniungit (cfr ad 3,10 sqq.; 1 *Cor.* 3,20 etc.).

2. Pro *non confundetur* (οὐ μὴ αἰσχυνθῇ), quo Alexandrini hebr. לֹא־יָחִישׁ reddiderunt, *S. Hier.* habet : *non festinet*, ac moderni quoque fere omnes notionem festinandi vel fugiendi exprimunt; *Chald.* tamen cum Alex. fere consentiens vertit *non commovebitur*. Verbum hebr. iuxta alios *trepidandi* sensum habet, ex quo alexandrina versio facile explicatur (cfr *Knabenb.* Comm. in Is. I. p. 510); quidquid autem de accurata hebraici verbi significatione statuitur, versio alexandrina, utpote a SS. Paulo et Petro approbata, omnino (meo saltem iudicio) retineatur oportet.

esse protectorem. Idem ergo etiam infidelibus utriusque regni erit lapis offensionis[1].

Quae quum ita sint, nulla in eo est difficultas, quod Paulus uni appellationi Messiae alteram substituerit; offenderunt Iudaei, quum divinitatem sub carne latentem ob vanas suas de Messia opiniones non cognoscerent, in lapidem pretiosum, qui hac ratione eis factus est *lapis offensionis et petra scandali*. Bene enim cum *Chrys.* adnotat *Theoph.*, « Christum a fine et eventu eorum, qui non crediderunt, lapidem offensionis nominari; per se enim eum positum esse velut fundamentum et fulcrum, quum omnis, qui in eum credat, non confundi dicatur ». Utrum hoc in loco (uti 10,11) legendum sit πᾶς ὁ πιστεύων (*omnis* qui credit), an vox πᾶς sit omittenda, incertum est (cfr *VV. LL.*). Ceterum sententia est universalis, ita ut additione vocis, quam *Is.* 28,16 non habet, sensus non mutetur. Ideo Apostolus eam infra (10,11) addidisse videtur, ubi ethnicos non minus quam Iudaeos fide iustificari docet; in nostrum autem locum, in quo de hac universalitate diserte non agitur, forte ex 10,11 irrepsit.

2. — *Ob ignorantiam suam Iudaei in vera iustitiae via quaerenda erraverunt* (10,1-13).

10,1. *Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.* 2. *Testimonium enim perhibeo illis, quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* 3. *Ignorantes enim iustitiam Dei, et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti.* 4. *Finis enim legis, Christus, ad iustitiam omni credenti.* 5. *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quae ex lege est : Qui fecerit homo, vivet in ea.* 6. *Quae autem ex fide est iustitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in coelum? id est, Christum deducere :* 7. *aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare.* 8. *Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei quod praedicamus.* 9. *Quia si confitea-*

10,1. Ἀδελφοί, ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας καὶ ἡ δέησις πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ αὐτῶν εἰς σωτηρίαν. 2. μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν· 3. ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην καὶ τὴν ἰδίαν ζητοῦντες στῆσαι, τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν. 4. τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι. 5. Μωυσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ. 6. ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη οὕτως λέγει· Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου· Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ' ἔστιν Χριστὸν καταγαγεῖν. 7. ἤ Τίς καταβήσεται εἰς τὸν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστιν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. 8. ἀλλὰ τί λέγει; Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τοῦτ' ἔστιν τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσ-

1. Iuniores quoque Iudaei non minus *Is.* 8,14 (de lapide offensionis) et *Ps.* 117,22 (de lapide ab aedificantibus reiecto cfr *Matth.* 21,42; *Luc.* 20,7; *Act.* 4,10), quam *Is.* 28,16 (de lapide pretioso) sensu messianico interpretati sunt; cfr *Schoettgen* Horae hebr. et thalm. II. 170. 290. 607. — Uberiorem explicationem duorum vaticiniorum praebet *Knabenbauer* Comm. in Is. I. p. 210 sq. 509 sqq.

ris in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* 11. *Dicit enim scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur.* 12. *Non enim est distinctio Iudaei et Graeci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* 13. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

σομεν. 9. ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς τὸ ῥῆμα ἐν τῷ στόματί σου ὅτι Κύριος Ἰησοῦς, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. 10. καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. 11. λέγει γὰρ ἡ γραφή· Πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐκ αἰσχυνθήσεται. 12. οὐ γάρ ἐστιν διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος· ὁ γὰρ αὐτὸς Κύριος πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν. 13. πᾶς γὰρ ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται [1].

Quae de causa exclusionis contribulium suorum a salute paucis comprehenderat (9,31. 32) fusius explanaturus B. Paulus, quum eos vituperare debeat, a benevolentiae captatione quadam exorditur (*vv.* 1.2 *a*) atque viam ad eos vituperandos sibi aperit zelum eorum, quem laudavit, prudentem esse negans (*v.* 2 *b*), quia non intelligentes, Legem suam esse paedagogum ad Christum ideoque eo adveniente abrogatam esse, iustitiae fidei sese non subiecerint (3. 4). Ut autem ostendat, quam

1. *VV. LL.* — 1. ὑπὲρ αὐτῶν (*pro illis*) B ℵ A D E F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Goth. Arm.*; *textus rec.* autem : ὑπὲρ Ἰσραήλ (pro Israel) cum K L, plerisque minusc. et iunioribus PP. Quae lectio procul dubio glossa est explicationis causa in margine addita et postea in textum recepta. — εἰς τὴν σωτηρίαν (in salutem), nullo verbo praemisso, B ℵ D E F G, pauci minusc., *Syr.* (codd.) *Goth. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : ἐστὶν εἰς σωτηρίαν (*est* in salutem) cum K L P, plerisque minusc. et PP., *Syr.* (codd.); demum *It.* et *Vulg.* verbum iam ante locutionem *pro illis* inserunt, idque recte ut videtur (cfr *Comment.*). — 5. Tres praecipuae sunt huius sententiae lectiones. Genuina, quam *Tisch.* et *WH.* ex ℵ et latinis fontibus receperunt, videtur haec esse : Μωϋσῆς γὰρ γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ὁ ποιήσας ζήσεται ἐν αὐτῇ (*Moyses enim* scribit, *quoniam iustitiam, quae ex lege est, qui fecerit homo, vivet in illa*). *Textus* tamen *rec.* cum plerisque iunioribus testibus habet : Μωϋσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ὅτι Ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς (Moyses enim describit iustitiam quae ex Lege est [dicens] quod Qui fecerit *illa*, vivet *in illis*). Demum B aliique testes duas illas lectiones permiscuerunt. Sensus sententiae idem manet; secundae autem lectionis auctores verba a Paulo allegata forsitan textui alexandrino accuratius conformare studuerint; at nulla est ratio, cur a *Vulg.* lectione recedamus. — 8. ἀλλὰ τί λέγει (sed quid dicit), subiecto non expresso, B ℵ A K L P, plerique minusc., *It.* (*S. Aug.* de spir. et lit. 29,51) *Vulg.* (codd. *Demid. Tolet.* etc.) *Syr. Goth.*; velut subiectum autem additur vel praemittitur nomen ἡ γραφή (*Scriptura*) a D E F G, nonnullis minusc., *It.* (*A*[ter] etc.) *Vulg. Clem.* (cum codd. *Fuld. Amiat.* etc.) *Copt. Aeth. Arm.*; omnino tamen nomen videtur omittendum cfr *Comment.* — 9. ἐὰν ὁμολογήσῃς τὸ ῥῆμα... ὅτι Κύριος Ἰησοῦς (si confitearis *verbum...*, *quod* Dominus est Iesus) B cum nonnullis PP. graec., *It.* (*S. Hilar.* de Trin. X. 68; *S. Aug.* expos. n. 67 etc.); eodem sensu reliqui testes : ἐὰν ὁμολογήσῃς... Κύριον Ἰησοῦν (*si confitearis... Dominum Iesum*); quae lectio, etsi minus emphatica sit, ob testium auctoritatem praeferatur oportet.

gravis sit illa ignorantia, iustitiae operum a Lege postulatae (*v.* 5) iustitiam, quae ex fide est (6-10) omnibusque credentibus, Iudaeis ac Graecis, sine distinctione confertur (11-13) opponit.

Ne gravis, quam modo (9,32) significavit et in hac pericope peracturus est, Iudaeorum accusatio ex animo inimico et offenso proficisci putetur, S. Apostolus sui erga eos amoris professionem interserit (*v.* 1) bonamque eorum voluntatem agnoscens (*v.* 2 a) amoris sui causam aperit. Epistolae enim lectores quasi ad suum exemplum imitandum invitans docet, quantopere contribulium suorum salus sibi cordi sit : 1. *fratres, voluntas quidem* (ἡ μὲν εὐδοκία) *cordis mei et obsecratio* (ἡ δέησις) *ad Deum fit pro illis in salutem.* Compellationem *fratres* ad Iudaeos, id quod aliqui volunt (*Sch.*), non referri, evidens est, quia in tota hac sectione Paulus a directa eorum allocutione se abstinet et semper tertia persona de eis agit (cfr ὑπὲρ αὐτῶν etc.). In primigenio textu antiquiores testes nullum verbum exhibent (cfr *VV. LL.*); cum iunioribus autem codd. textus receptus verbum ἐστίν immediate ante εἰς σωτηρίαν inserit; sed rectius, ni fallor, Latini iam ante locutionem *pro illis* verbum quoddam (*fit*, vel *est*) supplent, ita ut locutio illa etiam ad praedicatum pertinere appareat. Nimis late vero ab *It.* et *Vulg.* prius nomen (ἡ εὐδοκία) latino *voluntas* redditur, quum idem potius quod *desiderium* seu *votum* hic valere videatur (cfr *Chrys.:* εὐδοκίαν ἐνταῦθα τὴν σφόδρα ἐπιθυμίαν φησίν ac similiter *Theod. Dam. Theoph. Oec. Euth.*, et ex iunioribus modernisque *Tol. Iust. Lap. Pic. Calm.* etc., *Reith. Mai. Beel. Weinh. Dr.* etc. — *Rück. de W. Oltr.* etc.). Contra eos enim, qui significationem *benevolentiae* praeferentes (cfr *Cai. Est. Bisp. LR. Sch.* etc. — *God. Weiss* etc.) nostram interpretationem nullo exemplo probari obiiciunt, monemus non tantum Graecos omnes in illa admittenda consentire, sed Paulum quoque *verbo* εὐδοκεῖν sensum exoptandi ac desiderandi tam saepe attribuere (cfr 2 *Cor.* 5,8; 1 *Thess.* 2,8; 3,1), ut mirum non sit, quod *nomen* derivatum εὐδοκία sensu voti ac desiderii adhibuerit. Apte autem duo nomina (ἡ εὐδοκία τῆς καρδίας et ἡ δέησις πρὸς τὸν Θεόν) connexuit, ut internum suum votum non sterile esse significaret; pro illis enim salutem ita desiderans, ut eam etiam a Deo pro illis expetat, ostendit quantus sit suus erga eos amor. Ante omnia quippe precandum est pro infidelibus ut salventur, quia fides a qua salus pendet est donum Dei gratuitum, quod nemo sibi mereri potest.

Attamen solitaria particula μέν (*quidem*), cui in sequentibus nullum δέ (*autem*, *sed*) respondet, se totam suam mentem primis illis verbis non aperuisse declarat; quid vero desit, ex contextu intelligitur. Cau-

sam enim addens, cur Iudaeis salutem exoptet et a Deo efflagitet, simul indicare iam incipit, illos ipsos in culpa esse, quod vota sua pro eorum salute non impleantur. Solitario igitur suo μέν totam quae sequitur accusationem quasi praeparat, ut hoc fere modo sententia compleri possit : « votum meum quidem et precatio mea tendit ad eorum salutem, sed in ipsis reperitur salutis impedimentum ».

Quodnam illud sit, in fine sententiae innuit, qua ab eorum laudibus ad accusationem transit : 2. *testimonium enim perhibeo illis, quod aemulationem Dei* (ζῆλον Θεοῦ) *habent, sed non secundum scientiam* (κατ' ἐπίγνωσιν). Nomine *zeli* vel *aemulationis Dei* intelligit studium, quo Iudaei, multis magnisque ethnicorum persecutionibus non obstantibus, Legi suae divinitus acceptae fideliter adhaerebant, eam accurate observare conabantur, secundum eam veri Dei cultum exercebant ac propagabant. Cuius zeli egregius ipse erat testis, quum semet ipsum « aemulatorem Dei » ante conversionem suam fuisse (*Act.* 22,3[1]) coaetaneosque suos zelo paternarum traditionum superasse (*Gal.* 1,14) asserere posset. At divina gratia illustratus zelum illum, quem omni ex parte laudabilem esse duxerat, ad salutem non conducere in itinere damasceno cognovit ac magno cum dolore postea conquestus est, quod zelo illo ad persequendam Ecclesiam Dei abreptus esset (*Phil.* 3,6). Eandem vero causam, qua pristinam suam Ecclesiae persecutionem excusat, quod « ignorans in incredulitate egerit » (1 *Tim.* 1,13), quamque Petrus quoque ad Iudaeos Christi occisores excusandos attulit (*Act.* 3,7), etiam hic affert ut explicet, cur contribulium suorum aemulatio Dei ad salutem consequendam non sufficiat. Zelum Dei enim, quem in eis laudat, *secundum scientiam* esse negat, « quia per rectam scientiam non ordinatur, dum ignorant veritatem » (*Thom.*); acri quidem studio honorem Dei promovere volunt, sed quid in Dei honorem sit nesciunt. Neque tamen omnem scientiam eis abiudicat, sed plenam illam ac perfectam (τὸ κατ' ἐπίγνωσιν cfr ad 1,28, 3,20), quae requiritur, ut Iesum esse Messiam sibi promissum cognoscant et in eum credentes veram iustitiae salutisque viam ineant.

Quapropter illum dumtaxat zelum, quo homo solam divinam voluntatem in omnibus sequi studet, vere prudentem esse supponens ex eo, quod Iudaeis genuinae, quae coram Deo valet, iustitiae notio desit, eorum zelum secundum perfectam scientiam non esse probat : 3. *ignorantes enim iustitiam Dei et suam* (τὴν ἰδίαν *propriam*) *quaerentes sta-*

1. *Vulg.* quidem in *Act.* 22,3 legit « aemulator *legis* » ac similiter *Syr.* : « aemulator *paternarum traditionum* »; sed praeter omnes codd. et PP. graecos etiam reliquae versiones lectionem ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ (aemulator *Dei*) tuentur. Iure merito igitur a modernis tantum non omnibus praefertur.

tuere (στῆσαι) *iustitiae Dei non sunt subiecti* (melius: *se non subiecerunt* οὐχ ὑπετάγησαν [1]). Iuxta ea, quae antea exposuit (cfr 3,21; 4,1 sqq.) dubium quidem non est, quin Iudaei ex suis libris sacris genuinam iustificationis rationem cognoscere potuerint (ac debuerint); nihilominus hic suo ἀγνοοῦντες (*ignorantes*) nudum factum asserit ut postea (*v.* 14 sqq.) eos rem non sine culpa ignorasse ostendat. Quid nomina *iustitiae Dei* et *propriae* valeant, ex prima epistolae parte constat; *iustitiam Dei* (hic uti 1,17; 3,21 sq.) illam vocat, quae est *ex fide* (δικαιοσύνην τὴν ἐκ πίστεως 9,30 etc.) vel quae *per fidem Christi ex Deo* est (τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην *Phil.* 3,9), gratiam ergo illam habitualem, qua credentes in Christum a Deo ob Christi merita donati renovantur spiritu mentis suae, ut vere iusti sint coram Deo. Cui iustitiae, quae iure dicitur *Dei* seu divina, quia tota est ex superna gratia neque propriis hominis viribus laboribusque obtineri potest, opponit *propriam* (τὴν ἰδίαν), quae *ex Lege* est (τὴν ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου *Phil.* 3,9) vel *ex operibus Legis* (9,32; 3,20 etc.), illam ergo quam Iudaei propriis suis laboribus, si Legis praecepta suis viribus observarent, sese obtinere opinabantur.

Animadvertatur oportet, eum in priore sententiae parte de verae ac fictae iustitiae notione loqui, in altera vero genuinam iustitiam definite sumtam quasi in reginam constituere (cfr *v.* 6), cui ab omni, qui iustus coram Deo esse vult, obedientia debeatur. Unde sensus sententiae est: Iudaei, quia verae iustitiae, quae credentibus a Deo gratis datur, notionem non habent commentitiaeque, quae propriis operibus acquiratur, notionem *statuere quaerunt* (ζητοῦντες στῆσαι) i. e. quasi veram asserunt ac defendunt [2], iustitiae Dei, quae solis credentibus datur ac fidem necessario supponit, per humilitatem fidei sese non subiiciunt, vel iuxta *Thom.* « nolunt subiici Christo per cuius fidem homines salvantur a Deo ». Zelus ergo eorum prudens non est, quia

1. Graecum ὑποτάσσεσθαι in Novo Test. plerumque mediali significatione (se subiicere, obedire) usurpatur (8,7; 13,1. 5; 1 Cor. 14,32. 34 etc.); eandem aliquoties etiam aor. 2. pass. ὑπετάγην (*Iac.* 4,7; 1 *Petr.* 2,13; 5,5 etc.) et fut. 2. pass. ὑποταγήσομαι (*Hebr.* 12,9) recipiunt (cfr etiam nomen deriv. ὑποταγή obedientia (*Gal.* 2,5 etc.). Contextus eam in nostro loco tam clare postulat, ut moderni in ea hic admittenda consentiant, atque Latini quoque eam suis explicationibus (« *noluerunt* subiici », « noluerunt obedire » etc.) exprimant.

2. Verbum ἱστάναι (*statuere*) eodem tuendi ac vindicandi sensu, quo supra 3,31, hic sumitur; verbo ζητεῖν (*quaerere*) autem Apostolus inanes esse conatus significat, quibus Iudaei suam commentitiam operum iustitiam pro vera stabilire volunt. Cum *Chrys.* eiusque schola etiam nonnulli moderni (cfr *Reith. Mai. Beel.* etc.) verbum ἱστάναι hic metaphorice (per metaphoram scilicet ab aedificatione desumtam) idem valere volunt, quod *sibi parare*, ut sensus sit, Iudaeos fictae suae operum iustitiae aedificium erigere (i. e. ipsis suis operibus iustitiam sibi parare) frustra conari. Neque vero satis attendunt de notione iustitiae, minime vero de ipsa iustitia, in priore sententiae parte agi; id enim ex primo membro (*ignorantes* iustitiam Dei) invicte constat.

Dei, auctoris iustitiae, voluntatem non sequuntur. Bene *Est.* adnotat, « aliis verbis hic id repeti, quod supra (9,31 sq.) dictum est, Israelem, dum sectatur legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenisse, quia non ex fide sed quasi ex operibus ad eam contendebat ».

Iudaeos porro, quum suam Legis iustitiam statuere quaerant, neque iustitiae Dei obtemperare neque veram scientiam sequi Paulus confirmat addens : 4. *finis enim Legis* (τέλος γὰρ νόμου) *Christus est ad iustitiam omni credenti.* Nomine *legis* (νόμου), quamvis articulus desit, mosaicam designari, totus contextus, quo Iudaeorum error de Legis suae virtute impugnatur, tam clare docet, ut non intelligatur, cur aliqui moderni (cfr *Ag.* — *Weiss, Oltr.* etc.) id in dubium vocaverint; articuli enim omissio profecto non creat difficultatem (cfr ad 2,13). Iamvero Lex Iudaeis eo consilio data erat, ut institutis suis, quae omnia figurae erant mysteriorum novae oeconomiae, eorum fidem in venturum Messiam excitaret ac praeceptis suis tamquam paedagogus eos ad Christum adduceret (*Gal.* 3,24); adveniente autem Christo, quum figurarum umbris iam succederet rerum veritas atque paedagogi munus superfluum redderetur, Lex cessare debuit. Unde duplici sensu Christus *finis Legis* (τέλος νόμου) esse recte dicitur, siquidem non tantum tota Lex ad eum velut ad scopum finemque suum tendebat, sed etiam eius adventu terminum finemque suum invenit et esse desiit (cfr *Comment.* in 2 *Cor.* et *Gal.* p. 98 sq.). Priorem sensum solum multi cum *Theod.* hic admittere volunt (cfr *Thom. Lyr.* etc., *Cai. Tol. Lap. Pic.* etc., *Klee, Beel. M Ev.* etc. — *Wetst. Glöckn.* etc.); alii (uti iam *Iulian. Apost.* cfr *S. Cyr Al.* c. Iul. IX *M.* 76,992) solum secundum retinere malunt (cfr *Mai. Dr.* etc. — *Mey. Weiss, Goeb. God.* etc.). Rectius tamen cum *S. Cyr. Al.* (l. c.) et *S. Aug.* (c. advers. leg. II. 7,26) utrumque coniungemus, ut Christus (iuxta S. Aug. expressionem) Legis finis dicatur non tam interficiens quam perficiens; neque enim advenit, ut Legem solveret destrueretque, sed ut eam impleret et ad perfectionem adduceret (*Matth.* 5,17). Ac profecto quominus priorem sensum excludamus prohibet nexus cum praecedentibus; namque ex eo, quod Lex ad Christum tendebat et in eo plenam suam veritatem habebat, potissimum elucet Iudaeos, qui neglecta fide praecepta tantum externa respicientes propriam iustitiam statuere volunt, vera Legis, cuius mentem voluntatemque ignorant, scientia carere Deoque inobedientes esse. Nexus vero cum sequentibus, in quibus Legis periodus terminata a perdurante fidei periodo distinguitur (*v.* 5 sqq.), omnino postulat, ut secundus sensus simul recipiatur. Tam arcte quoque inter se sunt connexi, ut alter ab altero separari non posse videatur, quin alterutrius notio magis minusve obscuretur et mutetur.

Praeeunte *Chrys.* alii Graeci (cfr *Dam. Phot. Theoph. Euth.* etc.) nonnullique iuniores ac moderni (cfr *Iust. Reith. LR. Ag.* etc.) nomine τέλος scopum quidem designari concedunt, Christum tamen idcirco scopum Legis vocari volunt, quia iustitiam, quam Lex praestare voluerit sed non potuerit, ipse praestiterit credentibus. « Quia Lex, inquit *Chrys.* (in Matth. hom. 16,2), studebat hominem facere iustum sed infirma erat, Christus veniens et iustificationis modum, qui est per fidem, introducens voluntatem Legis stabilivit et quod illa per literas non potuerat, ipse per fidem perfecit »; atque in Rom. hom. 17,1 : « Si finis Legis est Christus, is qui Christum non habet, neque habet Legis iustitiam, etiamsi eam habere videatur; qui vero Christum habet, etiamsi Legem secutus non sit, totum accepit... Quid enim voluit Lex ? Iustum facere hominem; sed non potuit, quia nemo eam implevit. Hic igitur eius finis erat; eo omnia tendebant, festa, praecepta, sacrificia, reliqua omnia, ut homo iustus redderetur; sed hunc finem Christus per fidem perfectius assecutus est. Noli ergo timere, ne ad fidem accedens Legem transgrediaris; tunc enim illam transgrederis, si propter illam Christo non credis; quamprimum autem ei credideris, illam quoque implevisti ». Verbis potius quam re haec sententia ab illa, quam primo loco proposuimus, recedit; prout tamen iacet, paulinis verbis minus videtur consonare, licet eorum sensum universum satis accurate reddat.

Inter Latinos aliqui (cfr *Abael. Haym. Herv. Lomb.* etc., *Est. Nat.* etc.), qui *Rufini* interpretationem Orig. sequuntur, *finem* hic idem quod consummationem et perfectionem seu impletionem valere arbitrantur, ut sensus sit : « Christus est, per quem Lex impletur et vera iustitia acquiritur, quatenus quisque in eum credit ut propitiatorem, per quem Deus et peccata remittit et gratiam bene vivendi praestat » (*Est.*). Erronee autem *Est.* asserit, « graecam vocem τέλος magis quam latinam *finis* hanc consummationis et impletionis significationem recipere »; neque enim usquam τέλος est idem quod τελείωσις (consummatio) aut πλήρωμα seu πλήρωσις (perfectio, impletio); quare haec quoque explicatio, quamvis Christus consummatio et perfectio Legis recte dicatur, paulinis verbis hic non congruit.

Legis autem finem eo quem indicavimus sensu Paulus Christum vocat *ad iustitiam omni credenti.* Quae quidem ultima verba nonnulli cum tota sententia ita connectunt, ut eius quasi finem vel exitum declarent significentque, Christum ideo (vel tali modo) esse scopum terminumque Legis, ut nunc iam omnes ex fide in eum iustitiam consequantur (εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι i. q. εἰς τὸ γενέσθαι δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι). Rectius vero, opinor, alii illa velut appositionem soli subiecto addunt : Χριστὸς ὁ (ὢν) εἰς δικαιοσύνην κτλ[1], quia revera ad Christum, quatenus omnes in eum credentes iustificat, Lex tendebat illiusque adventu abrogata est. At Iudaei, quum in Christum credere nollent, velamen habent positum super cor suum in lectione Legis suae, ita ut eam non intelligentes non videant finem eius quod evacuatur (2 *Cor.* 3,13 sqq.). Hinc exorta est ignorantia eorum, quae quanta sit Apostolus

1. Omissionem articuli ante appositionem huic explicationi non obstare saepius iam monuimus (cfr ad 5,15; 6,4 etc.; 1 *Cor.* 2,7 etc.); dubito vero num infinitivus in eiusmodi constructione finali, quam alii admittunt, omitti possit.

nunc ostendit iustitiae operum, quam ipsi iuxta Legem suam non intellectam statuere quaerant (*v.* 5), iustitiam fidei opponens omnibus destinatam (*v.* 6 sqq.).

Priore igitur in loco viam describit, qua veteris quidem oeconomiae fideles ad iustitiam salutemque pervenerint, post Christi autem adventum Iudaei increduli ad eam se perventuros esse frustra sperent : 5. *Moyses enim scripsit* (vel potius : *scribit* γράφει), *quoniam iustitiam, quae ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.* Lectio haec, quam cum *It.* et *Vulg.* graeci quoque testes boni tuentur et recentissimi editores critici (*Tisch. WH.*) velut probabiliorem in suas editiones iure receperunt (cfr *VV. LL.*), plana est et clara, dummodo attendatur, coniunctionem *quoniam* (ὅτι) introducendo tantum textui scripturistico inservire atque obiectum (*iustitiam quae ex lege est* τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου) verbo a quo pendet (*qui fecerit* ὁ ποιήσας) esse praemissum, ut duae iustitiae species (vel viae), de quibus quaeritur, maiore cum vi inter se opponerentur (cfr *v.* 6 *quae autem ex fide est iustitia* ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη). Iuxta hanc lectionem utique dictum divinum, quod a Moyse in *Levit.* 18,5 scriptum est, minus accurate allegatur, quam iuxta graecum textum receptum, qui cum Alexandrinis atque etiam cum *Gal.* 3,12 consentiens illud hunc in modum exhibet : ὁ ποιήσας αὐτά (scilicet πάντα τὰ προστάγματά μου καὶ πάντα τὰ κρίματά μου) ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς (*qui fecerit ea* scilicet omnia divina mandata et praecepta, *vivet in eis*). Verum id difficultatem non creat, quia Apostolus textibus scripturisticis interpretationem, ne eam addere cogatur, inserere eosque hac ratione argumentationi suae adaptare amat (cfr ad 9,33). Id autem hic quoque iuxta nostram lectionem facit, quia *iustitia ex Lege* ei idem est, quod omnium mandatorum observatio, quam Deus in *Levit.* 18,5 velut vitae conditionem postulat. Per se igitur parum interest, utram lectionem sequamur.

De sensu autem divini dicti fusius iam egimus ad *Gal.* 3,12 (*Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 486 sq.), ubi Apostolus illud in simili argumentatione adhibet, quare hic rem paucis absolvere licet. Praeprimis animadvertamus oportet, vitam a Deo promitti non tantum temporalem, id quod multi arbitrati sunt et arbitrantur (cfr *S. Aug.* in Gal. n. 21, *A*[ter] *Haym. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Tol. Lap.* etc., *Bisp. MEv. Dr.* etc.), sed simul, immo maxime vitam aeternam ac gloriosam (cfr *Chrys. Theod. Theoph.* etc., *S. Aug.* de spir. et lit. 29,51, *Pel. Sed.* etc., *Est. Nat.* etc., *Reith. LB. Ag. Sch.* etc.); id enim ex *Matth.* 19,17 et *Luc.* 10,28 constare recte *Pel.* iam monuit. Porro vita haec promittitur eis qui vere sint *factores Legis* (cfr ad 2,13), i. e. eis qui omnia mandata divina, inter quae primum ac maximum

summam Dei dilectionem praecipit (*Deut.* 6,5 cfr *Matth.* 22,36 etc.), continuo et accurate observaverint in nullo deficientes (*Deut.* 27,6 cfr *Gal.* 3,10; *Iac.* 2,10); id quod ob carnis infirmitatem (8,3) et peccatum in ea inhabitans (7,14 sqq.) neminem absque divinae gratiae auxilio facere potuisse aut posse clarum est. Iamvero quamdiu Lex vigebat, ad eam implendam gratia necessaria concedebatur Iudaeis, non ipsius quidem Legis praecipientis, quae suis mandatis dumtaxat accuratiorem peccati cognitionem praebebat (3,20), sed Messiae in illa promissi virtute, quem credentes exspectabant et ad cuius adventum Lege praeparabantur. Hac ratione veteris oeconomiae sancti, quum suam infirmitatem cognoscerent, non per vires suas neque per literam ipsius Legis, id quod fieri non potest, sed per fidem in venturum Messiam sibi conciliantes iustificatorem eo pervenerunt, ut iustificati Legem gratia adiuvante implerent iustitiamque veram, in qua viverent, ex Lege consequerentur (cfr *S. Aug.* de spir. et lit. 29,51). At Iudaei, de quibus Apostolus hic loquitur, ita rem non intellexerunt; naturalibus potius viribus praecepta Legis implere conantes ad propriam iustitiam tendebant, cui vita aeterna tamquam merces deberetur. Ac revera postquam Christo mortuo et resuscitato umbrae successerat veritas ac Lex paedagogus ad Christum esse desierat, Iudaeis in eum credere nolentibus nihil nisi nuda Legis litera remanserat, quae opera praecipit operantique vitam promittit, gratiam vero qua impleatur nullo modo habet annexam. Quapropter hoc sensu dictum divinum, quod continuam accuratamque omnium mandatorum observationem velut aeternae vitae conditionem postulat, Apostolus simili modo, quo *Gal.* 3,12, contra incredulos Iudaeos iure merito urget, ut eos ex Lege sua ad veram iustitiam, cui vita aeterna erat promissa, pervenire non posse declaret, non tantum quia omnia praecepta suis viribus implere nequeant sed etiam quia haec Legis iustitia non sit nisi commentitia.

Neque tamen hunc sensum diserte explanat, sed eum lectori ex sequentibus colligendum relinquit, quibus erroneae viae, qua Iudaei increduli iustitiam quaerebant, veram viam, quae ad iustitiam Dei ducit, vel potius fictitiae operum iustitiae, quam illi frustra sectabantur, genuinam ex fide iustitiam opponit, quippe quae facile obtineri possit (6-8), quia fides tantum eiusque professio ad salutem requiratur (9. 10); id quod Scripturae testimoniis constare addit, quae omnibus credentibus fidemque profitentibus sine ulla Iudaeorum ac Graecorum distinctione salutem promittant (11-13). Ut autem ostendat, quam facile fidei iustitia obtineatur, pulcherrima prosopopoeia eam introducit loquentem ac semet ipsam verbis ex Deuteronomio desumtis quasi definientem : 6. *quae autem ex fide est iustitia sic dicit : Ne dixeris in*

corde tuo : Quis ascendet in coelum? id est Christum deducere (τοῦτ' ἔστιν Χριστὸν καταγαγεῖν); 7. *aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis revocare* (τοῦτ' ἔστιν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν id est Christum ex mortuis reducere); 8. *sed quid dicit* (*Scriptura*)? *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est* (τοῦτ' ἔστιν) *verbum fidei quod praedicamus.*

Priusquam haec verba interpretemur, de eorum relatione ad textum mosaicum (*Deut.* 30,11-14) dicendum videtur. Iuxta antiquam versionem (cfr *S. Aug.* Quaest. in Heptat. V. 54), quae cum alexandrina ab Apostolo iterum adhibita accuratius consentit, ita se habet : « Mandatum hoc (sc. collectio omnium mandatorum, aut etiam mandatum de Dei dilectione, quae observatione omnium praeceptorum probari debeat, cfr *Deut.* 30, 10. 16), quod ego mando tibi hodie, non est supra modum (οὐχ ὑπέρογκός ἐστιν *Vulg.* : non est supra te; לֹא־נִפְלֵאת הִוא non est nimis arduum), neque longe abs te est; non est in coelo, dicens (לֵאמֹר ut dicas) : *Quis ascendet nobis in coelum* et accipiet nobis illud et audientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicens (לֵאמֹר ut dicas) : *Quis transfretabit nobis trans mare* et accipiet nobis illud et audientes illud faciemus? *Prope est hoc verbum valde in ore tuo et in corde tuo* et in manibus tuis facere illud » (i. e. « ut facias illud ». — Verba « et in manibus tuis » a textu mass., a Vulg. etc. exsulant). Quibus verbis Moyses, postquam praemiorum, quae Legem observantibus promissa, poenarumque, quae eam transgredientibus destinatae sunt, descriptione Israelitas ad eam observandam exhortatus est, extraordinarium laborem ad eam cognoscendam non requiri docet, ut hac ratione omnem eis excusationem praeripiat.

Iamvero praeeunte *S. Aug.* (de nat. et grat. 79,83; quaest. in Heptat. V. 54) haud pauci ex antiquioribus Latinis cum nonnullis modernis (cfr *Haym. Herv. Thom*[1]. *Lyr. Dion.* etc., *Cai. Salm. Tol. Iust. Nat.* etc., *M Ev.* — *Olsch. Lange, Hofm.* etc.) textum deuteronomicum pro vero argumento scripturistico a Paulo hic afferri putant, ac si illum aut literali sensu, uti nonnullis placet, aut saltem typico vel prophetico de iustitia fidei intelligi voluerit. Inter acath. autem modernos non desunt, qui Apostolum incusent, quod rabbinico interpretandi genere usus arbitrarium sensum ex verbis mosaicis elicuerit aut ea in alienum sensum detorserit, ut scripturisticum argumentum ex eis colligeret (cfr *Fritzsche, Mey. Reuss* etc.). Verumtamen consentientibus Graecis (cfr *Chrys. Theod. Genn. Dam. Theoph. Euth.* etc.) nonnullisque antiquioribus iunioribusque Latinis (cfr *Pel. Prim. Thom*[2]. *Est. Lap. Pic. Calm.* etc.) moderni plerique eum ex isto textu non

argumentari, verum verba illa per accommodationem quandam ad iustitiam fidei transferre censent (cfr *Reith. Mai. Beel. LR. Dr. Weinh. Ag.* etc. — *Phil. Weiss* etc.), idque ni fallor rectissime.

Ut enim praetermittamus, Paulum aliosque sacros scriptores alibi quoque interdum (cfr 15,21; 2 *Cor.* 8,15; *Hebr.* 13,5 etc.) scripturistica testimonia argumentis de quibus agunt accommodare [1], Apostolus hoc in loco praeprimis ne verbulo quidem indicat, se textum deuteronomicum argumentandi vel demonstrandi gratia afferre neque ulla ex consuetis formulis eum introducit. Contra vero quum Scripturae testimonio diserte allegato, quod pro argumento adhibuit (*v.* 5. *Moyses enim scribit*), nostra verba velut a iustitia fidei prolata opponat (*v.* 6 *iustitia ex fide autem dicit*), haud obscure insinuat, se illa pro argumento scripturistico non usurpare. Utique in *Vulg. Clem.* *v.* 8 legitur : *sed quid dicit Scriptura?* at hanc lectionem erroneam esse scioloque deberi librario, auctoritate testium criticorum satis constat (cfr *VV. LL.*). Apostolus enim hanc interrogationem inseruit, ut lectorum attentionem ad positivam descriptionis suae partem (*v.* 8) converteret, ad quam a negativa (*vv.* 6. 7.) transiturus erat, neque ullum subiectum enuntiavit, quia sua sponte ex *v.* 6 *iustitia fidei* velut subiectum suppletur. Deinde ex integro loco deuteronomico pauca tantum verba eaque parum accurate transumsit; quin etiam secundam interrogationem (*quis nobis transfretabit trans mare?*) plane mutavit vel potius ei diversam substituit (*quis descendet in abyssum?*), ut eam rei, quam significare voluit (Christi scilicet descensui ad inferos et resurrectioni a mortuis) accommodare posset. Atqui si his verbis in argumentatione vel demonstratione uti voluisset, eiusmodi mutatio illicita fuisset. Demum Moyses suis interrogationibus sine ullo dubio significat, Iudaeis Legis cognitionem, quam ex divina revelatione iam possideant, a longinquo laboriose non amplius esse quaerendam; Paulus vero explicationibus suis insertis nomini *Legis* nomen *Christi* substituit, ut novam Christi incarnationem aut resurrectionem ad iustitiam obtinendam non requiri ostendat. Iamvero neque iuxta literalis neque iuxta typicae interpretationis regulas sensus paulinus ex mosaicis verbis in suo contextu consideratis legitime potest erui; accommodationem ergo quandam admittere cogimur.

Interroganti porro, quodnam sit huius accommodationis fundamentum, *Thom.* respondet : « Inconveniens non est, si Apostolus hoc, quod Moyses dixit de mandato Legis, Christo attribuit, quia Christus

1. De Scripturarum accommodatione ab ipsis sacris scriptoribus iam adhibita cfr *Introd. gener.* in omnes libr. sacr. Ed. 2. p. 568; *Compend.* introduct. Ed. 3. p. 135; *Comment.* in epp. 2 ad Cor. et ad Gal. p. 228.

est Dei Verbum, in quo omnia sunt Dei mandata ». Quae ratio iunioribus quidem nonnullis probatur (cfr *Est. Picon. Bisp. Ag.* etc.), at neque necessaria videtur neque satis apta. Paulus ad analogiam potius respicit, quae inter Legis cognitionem et iustitiae ex fide acquisitionem eatenus intercedit, quatenus simili cum facilitate, qua Lex per Moysen promulgata cognosci potuit, nunc iustitia fidei ab Apostolis annuntiata obtinetur; atque haec similitudo fundamentum accommodationis nostrae est.

Quibus praemissis ad interpretationem ipsam transeamus.

S. Paulus igitur fidei iustitiam loquentem sibique verba deuteronomica adaptantem eo fine introducit, ut illam nunc facile obtineri ostendat. Atque primum quidem iustitia eos, qui ipsam obtineri velint, nihil extraordinarii vel potius nihil quod eorum vires superet ab eis postulari monet (*vv.* 6. 7). Sicut enim olim Iudaeis, quibus Lex divinitus iam erat promulgata, non licuit quasi desperabundis interrogare, quis in coelum ascenderet indeque Legem ipsis afferret, ita nobis quoque nunc, postquam Christus advenit suaque morte nobis iustitiam salutemque meruit, non amplius de obtinendae iustitiae difficultate vel impossibilitate conquerendum est, ac si a nobis postuletur, ut ipsi nostris viribus salvatorem, qui nos iustificet, nobis quaeramus. Interrogandum ergo nobis non iam est, quis Christum salvatorem, ut nos redimat, e coelo ad nos deducturus sit. Hunc quippe primae interrogationis paulinae (*quis ascendet in coelum?*) esse sensum explicatio addita docet (*id est Christum deducere* τοῦτ' ἔστιν Χριστὸν καταγαγεῖν). Aut enim infinitivum καταγαγεῖν pro finali cum plerisque sumere licet (« quis ascendet in coelum, scilicet [τοῦτ' ἔστιν] ad Christum [inde in terram] deducendum? »), aut idque melius, significatione ordinaria formulae τοῦτ' ἔστιν retenta, locutione secunda (*deducere Christum*) priorem (*ascendere in coelum*) explicari accuratiusque definiri dicemus (cfr ad 7,18; *Hebr.* 2,14; 7,5 etc.), ita ut Paulus suo τοῦτ' ἔστιν (*hoc est*) interrogationem *quis ascendet in coelum?* idem valere significet atque alteram : *quis de coelo nobis deducet Christum?*

Porro Christus, sicut ad nos redimendos iustitiamque pro nobis merendam iam incarnatus ac mortuus est neque proinde nova incarnatione de coelo deducendus est, ita etiam « resurrexit propter nostram iustificationem », i. e. iam resurrexit, ut iustitia per ipsum acquisita nobis annuntiaretur et applicaretur (cfr ad 4,25). Quare secundo in loco iustitia prohibet, ne de salute nostra desperantes interrogemus : *aut quis descendet in abyssum* (i. e. ad inferos, in mortuorum habitationem), *hoc est : quis Christum a mortuis reducet*

(vel iuxta communiorem constructionem : « quis descendet in abyssum ad Christum a mortuis revocandum »)? Itaque duabus his interrogationibus edocemur, duo mysteria, quibus tota nostra salus innititur quibusque alia redemtionis mysteria quasi comprehenduntur, incarnationem dico (i. e. initium humiliationis) et resurrectionem (i. e. initium exaltationis) Christi, redemtoris nostri, iam esse peracta, neque ullo modo requiri, ut nos ipsi nobis iustitiam mereamus ipsique salutis nostrae fundamenta iaciamus. Haec quippe, quae utique vires nostras superant, facta iam sunt : iustitia nobis per Filium Dei iam est acquisita nobisque annuntiatur, atque ex nostra parte id unum requiritur, ut in Christum incarnatum et a mortuis resuscitatum credamus (cfr *v.* 8 sq.).

De incarnatione ac resurrectione Christi fere omnes inde a Patrum aetate duas interrogationes interpretantur, idque iure merito, quia Apostolus se haec mysteria commemorare voluisse ipse docet (*v.* 9). Hinc etiam pauci tantum ex antiquioribus Latinis (*A*[ter] *Haym. Herv. Thom*[1]. etc.), quibus aliqui recentiores acath. adstipulantur (*Glock. God.* etc.), priorem de ascensione Christi in coelum intelligere malunt; quam explicationem velut minus aptam *Thom*[2]. communiori recte posthabuit. In altera explicanda omnes consentiunt; unde hic locus unus ex efficacissimis est ad dogma de Christi descensu ad inferos, quod protestantes hodie reiiciunt et irrident, eo sensu demonstrandum, quo ab Ecclesia semper traditum est. Evidenter enim a Paulo supponitur, Christum in cruce mortuum secundum corpus quidem in sepulcro esse depositum, secundum animam autem in abyssum, i. e. eum in locum, in quo mortuorum animae inclusae tenebantur, descendisse.

Maior autem, quam in singulorum membrorum interpretatione, dissensus est in fine declarando, ob quem haec mysteria commemorentur. Cum *Chrys.* multi tenent (licet in minoribus inter se dissentiant), interrogationibus illis omnem infidelitatem incredulitatemque removeri ac prohiberi, ne quis de incarnatione (vel ascensione) ac resurrectione dubitet (cfr *Dam. Theoph. Oec. Euth.* etc., *Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Est. Nat.* etc. *Mai., Beel. M. Ev. Bisp. Weinh.* etc.). A quibus haud longe dissentientes alii inanem curiositatem, quam *Chrys.* quoque attingit, removeri arbitrantur, quia prohibeatur, ne quis inquirat, quomodo fieri potuerit, ut Filius Dei carnem assumeret et a mortuis resurgeret (cfr *Theod.* etc., *Aq.* etc.). Verum quomodo hae interpretationes cum textu mosaico, quem iustitia sibi accommodat, et cum paulino contextu consonent, nemo facile dixerit. Quamobrem eos sequi maluimus, qui ad deuteronomica verba accuratius attendentes illis quidem demonstrari statuunt, Israelitas sine extraordinario labore ad Legem suam cognoscendam pervenire potuisse, indeque concludunt, nostro in loco ostendi, facilem et in promptu esse iustitiam, quippe quam unius Christi meritis debeamus (cfr *Tol. Iust. Picon.* etc., *Reith. LR.* etc.). Quamplurimae aliae (praesertim a modernis acath.) propo-

sitae sunt explicationes, quibus locus potius obscuratur quam illustratur; quare eas recensere operae pretium non est.

Quid vero ad salutem assequendam a nobis postulet, fidei iustitia tertiam mosaicam sententiam sibi adaptans docet. Apostolus autem, ut ad positivam hanc conditionem, sine qua salus non obtinetur, attentionem nostram convertat, iustitiae loquentis sermonem interrumpit interrogans: *sed quid dicit?* Quae interrogatio minus quidem concinna est, quoniam supra (*v.* 6), negatione transposita, scriptum esse supponit : « Fidei iustitia *non sic dicit : Dic* in corde tuo : Quis ascendet » etc. Verum haec inconcinnitas tanta non est, ut ad eam evitandam cum *Vulg. Clem.* etc. (cfr *VV. LL.*) nomen *Scripturae* velut novum subiectum supplere cogamur. Immo vero illud supplere non licet, non tantum quia iustitiae verbis verba scripturae haud apte opponerentur, sed etiam quia idem textus deuteronomicus continuatur. Quae enim de Legis mandato operibus implendo Moyses dixit, ut illud facile cognosci doceret (*prope est verbum* [sc. mandatum Legis], *in ore tuo et in corde tuo, ut facias illud*), ea Paulus, ultimis tamen verbis (*ut facias illud*), quae accommodationem impediebant, consulto suppressis, sua explicatione (*hoc est verbum fidei quod praedicamus*) ad Evangelium transfert, quod credere debemus, ut salutem consequamur, ac facile credere possumus, quia apostolica praedicatione nobis tam prope est positum, ut iam in nostra quasi potestate, in ore nostro et in corde nostro, sit. Bene *Chrys.* : « Quid illud *prope est verbum* significat? Significat illud facile esse, quia in tua mente et in tua lingua nunc salus est sita. Ad salutem inveniendam opus non est, ut longa itinera suscipias, maria traiicias, montes transcendas; etiamsi limen non transgrediaris, domi sedens illam consequi potes; namque in ore et in corde tuo causa (ἀφορμή) salutis est ».

Qua ultima sententiola Chrys. ea comprehendit, quae Paulus addit, ut *verbum fidei* seu Evangelium, quia credentibus salutem afferat, revera illud esse verbum probet, quod iustitia nobis propinquum esse proclamat : 9. *quia si confitearis* (melius : *si confessus fueris* ἐὰν ὁμολογήσῃς) *in ore tuo Dominum Iesum* (Κύριον Ἰησοῦν vel iuxta alteram lectionem : ὅτι Κύριος Ἰησοῦς cum SS. *Hil. Aug.* etc. clarius : *quod Dominus est Iesus*) *et in corde tuo credideris* (πιστεύσῃς), *quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris* (σωθήσῃ). Particulam *quia* (ὅτι) nonnulli hic pro declarativa habent (i. q. *quod*), qua argumentum verbi fidei ab Apostolis praedicati introducatur et exponatur; cum plerisque tamen eam aptius pro causali sumimus, quum Paulus potius probare videatur, se illam explicationem recte addidisse. Suo quippe *prope est ver-*

bum iustitia acquisitionem salutis nobis nunc facilem esse insinuavit, Paulus autem salutem ab iis qui verbum fidei seu Evangelium recipiunt facile obtineri ostendit, quia nihil ab iis requiratur, nisi ut mysteria evangelicae praedicationis ore profiteantur et corde credant. Alibi quidem salutem simpliciter fidei attribuere solet, scilicet uti recte hic adnotat *Thom.* « fidei formatae quae per dilectionem operatur » ac proinde eius professionem, ubi necessaria est, includit; mosaico autem textu hic adducitur, ut non tantum professionem fidei diserte nominet, sed etiam naturali ordine, quem *v.* 10 sequitur, inverso fidei internae externam eius professionem praemittat ac praeterea ex duobus mysteriis, quibus argumentum verbi fidei designavit, unum profitendum, alterum credendum dicat. At utroque omnia, quae apostolica praedicatio docet, comprehendi vix opus est adnotare. Eadem enim sunt, quae *vv.* 6. 7. iam commemoravit eodemque ordine, priore in loco incarnatio, in altero resurrectio, recensentur. Sunt quidem inter modernos acath., qui de incarnatione hic agi negent, quia Iesus non sit factus Dominus nisi resurrectione sua; sed hic error refutatione non indiget. Qui profitetur *Iesum* esse *Dominum* (Κύριον יהוה), profecto profitetur Filium Dei ad nos redimendos de coelo descendisse et carnem assumsisse. Egregie *Cai.* « duobus, inquit, nominibus integrum incarnationis mysterium significat; dicendo Dominum divinitatem, dicendo Iesum humanitatem significat ». Professio autem fidei in Iesum Dominum necessario omnia mysteria complectitur inde ab incarnatione, qua Iesus factus est Dominus, usque ad glorificationem, qua Dominum sese manifestavit; similiter fides in resurrectionem Christi fidem in incarnationem, redemtionem etc. supponit et includit. Ceterum attendatur oportet, quam clare et aperte hoc in loco error acatholicorum, quibus fides iustificans nihil est nisi fiducia quaedam, qua homo sibi peccata ob Christi meritum non imputari confidit, aperte reprobetur. Fides enim, qua Apostolus nos salutem consequi dicit, est fides viva in omnia mysteria, quae in apostolica praedicatione continentur (cfr *Salm. Lap.* etc., *Beith.* etc.).

Utramque porro, et oris professionem et fidem cordis, hominem ad aeternam beatitudinem adducere Apostolus iterum asserens naturalem fidei eiusque professionis ordinem restituit effectumque proprium utriusque accuratius definit : 10. *corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Parallelismi tantum studio eum fide ab eius professione ita distinxisse, ut priori iustitiam, alteri aeternam salutem veluti proximum finem propriumque fructum assignaret, nonnulli moderni putant; unde hanc distinctionem urgendam esse negant, siquidem sine ulla sensus varietate etiam scribere potue-

rit : « corde creditur ad salutem, ore autem confessio fit ad iustitiam » (cfr *Lap. Mai. Beel. Dr.* etc. — *de W. Oltr.* etc.). Quae minus recte dici reliqui fere omnes iure tenent (cfr *Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Tol. Est. Pic.* etc., *Reith. Bisp. Ag. L R. Sch.* etc. — *Weiss God.* etc.). Ac profecto haud sine ratione Paulus iustitiam, i. e. salutem inchoatam, quam hac in terra iam re obtinemus, a salute consummata, quam hic spe quidem certa tenemus (5,1. 2; 8,24 etc.), re autem post mortem obtinebimus, tamquam rem minorem a maiore distinguit. Atqui viva cordis fides uti necessaria ita etiam sufficiens conditio est assequendae iustitiae seu salutis inchoatae, eodemque sensu, quo iustitia ex fide esse, hic corde ad iustitiam credi dicitur, ita ut internae fidei quasi fructus quidam proprius respondeat interna gratia sanctificans. Ut autem salutem consummatam consequamur, requiritur ut fide iustificati iustitiam acceptam usque ad vitae finem sollicite et constanter conservemus. Id vero fieri nequit, nisi fidem internam etiam ore profiteamur, idque non tantum in persecutionibus, de quibus antiquiores nonnulli ad *Matth.* 10,32 et 2 *Tim.* 2,12 respicientes hic potissimum agi arbitrabantur, sed in tota vita nostra quotidiana, quatenus nimirum Dominum Iesum Christum invocare, i. e. christianae religioni per baptismum nomen dare eiusque cultum exercere debemus (cfr 1 *Cor.* 1,2; 11,26 etc.). Hac autem ratione nostrae fidei ore et opere manifestatae velut fructus quidam proprius respondebit iustitiae internae externa manifestatio, quae habebitur per aeternam gloriam.

Ne vero Iudaei hanc doctrinam, quae iustitiam salutemque, Legis operibus exclusis, unice fidei vivae in Christum fideique huius professioni attribuit, velut novam reiiciant, Apostolus eam veteri revelationi consonare ostendit. Id quidem in prima quoque epistolae parte iam fecerat, hic autem testimonia affert, quae apertius declarant, tempore messiano omnibus omnino hominibus salutem fore ex fide eiusque professione. Priore autem in loco de fide interna illum textum repetit, quem paullo ante (9,33) iam commemoravit : 11. *dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur.* Verba haec ex *Is.* 28,16 iuxta alexandrinam versionem desumta esse iam diximus. Ex prophetae autem contextu elucet, locutionem *in illum* ad lapidem pretiosum in fundamentis Sion positum sive etiam secundum Pauli superiorem interpretationem ad lapidem illum referri, qui Iudaeis incredulis factus est lapis offensionis et petra scandali, i. e. ad Christum, Verbum incarnatum. Qui ergo in Christum Dominum credit, non confundetur, quia hac fide iustificatus et cum Deo reconciliatus certam habet salutis aeternae spem, qua non frustrabitur (cfr ad 5,5).

Verum Paulus contra Iudaeos, qui Legem suam non intelligentes sibi solis iustitiam eamque ex Legis operibus promissam esse putabant, universalitatem iustitiae salutisque, quae est ex fide, potissimum urgere vult. Quamobrem non tantum in prophetae sententiam, ut eam universalem esse clarius manifestet, vocem πᾶς (*omnis*) inserit, qua alexandrina versio non minus quam textus massorethicus caret (cfr ad 9,33), sed etiam argumento, quo supra (3,29 sq.) iam usus est, repetito salutem omnibus credentibus sine distinctione conferri confirmat : 12. *non enim est distinctio Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum.* Aliquantulum tamen superiorem suam argumentationem mutat. Ibi enim omnium, quum Iudaeorum tum gentium seu Graecorum, eundem esse *Deum* monet, qui quum ratione creationis omnium hominum eodem modo teneat dominium, omnium quoque eandem curam habet ideoque iustitiae gratiam et circumcisis et praeputiatis largitur, dummodo credant (3,30). Hic autem nomine *Domini* non tam Deum creatorem designat, licet multi id arbitrentur (cfr *Theod. Haym. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Tol. Est. Pic.* etc., *M Ev. Ag.* etc.), quam *Christum* redemtorem, quem secundum divinam et secundum humanam naturam omnis lingua profiteri debet *Dominum omnium* (*Act.* 10,36; *Phil.* 2,11 etc.). Hanc enim interpretationem, utpote solam contextui conformem, in quo de fide in Christum et de Christi invocatione agitur, cum Graecis fere omnibus (cfr *Orig. Chrys. Dam. Theoph. Oec. Euth.*) nonnullisque antiquioribus Latinis (*A*[ter] *Sed.*) recte tenent aliqui iuniores (*Iust. Nat.* etc.) et multi moderni (*Reith. Mai. Beel. Bisp. L R. Sch.* etc.). Christus enim pro omnibus moriens non tantum parietem intermedium, qui Iudaeos et gentiles eousque separaverat, solvit et utrosque pariter sibi subiecit (*Eph.* 2,13 sqq.), sed ingentem quoque meritorum thesaurum pro omnibus acquisivit; nunc autem omni potestate in coelo et in terra donatus (*Matth.* 28,18) paratus est investigabiles gratiarum suarum divitias (*Eph.* 3,8) in omnes effundere, quorum Dominus est, dummodo illi sua ex parte conditionem requisitam impleant, i. e. ipsum invocent, corde scilicet in ipsum credant fidemque suam in ipsum ore et opere profiteantur.

Quam conditionem requiri et sufficere altero testimonio scripturistico probat, quod omnibus Christum invocantibus simili modo salutem promittit, sicut prius (*v.* 11) omnibus credentibus in Christum iustitiam promittit : 13. *omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Ultima haec sunt verba illius vaticinii *Ioelis* 2,28-32 (3,1-5), quod totum S. Petrus in prima sua concione iam attulit (*Act.* 2,17-21); iuxta alexandrinam iterum versionem allegantur, quae primigenium textum hic accurate reddit. Dubium non est, quin va-

ticinium hoc sit directe messianicum (cfr *Knabenbauer* Comm. in proph. min. I. p. 232 sqq.); quare suo iure Paulus nomine *Domini* (יהוה), cuius invocatio omnibus sine distinctione (*omnis, quicumque* πᾶς ὃς ἄν) salutem afferet, Christum Dominum, Verbum incarnatum, designatum videt (cfr 9,33).

Itaque Scripturarum testimoniis constat, tempore messiano fidem in Christum vivam eiusque professionem omnibus hominibus esse unicam adipiscendae iustitiae salutisque viam. Suam ergo Legem non intelligebant Iudaei, qui etiam post Christi adventum fictitiam quandam operum iustitiam, quae ipsis solis esset destinata, statuere quaerebant; neque enim videbant Legis suae finem esse Christum, qui omnes in ipsum credentes ipsumque invocantes iustificat et salvat.

3. — *Ignorantia Iudaeorum incredulorum culpabilis est* (10,14-21).

10,14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* 15. *Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* 16. *Sed non omnes obediunt evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro?* 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* 18. *Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* 19. *Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam.* 20. *Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quaerentibus me : palam apparui iis qui me non interrogabant.* 21. *Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.*

10,14. Πῶς οὖν ἐπικαλέσωνται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσωσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσωσιν χωρὶς κηρύσσοντος; 15. πῶς δὲ κηρύξωσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσιν; καθάπερ γέγραπται· Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά. 16. ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ. Ἠσαΐας γὰρ λέγει· Κύριε, τίς ἐπίστευσεν τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; 17. ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Χριστοῦ. 18. ἀλλὰ λέγω, μὴ οὐκ ἤκουσαν; μενοῦν γε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. 19. ἀλλὰ λέγω, μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; πρῶτος Μωϋσῆς λέγει· Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπ' ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς. 20. Ἠσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει· Εὑρέθην ἐν τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην ἐν τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν. 21. πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει· Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα[1].

1. *VV. LL.* — 14. ἐπικαλέσωνται (invocent) B ℵ A D E F G, pauci minusc.; sed *textus rec.* : ἐπικαλέσονται (*invocabunt*) cum K L P, plerisque minusc. et PP. Eadem lectionis incertitudo in sequentibus interrogationibus habetur, in quibus alii codd. cum B coniunctivum deliberativum (πιστεύσωσιν, ἀκούσωσιν, κηρύξωσιν), alii cum text. rec. futurum (πιστεύσουσιν, ἀκούσουσιν vel ἀκούσονται, κηρύξουσιν) exhibent, sine ulla tamen

Iudaeos incredulos ob suam ignorantiam, quia veram salutis viam non cognoscerent, in lapidem offensionis impegisse, Apostolus in praecedente pericope (1,13) explanavit; hanc autem eorum ignorantiam voluntariam et culpabilem esse nunc addit, ut eos exclusionem a salute regni messiani sibi ipsis debere demonstret. Argumentatio eius haec est : Ut aliquis per fidem invocationemque Christi salvari possit, una quidem ex parte annuntiatio Evangelii legitima requiritur (14. 15); quia autem haec annuntiatio neminem ad fidem cogit, altera ex parte obedientia libera praedicationi praestetur oportet (16.17). Iam vero legitimam Evangelii annuntiationem Iudaeis non defuisse evidens est (*v.* 18); neque sese excusare possunt, quod eam non intellexerint, quoniam ipsos ethnicos eam intellecturos esse, a Moyse iam est insinuatum et ab Isaia aperte praedictum (19.20). Unica ergo causa, cur salutis viam non inierint, est eorum inobedientia et contumacia, id quod propheta iam praedixerat (*v.* 21); Deus sua ex parte omnia praestitit, Iudaei autem voluntati Dei sese noluerunt subiicere (*v.* 3).

Novam pericopen cum praecedente Paulus pro more arcte connectit; ex eo enim, quod cum propheta invocationem Christi ad obtinendam salutem necessariam esse dixit (v. 13), occasionem arripit exponendi, quid haec invocatio, ut ad salutem adducat, ex parte Dei (14. 15.) et ex parte hominis (16. 17) postulet. Atque ex Dei quidem parte requiri, ut Evangelium per legatos legitimos, i. e. divina cum auctoritate missos, annuntietur, quatuor vividis interrogationibus ad soritae modum

sensus varietate (similiter ac 6,1. 2. 15 etc.). — Pro καθάπερ (*sicut*), quod solus B habet, cum reliquis testibus melius legi videtur καθώς. — τῶν εὐαγγελιζομένων (τὰ) ἀγαθά (evangelizantium bona), non praemisso altero membro (τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην evangelizantium pacem) B ℵ A C, pauci minusc., aliqui PP. gr. (*Clem Alex. Orig. Mopsu.* etc.) *Memph. Sahid. Aeth.*; quam lectionem moderni critici (*Lachm. Tisch. Treg. WH.*) praeferunt. Attamen alterum illud membrum *textus rec.* praemittit cum D E F G K L P, plerisque minusc. et PP. gr., *It. Vulg. Syr. Arm. Goth.*, idque ut videtur rectius, quia ob homoioteleuton facile unum membrum omitti potuit, difficilius autem explicatur, cur a tot testibus unum membrum sit additum. — 17. διὰ ῥήματος Χριστοῦ (*per verbum Christi*) B ℵ C D E, pauci minusc., *It. Vulg. Memph. Sah. Goth. Arm. Aeth.*; minus apte *textus rec.* : διὰ ῥήματος Θεοῦ (per verbum *Dei*) cum A K L P, plerisque minusc. et PP. gr., *Syr.* — 20. ἀποτολμᾷ καὶ λέγει (*audet et dicit*) est communis lectio a qua soli Graecolat. (D E F G) recedentes verba ἀποτολμᾷ καὶ (audet et) omittunt. — εὑρέθην ἐν τοῖς... ἐμφανὴς ἐγενόμην ἐν τοῖς (inventus sum *inter* eos, qui..., palam apparui *inter* eos, qui...) B D F G, *It.* (*A^ter Orig. interpr.* etc.) *Copt. Goth.*; melius tamen utroque in loco praepositio ἐν omitti videtur cum ℵ A C K E L P, omnibus minusc. Meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Demid. Harl. Tol.*) nullam omnino habent praepositionem; *Vulg. Clem.* autem cum iunioribus codd., ut faciliorem redderet lectionem, praepositionem (*a*) in priore membro supplevit.

dispositis ex asserta invocationis necessitate derivat ac prophetico testimonio (*Is.* 52,7) confirmat: 14. *quomodo igitur* (πῶς οὖν scilicet quum a Christi invocatione salus pendeat) *invocabunt, in quem non crediderunt* (εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν)? *aut quomodo* (lege: *quomodo autem* πῶς δέ) *credent ei quem non audierunt* (vel potius: *credent in eum, de quo non audierunt* πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν)? *quomodo autem* (πῶς δέ) *audient sine praedicante* (χωρὶς κηρύσσοντος)? 15. *quomodo vero* (aptius: *quomodo autem* πῶς δέ) *praedicabunt, nisi mittantur* (vel potius: *nisi missi sint* ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσιν)? *sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Quae argumentatio, rhetorico ornatu detracto, accuratiore hac soritae forma recte proponi videtur: « Nemo Christum invocare potest, nisi in eum credit; atqui nemo in eum credere potest, nisi de eo audivit; atqui nemo de eo audiri potest, nisi adsit qui eum annuntiet; atqui nemo eum annuntiare potest, nisi legitime est missus; ergo Deum praecones Evangelii mittere oportuit, quemadmodum eum facturum esse per Isaiam iam est annuntiatum ».

Primum soritae membrum manifestum est; illa quippe sola oris professio, quae cum cordis fide consonat et ab ea procedit, est ad salutem (*v.* 9); Christus igitur salutariter ab eis solis invocatur, qui in eum crediderunt creduntque (ἐπίστευσαν) tamquam in Filium Dei incarnatum, qui salutem nobis meruit et confert. Subiectum verborum huius membri (ἐπικαλέσονται, ἐπίστευσαν[1]), uti etiam duorum sequentium (πιστεύσουσιν, ἤκουσαν, ἀκούσονται), neque ad Iudaeos (cfr *Chrys. Theod.* etc.) neque ad solos ethnicos (cfr *Est. Iust.* etc.) restringere licet; indeterminatum potius est et ad utrosque eodem modo recte refertur; namque de Iudaeis solis Apostolus non nisi *v.* 16 agere incipit, postquam totius suae argumentationis solidum antea fundamentum posuit. Secundi membri graecus textus anceps est, neque quidquam impedit, quominus eum, si ad sola vocabula attendimus, cum *Vulg.* vertamus: « quomodo credent *ei, quem* non audierunt? » Attamen contextus huic interpretationi obstat; etenim ex primo membro (εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν *in quem* non crediderunt) de Christo hic non agi elucet, quatenus revelationis est auctor, *cui* fides sit habenda, sed quatenus est revelationis obiectum,

1. Aoristus I. aliquoties ingressui in eum statum, quem praesens verbi significat, exprimendo inservit (*aor. ingress.* cfr *Koch* Griech. Grammat. Ed. 13. 1883 p. 216): ex. gr. ἐβασίλευσα *regnavi*, sed etiam *regnum adeptus sum* (ita ut nunc illud teneam cfr 1 *Cor.* 4,8), ἐπτώχευσα, ἐπλούτησα *pauper fui, dives fui*, sed etiam *mendicus, dives factus sum* (ita ut nunc mendicus, dives sim cfr ad 2 *Cor.* 8,9 p. 221) etc. Huc etiam pertinet ἐπίστευσα *credidi* (i. e. fidem habui) et *fidem recepi* (ita ut nunc credam cfr 1 *Cor.* 3,5; 15, 2 etc.).

quod vel *in quod* credi oporteat; neque enim sine paralogismo Apostolus ab una notione ad alteram transiisset. Similiter ex tertio membro manifeste apparet, Christum hic non considerari velut praeconem, *qui* ipse vel cuius praedicatio audiri debeat, sed velut obiectum, *de quo* aliquid audiri, i. e. qui quis sit ex praedicatione cognosci debeat, ut in eum credi possit[1]; incognitum enim credi nequit. Quapropter secundum membrum vertatur necesse est : *quomodo autem credent* in eum, *de quo non audierunt?*

Cui aptissime nunc tertium subnectitur, quo legitimus praeco, qui Christum annuntiet, requiri asseritur : *quomodo autem audient sine praedicante* (χωρὶς κηρύσσοντος)? Ad quae duo adnotanda sunt. Ante omnia enim caveatur oportet, ne Apostoli verba nimis urgeamus latiusque quam par est extendamus. De via enim ordinaria loquitur, qua iuxta praesentem providentiae ordinem homines ad fidem veniunt et Evangelium propagari debet; neque vero negat, Deum alia quoque via aliquos ad fidem adducere posse, id quod ipse in itinere damasceno expertus est. Egregie *S. Aug.* (de dono persev. 19,48) « paucissimis monet donatum esse, ut nullo homine sibi praedicante per ipsum Deum vel per angelos coelorum doctrinam salutis accipiant, multis vero esse donatum, ut Deo per homines credant » (cfr *Cai. Tol. Est. Nat.* etc.). Deinde animadvertatur, non omnem annuntiationem fidem mereri neque omnem hominem, qui sese nobis revelationem afferre perhibet, esse auscultandum; sunt enim et pseudoprophetae ac pseudapostoli, operarii subdoli, qui docent quae non oportet (2 *Cor.* 11,13; *Tit.* 1,11 etc.). Fides obedientia quaedam est, qua intellectum nostrum divinae revelationi auditae liberi subiicimus (*v.* 16; cfr ad 1,5 p. 46 sq.); quemadmodum ergo iubenti, de cuius legitima auctoritate nobis non constat, obedientiam praestare non tenemur, ita revelationem quoque auditam recipere non tenemur, nisi per legitimum praeconem nobis est annuntiata. Id Paulus iam insinuat, quum verbo κηρύσσειν utatur, « quod semper notionem sollemnitatis, gravitatis auctoritatisque, cui attendendum et obsequendum sit, coniunctam habet »

1. Quoniam ἀκούειν τινός iuxta consuetum loquendi usum significat *audire aliquem loquentem*, etiam moderni nonnulli nostrum οὗ οὐκ ἤκουσαν cum *Vulg.* interpretantur : « *quem* non audierunt ». Quae versio omnino retinenda esset, si contextui congrueret; attamen animadvertatur oportet, ἀκούειν τινός proprie esse « alicuius *vocem* audire », Apostolum autem de Christi *voce* audienda aut de Christi ipsius loquentis auditione non loqui. Quare cum plerisque vertendum esse censemus : « *de quo* non audierunt », licet apud poetas graecos tantum, maxime apud Homerum, ἀκούειν τινός valeat i. q. *de aliquo audire* (cfr Odyss. 1,289; 4,114. 728; 11,458 etc.); sed aliae quoque dictiones poeticae in hellenistica dialecto usurpantur. Quod moderni nonnulli arbitrantur, relativum οὗ hic esse adverbium locale (*ubi* non audierunt) indirecteque significari, Christum ubique annuntiandum esse et annuntiatum iri, id nobis non probatur, quia cum autoris scopo non consonat.

(*Grimm* Lexic. p. 241); unde κηρύσσειν est i. q. « publice ac legitime seu cum auctoritate annuntiare » et a synonymo ἀγγέλλειν eiusque compositis in eo maxime differt, quod semper obedientiam postulet (cfr *Cremer* Wörterb. p. 483 sq.).

Clarius autem Apostolus id quarto membro docet, quo quid requiratur describit, ut aliquis Evangelium praedicare possit atque κήρυξ καὶ ἀπόστολος (*praedicator et apostolus* cfr 1 *Tim.* 2,7; 2 *Tim.* 1,11) appellari mereatur : *quomodo autem praedicabunt* (κηρύσσουσιν), *nisi missi sint* (ἀποσταλῶσιν)? Quae in verba bene *Cai.* : « Praedicare quae Dei divinique consilii sunt, nullus recte attentat nisi missus a Deo, sicut nullus, nisi missus a rege, absque temeritate consilia regis [pro auctoritate] annuntiare potest ». In verbo ἀποστέλλειν autem, quo Dominus suam ipsius missionem a Patre (*Matth.* 10,40; 15,24; *Marc.* 9,36; *Luc.* 4,43; 10,16; *Ioan.* 3,17; 5,36. 38; 6,29. 57 etc.) et sacri scriptores haud minus frequenter discipulorum Christi legationem ad Evangelium annuntiandum significant (*Matth.* 10,5. 16; *Marc.* 3,14; 6,7; *Luc.* 9,2; 10,1 etc.), non tantum allusio ad apostolorum nomen munusque habetur, sed etiam indicatio auctoritatis, qua legati divinitus instruuntur. Utrum vero in sententiola *nisi missi sunt* cum nonnullis suppleamus : *a Christo* (cfr *A*[ier] *Phot.* etc.) an cum reliquis : *a Deo*, nihil plane interest, sicuti nihil interesse monuimus, utrum Paulum « gratiam et apostolatum » per Christum velut mediatorem et causam meritoriam, an per Christum velut auctorem et causam primariam accepisse dicamus (cfr ad 1,5 p. 45 sq.). Utrumque enim recte dicitur atque hoc in loco Paulus id unum intendit docere, doctrinam de Christo, quam credere debemus, ut eum salutariter invocare possimus, non per quemlibet, sed per solos legitimos legatos esse annuntiandam, qui a Deo iussi sunt praedicare populo et testificari, quod Christus est a Patre constitutus iudex vivorum ac mortuorum (*Act.* 10,42), et qui missionem suam divinam vel immediatam (uti primi Apostoli) aut mediatam (uti eorum successores) probare possunt. Quodsi totam hanc argumentationem pro universali, uti decet, sumimus, iure ex ea derivamus, in Ecclesia semper adfuturum esse magisterium, quod divinitus institutum doctrinam christianam conservet divinaque cum auctoritate hominibus proponat, ut fide eam recipientes ad salutem promissam adducantur (cfr *Matth.* 28,19 etc.).

Eiusmodi demum apostolatum, qui legitima Evangelii praedicatione efficiat, ut homines Christum salutariter invocare possint, antiquitus iam esse a Deo promissum, suam igitur argumentationem cum Veteris Test. revelatione consonare (*sicut scriptum est*), Paulus verbis prophetae (*Is.* 52,7) declarat, qui divinos legatos quasi iam advenientes spectans

exclamavit : *quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Quoniam Alexandrini hanc sententiam parum recte transtulerunt[1], eam ex primigenio textu transumit, satis tamen libere. Hac enim fere ratione hebraicus textus reddendus est : « Quam pulchri sunt in montibus pedes annuntiantis, praedicantis pacem (שָׁלוֹם), annuntiantis bonum (טוֹב), praedicantis salutem (יְשׁוּעָה), dicentis ad Sion : Regnat Deus tuus ». Locutionem igitur *in montibus*, utpote quae dumtaxat accuratiori descriptioni inserviat, Paulus velut superfluam praetermisit; pro singulari (*annuntiantis* etc.), qui etiam in prophetae contextu collectivam habet significationem, maioris claritatis causa pluralem posuit (*evangelizantium*); ex quatuor demum membris, quibus annuntiationis argumentum exponitur, duo priora sola retinuit, at hebraicum טוֹב graeco τὰ ἀγαθὰ (cum articulo) reddens omnia bona, quae Christus attulit eiusque legati annuntiant, aptissime complexus est.

Propheta quidem proxime legatorum, qui regni babylonici interitum Iudaeorumque reditum ex exsilio annuntiaturi accurrunt, *pedes* pulchros seu *speciosos*, i. e. eorum adventum laetum iucundumque, esse dicit; Apostolus tamen eius verba ad divinos legatos Evangelium praedicantes transfert, idque iure merito. Neque enim tantum solutio captivitatis babylonicae typus est redemtionis messianae, ita ut prophetae exclamationem typice de evangelicis nuntiis intelligere liceat, sed etiam iuxta ipsum prophetam restitutio Sionis ac reipublicae iudaicae cum salute messiana intime est connexa et regni messianici quasi initium est; unde verbis prophetae etiam literali sensu praedicatio Evangelii describi haud inepte dicitur. Bona enim, quae per legatos illos annuntiatum iri propheta praedicit, ad messianum regnum proprie pertinent neque nisi per Messiam afferenda erant (cfr *Knabenbauer* Comment. in Isaiam II. p. 282). Quamobrem mirum non est, quod ipsi quoque rabbini iuniores hunc locum isaianum de tempore messiano

1. Alexandrini procul dubio aliam lectionem in suis codicibus habuerunt et, quum pro verbo נָאווּ (pulchri sunt) substantivum quoddam (forte נָאוֹת i. q. venustas) legerent, nostram sententiam cum praecedente in unam hac ratione contraxerunt : διὰ τοῦτο γνώσεται ὁ λαός μου τὸ ὄνομά μου ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ὅτι ἐγώ εἰμι αὐτὸς ὁ λαλῶν, πάρειμι ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά, ὅτι ἀκουστὴν ποιήσω τὴν σωτηρίαν σου λέγων Σιών· Βασιλεύσει σου ὁ Θεός (« ideo sciet populus meus nomen meum in die illa, quod ego ipse sum qui loquor : *adsum sicut ver* [vel pulchritudo] in montibus, sicut pedes evangelizantis auditum pacis, sicut evangelizans bona, quia auditam faciam salutem tuam dicens Sioni : Regnabit Deus tuus »). Antiquus tamen interpres latinus, uti ex *S. Hier.* (Comm. in Is. 52,7) elucere videtur, nostram sententiam a praecedente separavit graecumque textum hoc modo vertit : « *sicut* hora (ὥρα hic i. q. pulchritudo) in montibus, *sic* pedes evangelizantis auditum pacis, evangelizantis bona, quia auditam faciam salutem meam dicens Sion : Regnabit Deus tuus ».

interpretati sint (cfr *Wetstein* i. h. l., qui varia testimonia ex Midraschim collegit).

Iansenisticis suis praeiudiciis seductus *Est.* ad duas intermedias interrogationes (*quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?*) haec adnotat : « Satis ostendunt hae duae interrogationes, sicut et eis respondentes duae propositiones paullo inferius positae (*v.* 17. *fides ex auditu, auditus autem per verbum* Dei), non omnibus hominibus dari sufficiens auxilium ad salutem, uti quidam putant. Constat enim plurimos esse atque etiam multo plures olim fuisse, praesertim ante adventum Christi, quibus de fide ad salutem necessaria nihil est praedicatum; quos proinde sufficiens auxilium habuisse, quo salvi fierent, dici non potest, quum Apostolo teste credere nequeant homines, nisi praedicantem ea, quae credenda sunt, audierint ». At doctissimus vir notissimam illam distinctionem inter auxilia proxime sufficientia et remote sufficientia ignorasse aut oblivioni dedisse videtur; eam tamen satis clare iam indicavit *Thom.* (ad *v.* 18), ubi de iis loquens, quibus Evangelium nondum est praedicatum, addit : « Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset mittendo eis praedicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio (*Act.* 10) et Paulum Macedonibus (*Act.* 16); sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum ». Similiter alibi (de verit. qu. 14. a. 11 ad 1) loquitur : « Si quis nutritus in silvis vel inter bruta animalia ductum rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem [extraordinaria ergo via] revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret [ut ordinaria via ad fidem perveniret], sicut misit Petrum ad Cornelium ». Ceterum de hac quaestione, uti etiam de vi ac sensu axiomatis, quo *Thom.* nititur (« facienti quod in se est Deus non denegat gratiam ») cfr theol. dogm.

Itaque ut homines Christum salutariter invocare possint, ex parte Dei requiritur, ut legatos mittat, qui Evangelium annuntient, sicut se id facturum esse per Isaiam praedixit. Verum missio legatorum ac praedicatio sola non sufficit neque iuvat, nisi sua ex parte homines cum gratia cooperantes Evangelium sibi per divinos legatos praedicatum fide recipiant; id Apostolus docet pergens : 16. *sed non omnes obediunt* (legatur oportet cum *Amiat.* etc. : *obedierunt* ὑπήκουσαν) *Evangelio; Isaias enim* (γάρ) *dicit : Domine, quis credidit auditui nostro* (τῇ ἀκοῇ ἡμῶν i. e. praedicationi nostrae)? Cum *Chrys.* haud pauci alium nexum statuunt atque prius membrum pro obiectione habent, qua Iudaei Apostolos, quia plerique praedicationem eorum non receperint, legitimos non esse Dei legatos probare voluerint, quamque Paulus altero membro refutet prophetae verbis monens, divinos lega-

tos saepe non invenire fidem (cfr *Mopsu. Theod. Phot. Theoph.* etc., *Tol. Iust. Lap. Nat. Pic.* etc., *MEv. Ag.* etc.). Attamen huic explicationi ipsa duorum membrorum connexio grammatica obstat, quandoquidem obiectionis refutatio per particulam causalem (γάρ *enim*) introduci non solet. Neque ulla est ratio, cur argumentationem nova obiectione interrumpi dicamus et a nexu indicato, quem antiquiores Latini (cfr *Thom.* etc.) et moderni fere omnes (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp. LR. Weinh.* etc.) sequuntur, recedamus. Aptissime quippe nostrae sententiae prius membrum ultimo praecedentis sententiae per particulam ἀλλά opponitur: Isaias Evangelii praecones advenientes iam viderat eorumque adventum laetum celebraverat; sperare igitur licuit, omnes praedicationem eorum esse recepturos; *sed* eheu! *non omnes Evangelio obediverunt.*

Locutione *non omnes* hic per litoten, uti Graeci recte adnotant, admodum paucos hucusque fuisse significat, qui divinos legatos ad se missos audierint Evangelioque sibi legitime annuntiato libera fide sese subiecerint (de expressione *non obedierunt Evangelio* cfr ad 1,5 p. 46). Neque tamen universe paucos esse credentes asserit, sed de Iudaeorum solorum credentium paucitate eum loqui ex Isaiae testimonio elucet, quod iterum accurate iuxta alexandrinam versionem (addita quoque compellatione Κύριε *Domine*, qua caret textus primigenius) eo consilio allegat, ut assertum suum non tam probet aut confirmet quam explicet veterique revelationi consonare ostendat (γάρ explicativ. i. q. *videlicet*). Dubium enim non est, quin propheta futuram Messiae passionem mortemque annuntiaturus in oppositione ad gentiles regesque, quos versiculo immediate antecedente (52,13) « servum Dei », i. e. Messiam, pro nobis patientem nosque morte sua redimentem venerari dixit, sua conquestione (*quis credidit?* i. e. nemo, vel potius : vix quisquam credidit cfr 8,33 sqq.; 9,19 etc.) « raritatem credentium significet *ex Iudaeis* » (cfr *S. Hier.* Comm. in Is. 53,1 cum plerisque). Praeiudiciis quippe suis occaecati Iudaei in Iesu humili ac despecto, quamvis multis signis coram eis missionem divinitatemque suam probasset, Messiam sibi promissum agnoscere noluerunt; lapidem igitur pretiosum eis fore lapidem offensionis ac petram scandali (cfr supra 9,32 sq.) Isaias praevidit atque verbis a Paulo allegatis praedixit; ea autem in Iudaeis adimpleta esse *Ioan.* 12,37. 38 quoque testatur. Porro haud male quidem *Orig.* adnotat : « Videtur Isaias haec ex persona Apostolorum prophetare, quibus creditum erat praedicationis officium; et ipsi, quum raritatem credentium praecipue de Iudaeis viderunt, dicunt ad Dominum : *Quis credidit auditui nostro?* » (cfr etiam *S. Iust.* c. Tryph. 42 etc.). Iuxta eum igitur *auditus noster* (ἡ ἀκοὴ ἡμῶν) idem est

quod « praedicatio, quae a nobis (Apostolis) habetur ». Verum alii rectius, ni fallor, quia prophetae ipsius contextui congruentius, Isaiam suo ac populi israelitici nomine haec verba proferre censent, ut *auditus noster* sit « praedicatio quae ad nos (Iudaeos) habetur ». Utraque explicatio per se apta est, atque id unum teneatur oportet, nomen ἡ ἀκοή (*auditus*), quum hebraico שְׁמוּעָה respondeat, significare *id quod auditur;* unde apte hic redditur *praedicatio,* sicuti alibi *rumor* (*Marc.* 1,28) aut *fama* (*Matth.* 14,1) vel minus clare *opinio* (*Matth.* 4,24; 24,6; *Marc.* 13,7) a Vulgatae interprete vertitur (De isaiano textu cfr *Knabenbauer* Comm. in Isaiam II. p. 295 sqq.).

Iamvero eadem significatio voci ἀκοή (*auditus*) attribuenda est etiam in sequente sententia, quum Apostolus ex prophetae effato id colligat, quod interrogationibus suis iam indicavit (*v.* 14. 15), fidem oriri ex praedicatione legatorum, qui legitime missi sint : 17. *ergo fides ex auditu* (ἐξ ἀκοῆς ex praedicatione), *auditus autem* (ἡ δὲ ἀκοή praedicatio autem est) *per verbum Christi* (διὰ ῥήματος Χριστοῦ) i. e. per mandatum Christi Apostolos suos mittentis. Haud pauci utique cum *Chrys.* in hac sententia *auditum* idem esse volunt quod *auditionem* (fides oritur ab audiendo) atque *verbum Christi* idem quod *praedicationem de Christo,* ita ut Paulus id repetat, quod supra (*v.* 14) secunda et tertia interrogationibus suis expressit, neminem credere posse Evangelio, nisi illud audierit, neque quemquam illud posse audire, nisi adsit qui illud praedicet (cfr *Cai. Tol. Est. Lap. Pic.* etc., *Reith. Mai. MEv. Bisp.* etc.). Duobus autem incommodis haec explicatio laborat. Imprimis enim voci *auditus* aliam significationem tribuit, quam apud prophetam habet, quamvis ex eius verbis sententia haec velut conclusio derivetur. Deinde ῥῆμα Χριστοῦ licet significare possit doctrinam, quae Christum habet auctorem (cfr *Eph.* 6,17 ῥῆμα Θεοῦ, 1 *Petr.* 1,25, ῥῆμα Κυρίου), nusquam est idem quod κήρυγμα Χριστοῦ *praedicatio de Christo* (16,25); si autem hunc sensum locutioni attribuere voluisset, Paulus procul dubio non dixisset ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Χριστοῦ, sed ἐκ ῥήματος Χρ., sicut dixit : ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς. Omnino igitur ῥῆμα hic sensu *mandati* sumatur oportet (cfr *Luc.* 3,2; 5,5 etc.; *Matth.* 4,4 etc.), atque secundo hoc membro addito docetur, fidem non nisi ex *legitima* Evangelii praedicatione oriri. Si quis vero interrogat, quomodo ex querela prophetae *Quis credidit auditui nostro?* duplex haec conclusio derivetur, respondemus iuxta illam eos, quibus Evangelium praedicatum est, non tantum credere potuisse, id quod non potuissent, si praedicatio non esset facta (*ergo fides ex praedicatione*), sed etiam credere debuissse, id quod opus non fuisset, si praedicatio non esset facta per legatos legitime missos. Quare alterum quoque membrum (*praedicatio*

autem per mandatum Christi) rite ex Isaiae effato deducitur, neque opus est, ut cum nonnullis dicamus, Apostolum illud ex *v.* 15 collegisse.

Propheticis testimoniis (15. 16) satis clare quidem insinuatum iam est, Deum Iudaeis non defuisse sed praecones Evangelii eis misisse, ut in Christum credere eumque salutariter invocare possent, sua ipsorum ergo culpa eos a regni messiani benedictionibus esse exclusos. Clarius autem in sequentibus omnes eorum excusationes Apostolus praeoccupat primo in loco monens annuntiationem Evangelii eis revera factam esse, ita ut illud audire potuerint : 18. *sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem* (melius : *immo vero* μενοῦν γε) *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Dubitationem, num Evangelium ad eos sit perlatum (*numquid non audierunt?*), quam sibi ipse obiicit (*sed dico*), magna cum vi repellit (de significatione particulae, μενοῦν γε cfr ad 9,20) universalem eius propagationem iisdem verbis asserens, quibus olim Psalmista coelos maiestatem Dei creatoris omni mundo annuntiare dixit (*Ps.* 18 [19], 5). Argumentum autem eius est a fortiore, uti recte *Chrys.* monet : « Quid dicis : non audierunt? Orbis et fines terrae audierunt, et vos, ex quorum medio praecones prodierunt et inter quos tanto tempore commorati sunt, non audistis? Quomodo id fieri potuit? Quodsi termini terrae audierunt, multo magis vos ».

Parum recte vero *Chrys.*, non hoc quidem in loco interpretando sed in exponendo Domini vaticinio (*Matth.* 24,14; in Matth. hom. 75 al. 76,2), ex his verbis concludit, iam ante destructionem urbis Ierusalem Evangelium in omnibus terrae partibus praedicatum esse; iure enim *S. Aug.* (ad Hesych. ep. 199 n. 49) monet : « Quo pacto praedicatio ista ab Apostolis est completa, quando adhuc usque sunt gentes — *quod certissimum est nobis* — in quibus modo coepit et in quibus nondum coepit impleri[1]? » Verum *S. Aug.* quoque (l. c. n. 50) errat, si nonnullis iunioribus approbantibus (cfr *Herv. Lomb. Tol. Lap.* etc.) censet, Paulum « quamvis locutus sit praeteriti temporis verbis, tamen quod futurum erat dixisse, non quod iam factum erat atque completum »; Iudaeos enim infidelitatem suam ex eo, quod Evangelium sibi nondum esset praedicatum, excusantes Apostolus profecto non potuit refutare praedicens futurum esse, ut Evangelium aliquando in toto mundo praedicaretur (cfr *Thom.*). Restat igitur, ut cum *Iust.* aliisque eum hyperbolice, uti alibi interdum (cfr 1,8; *Col.* 1,6.23; 1 *Tess.* 1,8 etc.), loqui dicamus;

1. Media quasi via inter *Chrys.* et *Aug.* sententias incedere conatur *Thom.* cum nonnullis, quum non ipsam quidem apostolicam praedicationem, eius tamen famam quandam ad omnes gentes tempore apostolico iam allatam esse dicat; sed hanc quoque sententiam nemo hodie erroneam non habet.

Evangelium usque ad terminos orbis terrarum propagatum esse asserens significat, illud tam longe lateque iam ultra Palaestinae fines praedicari inter gentes, ut Iudaeorum excusatio, quod illud non audierint, pro absurda non haberi non possit.

Sicuti diximus, verba quibus utitur ex *Ps.* 18,5 desumsit (iuxta textum alexandrinum, qui sensu cum primigenio consonat), in cuius carminis prima parte (*v.* 1-7) sacer poeta magnifice describit, quomodo coeli factoris sui omnipotentiam per totum orbem annuntient, in secunda (8-12) autem Legis laudibus enumeratis Deum legislatorem celebrat, ac demum in tertia (13-16) omnium delictorum veniam rogat, ut Deum creatorem ac legislatorem digne laudare possit. Quo ex carminis argumento clare apparet, verba ab Apostolo usurpata, quae in prima parte leguntur, literali sensu de Evangelii annuntiatione non esse intelligenda. Nullo autem pacto duplicem primae partis sensum literalem cum *Tol.* aliisque admittere licet[1]; neque sufficiens adest ratio, cur cum aliis antiquioribus iunioribusque Davidem typico vel potius uti aiunt « mystico et prophetico » sensu, quem maxime S. Spiritus intendisset, coelorum nomine praecones Evangelii significasse concedamus. S. Paulus ne verbulo quidem indicat, se Scripturae testimonium allegare, neque quidquam obstat, quominus cum cunctis fere modernis statuamus, eum simili modo, quo *supra* (*v.* 6 sqq.) verba Moysis, hic verba Davidis ad suum argumentum accommodasse ac psalmistae verbis sua ipsius cogitata expressisse.

Haud dissimili deinde argumentationis genere, sed disertis Moysis et Isaiae testimoniis nixus alteram dubitationem reiicit, num forte Iudaei Evangelium, quod audiverunt, non intellexerint. Gentes illud intellexerunt, ergo Iudaei a fortiore illud intelligere potuerunt atque immerito intelligentiae defectum velut infidelitatis suae excusationem praetendunt : 19. *sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad aemulationem vos adducam* (παραζηλώσω ὑμᾶς) *in non gentem* (melius : *in non gente* s. per non gentem ἐπ' οὐκ ἔθνει); *in gentem insipientem* (ἐπ' ἔθνει ἀσυνέτῳ in gente insipiente s. per gentem insipientem) *in iram vos mittam* (παροργιῶ ὑμᾶς) ; 20. *Isaias autem audet et dicit : Inventus sum (a) non quaerentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.* Quoniam verbi *cognovit* (ἔγνω) obiectum non est expressum, in eo supplendo totoque hoc loco explicando interpretes inde iam a Patrum aetate duas potissimum vias inierunt; alii enim idem atque in interrogatione praecedente (*numquid non audierunt,* sc. Evangelium?) ita supplent, ut interrogetur, num Iudaei evangelicam praedicationem non tantum audierint sed eius virtutem quo-

1. Cfr quae de quaestione, num multiplex Scripturarum sensus literalis admitti possit, disseruimus in Introd. gener. U. T. libr. sacr. Ed. 2. p. 544 sqq.; *Compend.* Introd. in U. T. libr. sacr. Ed. 3. p. 128 sqq.

que ac veritatem *intellexerint*, indirecte autem respondeatur illos id non intelligere non potuisse, quod ipsas gentes intellecturas esse Scripturae testentur (ita, etsi non in omnibus inter se consentientes, *Chrys. Theod. Theoph. Oec. Euth.; Abael. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Gagn. Est. Nat.* etc., *Reith. Bisp. LR. Sch.* etc. — *Phil. Weiss Goeb.* etc.). Alii vero ex praecedente responso obiectum desumere malunt, ut interrogetur, num Israel *nesciverit* praedicationem evangelicam fore universalem atque gentes quoque vocatum iri[1], directe autem testimoniis scripturisticis ostendatur, Israelem futuram gentium vocationem ignorare non potuisse (ita, etiam in sat multis inter se dissentientes, *Mopsu. Pel. Prim. Sedul.* etc., *Tol. Salm. Iust. Lap. Picon.* etc., *Mai Beel. MEv. Weinh. Dr. Ag.* etc. — *Fritzsche de W. God.* etc.). At prior explicatio non tantum velut simpliciorem (sine cogente enim ratione, quae hic deest, ad duas interrogationes arcte connexas diversum obiectum supplere non licet), sed etiam velut contextui conformiorem (vocatio enim gentium supra 9,24 sqq. disertis testimoniis scripturisticis iam probata est atque hic, ubi de Iudaeorum infidelitate eiusque causa agitur, parum apte iterum probaretur) sese commendat, quare eam omnino praeferimus.

Itaque Iudaeorum ethnicorumque quasi comparationem quandam instituens Paulus iam antiquitus praedictum esse monet, ethnicos salutis messianae, quae non nisi fide evangelica obtinetur, fore participes, eos igitur, licet multo minus quam Iudaei ad Evangelium recipiendum praeparati aptique sint, intelligendae praedicationis apostolicae esse capaces. Unde sua sponte consequitur a fortiore Iudaeos obscuritatem Evangelii velut infidelitatis suae excusationem non posse proferre. Testem autem uti tempore ita dignitate et auctoritate *primum* citat ipsum legislatorem Moysen, in cuius carmine (*Deut.* 32,21) Deus filiis Israel, qui ipsum « in eo qui non est Deus » (in non Deo, i. e. per idoli cultum ἐπ' οὐ Θεῷ בְלֹא־אֵל) ad aemulationem iramque provocaverant, comminatur, se illos « per eum qui non est populus » (in non populo ἐπ' οὐ ἔθνει בְלֹא־עָם) ad aemulationem et « per gentem stultam » (ἐπ' ἔθνει ἀσυνέτῳ בְגוֹי נָבָל) ad iram provocaturum esse (παραζηλώσω, παροργιῶ). Comminatio (quae iuxta alexandrinam versionem ita allegatur, ut pronomini tertiae personae αὐτούς bis pronomen se-

1. Attende autem, ex praecedente responso, quum Apostolus Evangelium in omnem terram *exiisse* asserat, *per se* non nisi praeteritum suppleri posse, ut interrogetur, num Israel ignoret, Evangelium in fines terrae *iam exiisse* gentesque *iam vocatas esse*. Quae interrogatio quum hic sit inepta, proprio marte ac satis arbitrarie auctores huius interpretationis mutant praeteritum in futurum, ut interrogari possit, num Israel ignoraverit, gentes *vocatum iri*.

cundae ὑμᾶς substituatur ac Deus filios Israel directe alloquens introducatur) iuxta carminis contextum proxime quidem significat, Deum populo israelitico ob eius idololatriam antepositurum esse gentes finitimas in easque tot beneficia (temporalia) esse collaturum, ut Israel eis invideat. Attamen latius simul patet et iuxta Pauli interpretationem completum suum effectum non habuit, nisi quando Deus Israeli, qui Messiam suum occiderat eiusque Evangelium repellebat, gentes in messianica quoque salute conferenda praetulit; eis enim statim ad Evangelium vocatis Israelem ad invidiam vel potius ad aemulationem provocavit[1]. Iuxta divinam quippe voluntatem aemulatio haec vel invidia Israelem impellere debuit, ut felicitatem, quam gentes fide sua obtinuisse videbat, ipse quoque evangelica fide sibi acquireret (cfr ad 11, 11. 31 sq.); gentium nimirum matura vocatio Israelitis poena erat ac simul remedium salutare. Ceterum in his verbis consuetam habemus allegoriam, qua foedus inter Deum ac populum electum matrimonio assimilatur; sponsa (natio israelitica), Messia suo reiecto, novum sibi quaesivit sponsum, in cuius adulterii poenam Deus gentibus salutem Israeli promissam conferens alteram sibi eligit sponsam. Vis autem argumenti in eo est, quod gentes, quae evangelicam praedicationem intellecturae esse (indirecte) praedicuntur, a Deo vocantur *non populus*, i. e. vilis hominum turba, quae populi nomine non sit digna[2] (cfr *Chrys.*), et *gens stulta* quae, divinae veritatis intelligendae plane incapax esse videatur (cfr ad 1,21); « quid enim, inquit *Theoph.* cum *Chrys.*, gentilibus stultius et insipientius, qui ligna lapidesque quasi hiante ore venerantur? »

Alterum deinde testem citat *Isaiam*, quem ob testimonii sui claritatem *audere et dicere*, i. e. omni timore respectuque humano posthabito rem nude et clare proferre declarat (ἀποτολμᾷ καὶ λέγει i. q. ἀποτολμῶν λέγει audacter dicit), sicut eum antea (9,27) ob vaticinii sui gravitatem *clamare* declaravit (cfr *Chrys.*). Ac profecto divina verba, quae Apostolus, aeque ac praecedens effatum divinum Moysi, Isaiae dicenti attribuit, quia ab eo (*Is.* 65,1) sunt relata, inanitatem excusationis iudaicae, de qua agitur, aperte ostendunt. Namque si Deus de messiano tempore et de ethnicis loquens *sese (ab) iis, qui ipsum non quaerebant*, i. e. qui tenebris idololatriae obscuratum habentes intellectum propter caecitatem cordis sui (cfr *Eph.* 4,18) ipsum neque cognoscere neque veneratione propitium sibi reddere studebant, per fidem ex

1. Alii haec verba *typice* de gentium vocatione interpretari malunt (cfr *Mai. Beel.* etc.); quae explicatio apta quidem sed non necessaria esse videtur.
2. Diversa est significatio nominis *non populus meus* (לֹא־עַמִּי) cfr ad 9,25.

apostolica praedicatione haustam *inventum esse*, *iisque qui ipsum non interrogabant*, i. e. ipsius revelationem neque curabant neque expetebant, per eandem praedicationem *palam apparuisse* seu manifestum factum esse (ἐμφανὴς ἐγενόμην) asserit, dubium sane esse nequit, quin Israel, qui de sua veri Dei cognitione ac veneratione et de suo divinae Legis revelationisque studio gloriabatur, Deum igitur quaerebat et interrogabat, Evangelium sibi annuntiatum intelligere potuerit ac debuerit.

Iure merito ergo Paulus, excusationibus Iudaeorum discussis et refutatis, eos sibi ipsis exclusionem suam a salute messiana, quae ethnicis contigit, debere asserit. Divinum enim effatum continuans (*Is.* 65,2) veram infidelitatis eorum causam docet esse continuam eorum inobedientiam et contumaciam : **21.** *ad Israel autem* (πρὸς δὲ τὸν Ἰσραήλ) *dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* (rectius : *ad populum inobedientem et adversantem* seu contumacem πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα; textus hebr. unum dumtaxat exhibet epitheton : אֶל־עַם סוֹרֵר *ad populum rebellem*, quod *S. Hier.* minus accurate vertit : ad populum *incredulum*). Moderni plurimi praepositionem πρὸς priore in loco interpretari malunt *relate ad* seu *de* (cfr *Hebr.* 1,7; *Luc.* 20,19 etc.), quia Deus populum directe non alloquatur (*de Israel* autem dicit); Vulgatae tamen versio retineri potest, quia quaecumque Lex loquitur iis qui in Lege sunt loquitur (3,19). Locutione *tota die expandi manus meas* Deus significat magnum suum amorem, quo continuo et sine cessatione populum, quem sibi in peculium elegit, prosecutus est, ut eum ad se revocaret eumque arctius sibi coniungeret. Verum tantum abfuit, ut populus invitationem sequeretur, ut continuis suis Legis divinae transgressionibus contra Deum rebellaret. Sicut autem per totam suam historiam contumacem sese exhibuit, ita inobedientiam suam maxime manifestavit, quando Messiam suum reiecit Evangeliumque sibi oblatum respuit. Sua ipsius igitur culpa Israel offendit in lapidem offensionis (9,32) atque eius ignorantia iustitiae Dei (*v.* 3) excusationem non habet, quia ex perversa eius voluntate oritur.

Duo haec testimonia (*Is.* 65,1. 2) Apostolus pro more iuxta alexandrinam versionem allegat et quidem accurate; in priore tantum duorum membrorum synonymorum ordinem invertens secundum, utpote magis perspicuum, primo in loco posuit. Verbis porro membrum illud, quod in nostra epistola secundum est, iuxta versionem alexandrinam (ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν *manifestus factus sum* iis qui me non interrogabant) a textu hebr. iuxta *S. Hier.* versionem (*quaesierunt me* qui antea non interrogabant) dissentire videtur; sed sensus differentiam non esse S. Doctor (Comm. in Is. 65,1) iure adnotat. Namque hebraicum *Niph.* נִדְרַשְׁתִּי sensu quem vo-

cant tolerativo hic sumitur, ut significet « memet invenire passus sum » (cfr *Gesenius* Hebr. Grammat. Ed. 25. 1889 p. 137).

Adnotetur quoque oportet, prius illud testimonium isaianum (65,1), quo Paulus gentium vocationem expressam esse testatur, a multis modernis interpretibus, maxime acath., de Israele dictum intelligi, de quo alterum testimonium, quod immediate apud prophetam sequitur, etiam a Paulo intelligitur; quamobrem priora illa verba ab Apostolo ad ethnicos per accommodationem quandam transferri arbitrantur (cfr *Mai.* — *Fritzsche Mey. Weiss Oltr. Lips.* etc.). At ipsa formula, qua testimonium illud affertur (*Isaias audet et dicit*), omnis species accommodationis plane excluditur. Praeterea quicumque verba et contextum prophetae accurate consideraverit, cum Patribus antiquioribusque ac iunioribus commentatoribus asserere non dubitabit, descriptionem eorum, a quibus Deus se inventum esse dicit, ad solos ethnicos quadrare, sicuti nomen *populi inobedientis et adversantis* alterum testimonium de Israele agere evidenter probat. Sed fusius haec persequi opus non est; egregie enim genuinam huius loci interpretationem, quam Paulus tradit, a modernorum obiectionibus vindicavit *P. Knabenbauer* Comm. in Isaiam II. p. 479-482 (ex acatholicis, qui rectam sententiam tuentur, conferri meretur *Godet* Comment. sur l'épitre aux Romains Ed. 2. II. p. 356 sq.).

§ 9. — *Praesens Israelis exclusio a promissionibus, sapientissimo consilio a Deo statuta, finem habebit* (11,1-36).

In superioribus duabus paragraphis Apostolus obiectionem, quae ex Israelis exclusione a salute messiana gentiumque ad eam admissione contra suam doctrinam scaturire videbatur (cfr supra p. 467 etc.) sufficienter iam solvit refutavitque. Etenim una ex parte divinam in gratiis distribuendis libertatem promissionibus olim Israeli datis neque sublatam neque coarctatam esse demonstrans Deum, qui gentibus ad salutem vocatis maiorem Iudaeorum numerum ab ea iuxta prophetarum vaticinia exclusit, ab omnis iniustitiae criminatione liberavit. Altera autem ex parte Israelem, qui Evangelium sibi annuntiatum, cui gentes sese subiecerunt, culpabili ignorantia respuit, inobedientiae contumaciaeque convicit; accusationem ergo, quam increduli Iudaei in Deum confingere conabantur, in ipsos quasi retorsit.

In nuda tamen hac obiectionis solutione ac retorsione Paulus consistere noluit, ne fratrum suorum secundum carnem, pro quibus vel anathema a Christo esse voluisset (9,3), animos in iram concitaret longiusque ab Evangelio recipiendo averteret. Ulterius ergo progrediens, ut eos sibi vel potius Deo Evangelioque conciliet, consolationis gratia quis huius exclusionis sit ambitus et quae illius duratio accuratius ita docet, ut simul quid Deus in ea statuenda intenderit exponat. Praeprimis enim eam non ad totum populum sed ad eius dumtaxat partem contumacem sese extendere demonstrat (11,1-10). Deinde ne ipsis quidem illis Iudaeis, qui in lapidem offensionis offenderunt, omnem salutis spem ablatam esse ostendit divino patefacto consilio, quo Deus eorum lapsum permisit (11,11-24). Quin etiam post gentium conversionem universum Israelem, infidelitate sua deposita, messianae salutis participem fore annuntiat (11,25-32). Unde totum tractatum dogmaticum terminare potest laude misericordiae ac sapientiae Dei, cuius consilia humano intellectui sunt impervia (11,33-36).

1. — *Reiectio ad totum populum Israel sese non extendit* (11,1-10).

11,1. *Dico ergo : Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu*	11,1. Λέγω οὖν· Μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ; μὴ γένοιτο· καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμί, ἐκ σπέρματος Ἀβραάμ,

Beniamin. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit. An nescitis in Elia quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel?* 3. *Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt : et ego relictus sum solus, et quaerunt animam meam.* 4. *Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* 5. *Sic ergo et in hoc tempore, reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.* 6. *Si autem gratia, iam non ex operibus : alioquin gratia iam non est gratia.* 7. *Quid ergo? quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est : ceteri vero excaecati sunt :* 8. *sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis : oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.* 9. *Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis.* 10. *Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva.*

φυλῆς Βενιαμείν. 2. οὐκ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ ὃν προέγνω. ἢ οὐκ οἴδατε ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή; ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ; 3. Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν, κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσιν τὴν ψυχήν μου. 4. ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. 5. οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. 6. εἰ δὲ χάριτι, οὐκέτι ἐξ ἔργων, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις· εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι χάρις· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν χάρις. 7. τί οὖν; ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραήλ, τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν· οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, 8. καθάπερ γέγραπται· Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. 9. Καὶ Δαυεὶδ λέγει· Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς· 10. σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον[1].

1. *VV. LL.* — 1. τὸν λαὸν αὐτοῦ (*populum suum*) est communis et certa lectio, a qua recedentes legunt τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ (hereditatem suam) F G cum *S. Ambr.* (in Ps. 43 n. 24; in Ps. 118 serm. 2,24) *A*[ter]. — Praeterea nostram lectionem cum sequente *v.* conformantes addunt ὃν προέγνω (quem praescivit) A D, pauci minusc., *A*[ter] ac semel etiam *S. Aug.* (in Ps. 94. n. 7). — 2. κατὰ τοῦ Ἰσραήλ (*adversum Israel*) sine additam. B A C D E F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Syr.* (codd.), *Arm.*; ut faciliorem autem constructionem redderet, *textus rec.* : κατὰ τοῦ Ἰσραὴλ λέγων (contra Israel *dicens* :) cum ℵ L, plerisque minusc. et iunioribus PP., *Syr.* (codd.) *Aeth.* — 4. Pro femin. τῇ Βάαλ soli F G habent mascul. τῷ Βάαλ, cfr *Comment.* — 5. οὕτως οὖν (*sic ergo*) est communior et certa lectio; particulam οὖν (ergo) minus recte omittunt C, nonnulli minusc., *Syr. Copt. Arm.* — 6. οὐκέτι γίνεται χάρις (non iam *fit* gratia) etiam communior est lectio graeca; lectionem tamen, quam *Latini* et *Syr.* sequuntur : οὐκέτι ἐστὶν χάρις (*non iam est gratia*), Chrys. Theod. aliique PP, exhibent. — Porro additamentum : εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι (ἐστὶν) χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον vel uti B. minus recte legit χάρις (si autem ex operibus, non iam est gratia, alioquin opus non iam est opus [vel iuxta B : gratia]) exhibetur a *textu rec.* cum B L, omnibus fere minusc. et iunioribus PP. ac *Syr.*, omittitur autem ab ℵ A C D E F G P, aliquibus minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.* cfr *Comment.* — 7. ἐπιζητεῖ (quaerit) est communior lectio graeca, pro qua minus apte : ἐπεζήτει (*quaerebat*) F G., aliqui minusc., *It. Vulg. Syr.* — τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν (*hoc non est consecutus*) B ℵ A C D E F G L P, haud multi minusc.; sed ex correctione librariorum, quum ἐπιτυγχάνειν cum genet. construi soleat, *textus rec.* eodem plane sensu : τούτου οὐκ ἐπέτυχεν cum plerisque minusc. et iunioribus PP.

Ne igitur contribulium suorum animos penitus frangat, S. Paulus primo in loco ea, quae de eorum exclusione a salute eis promissa disseruerat, quodammodo temperat accuratiusque definit. Antea enim Iudaeos sua ipsorum culpa iustitiam non invenisse sed in lapidem offensionis offendisse demonstrans de *Israele*, nulla exceptione vel limitatione indicata, locutus erat, ac si universum populum designare voluisset (9,31; 10,19. 21), atque similiter Moyses et Isaias in vaticiniis modo allatis (10,19-21) gentes salutem consecuturas Israeli, quasi universus esset contumax, opponere ac praeferre videbantur. Iam vero erroneam conclusionem, quae ex his loquendi modis, si urgebantur, haud inepte derivari potuit, tamquam transitum (pro more suo cfr 6,1. 15; 7,7) ad novam pericopen adhibet, qua exclusionis ambitui limites suos assignat.

Sibi enim consectarium illud per interrogationis modum obiiciens (*v.* 1[a]) Israelis exclusionem universalem non esse quum suo ipsius (*v.* 1[b]) tum aliorum contribulium suorum exemplo probat, qui simili ratione, qua olim Eliae tempore, populo fere toto ad idololatriam deficiente, septem millia virorum a Deo velut fideles sui cultores conservati sint (2-4), nunc quoque divina gratia, non vero suis operibus, ad fidem pervenerint (5. 6). Unde concludit, Israelem utique, si universa natio spectatur, iustitiam quam quaerebat non esse consecutum, electam tamen eius partem ad eam pervenisse, reliquos vero in perversa sua via iusto Dei iudicio esse occaecatos et obduratos (*v.* 7), quemadmodum per Moysen (*v.* 8) et per Davidem (9. 10) iam erat praedictum.

1. *Dico ergo : Numquid Deus repulit populum suum* (μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ)? *Absit! nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin.* Verba interrogationis, quae ex superiore argumentatione derivatur, cum Psalmistae promissione (*Ps.* 93,14 οὐκ ἀπώσεται Κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ *non repellet Dominus populum suum*) in ipsa quoque eorum collocatione tam accurate consonant, ut Apostolus illam sibi obiicere voluisse videatur neque ullum sit dubium, quin illam in mente habuerit. Quamobrem verbo ἀπώσατο (*repulit*), licet in principio sit positum, tota sententiae vis non continetur neque interrogationem ita interpretari licet, ut cum nonnullis modernis (*Sch.* etc.) respondeatur : Deus *non repulit*, sed *iuste punivit* populum suum. Sensus enim, uti ex sequentibus evidenter apparet, interrogationis est, num Deus populum, qui κατ' ἐξοχήν populus Dei vocatur, nunc iam universum reiecerit, ita ut natio israelitica qua talis non amplius sit populus Dei neque ullum eius membrum vel ulla eius pars promissiones olim populo Dei factas velut sibi factas considerare possit.

Hanc vero conclusionem, quam negandam esse forma interrogationis iam indicat, abominatus (μὴ γένοιτο *absit*) Apostolus suo exemplo plane absurde proponi docet. Neque enim quisquam sibi persuaserit, eum semet ipsum a salute evangelica, quam aliis praedicavit, exclusum proclamasse; id autem fecisset, si Israelem universum a Deo reiectum declarasset. Magna quippe cum vi se Israelitam et ex genere Abraham progenitum profitetur; quin etiam ne quis has appellationes de Israele atque de semine Abraham spirituali (cfr 9,6; *Gal.* 3,29) intelligat, se ex tribu Beniamin esse addit, quae cum tribu Iuda semper coniuncta ad populum Dei continuo pertinuerat, sed cuius nomen spirituali illo sensu nusquam adhibetur. Suum porro exemplum, uti *Chrys.* adnotat, iure merito velut grave hac in quaestione affert; quia « vocatus Apostolus segregatus in Evangelium Dei » (1,1) erat. Namque Deus, si Israelem reiecisset vel reiicere voluisset, ex illo non elegisset, quos « ministros Christi dispensatoresque mysteriorum suorum » (1 *Cor.* 4,1) constitueret quibusque « gratiam et apostolatum ad obedientiam fidei in gentibus efficiendam » (1,5) concrederet.

Postquam primo hoc argumento obiectionem inanem esse iam demonstravit, eam diserte verbis Psalmistae leviter mutatis ita negat, ut simul eam secum ipsam quodammodo pugnare non quidem exponat sed tamen insinuet : 2. *non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*, vel accuratius : *populum suum, quem praecognovit* (τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω), i. e. Israelem, quem velut suum populum ab aeterno cognovit et agnovit. Sententia relativa, qua locutio τὸν λαὸν αὐτοῦ (*populum suum*) non restringitur sed exponitur et confirmatur, satis ostendit, repugnantiam quandam in eo esse, quod Deus populum *suum*, i. e. illum, quem solum ex omnibus populis terrae sibi in peculium elegit ac velut suum ab aeterno consideravit aliisque omnibus opposuit, nunc repulisse dicatur. Quaenam sit haec repugnantia, hoc quidem in loco non explicat, infra tamen (*vv.* 28. 29) tam clare docet, ut ibi vix non authenticam nostrae sententiolae interpretationem habeamus. Sine poenitentia enim dona vocationemque Dei esse monet, ut Israelem, non obstantibus magnae immo maximae partis populi infidelitatibus, praeclarum suum privilegium, ut sit populus Dei, retinuisse confirmet. Licet igitur nunc quoque ob Evangelium a longe plerisque Iudaeis repudiatum Deo sit exosus, nihilominus, quia semel est electus, Deo semper est et erit carus, neque unquam universus reiicietur; contra in eo, quia ab aeterno a Deo tamquam suus populus est cognitus et agnitus, semper sunt et erunt aliqui fideles eius servi; quin etiam universus aliquando sese fidei obedientia Deo iterum subiiciet (cfr *Lap.* etc., *Reith. Mai. Beel. LR. Weinh. Dr.* etc. — *God. Goeb.* etc.).

Eam retinuimus verbi προγινώσκειν significationem, quam solam ei competere supra (ad 8,29 p. 452 sq.) ostendimus, ut proxime ac directe actum intellectus (praescientiam) designet, voluntatis tamen actum (approbationem) connotet (προγινώσκειν i. q. antea cognoscere et agnoscere). Eandem cum *Chrys.* (« quem clare praesciebat idoneum esse fidemque esse recepturum ») alii Graeci (cfr *Theod. Dam. Theoph. Euth.* etc.) et nonnulli Latini (cfr *A^ter Pel. Sed.* etc., *Ag.* etc.) retinent. Perperam autem sententiola relativa (ὃν προέγνω) accusativum τὸν λαὸν αὐτοῦ (*populum suum*) ita restringi putant, ut Deus eam tantum populi partem, quam bonae indolis fore fidemque recepturam esse praevidisset, non repulisse dicatur. Intima enim nostrae sententiae cum praecedente connexio omnino prohibet, ne locutionem τὸν λαὸν αὐτοῦ (*populum suum*) arctius in hac quam in illa exponamus, siquidem responsum interrogationi conveniat necesse est. Praeterea ab universae quoque huius pericopes fine et contextu arctior explicatio plane abhorret, quia praeprimis Paulus consilia explanare vult, quae Deus de toto Israel et de salute ei toti concedenda iniit.

Longius vero plerique antiquiores Latini a vero recedere videntur, qui non tantum sententiolam relativam pro constrictiva habent, sed etiam cum *S. Aug.* (de dono persev. 18,47) verbo προγινώσκειν (*praescire*) actum voluntatis directe ac proxime exprimi arbitrantur (*praescivit* i. q. *praedestinavit*), ita ut Deus Israelem spiritualem, quem ad vitam salutemque praedestinasset (vel iuxta aliorum constructionem : Israelem, qua parte seu quatenus eum ad vitam praedestinasset), non repulisse dicatur (cfr *Prim. Haym. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Tol. Est. Iust. Nat. Picon. Bisp. — Calv. de W. Ew.* etc.) Etenim ut omittamus, satis superflue a Paulo asseri, Deum eos quos ad vitam praedestinavit non repulisse, attendatur oportet, sententiam relativam iuxta contextum (uti iam monuimus) sensum non posse coarctare, neque verbum προγινώσκειν (*praescire*) unquam idem esse quod προορίζειν (*praedestinare*), neque unquam προορίζειν (*praedestinare*), si absolute ponitur, idem valere quod προορίζειν εἰς σωτηρίαν (*praedestinare ad salutem*). Ad multa quippe potest esse praedestinatio; apud theologos utique usus invaluit, ut nomen praedestinationis absolute positum semper in bonam partem (praedestinatio ad aeternam beatitudinem) sumatur; sed hunc loquendi usum etiam in Scripturis valere temere asseritur.

Quam erronee porro ex eo, quod universus fere Israel fidem evangelicam respuere videatur, ad universi populi reiectionem concludatur, Apostolus ostendit similem Israelis conditionem, quae Eliae tempore fuit, lectoribus in memoriam revocans. Tanta scilicet tunc quoque eius fuit defectio ad idololatriam, ut propheta se solum ex omnibus veri Dei cultoribus reliquum esse conquestus timeret, ne totus Israel interiret, quoniam ipse quoque iam ad mortem quaereretur (*v.* 3); at divinitus edoctus est, etiam tunc, generali illa defectione non ob-

stante, Deum haud paucos fideles servos sibi servasse (*v.* 4) sicut autem tunc, ita etiam nunc Deus reliquias sibi elegit, quas salvas faceret (*v.* 5).

Primo igitur in loco Paulus narrationem indicat, ex qua praecedens suum argumentum confirmare vult : *an* (ἢ cfr ad 3,29; 6,3; 9,21 etc. melius : *aut*, si nimirum contenditis, Deum populum, quem praescivit, ob universalem eius infidelitatem repellere) *nescitis, in Elia* (ἐν Ἠλίᾳ) *quid dicit Scriptura, quemadmodum* (melius : *quomodo* ὡς) *interpellat Deum adversum Israel* (ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ)? Ab antiquioribus plerisque, qui ad grammaticas rationes haud satis attendere solent, locutio ἐν Ἠλίᾳ (*in Elia*) parum recte explicatur *de Elia*, acsi scriptum esset περὶ Ἠλίου (cfr *Thom. Lyr.* etc., *Tol. Est. Iust.* etc.); citationis enim formula quaedam est, quae idem fere valet, quod « in narratione de Elia » seu « illo in Scripturae loco, in quo Eliae res gestae referuntur » (cfr *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2 p. 38; *Knabenb.* Comment. in Marc. 12,26; in Luc. 20,37). Allegati deinde loci (3 *Reg.* 19,10 sqq.) sensum generalem indicat altera sententiola (*quomodo interpellat* etc.), utpote quae priori (*in Elia quid dicit Scriptura*) parallela ac similiter a verbo *nescitis* dependens eam exponat (cfr *Luc.* 6,3. 4; 22,61 etc.). Dictio autem ἐντυγχάνειν τινί, quae proprie significat *convenire aliquem* sive ad deliberandum de re aliqua (περί τινος *Act.* 25,24) sive ad precandum pro aliquo (ὑπέρ τινος 8,27. 34), hoc in loco additis verbis κατὰ τοῦ Ἰσραήλ (*contra Israel*) ad accusandi notionem trahitur (*Deum adire contra Israel*). Eandem *Vulg.* quoque suo *Deum interpellare* (i. e. precari seu rogare) *adversum Israel* exprimere voluit; in tam perverso enim statu Israelitae tunc erant, ut propheta Deum pro eis precari non posset, quin eos idololatriae simul accusaret.

Qua brevi indicatione non contentus Paulus, ut praesentem populi conditionem antiquae illi plane similem esse demonstret, ipsius Eliae verba affert (cfr *Chrys.*), ita tamen ut ea ad compendium conferat universoque eorum sensu retento aliquantulum mutet : 3. *Domine, prophetas tuos occiderunt* (scil. filii Israel, iubente Iezabel, impia Achabi uxore cfr 3 *Reg.* 18,4), *altaria tua suffoderunt*[1], *et ego relictus sum*

1. Bene *Est.* : « Sed quomodo altaria Domini suffossa dicuntur, quum fas non esset, Domino Deo sacrificia offerre nisi in uno loco, quem Deus ad hoc delegisset (cfr *Deut.* 12,4 sqq.)? qui locus utique erat Ierosolymae. Verisimile est, Eliam loqui de altaribus, quae passim in excelsis studio quodam pietatis Deo vero erecta erant, maxime postquam decem tribus regum suorum tyrannide prohibitae sunt, ne Ierosolymam ascenderent sacrificii causa. Quamvis enim id lege vetitum esset ac recte fecerint Ezechias et Iosias, reges Iuda, etiam eiusmodi aras evertendo, tamen impium erat eas subvertere odio cultus Dei Israel, uti fecerunt Achab et Iezabel cum suo populo : tale erat altare quod instauravit Elias in monte

solus et quaerunt animam meam (cfr 3 *Reg.* 19,10. 14 : « dereliquerunt pactum tuum filii Israel, *altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt* gladio, *derelictus sum ego solus et quaerunt animam meam,* ut auferant eam »). Mutationes haud magni esse momenti patet : compellatio *Domine* (Κύριε) addita videtur, ut lectores statim recordarentur, prophetam Deum alloqui, intelligerentque divinum esse responsum quod sequitur. Duorum autem priorum membrorum quae recepit inversione Apostolus probabiliter praecavere voluit, ne quis sibi persuaderet, Eliam in tertio membro conqueri, quod solus *ex prophetis* relictus sit; id quod aliquis facilius coniicere potuit, si in membro immediate praecedente de prophetarum occisione sermo erat. Ceterum Eliae verba etiam in genuino suo contextu significare, ipsum *ex veri Dei adoratoribus* solum superstitem esse, ac proinde Paulum eius verbis alienum sensum non attribuisse (uti aliqui moderni acath. censent cfr *Fritzsche, Weiss* etc.), ex divino responso evidentissime elucet. Neque enim prophetarum sed fidelium sui nominis cultorum septem millia se servaturum esse Deus promittit (cfr 3 *Reg.* 19,18). In eo igitur est similitudinis ratio, quod tunc quoque plane universalis videbatur esse populi defectio a vera fide, ita ut ipse propheta se solum ex toto Israel reliquum esse crederet, qui pactum servasset et in divino cultu permansisset. Quoniam ergo Elias ipse quoque iam vicinus morti esse videbatur, facile aliquis putare potuit, Deum populum, quem in peculium sibi elegerat, universum iam reiecisse et interitui tradidisse.

At erroneam esse eiusmodi conclusionem, quia erronea fuerit Eliae persuasio, Apostolus monet : 4. *sed quid dicit illi divinum responsum* (ὁ χρηματισμός)? *Reliqui mihi* (κατέλιπον ἐμαυτῷ) *septem millia virorum, qui* (οἵτινες utpote qui, vel : omnes qui) *non curvaverunt genua ante Baal* (τῇ Βάαλ [1]). Nomen ὁ χρηματισμός, quod in Novo Test. hic tantum

Carmeli » (3 *Reg.* 18,30). Cfr etiam quae de unitate loci sacrificiorum et de altaribus alibi erectis disseruimus in *Introd. spec.* in libr. sacr. Vet. Test. I. p. 138-145.

1. Nomini Βάαλ (בַּעַל Baal), licet primarium Chanaanitarum deum designet, ab Alexandrinis haud raro articulus femin. praefigitur (ἡ Βάαλ), ac si deam designaret (cfr *Iudic.* 2,13; 1 Reg. 7,4; 4 *Reg.* 21,3; *Os.* 2,10; *Soph.* 1,4 etc.); similiter Paulus hic scripsit τῇ Βάαλ (cfr *VV. LL.*), quamvis in loco, ad quem respexit (3 *Reg.* 19,18) habeatur τῷ Βάαλ. Cuius loquendi usus quae sit ratio, non omnino constat. Sunt qui nomen Βάαλ communis generis Hebraeis fuisse censeant, quia et primario deo (Soli) et primariae deae (Lunae) designandis inservisset (cfr *Mai.* etc. — *Fritzsche, Mey* etc.); sed id haud recte asseritur, quia Βάαλ articulum femin. etiam ibi aliquoties habet, ubi Astarte (dea Luna) cum eo coniungitur et ab eo distinguitur (cfr *Iudic.* 2,13 etc.). Multo probabilius cum iunioribus (cfr *Tol. Iust. Est.* etc.) etiam moderni nonnulli arbitrantur dictionem ἡ Βάαλ idem esse quod ἡ εἰκὼν τοῦ Βάαλ (simulacrum Baal), uti ὁ Ζεύς alicubi ponitur pro ὁ ναὸς τοῦ Διός (templum Iovis cfr *Act.* 14,12). Cavendum tamen, ne cum *Est.* dicas, in locutione ἡ Βάαλ nomen Βάαλ esse genetivum (si enim genetivus esset, dici debuit ἡ τοῦ Βάαλ); rectius dicemus, ipsam Baalis statuam vocatam esse nomine Baalis atque nomini articulum femin. esse praemissum, ut

legitur (et eodem sensu in Vet. Test. 2 *Mach.* 2,4), a *Chrys.* (in ep. ad Hebr. hom. 23,1) *prophetia,* et a *Cyr. Alex.* (i. h. l.) *divinus sermo* recte explicatur, ita ut antiquiori ac vulgatiori ὁ χρησμός respondeat (alibi tamen etiam humanum quoddam rescriptum designat cfr 2 *Mach.* 11,17). A verbo χρηματίζειν derivatur, quod iunioribus Graecis proxime quidem significat « consulentibus oraculo respondere », in Novo autem Test. de divina institutione vel admonitione ibi quoque usurpatur, ubi nulla praecessit interrogatio (cfr *Matth.* 2,12. 22; *Luc.* 2,26; *Hebr.* 11,7, quibus in locis *Vulg.* nomine *responsi* minus apte utitur). Iamvero oraculum, quod Apostolus affert, expressis verbis in Scriptura non legitur, ex Dei tamen verbis, quibus Eliam consolatur, legitime colligitur.

Morti enim sese filios Israel idololatras traditurum esse annuntians Deus simul promittit, se ab illa clade fideles suos servos protecturum esse (2 *Reg.* 19,18) : « et derelinquam mihi (vel melius nudum : derelinquam וְהִשְׁאַרְתִּי καὶ καταλείψω) in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata (כָּל־הַבִּרְכַּיִם אֲשֶׁר לֹא־כָרְעוּ πάντα τὰ γόνατα ἃ οὐκ ἔκαμψαν γόνυ omnia genua, quae non se incurvarunt) ante Baal, et omne os quod eum non adoravit osculans manus ». Qua ex promissione Paulus iure merito concludit, Deum in magna illa persecutione per Achab eiusque uxorem excitata, quum omnes fere pactum divinum relinquerent, septem millia, i. e. aliquot millia seu magnum numerum (septenarius enim numerus hic pro indefinito poni videtur, uti saepe cfr *Gen.* 4,15; *Levit.* 26,18. 24. 28 etc.) virorum *sibi* servasse, i. e. gratiis suis datis eos impedivisse, ne cum reliquis a veri Dei fide deficientes in idololatriam prolaberentur. Attendatur ergo oportet, Apostolum promissionem ipsam, quamvis illius verbis sua accommodet, non allegare, sed ex illa consectarium derivare, quod Deo loquenti attribuit[1]; quare cavendum quoque est, ne similibus verbis utroque in loco eundem sensum declarari censeamus. In libro Regum enim iuxta contextum sermo est de iis, qui Baalem non adorarunt, *a morte servandis;* Paulus autem de iisdem loquitur, quatenus eos Deus, ne Baalem adorarent, gratia sua *in vero sui nominis cultu, i. e. sibi, servavit.* Bene autem simili modo, quo *Chrys.*, etiam *S. Aug.* (de dono persev. 18,47) attentos nos reddit, dictum non esse « *relicta sunt mihi* aut *re-*

significaretur, deum illum nihil esse nisi idolum quoddam. *Dillmann* (Monatsber. der Königl. Akademie zu Berlin 16. Ian. 1881) coniecit, Iudaeos utpote a nomine Baalis pronuntiando abhorrentes pro eo in lectione publica adhibuisse nomen ἡ αἰσχύνη (ignominia) et ad hoc Keri indicandum nomini articulum femin. praefixisse; sed si haec esset ratio, ubique rabbini articulum femin. scripsissent, uti in aliis Kerian perpetuis.

1. De consectariis ex Scriptura deductis ac Deo loquenti attributis cfr in 1 *Cor.* 1,31; *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2 p. 551; *Compend.* Introd. Ed. 2, p. 130.

liquerunt se mihi, sed *reliqui mihi* »; hoc enim dicendi modo insinuari recte tenent, Israelitarum illorum, qui in communi contribulium suorum defectione fideles in vero cultu perstiterint, conservationem non eis ipsis eorumque operibus sed Deo eiusque gratiae attribui debere.

Quam doctrinam Apostolus clarius enuntiat altero in comparationis membro, quod (per particulam οὖν *ergo*, quae exemplis ad rem de qua agitur applicandis accommodandisque interdum inservit cfr *Ioan.* 3,29; 19,22 etc.) nunc adiungit, ut argumentum suum compleat : 5. *sic ergo* (οὕτως οὖν) *et in hoc tempore* (καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, sicut olim Eliae tempore) *reliquiae secundum electionem gratiae* (*salvae*) *factae sunt*. Adiectivum *salvae* uncis inclusimus, ut illud rectius omitti significaremus; neque enim in primigenio textu (λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν) aut antiquis versionibus (*Syr. Copt. Arm.* etc.) habet cui respondeat, neque ab ipsius Italae melioribus testibus (cfr *S. Aug.* de dono persev. 18,47; c. Iulian. V. 4,11; c. duas epp. Pel. II. 7,15; de praed. sanct. 16,33 etc.) accuratioribusque Vulg. codd. (*Amiat.* etc.) agnoscitur; ex 9,27 autem (*reliquiae salvae fient* λεῖμμα σωθήσεται) velut glossa, per se utique non inepta, irrepsisse haud improbabiliter putatur (cfr *Tol. Est.* etc.). Argumentatio porro clara est. Sicut Eliae aetate, quando universus Israel in idololatriam prolapsus a divino pacto defecisse credebatur, Deum tamen populum suum totum non repulisse ex eo apparuit, quod septem millia virorum superessent, qui genua ante Baal non curvantes foederi fideles inhaeserunt, ita apostolica quoque aetate, quum genuinus Israel, cui datae erant promissiones, Iudaeis Messiam suum respuentibus exstinctus esse videretur, Deus universum populum suum non repulerat; illius enim reliquias, aliquos nimirum pios Israelitas qui Messiam suum agnoverunt eiusque Evangelio fide se subiecerunt, superesse voluerat. Quorum numerum, si per se consideratur, haud spernendum quidem fuisse ex Actibus scimus (cfr *Act.* 2,41; 4,4; 6,7; 21,20), Paulus tamen ad infidelium Iudaeorum multitudinem comparatum admodum parvum fuisse nomine λείμματος (*reliquiarum*) indicat, quo ad praecedens verbum κατέλιπον (*reliqui*) alludit. Clarius deinde, uti diximus, hic declarat, quod obscurius tantum in priore membro innuit, reliquiarum conservationem Deo eiusque gratiae deberi, quum eas diserte dicat factas esse *secundum electionem gratiae*. Qua in locutione animadvertatur oportet, genetivum *gratiae* non esse obiectivum, quasi intelligenda sit *electio ad gratiam*, uti aliqui theologi interpretantur (contra quos cfr *Petav.* de Deo IX. 13,5), sed subiectivum, ut designetur electio, quae gratiae debetur, seu quae ex gratia seu gratuita, minime vero ex operibus seu debita est.

Hanc enim interpretationem Apostolus ipse postulat, quum explicationis causa addat : 6. *si autem gratia* (χάριτι i. e. per gratiam seu ex gratia electio est ac reliquiae supersunt), *iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est* (γίνεται fit) *gratia*. Summae curae ei in tota hac epistola est, ut Iudaeorum errorem refellat, qui suis ipsorum (Legis) operibus sibi iustitiam se acquirere putabant. Quare hic quoque non tantum electionem eorum, qui ad reliquias pertineant, ex gratia fieri monet, sed simul ex ipsa gratiae notione ostendit, opera electionem praecedentia ad electionem nihil conferre. Gratia quippe et debitum, quod ex operibus exoritur, inter se pugnant (cfr ad 4,4. 5); nam « gratia, inquit *S. Aug.* (Enchir. 107), nisi gratis est, gratia non est », et iterum (de gr. et lib. arbitr. 21,43) « ideo gratia vocatur, quia gratis datur »; gratiae igitur notio omne debitum excludit, ita ut electio, quae ex gratia est, ex operibus esse nequeat. Iure merito ergo Patres tridentini nostro loco innixi docent, « nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, neque fidem neque opera, ipsam iustificationis gratiam promereri » (*Conc. trid.* sess. 6. de iustific. 8). Perverse autem acatholici ex eo inferre volunt, vitam aeternam, quum a Paulo *gratia Dei* appelletur (6,23), ex bonorum operum merito non obtineri. « Neque enim de omnibus operibus, inquit *Est.*, Apostolus loquitur, sed de iis quae gratiam omnem praeveniunt et proinde ad solas vires naturae referenda sunt; quomodo de operibus loquebantur Iudaei suam volentes statuere iustitiam et postea Pelagiani docentes gratiam dari secundum merita. Quodsi de operibus absolute loquamur, certe non pugnat, dari aliquid ex gratia simul et ex operum merito; possunt enim ipsa opera, quibus aliquid meremur, esse gratuito donata. Atque ita certe res se habet in promerenda vita aeterna; nam opera, quibus eam meremur, a gratia Dei promanant, neque alia sunt nostra bona merita, quam Dei dona, quemadmodum id declarat Synodus trident. (sess. 6 de iustific. 16) verbis desumtis ex epistola Coelestini Papae ad episcopos Galliae »; ceterum cfr ad 6,23.

In textu rec. graeco sequitur : εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶν χάρις· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον (*si autem ex operibus, iam non adest gratia ; alioquin opus iam non est opus*). Quod additamentum, quamvis in optimo cod. graeco (B) ei una ex optimis verss. (*Syr.*) iam inveniatur et ab omnibus fere graecis codd. minusc. iunioribusque graecis interpretibus exhibeatur, a modernis criticis (*Lachm. Scholz, Tisch. Treg. WH*) e sacro textu expungitur, quia neque in reliquis antiquioribus codd. neque in aliis versionibus legitur (cfr *VV. LL.*). Inter commentatores quidem non desunt, qui illud non tantum genuinum sed etiam ob contextus rationem, ad operum nimirum gratiaeque antithesin accuratius explicandam complendamque, necessarium esse ducant (cfr *Cai.* — *Beza, Beng.* etc.). Verum necessarium profecto non est, quia antithesis satis explicatur ex eo, quod Paulus dixit : « si gratiae beneficio factum est, ut reliquiae electae, pleris-

que Iudaeis fidem evangelicam respuentibus, fidem acceperint, earum electio ac fides meritis eorum adscribi nequit, quia secus gratia non amplius dici posset id esse, quod ex natura sua est, scilicet donum gratuitum ». Quapropter cum longe plerisque cath. et acath. interpretibus verba addita pro glossemate habemus, quod antiquitus iam ab aliquo, ut dictum paulinum e contrario illustraret, margini codicis adscriptum postea in sacrum textum irrepsit. Eius autem sensum *Theoph.* hac ratione declarat: « Si per opera [sc. naturalia] placemus Deo, gratia non habebit locum; nam si gratiae locus relinquitur, abit statim opus neque amplius opus est; nam ubi gratia est, opus non quaeritur, et ubi est opus, gratia non est ».

7. *Quid ergo* (τί οὖν)? *quod quaerebat* (rectius: *quaerit* ἐπιζητεῖ cfr *VV. LL.*) *Israel, hoc non est consecutus; electio autem* (ἡ δὲ ἐκλογή) *consecuta est, ceteri vero excaecati sunt* (ἐπωρώθησαν). Quoniam formulam interrogativam τί οὖν altera interrogatio, qua accuratius definitur, haud omnino raro sequitur (cfr 3,9; 6,15; 7,7 etc.), hic quoque nonnulli sequens membrum (« quod quaerit Israel, hoc non est consecutus ») interrogative legendum esse coniiciunt (cfr *Lachm. Hofm.* etc.). Quominus vero ita legamus, contextus prohibet atque cum *Theod.* vix non omnes illo membro responsum contineri recte tenent. Apostolus scilicet, postquam Israelem a Deo reiectum immerito dici demonstravit (*vv.* 1-6), quid igitur, quum sic se res habeat, de Israele dicendum sit interrogat, interrogationique suae ita respondet, ut prius populum universum, deinde duas quibus constituitur partes intueatur. Atque Israel quidem, si natio universa qua talis consideratur, dicendus est non obtinuisse id quod studiose quaesivit quaeritque (praesens ἐπιζητεῖ, uti saepe, rem quae nunc est etiam antea fuisse connotat). Nam studiose quaesivit et etiamnunc quaerit iustitiam, ad eam vero non pervenit, quia perversam viam ingressus, quum suis operibus iustificari velit, in lapidem offensionis offendit (cfr 9,30 sq.; 10,2. 3). Una tamen illius pars eaque minima, nimirum « reliquiae secundum electionem gratiae » (*v.* 5), quae hic vocantur *electio* i. q. *electi* (ἡ ἐκλογή pro οἱ ἐκλεκτοί, sicut ἡ περιτομή pro οἱ περιτμηθέντες circumcisio pro circumcisi cfr 3,30; 4,9 etc.), iustitiam consecuta est, attamen illam iustitiam, uti per se patet, quae propriis operibus non acquiritur, verum credentibus gratis donatur. *Ceteri* vero, οἱ λοιποί, i. e. omnes praeter electos seu longe maximus Israelitarum numerus, quum iustitiam Dei ignorantes suam statuere quaererent (10,3), excaecati sunt, ut Messiam suum non agnoscerent.

Verbum πωροῦν (callo obducere, callo inducto obdurare), quo Paulus hic utitur (ἐπωρώθησαν), in Novo Test. tropice de mentis culpabili hebetatione, qua homo veritates divinas agnoscere impeditur, semper usurpatur ideoque a *Vulg.* plerumque, uti hic, redditur *excaecare* (*Marc.* 6,52; 8,17, seu *obtundere* 2 *Cor.* 3,14; semel quia eadem in

sententia τυφλοῦν *excaecare* iam praecessit, *obdurare* cfr *Ioan*. 12,40; similiter πώρωσις *caecitas* v. 25; *Marc*. 3,5; *Eph*. 4,18). Moderni utique plerique πωροῦν reddunt *obdurare* atque hoc verbo maiorem, quam verbo σκληρύνειν (9,18), obdurationis gradum declarari volunt. Nulla tamen adest ratio, cur a communi Graecorum interpretatione (*Hesych*. πωροῦσθαι, τυφλοῦσθαι, πώρωσις, ἀναισθησία [hebetudo]; *Suid*. πεπώρωται, τετύφλωται. πώρωσις, ἡ τύφλωσις) recedamus. Ac profecto Paulum, quamvis cum mentis excaecatione obduratio cordis arctissime sit connexa, de excaecatione proxime loqui, ex sequentibus patet.

Hanc enim velut poenam divinam populo iam annuntiatam esse duobus Scripturae testimoniis (8-10) ostendit. Atque primo in loco *ceteros* excaecatos esse dicit, 8. *sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis* (πνεῦμα κατανύξεως i. q. spiritum soporis vel torporis) : *oculos ut non videant* (ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν)[1] *et aures ut non audiant* (ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν) *usque in hodiernum diem* (ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας). Ubinam hoc scriptum sit se ignorare fassus *Orig*. verba prima (ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως) et ultima (εἰς τῆς σήμερον ἡμέρας) Pauli ipsius esse, reliqua vero ex *Is*. 6,10 non tam desumta quam conformata putavit. Cum *Chrys*. deinde multi antiquiores iunioresque Apostolum duo vaticinia isaiana (*Is*. 29,10 et 6,10) coniunxisse et ultima sola verba (εἰς τῆς σήμερον ἡμέρας) ex suis adiecisse statuerunt (cfr *Thom*. etc., *Cai*. *Iust*. *Nat*. etc., *Ag*. etc.). Praeeunte autem *Herv*. plerique iuniores ac moderni eum *Deut*. 29,3 libere quidem sed secundum sensum fideliter allegare recte tenent (cfr *Tol*. *Est*. etc., *Reïth*. *Mai*. *Beel*. etc.).

Verba *Deuter*. iuxta alexandrinum textum, qui cum primigenio hic accurate consentit, haec sunt : οὐκ ἔδωκε Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι καὶ ὀφθαλμοὺς βλέπειν καὶ ὦτα ἀκούειν ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης : *non dedit Dominus Deus vobis cor ad intelligendum* (i. q. cor intelligens) *et oculos ad videndum* (oculos videntes) *et aures ad audiendum* (aures audientes) *usque in hanc diem*. Paulus autem transposita negatione e negante sententiam fecit affirmantem, ut pro eis rebus, quas Deus eousque Israelitis negasset, clarius eas poneret, quas illis Deus eousque dedisset : « Dedit eis cor *non* intelligens et oculos *non* videntes et aures *non* audientes usque ad hanc diem ». Praeterea pro primo

1. Infinitivi cum genet. artic. (τοῦ μὴ βλέπειν, τοῦ μὴ ἀκούειν) substantivis (ὀφθαλμοὺς, ὦτα) immediate adnectendi sunt, ut designentur oculi auresque eiusmodi, qui ad videndum, audiendum sint inepti (ὀφθαλμοὶ τῆς ἀβλεψίας, ὦτα τῆς ἀνηκοΐας oculi caeci, aures surdae cfr *Grot*. etc.). Minus apte alii infinitivos a praecedente verbo ἔδωκεν tamquam finales pendere volunt : « Dedit eis oculos eo fine ne viderent et aures eo fine ne audirent »; idoneum enim sensum haec constructio non praebet, nisi simul tibi fingas oculos auresque eiusmodi, qui videre vel audire nequeant.

obiecto (καρδίαν τοῦ μὴ εἰδέναι cor non intelligens seu intelligendi incapax) ex vaticinio quodam isaiano (*Is.* 29,10 πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως « potavit vos spiritu compunctionis ») locutionem πνεῦμα κατανύξεως substituit, quae eandem significationem habet sed eam fortius enuntiat. Nam nomen κατάνυξις, quo Alexandrini semel hebr. תַּרְדֵּמָה (sopor Is. 29,10) ac semel hebr. תַּרְעֵלָה (titubatio *Ps.* 59 [60], 5) reddiderunt, *S. Isidorus Pelus.* (epist. IV. 101), plurimis modernis comprobantibus, a verbo κατανύσσεσθαι recte derivat, quod proprie *vulnerari*, translate *acerbo animi dolore percelli* (cfr *Act.* 2,37; Ps. 4,5 etc.) significat (aeque ac καταπλήσσεσθαι). Unde κατάνυξις quoque proxime vulnerationem seu compunctionem designat, deinde tropice de magno animi dolore seu magna tristitia ac demum de animi stupore ac torpore adhibetur, qui ex magna tristitia exoriri solet. Ultimo hoc sensu hic sumitur, ita ut πνεῦμα κατανύξεως (*spiritus compunctionis*) sit spiritus, qui animum torpidum veritatisque percipiendae et intelligendae incapacem reddit, seu efficit ut cor sit non intelligens. Iamvero testimonium hoc, cuius sensum fideliter expressit, Paulus typice adhibet. Excaecatio enim, quam Moyses Israelitis suae aetatis obiecit, quia multis magnisque signis ac portentis, quae per quadraginta annos quotidie oculis suis spectarant, non obstantibus contra Deum semper murmurassent ac rebellassent, quin etiam ultimo peregrinationis anno ad idololatriam defecissent, ei figura typusque est illius excaecationis, qua Iudaei Christi aetate ob continuas suas infidelitates ac praesertim ob pharisaicum suum spiritum, quo propriam suam iustitiam statuere voluerunt, puniti atque eo tandem adducti sunt, ut Dei iustitiam ignorantes in lapidem offensionis offenderent Messiamque suum reiicerent. Cum *Theod.* nonnulli verbum ἔδωκεν (*dedit*) idem hic esse volunt quod συνεχώρησεν (permisit), ne Deus directa excaecationis causa dici videatur; sed quo sensu Deus peccatores excaecare et obdurare recte dicatur, alibi iam explicavimus (cfr ad 1,24; 9,18 p. 94 sq. 506).

Mosaico testimonio Apostolus davidicum (*Ps.* 68 [69], 23. 24) adiungit, quo per modum imprecationis eadem excaecatio Iudaeis annuntiatur[1]: 9. *et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum* (εἰς παγίδα) *et in captionem* (εἰς θήραν) *et in scandalum* (εἰς σκάνδαλον hic melius: in decipulam) *et in retributionem* (εἰς ἀνταπόδομα) *illis;* 10. *obscurentur oculi eorum, ne videant* (τοῦ μὴ βλέπειν), *et dorsum eorum semper incurva.* Quoniam cum emphasi quadam, ut verborum allegatorum auctoritatem commendet, Davidem testem citat (*et David dicit*), de da-

1. De prophetica Psalmorum imprecatoriorum interpretatione cfr *Introd. spec.* in libr. sacr. Vet. Test. II. p. 120 sqq.; *Compend.* Introd. in libr. sacr. Ed. 3. p. 324.

vidica huius carminis origine cum multis modernis acath. (*Fritzsche*, *Weiss* etc.) dubitare non licet. Ac profecto *Ps.* 68 (69) etiam titulo suo in omnibus editionibus Davidi auctori inscribitur, neque quidquam solidi affertur, quo eum a Davide scribi non potuisse demonstretur. Ultimae enim eius sententiae (*vv.* 35-37), quae exsilii potius quam regni davidici aetati congruere videntur, simili modo quo *Ps.* 50 (51), 20. 21 aliique nonnulli versus, ab exsulibus, qui antiqua carmina conditioni suae magis adaptare studuerunt, additae recte dicuntur. Messianicum autem carmen esse Dominus ipse (*Ioan.* 15,25) eiusque Apostoli (*Ioan.* 2,17; *Act.* 1,20; *Rom.* 11,9. 10; 15,13) suis allegationibus tam clare testantur, ut concilium V. oecum. Theodorum Mopsu., qui carminis verba ad Christum eiusque regnum ab Apostolis dumtaxat accommodari dixit, iure merito damnaverit. Si quis vero interrogat, utrum literali an typico sensu hic psalmus ad Messiam referatur, equidem eum vel inter typicos recensendum vel potius ad illorum classem trahendum puto, quorum verba, etsi de homine iusto (et patiente) generatim agant, ita tamen sunt comparata, ut completum perfectumque suum sensum non consequantur, nisi simul et quidem potissimum de iusto et patiente κατ' ἐξοχήν, i. e. de Christo, intelligantur (cfr *Introd. spec.* in libr. sacr. V. T. II. p. 118; *Compend.* Introd. in libr. sacr. p. 233).

Ad sententias allegatas ipsas quod attinet, Apostolus alexandrinam iterum versionem, quae hic verbis potius quam sensu a massorethico textu discedit[1], ita sequitur, ut eam levibus quibusdam mutationibus, quae sensum non adulterant, argumentationi suae accommodet. Alexandrini enim priorem sententiam v. 23 hac ratione reddiderunt : γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκανδαλον (« fiat mensa eorum coram eis in laqueum et in retributionem et in decipulam[2] »). Paulus autem vocabula ἐνώπιον αὐτῶν (coram eis),

1. Iuxta massoreth. textum *v.* 23 ita vertendus est : « Fiat mensa eorum coram eis in laqueum (לְפָח) et securis (vel : socordibus) in decipulam (וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ) ». At in duobus ultimis vocabulis Alexandrini aliam lectionem sequuntur, quum prioris consonantes aliis vocalibus instruant alterique coniunctionem ו praefigant : וְלִשְׁלוֹמִים וּלְמוֹקֵשׁ, unde vertunt : καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον (« et in retributionem et in decipulam »). Praeterea alterum *v.* 24 membrum iuxta Massorethas vertendum est : « Fac ut eorum lumbi semper vacillent », i. e. « fac ut erecti firmique consistere nequeant »; eundem autem sensum Alexandrini suo τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον (« dorsum eorum semper incurva ») expresserunt, quatenus is, cuius dorsum onere vel pondere imposito incurvatur, erectus firmusque stare nequit.

2. Nomen σκάνδαλον, quod in Scriptura tantum et in lingua ecclesiastica pro vulgari σκανδάληθρον usurpatur, hic hebraeo מוֹקֵשׁ (laqueus vel decipula) respondet, atque proxime quidem mobile tigillum, cuius impulsu decipula clauditur, deinde autem ipsam quoque decipulam significat.

utpote ad argumentationem non necessaria, praetermisit; deinde duobus nominibus, quibus instrumenta feris vel avibus capiendis inservientia designantur (εἰς παγίδα *in laqueum*, εἰς σκάνδαλον *in decipulam*), tertium synonymum (εἰς θήραν *in captionem*, melius *in rete*, cfr *Ps.* 34 [35], 7, ubi θήρα i. q. רֶשֶׁת) probabiliter ideo addidit, ut nullum iam patere effugium clarius appareret; demum locutionem εἰς ἀνταπόδομα, quae idem quod εἰς ἀνταπόδοσιν (*in retributionem*) significat, ultimo in loco posuit, ut totam hanc poenam iuxta talionis legem inferri facilius intelligeretur.

Clarum porro est, sermonem Psalmistae hic esse metaphoricum atque priore sententia sub imprecationis forma praedici, bona illa, quae Israel ad suam utilitatem accepit, eius interitui esse inservitura, sicut esca, qua ferae avesque a venatoribus vel aucupibus alliciuntur, eis perniciei est. Imagine *mensae* autem a Paulo divina Lex, vel si mavis Scriptura intelligitur, « in qua mensa, inquit *Orig.*, si quis volebat edere verbum Dei, appositis Legis ac Prophetarum sermonibus pascebatur ». Re enim vera Scripturae, in quibus vitam aeternam se habere Iudaei putabant (*Ioan.* 5,39), eis factae sunt in laqueum, quando Dei iustitiam ignorantes illis ad propriam suam iustitiam statuendam abutebantur. Quomodo hoc fieri potuerit, altera sententia explicat, quae iterum sub imprecationis figura praedicit, eorum animos subtractione divini luminis obtenebratum iri, ita ut non tantum Legem suam non sint intellecturi, sed Lex ipsa quoque eis futura sit durum iugum, quod pondere suo dorsa eorum incurvet neque eos amplius erectos firmosque stare sinat. Simili fere ratione plerique locum interpretantur; minus vero placet, quod *Chrys. Theod.* etc. imagine mensae delicias divitiasque Iudaeorum, quas in contrarium mutatum iri Psalmista annuntiet, significari volunt, aut quod ultimum membrum (*dorsum eorum incurva*) de servitutis iugo explicant, quo Iudaei sive a Chaldaeis, sive a Syris, sive a Romanis oppressi sint. Ceterum accuratior verborum Psalmistae interpretatio huc non pertinet; luculentissime enim ex eis, quomodocumque explicantur, apparet, Iudaeis ob suas infidelitates excaecationem velut poenam esse praedictam; atque ad hoc potissimum vel potius unice probandum Paulus ea attulit.

2. — *Praesens Israelis reiectio proxime quidem gentium, ultimo tamen ipsius Israelis saluti inservit* (11,11-24).

11,11. *Dico ergo : Numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit. Sed illorum*

11,11. Λέγω οὖν· Μὴ ἔπταισαν, ἵνα πέσωσιν; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τῷ αὐτῶν

delicto, salus est gentibus, ut illos aemulentur. 12. Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium : quanto magis plenitudo eorum? 13. Vobis enim dico gentibus : Quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo, 14. si quomodo ad aemulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quae assumtio, nisi vita ex mortuis? 16. Quod si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami. 17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem quum oleaster esses, insertus est in illis, et socius radicis et pinguedinis olivae factus es, 18. noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar. 20. Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne forte nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris. 23. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam : quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suae olivae?

παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. 12. εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτος ἐθνῶν, πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν; 13. ὑμῖν δὲ λέγω τοῖς ἔθνεσιν. ἐφ' ὅσον μὲν οὖν εἰμὶ ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, τὴν διακονίαν μου δοξάζω, 14. εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. 15. εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ κόσμου. τίς ἡ πρόσλημψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν; 16. εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα· καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι. 17. εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ ἀγριέλαιος ὢν ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου, 18. μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων· εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι, οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις, ἀλλὰ ἡ ῥίζα σέ. 19. ἐρεῖς οὖν· Ἐξεκλάσθησαν κλάδοι, ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ. 20. καλῶς. τῇ ἀπιστίᾳ ἐκλάσθησαν, σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας. μὴ ὑψηλὰ φρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ· 21. εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, οὐδὲ σοῦ φείσεται. 22. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν τοῦ Θεοῦ. ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομία, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότης Θεοῦ, ἐὰν ἐπιμένῃς τῇ χρηστότητι· ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. 23. κἀκεῖνοι δὲ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσιν τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτούς· 24. εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον, πόσῳ μᾶλλον οὗτοι οἱ κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ[1];

1. ***VV. LL.*** — 13. ὑμῖν δὲ λέγω (vobis *autem* dico) B ℵ A P, paucissimi minusc., *Syr. Copt. Arm.*; contra vero *textus rec.* : ὑμῖν γὰρ λέγω (*vobis enim dico*) cum D E F G L, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Goth.*; solus C. : ὑμῖν οὖν λέγω (vobis *igitur* dico). Secunda lectio, utpote contextui magis adaptata, praeferenda videtur, quamvis ***Lachm. Tisch. WH.*** primam sequantur. — ἐφ' ὅσον μὲν οὖν (quatenus [vel quamdiu] *quidem igitur*) B ℵ A C P, *Copt.*; sed *textus rec.* particulam οὖν rectius omittit cum L, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Aeth.*; male graecolatini (D E F G) cum paucis minusc. et *Arm.* etiam particulam μέν omittunt. — δοξάζω (honorifico) est communis omnium fere graecorum codd. et PP. atque versionum lectio, quam ***S. Aug.*** quoque sequitur (cfr c. Faust. IX. 2; c. advers. leg. II. 2,4); lectionem δοξάσω (*honorificabo*) exhibent duo tantum graecolatini (F G) cum *Vulg.* et plerisque PP. latinis. — 16. εἰ δέ (si *autem*) B ℵ C D E F G L P, omnes minusc. et PP., *Syr. Copt. Arm.*;

Postquam reiectionem ad universum Israelem se non extendere demonstravit, S. Paulus maiorem quoque populi partem, quam iuxta vaticinia usque ad hanc diem excaecatam et a salute messiana exclusam dicere debuit, sine consolatione relinquere noluit. Itaque eius lapsum neque sine remedio esse neque omnem salutis spem abstulisse in hac sectione ostendit. Deum enim misericordissimo consilio excaecationem infidelitatemque Iudaeorum permittere docet, ut Evangelium ab eis repudiatum maturius ad gentes perferatur, quarum deinde fide Israel ipse ad aemulationem provocatus salutem adepturus et conversione sua omnibus summa bona conciliaturus sit (11. 12). Quae ut confirmet, Ethnicochristianos alloquens sese ipsum magno cum zelo apostolatum inter gentes exercere asserit, ut hac indirecta via aliquos ex suis contribulibus salvet (13. 14), quippe quorum conversionem et magnae utilitati mundo fore repetit (*v.* 15) et certo sperari posse ex eorum relatione ad patriarchas probat (*v.* 16). Qua ex expositione sponte sua fluit admonitio, ne Ethnicochristiani, qui benedictionis messianae ipsis non promissae quasi praeter suam naturam participes facti sint, Iudaeos benedictione illa, quamvis eis promissa sit, ad tempus privatos despiciant (17. 18). Licet enim in Iudaeorum ob infidelitatem iuste

eandem lectionem *It.* et *Vulg.* suo *quodsi* exprimere voluerunt (cfr *v.* 12); solus A legit εἰ γάρ (si *enim*) atque *Goth. Aeth.* solam particulam εἰ legerunt. — 17. τῆς ῥίζης τῆς πιότητος (radicis pinguedinis) coniunctione καί (et) omissa, B ℵ C, *Copt.*; sed rectius ***textus rec.*** : τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος (*radicis et pinguedinis*) cum A E L P, omnibus minusc., ***It. Vulg. Syr. Arm. Aeth.***; tres graeco-latini (D F G) tria vocabula τῆς ῥίζης καί omittunt. — κλάδοι (***rami***) sine articulo, B ℵ A C F G L P, haud pauci minusc.; articulum ***textus rec.*** minus apte praefigit cum D et plerisque minusc. — 20. ἐκλάσθησαν (***fracti sunt***) B D F G; rectius legi videtur compositum ἐξεκλάσθησαν cum ℵ A C L P, omnibus minusc. et PP. — Utrum ὑψηλὰ φρόνει (altum sape) cum B ℵ A, an ὑψηλοφρόνει cum reliquis graecis testibus legas, nihil interest. — 21. οὐδὲ σοῦ φείσεται (neque tibi parcet), particula mitigante μήπως non praemissa, B ℵ A C P, pauci minusc., ***It.*** (cfr ***S. Aug.*** c. Faust. IX. 2; in Ps. 65 n. 5; in Ps. 72 n. 2) *Copt.*; praemittit autem particulam ***textus recept.*** : μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται (*ne forte nec tibi parcat*) cum D E F G L, plerisque minusc. (quorum aliqui habent φείσηται) et PP., ***It.*** (cfr ***A***ter etc.) ***Vulg. Syr. Arm. Goth.*** — 22. ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομία, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότης (in eos quidem qui ceciderunt ***severitas***, in te autem *bonitas*) B ℵ A C, paucissimi minusc., ***Arm.***; sed ut facilior reddatur constructio, *textus rec.* hoc membrum a praecedente ἴδε (*vide*) dependentem facit, quum legat : ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότητα Θεοῦ (***in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei***) cum D F G L, plerisque minusc., ***It. Vulg.***; sensus duarum lectionum idem est. — ἐὰν ἐπιμένῃς (si permaneas) B ℵ D, sed ***textus rec.*** : ἐὰν ἐπιμείνῃς, quam lectionem *It.* et *Vulg.* quoque suo ***si permanseris*** exprimere videntur. — Eadem lectionis varietas est in *v.* 23 inter ἐὰν μὴ ἐπιμένωσιν (si non permaneant) et ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσιν (*si non permanserint*); sensus differentia est levissima.

reiectorum locum successerint, timendum tamen eis esse, ne multo magis ipsi reiiciantur, nisi humiles in fide perstent (19-21). Unde demum eos admirari iubet Dei bonitatem erga se ipsos, quae duratura sit quamdiu Deo adhaereant, ac iustam severitatem in Iudaeos, quae finem habitura sit in eorum conversione (22. 23^a); hanc enim non superare Dei potentiam (23^b 24).

Potissimum igitur de excaecatorum Iudaeorum sorte futura Apostolus agit eosque ad fidem allicere studet, quum ipsam gentium vocationem eis tam odiosam ad eorum utilitatem a Deo ordinari ostendat. Ethnicochristianos tamen, quibus epistolam proxime destinavit, simul ad gratias Deo agendas adducit, qui ad ipsorum salutem tam praesentem Iudaeorum excaecationem permiserit quam futuram eorumdem conversionem ordinaturus sit. Iuxta sapientissima ergo Dei consilia utrosque, et Iudaeos et Graecos, sibi mutuo auxilio esse oportere indicat (cfr *v.* 30 sqq.). Ceterum animadverte, quomodo Paulus, qui Iudaeorum ethnicos despicientium ac salute messiana indignos reputantium superbiam fortiter repressit (cfr ad 3,9 sqq. 27 sqq.), similiter in hac et sequente sectionibus Ethnicochristianos a despiciendis Iudaeis excaecatis arceat; utrosque scilicet Deus eadem via ex infidelitate salvare vult (cfr *v.* 32).

Eadem prorsus ratione eademque formula, qua supra (*v.* 1) ex vaticiniis immediate antea allatis (10,19-21) obiectionem desumsit, ut ad novam quaestionem transiens Israelis reiectionem non ad omnia populi membra spectare doceret, Apostolus hic erroneum consectarium, quod ex iisdem vaticiniis et ex Moysis Davidisque testimoniis modo citatis (8-10) derivari potuit, sibi ipsi opponit, ut illo reiecto lapsum Israelis non esse irreparabilem contribuliumque suorum reiectionem non fore perpetuam doceat : **11.** *dico ergo : Numquid* (*sic*) *offenderunt* (scilicet « ceteri » quos *v.* 7. excaecatos dixerat), *ut caderent* (μὴ ἔπταισαν, ἵνα πέσωσιν)? *Absit, sed illorum delicto* (τῷ αὐτῶν παραπτώματι) *salus est* (melius : *facta est*) *gentibus, ut illos aemulentur* (lege : *ut illos ad aemulationem provocent* vel *provocarent*). Ad latinam versionem tria adnotentur oportet : ac primum quidem interpres interrogationi particulam *sic* haud recte inseruit, siquidem nulla prorsus adest ratio a finali particulae ἵνα significatione recedendi; deinde in responso, cuius verbum graece non est expressum, melius γέγονεν (*facta est*) quam ἐστίν (*est*) supplevisset, quia Paulus ex iis argumentatur, quae facta iam esse ipsa experientia lectorum epistolae constabat; demum *latino* verbo *aemulari* (hic aeque ad 1 *Cor.* 10,22) significationem Latinis non usitatam attribuit, si illud idem quod graecum πα-

ραζηλοῦν valere vult; παραζηλοῦν enim est i. q. *ad aemulationem provocare*, uti *v.* 14 et 10,19 recte redditur.

De accurata porro interrogationis explicatione variae sententiae inde a Patrum aetate sunt propositae. Cum *S. Aug.* (expos. n. 70) enim nonnulli verbis πταίειν (*offendere*) et πίπτειν (*cadere*) eandem fere significationem attribuentes, finali coniunctionis ἵνα (*ut*) sensu retento, interrogari volunt, « numquid Deus permiserit eos offendere *tantum*, ut caderent, i. e. propter nullam aliam utilitatem inde consequentem, sed *solum volens eos cadere* » (cfr *Thom*[1].), responderi autem, « eos non deliquisse, ut *tantummodo* caderent, quasi ad poenam suam solum, sed ut hoc ipsum, quod ceciderunt, prodesset gentibus ad salutem » (*S. Aug.* l. c.; cfr *Haym. Herv. Thom*[1]. *Lyr.* etc., *Cai. Nat. Klee, Bisp.* etc. — *Oecol. Beza* etc., *Beyschl. Hofm.* etc.). Attamen neque verba πταίειν et πίπτειν fere sunt synonyma, neque ad istum sensum exprimendum omitti potuit adverbium μόνον (*solum*), cui praecipua vis inniteretur, neque in hac explicatione ad ultima responsi verba (εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς) sufficienter attenditur.

Alii cum *Chrys.* verba πταίειν et πίπτειν ita a Paulo distingui rectius censent, ut priore notio peccandi in genere, i. e. offendendi ac labendi, altera autem notio corruendi pereundique vel in totum et irreparabiliter cadendi exprimatur; parum recte autem satis multi ex eis coniunctionem ἵνα cum *Vulg.* et *Chrys.* significatione sua finali privant atque ἐκβατικῶς seu de eventu (i. q. *ita ut*) interpretantur, acsi inquireretur, « num Iudaeorum lapsus tantus sit, ut remedium aut curationem iam non admittat » (*Chrys.* cfr *Orig. Mopsu.* etc., *A*[ter] *Pel. Prim. Thom*[2]. etc., *Cai*[2]. *Tol. Est. Iust. Lap. Picon.* etc., *Mai. MEv. Dr.* etc. — *Grot. Beng. Göd.* etc.). Neque enim iuxta contextum in gravitatem, sed in finem lapsus inquiritur. Toto quippe hoc capite Apostolus consilia exponit, quibus Deus populum Israel in salute messiana quaerenda direxerit dirigatque. Itaque finali coniunctionis ἵνα sensu retento, interrogari dicendum est, num Deus eo consilio maiorem Iudaeorum numerum, gratiis suis propter eorum infidelitates subtractis, excaecaverit (*v.* 7) et consequenter in lapidem offensionis offendere permiserit, ut in totum caderent sine ulla reparationis spe (cfr *Cyr Alex. Gennad. Phot. Theoph. Euth.* etc., *Reith. Beel. Weinh. Sch.* etc. — *Goeb. Lange, Weiss* etc.). Hanc vero interrogationem Apostolus non tantum cum abominatione negat sed etiam, vero Dei consilio exposito, iure se negare probat. Iudaeorum nimirum propter suam excaecationem in Messiam suum offendentium incredulitate (τῇ ἀπιστίᾳ *v.* 20) vel inobedientia (τῇ ἀπειθείᾳ *v.* 30), quam hic *delictum* vel *lapsum* (παράπτωμα cfr ad 5,15) appellat, factum esse docet, ut Evangelium iam nunc gentibus

sit allatum, in earum autem tam matura vocatione Deum id intendisse, ut conversione ac salute earum Iudaei ad aemulationem provocati ipsi quoque Evangelio sese subiicerent salutemque messianam consequerentur. Eos igitur offendere Deus permisit, non ut cadentes perirent, sed ut sese erigentes salvarentur.

Quoniam in mosaico vaticinio (*Deut.* 31,21) paullo antea allato (10,19), ad quod Apostolus locutione sua εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς evidenter alludit, Deus ipse populum suum ad aemulationem provocare asseritur, aliqui hic quoque vertere malunt : *ut* (Deus) *provocet* seu *provocaret*, quam : *ut* (gentes) *provocent* seu *provocarent illos ad aemulationem* (cfr *Est.* etc.). Utrumque quidem recte dici potest, sensu vix aut ne vix quidem mutato, sed secunda versio, utpote constructioni congruentior, a plerisque iure praefertur ac retinenda est.

Ad declarationem sententiae, qua delicto Iudaeorum factam esse salutem gentibus Apostolus docet, haec cum *Chrys.* adnotasse iuverit. Quamvis Christus pro omnibus, Iudaeis ac gentibus, mortuus sit omnibusque salutem meruerit atque Apostolos suos etiam gentibus Evangelium annuntiare iusserit, eum tamen in annuntiando Evangelio ac salute communicanda ordinem teneri Deus primitus voluit, ut Iudaei, quibus promissiones erant dictae, gentes praecederent. At incredulitate Iudaeorum Evangelium respuentium factum est, ut Apostoli, iis relictis, sese ad gentes converterent eisque ante Iudaeos salutem afferrent. « Vobis, inquit Paulus Iudaeos pisidienses alloquens, oportebat *primum* loqui verbum Dei, sed *quoniam repellitis illud* et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce *convertimur ad gentes* » (*Act.* 13, 46; cfr 18,6; 19,9). Id Dominus quoque iam annuntiaverat in parabola patris familias ad coenam, quam paraverat, omnes pauperes ac debiles et caecos et claudos invitantis, quando illi qui primi invitati erant sese excusaverant (*Luc.* 14,16 sqq.). Itaque Iudaeorum incredulitas non est causa, cur omnino gentibus salus sit allata, sed fuit occasio, qua factum est, ut illis citius afferretur et ut multi ethnici apostolica aetate participes fierent salutis, qui eam non accepissent, si Apostoli prius Iudaeis praedicassent. Recte autem *Tol.* addit, non tantum citius gentibus salutem ob Iudaeorum incredulitatem esse allatam gentesque primum locum obtinuisse, sed etiam eas Iudaeorum loco esse subrogatas Christoque insertas. Fractis enim ramis naturalibus olivae inserti sunt rami oleastri; « quod si Iudaei omnes credidissent, gentes postea quidem vocatae essent, sed multae interim periissent neque loco Iudaeorum subrogatae dici possent ».

Praecedentis sententiae vis praecipua est in ultimis verbis (εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς *ut illos ad aemulationem provocarent*), quibus ultimus finis exprimitur, quem Deus in lapsu Iudaeorum permittendo habuit. Illis igitur quasi immorans Apostolus non sine voluptate describit, quantas benedictiones mundo allatura sit haec Iudaeorum ad fidem ac-

currentium eique se subiicientium aemulatio, quam praevidet. Argumento enim a minore ad maius vel, ut alii dicere malunt, « a felici effectu causae peioris ad feliciorem effectum causae melioris » (*Beel.* etc.), ex salute, quam delictum Iudaeorum iam attulit gentibus, concludit : 12. *quod si delictum* (τὸ παράπτωμα) *illorum divitiae sunt* (melius : *fuerunt*) *mundi et diminutio* (τὸ ἥττημα) *eorum divitiae gentium, quanto magis plenitudo* (τὸ πλήρωμα) *eorum* divitiae erunt gentium vel mundi. Haud male *Thom.* argumentum Apostoli hoc syllogismo exponit : « Bonum est potentius ad utilitatem conferendam, quam malum; atqui malum Iudaeorum magnam utilitatem gentibus contulit; ergo multo maiorem illis Iudaeorum bonum confert » vel potius conferet. Animadvertatur autem oportet, Apostolum pro conciso suo loquendi modo in apodosi non tantum praedicatum omisisse, sed etiam prioris membri conditionalis rationem diserte non habuisse; planior esset sententia, si scripsisset : « quodsi *delictum* (τὸ παράπτωμα) illorum divitiae fuerunt mundi et *diminutio* (τὸ ἥττημα) eorum divitiae gentium, quanto magis *conversio* (ἡ ἐπιστροφή vel etiam *recte factum* τὸ κατόρθωμα) et *plenitudo* (τὸ πλήρωμα) eorum erunt divitiae mundi ».

Duo membra conditionalia solo subiecto distinguuntur, quum pro τὸ παράπτωμα αὐτῶν substitutum sit τὸ ἥττημα αὐτῶν; in reliquis plane consonant, quoniam *mundus* (κόσμος), quo nomine saepe genus humanum universum designatur (cfr ad 3,6), hic et *v.* 15, ubi populo Israel opponitur, solas gentes (ἔθνη) easque omnes complectitur. Ex eadem autem oppositione apparet, pronomen *eorum* (αὐτῶν), quod in praecedente versu ad solos Iudaeos excaecatos referebatur, in omnibus tribus huius sententiae membris ad totum Israelem referri, cuius longe quidem maior pars deliquit et lapsa est, sed cuius reliquiae salutem consecutae sunt (*v.* 7), et qui aliquando universus fidei se subiiciet (*v.* 25 sq.). Porro prius membrum conditionale non est nisi praecedentis sententiae (*delicto eorum facta est salus gentium*) repetitio; ipsa enim *salus* (σωτηρία), quam ob Iudaeorum excaecatorum delictum (sc. incredulitatem) vel potius eius occasione gentes citius obtinuerunt, propter gratiarum quas comprehendit abundantiam hic vocatur *divitiae gentium* vel *mundi* (πλοῦτος ἐθνῶν, κόσμου). Alterius vero membri subiectum difficultatem quandam creat, quia de nominis ἥττημα, quod profanis inusitatum etiam semel tantum ab Alexandrinis (*Is.* 31,8) et bis a Paulo (hic et 1 *Cor.* 6,7) adhibetur, accurato sensu interpretes dissentiunt. Eorum tamen omnino praeferimus sententiam, qui hoc in loco ἥττημα (quod a verbo ἡττᾶσθαι [*inferiorem esse*, *vinci* cfr 2 *Cor.* 11,13; 2 *Petr.* 2,19] derivatum proxime dumtaxat inferiorem conditionem significat, ad quam aliquis redactus est) de parvo numero intel-

ligunt, ad quem redactus est Israel, quando eius reliquiae solae (λεῖμμα *v*. 5; κατάλειμμα 9,27) plerisque Iudaeis fidem respuentibus salutem consecutae sunt (cfr *Chrys. Theod. Diod.* etc., *Pel. Prim. Sed. Haym. Herv.* etc., *Cai*[2]. *Salm. Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *Reith. Mai. Beel. Bisp. Weinh. LR.* etc.). Aptissime enim huic populi *diminutioni* seu *paucitati*, quae divitias attulit gentium, in apodosi opponitur Israelis *plenitudo* (τὸ πλήρωμα) seu populi universitas, quae, si ipsa quoque fuerit conversa, longe maiorem utilitatem gentibus collatura sit. Multo minus vero apta, immo nulla est oppositio, si ἥττημα cum *Euth.* idem esse dicis quod πταῖσμα (offensio) vel παράπτωμα (lapsus), vel si cum aliis illud interpretaris damnum detrimentumque, quod Iudaei passi sint, quatenus aut promissionum non sint facti participes (*A*[ler]), aut a celsitudine gloriae suae defecerint (*Thom.*), aut « diminuti sint a sua scientia Scripturarum » (Cai[1].), aut a salute messiana ad tempus exclusi sint (*Fritzsche, Weiss*) etc.

Persuasum ergo Paulo fuit, Iudaeorum lapsum non esse irreparabilem, neque dubitavit, quin futura eorum conversio mundo summa bona esset conciliatura; cum hac tamen eius persuasione munus quo fungebatur quodam modo pugnare videbatur. Mirum profecto non fuisset, si Ethnicochristiani, qui eum semper, contribulibus suis relictis, gentilibus praedicare videbant, eum de Israelis salute desperasse suspicati essent. Quapropter ut doctrinam propositam hac remota suspicione confirmet, Ethnicochristianis consilium exponit, quo in exercendo suo munere ducitur. Tantum nimirum abesse docet, ut de contribulium suorum salute desperans apostolatu inter gentes fungatur, ut ipsa ethnicorum conversione populum suum ad aemulationem et conversionem provocare studeat : 13. *vobis enim dico gentibus : Quamdiu* (ἐφ' ὅσον lege : *quatenus*) *quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo* (lege : *honorifico*, vel cum *S. Aug.* : glorifico δοξάζω), 14. *si quomodo* (rectius : *si forte* εἴ πως cfr 1,10) *ad aemulandum provocem carnem meam et salvos faciam aliquos ex illis.*

De prioris membri nexu cum praecedentibus non satis constat, quia nonnulli ex melioribus testibus lectionem ὑμῖν δέ (*vobis autem*) pro nostro ὑμῖν γάρ (*vobis enim*) exhibent (cfr *VV. LL.*). Quae differentia magna non est, dummodo particula δέ pro metabatica hic sumatur, qua ad novam doctrinae probationem transitur. Sua scilicet agendi ratione explicata Paulus confirmare vult, Iudaeis in lapidem offensionis offendentibus omnem salutis spem non esse ablatam. Ethnicochristianis autem, quos *gentium* nomine hic designat (uti alibi interdum cfr 15,27; 16,4; *Gal.* 2,12. 14 etc.), nominatim hoc argumentum proponit, ne adversus infideles Iudaeos insolentius sese efferentes eosque

irritantes (cfr *v.* 17 sqq.) sibi sint impedimento, quominus finem suum assequatur eosque Christo lucretur. Ceterum ex hac compellatione, in qua pronomini (ὑμῖν *vobis*) nomen (τοῖς ἔθνεσιν *gentibus*) velut appositio additur, legitime colligitur, romanos Christianos, quibus epistola scribitur, plerosque ex ethnicis venisse (cfr 1,5 sq. 13); secus enim dici debuit : τοῖς γὰρ ἔθνεσιν ἐν ὑμῖν (ethnicis enim, qui inter vos sunt, dico). Argumentum porro ipsum a nostro interprete, qui graecum ἐφ' ὅσον latino *quamdiu* vertit, parum recte est redditum [1]. Neque enim de muneris sui duratione Paulus loquitur, ut tempus, quo gentium apostolatu fungitur, alteri nescio cui tempori opponat [2], sed de sua relatione ad ethnicos, ut eam relationi suae ad Iudaeos opponat. Quam oppositionem per solitariam particulam μέν (*quidem*) indicans alterum membrum per particulam δέ (*sed*) supplendum esse vel potius hic, constructione mutata, in ultima sententiae parte latere monet (cfr 10,1; 1,8; 3,2 etc.). Hoc enim eius argumentum esse recte dicitur : « Quatenus *quidem* sum gentium apostolus, magno cum zelo inter eas laborans easque ad fidem adducens honorifico ministerium mihi ad earum utilitatem concreditum (*Gal.* 2,7 sqq.; *Act.* 9,15 etc.); *sed illud hac ratione honorificans conor,* si forte carnem meam (i. e. cognatos meos secundum carnem cfr 9,3) ad gentium conversarum aemulationem provocem (*v.* 11; 10,19) et aliquos ex illis (sc. ex contribulibus meis) salvem ».

Vix opus est dicere, iuniores Graecos (cfr *Chrys. Theoph. Euth.* etc.) a vero longe aberrare, quum verba τὴν διακονίαν μου δοξάζω (*ministerium meum honorifico*) idem esse velint quod ἐπαινῶ ὑμᾶς (*laudo vos*), acsi Apostolus eodem modo, quo Iudaeos τὴν σάρκα μου (*carnem meam*)

1. Aliquoties quidem in Novo Test. formula elliptica ἐφ' ὅσον ad tempus refertur latinoque *quamdiu* respondet (cfr *Matth.* 9,15; 2 *Petr.* 1,13); alibi tamen, uti hic, idem est quod *quatenus* vel *in quantum* (cfr *Matth.* 25,40. 45). Praeterea Paulus ad durationem temporalem exprimendam semper plenam formulam ἐφ' ὅσον χρόνον adhibet (cfr 7,1; 1 *Cor.* 7,39; *Gal.* 4,1 etc.).

2. Non minus mira quam erronea sunt, quae *Orig.* (*Ruf.?*) tradit, qui temporalem formulae significationem retinet : « Dicet aliquis : Quod ait *quamdiu ego sum apostolus gentium,* hoc videtur ostendere, quod non semper erit apostolus gentium, sed completo ministerio apostolus aliorum quorumlibet futurus sit. Sed quantum ex ipsius sermonibus et ex rerum gestarum ratione colligitur, quamdiu in hoc mundo fuit, permansisse in fide et veritate apostolus gentium comprobatur. Quid ergo dicemus? Numquid tamquam servus bonus et fidelis sciebat se supra multa constituendum et apostolum futurum etiam post exitum suum non solum gentium sed et Israelitarum et aliorum fortasse invisibilium ibi, ubi benedicunt spiritus et animae iustorum Dominum? An potius simpliciter dictum debemus accipere *quamdiu sum apostolus gentium* sicut et Dominus ad Apostolos dixit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, non quod dicat se post consummationem saeculi non futurum cum eis, sed ut ostenderet se nunquam ab eis discessurum, sic dicatur et Apostolus dixisse *quamdiu ego sum Apostolus* pro *semper et sine fine?* Quae autem ex utraque recipi debeat expositio, relinquimus legentis arbitrio ».

appellavit, gentes conversas appellasset *ministerium suum*. A vero autem alii quoque aberrant, qui eum ministerium suum honorificasse dicunt, quum illud laudibus extolleret verbisque commendaret (cfr *Tol.* etc.), aut quum illud « gravitate morum, maturitate consiliorum, actuum honestate » (cfr *S. Bern.* ad Ardut. epist. 28,2; *Lap.* etc.) vel « verbis, exemplis, miraculis » (*Picon.* etc.) ornaret etc. De eiusmodi enim laudibus ornamentisque muneris sui Apostolus hoc in loco non cogitavit. Omnino potius dicatur oportet, eum ministerium suum honorificasse et illustre reddidisse, quum gentium sibi concreditarum conversionem tanto cum ardore susciperet tantaque cum industria urgeret, ut laborum suorum fructus in ipsos Iudaeos redundaret. In eo quippe est, uti *S. Thom.* recte adnotat, argumenti vis, quod indirectum illud studium ad Iudaeos convertendos ab ipso gentium apostolo adhibitum clarissime demonstret, eorum lapsum non esse irreparabilem.

Quia tamen tempus, quo universus Israel accepturus esset fidem, nondum advenisse perspectum habuit (*v.* 25), Paulus se iam contentum esse declarat, si aliquos saltem ex contribulibus suis salvet. Omni enim qua potest ratione ad populi sui conversionem (etiam quatenus est gentium apostolus) aliquid conferre desiderat ob summa bona, quae ex ea in gentes redundatura esse iam antea (*v.* 12) indicavit atque nunc repetit : 15. *si enim amissio* (ἡ ἀποβολή cum *S. Aug.* c. Faust. IX. 2 lege : *reiectio*) *eorum reconciliatio est mundi, quae* [i. e. qualis iuxta suum effectum erit] *assumtio* (ἡ πρόσληψις) *nisi vita ex mortuis* (εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν)? Argumentationis forma et sensus similis est ac *v.* 12; ex laeto enim fructu, qui gentibus ex temporaria maioris Iudaeorum partis reiectione iam exortus est, ad fructum multo feliciorem concluditur, quem ex futura populi universi conversione gentibus sperare licet. Nomen ἀποβολή in Novo Test. bis tantum (hic et *Act.* 27,22) legitur et utroque in loco a nostro interprete *amissio* redditur; verum hanc significationem, licet nomini competat et Actuum contextui congruat, ad nostrum locum minus quadrare subiectum oppositi membri docet. Namque ἡ πρόσληψις intelligenda est Israelis receptio vel assumtio in regnum messianum; unde ἡ ἀποβολή hic non nisi eius reiectionem vel exclusionem ex regno messiano significare potest (ἀποβάλλειν et amittendi et abiiciendi notionem admittit). *Reiectio* autem tamquam poena respondet Iudaeorum fidem respuentium lapsui vel delicto (τὸ παράπτωμα *v.* 12), sicut *assumtio* tamquam fructus ex parte Dei sequetur eorum conversionem ad fidem. Similiter locutio *reconciliatio mundi*, qua gentiles credentes ex inimicis amicos Dei factos esse significatur (cfr 5.10), superioribus locutionibus *divitiae mundi* vel *gentium* (*v.* 12) et

salus gentium (*v.* 11) ita respondet, ut idem beneficium, secundum diversas tamen rationes, designetur. Fructum, qui ex totius Israelis conversione gentibus proventurus sit, laetum eximiumque fore, Apostolus supra quidem innuit; quis tamen sit non tradit; hic nunc utique eum vocat *vitam ex mortuis*, at locutio haec ipsa quoque obscurior est.

Praecipuas illius interpretationes paucis indicabimus, antequam eam, quam praeferimus, exponemus.

Plerique quum antiquiores tum moderni vitam, quae ex mediis mortuis exoriatur, vel ipsam universalem mortuorum resurrectionem interpretantur, quae simili modo, quo Iudaeorum infidelitatem secuta sit reconciliatio gentium, immediate plenariam Israelis conversionem consecutura sit (id quod ex *Matth.* 24,14 colligunt), vel saltem vitam perfecte beatam, qua iusti resuscitati fruituri sint atque opus redemtionis inventurum sit ultimum suum complementum (cfr *Orig. Chrys.* [?][1]. *Mopsu. Cyr Alex. Theod.*, *Sedul. Haym*[1]. *Herv. Thom*[2]. etc., *Cai. Tol. Est*[2]. *Lap*[2]. *Nat*[3]. etc., *Klee Reith. Bisp. LR*[1]. *Dr. Weinh. Sch.* etc. — *de W. Mey. Weiss Goeb.* etc.). Cui interpretationi haud levia tamen obiiciuntur. Primum enim satis iam est mirum, quod Apostolus ad resurrectionem universalem designandam pro consueta sua locutione (ἡ ἀνάστασις νεκρῶν vel ἐκ νεκρῶν cfr ad 1,4 p. 41 sq.) hic plane inusitatam et parum claram elegerit; si quis vero respondet, eum potissimum vitam beatam, qua resuscitati fruituri sint, efferre voluisse (*Weiss*), non attendit, eum praemisso articulo dicturum fuisse: ἡ ζωὴ ἐκ νεκρῶν, si ad determinatam illam vitam attentionem nostram convertere voluisset. Deinde mirum quoque videtur, quod illam beatitudinem, qua fruentur etiam iusti, quos Dominus adveniens vivos reperturus est (cfr ad 1 Cor. 15,51 sqq.), simpliciter *vitam ex mortuis* appellet, quodque eandem, licet eam iustis tam certam esse alibi dicat, ut de eius spe glorientur (5,2), immo eam quodam modo iam possideant (cfr ad 2 *Cor.* 5,1), hic quasi dependentem faciat a Iudaeorum conversione, quam futuram esse nondum docuit sed infra tandem revelabit (*v.* 25). Magis demum mirum est, quod praemium omnibus iustis, Iudaeis non minus quam ethnicis conversis, commune hic consideret velut eximium ac singulare quoddam bonum, quod speciatim gentibus ex Iudaeorum conversione proventurum sit. Quapropter explicatio haec, licet tot tantorumque interpretum auctoritate commendetur, nobis non probatur; eam tamen non omni omnino probabilitate carere libentissime concedimus.

Alii locutionem *vita ex mortuis* sensu translato de spirituali vita gratiae

1. Ab omnibus fere *Chrys.* inter huius sententiae auctores enumeratur, dubito vero an recte. Quamvis enim in sua interpretatione resurrectionem ex mortuis nominet, nullus tamen ex iunioribus interpretibus graecis, qui eum in omnibus sequi eiusque commentarios exscribere solent (*Phot. Theoph. Oec. Euth.*) hanc de resurrectione sententiam exhibet; omnes igitur magistrum suum resurrectionem duntaxat comparationis vel elucidationis gratia nominasse censuerunt (cfr p. 597 sq.).

interpretantur, inter se autem etiam in varias sententias abeunt. Iuxta haud paucos plenaria Israelis conversio gentes ad vitam spiritualem excitatura dicitur, quatenus aut gentiles nondum conversos sit adductura ad fidem evangelicam, aut gentiles iam conversos sed in fide tepescentes titubantesque vel peccatis obnoxios ad pristinum fervorem sit reductura, ita ut initium sit florentissimae cuiusdam aetatis Ecclesiae (cfr *A*[ter] *Thom*[1]. *Lyr. Iust. Nat*[1]. *Mai. M Ev*[1]. *LR*[2] *Ag.* etc. — *Phil. God.* etc.). Cui explicationi non tantum id obstat, quod tropica haec locutionis explicatio in 6,13 et *Eph.* 2,5 dumtaxat debile habeat fundamentum, sed maxime quod una ex parte conversio universi Israelis locum non habitura sit, nisi postquam « plenitudo gentium intraverit » in Ecclesiam (*v.* 25), ita ut de propagatione fidei inter ethnicos verba intelligi non possint, altera autem ex parte iuxta ea, quae Dominus ipse de futura Ecclesiae suae sorte praedixit, sperare vix ac ne vix quidem liceat, eius statum hac in terra unquam fore tam florentem, ut omnibus Christianis ad fervorem revocatis *vita ex mortuis* vocari mereatur. Alio sed plane erroneo modo *Est*[1]. (cum nonnullis acath. *Calv. Beza* etc.) tropum intelligit; inter peccatorum scilicet remissionem (*reconciliatio* καταλλαγή) et gratiae iustificantis infusionem (*vita ex mortuis*) ratione distinguens hanc esse vult Pauli argumentationem : « Si Iudaeorum abiectio cessit mundo ad peccatorum remissionem, quid mundo conferet eorum assumtio nisi iustificationem, quae est vita ex mortuis »? Procul dubio iustificatio a peccatorum remissione ratione distingui potest (cfr 4,25), at re ab ea non est separata, quia ipsa gratiae infusione peccata delentur; iustificationem ergo velut ornamentum maius reconciliationi opponere non licet. Multo minus autem iustificatio, quam gentiles conversi nunc iam obtinent, tamquam fructus futurae Iudaeorum conversionis vel tamquam res cum illa intime connexa et ab ea utcumque dependens considerari potest.

Omittimus eos, qui ad argumentationem non attendentes Iudaeorum assumtionem ipsis Iudaeis vitam novam dici arbitrantur (cfr *Pel. Salm.* etc.), aut nomine *assumtionis* Apostolos designari volunt, qui gentibus novam vitam attulerint (cfr *Dion.*) similesque paucorum opiniones.

Interpretum quos recensuimus error potissimum ex eo exoritur, quod locutione ζωὴ ἐκ νεκρῶν (vita aliqua ex mortuis), quamvis articulo non definiatur neque ergo ad unum ex multis, quae intelligi per se possunt, designandum determinetur, unum definitum bonum, quod gentibus ex Israelis assumtione exorturum sit, a Paulo significari sibi persuadeant. Rectius autem iuniores Graeci (cum *Chrys.*, ut videtur) et nonnulli iuniores modernique locutionem indeterminatam quasi comparative vel proverbialiter ita adhiberi tenent, ut summam quandam utilitatem vel felicitatem designet sed eam accuratius non definiat (cfr *Phot. Theoph.* : « vita ex mortuis i. e. bona infinita », *Oecum.* : « perfecta et omnimoda laetitia sicut in perfecta et communi vita et

resurrectione a mortuis », *Euth.* : « quum rem augere velit, eam cum resuscitatione comparat »; similiter *Iust. Est*[3]. etc., *Beel. M Ev*[2]. etc. — *Grot. Ros. Oltram.* etc.[1].). Simili igitur modo, quo supra (*v.* 12), Paulus plenariam Israelis conversionem gentibus summae utilitati ac felicitati fore docet, sed aeque parum hic atque ibi nobis revelat, quaenam illa utilitas ac felicitas sit. Nostrum autem non est, coniecturis magis minusve probabilibus id assequi velle, quod Apostolus ipse fortasse ignoravit aut saltem dicere noluit.

Itaque Paulus, quoniam gentibus suae curae concreditis eximia bona ex Iudaeorum assumtione proventura esse praevidet, pro sua quoque parte ad eam promovendam aliquid diligentissimo ministerii sui exercitio conferre studet. Ne quis vero hanc spem inanem esse eiusque laborem, quia Iudaei converti nequeant, irritum fore obiiciat, se illorum conversionem iure sperare ostendit. Atque primum quidem illos ob suam relationem ad patriarchas ius quoddam ad fidem salutemque evangelicam habere monet : 16. *quod si delibatio* (vel melius iuxta consuetam nominis ἡ ἀπαρχή versionem : *primitiae*) *sancta est, et massa* (τὸ φύραμα), *et si radix sancta, et rami* (οἱ κλάδοι). Apostoli spes ergo sanctitate nititur, quam Iudaeis omnibus competere duabus similitudinibus ostendit. Sanctitatem autem intelligit externam vel legalem, quae ad internam sanctificationis gratiam quasi disponat praeparetque atque etiam ius quoddam conferat; sanctitatem igitur similem illi, quam filiis nondum baptizatis parentum fidelium atque infideli viro cum fideli coniuge sine contumelia creatoris cohabitare consentienti attribuit (cfr *Comm.* in 1 *Cor.* p. 184 sqq.). Priorem similitudinem ex praecepto rituali (*Num.* 15,19-21 iuxta Mass. et Alex.) desumit, quo Israelitae, quum panes coquerent, ex subactae farinae massa (τὸ φύραμα) ante omnia partem (*primitiae* ἀπαρχή) desumere ex eaque placentam formare iubebantur, quae Deo sacra esset ideoque aut sacerdotibus tradi aut comburi deberet, ut hac primitiarum (vel delibationis) consecratione massa tota panesque omnes ex ea confecti Domino consecrarentur (cfr *Philon.* de honor. sacerd. Opp. ed. Mangey II. 232; *Fl. Ioseph.* Antiq. IV. 4,4). Hinc prius membrum est perspicuum : massa ipsa, quia in primitiis oblatis et sanctificatis repraesentatur, particeps est sanctitatis. Diversa utique, sed per se clara quoque est alterius similitudinis, quae in sequentibus accuratius excolitur, ratio.

1. Quam frequenter *vita* ad felicitatem, *mors* ad infelicitatem tropice significandam adhibeatur, nemo ignorat. Aptissime autem Apostolus hic duo nomina coniungit (*vita ex mortuis*), ut maximum discrimen declaret, quod inter minus felicem statum, quo gentiles ante Iudaeorum conversionem degunt, ac feliciorem intercedit, in quem conversione eorum transferentur; discrimen tantum erit, quantum inter mortem et vitam.

Ipsa sua origine enim rami participes fiunt naturae ac proinde etiam sanctitatis radicis, ex qua pullulant. Iamvero totum contextum perlustranti dubium esse non potest, quin in secunda similitudine Paulus *radicis* nomine intelligat patriarchas, a quibus Israelitae originem duxerunt; unde illos omnes sanctos (sanctitate illa externa, quam descripsimus) esse dicit ob eorum originem a patribus, qui sancti Deoque accepti promissiones divinas receperunt posterisque suis velut hereditatem transmiserunt, ita ut hi quoque proprium quoddam ius ad eas habeant. Nulla autem est ratio, cur priorem similitudinem cum secunda intime connexam alio sensu interpretemur; etenim Apostolus patriarchas sanctificatos aptissime velut primitias Deo consecratas considerare potest, quibus tota natio israelitica Deo consecrata ac sanctificata sit.

Hanc explicationem *A^ter*iam tradit (« manifestum est, quia quod unius substantiae est, unum est, ac per hoc non potest delibatio sancta esse et massa immunda; delibatio enim de massa est; ideoque ostendit, non posse indignos ad fidem dici hos; quorum iam patres adepti sunt fidem; quia si pars Iudaeorum credidit, cur non et alia pars posse credere dicatur? Immutatis deinde verbis — et si radix sancta, et rami — eadem repetit, ut sensum commendet duobus exemplis ») eandemque multi iuniores ac plerique moderni sequuntur (cfr *Cai. Salm. Est. Iust. Nat.* etc., *Klee Reith. Mai. Beel. LR. Weinh. Dr. Sch.* etc. — *God. Goeb. Weiss* etc.). Reliqui vero iuniores ac moderni cum antiquioribus in varias sententias abeunt. Haud recte, quia ad contextum, qui de *universi Israelis* sorte futura agit, non attendunt, aliqui nominibus *massae* et *ramorum* solos credentes Iudaeos ita designari volunt, ut *primitiis* et *radice* aut Christus, qui solus sit sanctus (cfr *Orig.* etc.) aut patriarchae (cfr *Chrys. Phot. Theoph. Oec. Euth.* etc.) significentur. Quodsi illi utramque similitudinem de eadem re recte interpretantur, alii sine sufficiente ratione duas similitudines ita distinguunt, ut *massam* et *ramos* quidem nobiscum de universo populo iudaico, ac similiter *radicem* de patriarchis, sed *primitias* aut de Christo (cfr *Mopsu. Theod. Pel.* etc.) aut de Apostolis primisque Iudaeochristianis intelligant (cfr *Prim. Herv. Thom. Syr.* etc., *Tol. Lap. Pic.* etc., *MEv. Bisp. Ag.* etc. — *de W. Rück. Lange*, etc.).

Aptissime nunc, postquam Israelis iure ad promissiones asserto Iudaeis spem salutis non deesse declaravit, Apostolus alteram imaginem continuans Ethnicochristianos admonet, ne eos despiciant: 17. *quod si aliqui rami fracti sunt* (vel potius: *defracti sunt* vel avulsi sc. ab arbore ἐξεκλάσθησαν), *tu autem, quum oleaster* (ἀγριέλαιος) *esses, insertus es in illis* (melius: *inter illos* ἐν αὐτοῖς) *et socius* (i. q. simul particeps συγκοινωνὸς) *radicis et pinguedinis olivae* (τῆς ἐλαίας) *factus es*, 18. *noli gloriari adversus ramos; quodsi gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Si sermonem metaphoricum in proprium transferimus, hic est sententiarum sensus: « Quamvis Iudaei multi a regno messiano, ad quod vi originis suae velut patriarcharum filii pertinebant, ob suam infidelitatem (cfr *v.* 20) sint exclusi, Ethnicochristiani tamen, qui ob suam fidem per solam misericordiam divinam (cfr 15,9), quum

origine sua nullum omnino ius haberent, in illud admissi benedictionumque illius participes facti sunt, nequaquam habent, cur Israelem superbe despiciant, idque eo minus, quia non nisi propter suam coniunctionem cum illo ad bona illi promissa pervenerunt ».

Una nimirum ex parte Apostolus cum prophetis (cfr *Ierem.* 11,16; *Os.* 14,9) populum iudaicum ex sancta patriarcharum stirpe oriundum nobili ac speciosae olivae singulosque Iudaeos naturalibus eius ramis ita comparat, ut alii, qui fidem patris sui Abrahae imitati in Christum crediderunt, ei sint rami arbori inhaerentes, qui cum radice uniti pinguedine olivae (scilicet benedictione Abrahae promissa cfr *Gal.* 3,14) fruantur, alii vero, qui in venturum quidem Messiam crediderant, advenientem autem respuerant, ob fidem amissam ramis de oliva defractis et avulsis assimilentur. Attamen ut Iudaeis parcat praecaveatque, ne Ethnicochristiani insolescant, quasi per litoten *aliquos* ex ramis (τινας τῶν κλάδων cfr ad 3,3), acsi pauci tantum sint, fractos dicit. Ac profecto quamquam longe plurimi illius aetatis Iudaei a fide recesserant et solae reliquiae (*v.* 5) eam retinuerant, infideles velut paucos recte considerare potest prae omnibus illis Abrahae posteris, qui et ante Messiae adventum in eum credentes fidem patris sui imitati erant et advenientem Messiam cum fide receperunt et in futuro tempore ad paternam fidem revertentur (*v.* 25). Altera deinde ex parte Ethnicochristianos, unum ex eis synecdochice pro omnibus alloquens (*tu autem,* Ethnicochristianae, quisquis sis), ramis assimilat ex vili oleastro excisis, qui in nobilem illam olivam medii inter illius ramos naturales (ἐν αὐτοῖς) inserti una cum his eandem sanctam radicem ac pinguedinem illius participant (συγκοινωνός).

Sunt qui gentium universitatem (τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν *v.* 25), quae infra (*v.* 24) oleaster vocetur, etiam hic pronomine *tu* compellari arbitrantur (*Est. :* « tu, o popule gentilis, quum olim esses oleaster, insertus es olivae » cfr *Cai. Lap.* etc.); sed parum recte. Neque enim integra arbor, sed eius surculus, alteri inseri solet, atque clarum quoque est, Paulum eos solos alloqui, quos ex naturali oleastro excisos dicit (*v.* 24), i. e. eos solos ethnicos, qui ethnicismo reiecto fidem evangelicam iam receperant. Interpretes illi non attenderunt, graecum ἀγριέλαιος, quod et substantivum est et adiectivum (ἡ ἀγριέλαιος vel ἡ ἀγριελαία *oleaster,* et ἀγριέλαιος in oleastro natus, vel si vocabulum Latinis non usitatum fingere licet: *oleastrinus*), nostro in loco adiectivum esse (ἀγριέλαιος ὤν quum in oleastro natus esses) neque satis accurate a latino interprete substantivo oleastri (quum oleaster esses) esse redditum. Porro graecum ἐν αὐτοῖς (*in illis*) a nonnullis ad totam expressionem τινὲς τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν (*aliqui* ex ramis fracti sunt) ita referunt, quasi

ethnici *in loco* (i. q. pro) vel *in locum* fractorum ramorum inserti dicerentur (cfr *Chrys. Theoph., S. Aug.* in Psalm. 72 n. 2, *Thom. Tol. Bisp. Ag.* etc.). Neutra tamen significatio locutioni ἐν αὐτοῖς competit, quae potius ad solum nomen τῶν κλάδων referatur oportet, ut *inter* naturales olivae ramos inseri dicantur. Significatur ergo, ethnicos, qui crediderunt, extraordinario Dei beneficio (insertione sc. sua) idem decus accepisse, quod ad Iudaeos (naturales ramos) iam vi originis eorum pertinebat. Hanc enim explicationem omnino postulat sequens συγκοινωνός (*com*particeps, *con*socius), cuius σύν non nisi ad naturales ramos arbori inhaerentes referri potest. Similiter alibi quoque ethnici conversi una cum Iudaeis conversis « *co*heredes et *con*corporales et *com*participes promissionis » (*Eph.* 3,6) dicuntur.

Quum in oppositione ad Iudaeos, qui utpote summis beneficiis divinis semper ditati recte similes dicuntur ramis nobilis olivae a Deo ipso plantatae magnaque cum cura cultae, ethnici, quos Deus in praeteritis generationibus vias suas ingredi permiserat (*Act.* 14,15), cum agrestis incultique oleastri ramis comparentur, eorum superbia haud parum iam praecavetur. Ipsa enim hac comparatione memores esse iubentur pristinae conditionis suae tristissimae, quando « sine Christo (quippe qui eis non esset promissus et cuius ne notitiam quidem haberent) alienati a conversatione Israel (τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ i. e. a divino, quo Israel fruebatur, regimine), hospites (ξένοι i. q. expertes) testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo (ἄθεοι i. q. speciali Dei auxilio et protectione destituti) degebant in hoc mundo » (*Eph.* 2,11. 12). Quoniam autem Ethnicochristiani ab hac sua miseria liberati non sunt, nisi quando in sanctam olivam inserti eius radicem ac pinguedinem participare coeperunt, iure merito admonentur, ne inserti adversus eius ramos naturales, eo quod aliqui ex eis fracti sint, glorientur illosque superbe despiciant. Quin etiam, ut eorum superbia omnino arceatur, relationem perpendere iubentur, quae inter ramos insertos et radicem arboris cui inserti sunt intercedat : tantum quippe abest, ut radix a ramis insertis quidquam accipiat iisque ad vitam suam indigeat, ut ipsi radice indigeant et ab ea alantur. Bene *Thom.* in ultima haec verba sententiae : « *Quodsi* non obstante mea admonitione *gloriaris* insultando Iudaeis stantibus vel excisis, hoc considera ad repressionem gloriae tuae, quod *tu radicem non portas, sed radix te*, i. e. Iudaea non accepit a gentilitate salutem, sed e converso salus ex Iudaeis est (*Ioan.* 4,22) ».

Restat, ut de difficultate dicamus, quam paulina similitudo creat. Namque « iuxta legem agriculturae » (*A*[ter]) surculus arboris sativae et

cultae, quae bonos fert fructus, agresti trunco malos vel nullos fructus ferenti inseri solet, ut cum eo coalescens crescat fructusque sibi congeneres producat; minime vero surculus arboris agrestis arbori bonae inseritur. Iamvero iuxta Paulum oleastri ramus bonae olivae inseritur; unde antiquitus iam nonnulli eum similitudinem, qua utitur, non ex rerum natura desumsisse sed libere finxisse sibi persuaserunt. « Ne hoc quidem, inquit *Orig.*, lateat vos in hoc loco, quod non eo ordine Apostolus olivae et oleastri similitudinem posuit, qui apud agricolas habetur; illi enim magis olivam oleastro inserere et non olivae oleastrum solent; *Paulus vero apostolica auctoritate ordine commutato res magis causis, quam causas rebus aptavit* ». Alii Graeci de hac difficultate non loquuntur; inter Latinos autem praeter *A^trum^* et *Pel.* praesertim *S. Aug.* eam commemorat; monet enim « contra consuetudinem esse naturae, quam notitia hominis comprehendit, ut oleaster insertus in olea non oleastri baccas sed olivae pinguedinem ferat » (c. Faust. XXVI. 3). Unde alibi (enarr. in Ps. 72 n. 2) similitudinem ab Apostolo eo consilio esse conformatam concludit, ut appareret, « omnipotentia sua Deum fecisse, ut oleaster (i. e. ecclesia gentium) in radicem olivae insereretur et non baccas silvestres sed olivam daret »; nam « quis, inquit, inserit oleastrum in oliva? oliva solet in oleastro, oleastrum in oliva nunquam vidimus; quod enim inseritur, hoc crescit et eius rei fructus invenitur; invenitur non radicis fructus sed surculi ». Quibus similia nonnulli iuniores ac moderni habent; unus pro omnibus audiatur *Est.* : « Nihil, inquit, absurdum, si quis similitudinem assumat ab eo, quod in natura non fit eo ordine, quo ad institutum applicatur. Tale enim est quod gentili populo Paulus dicit : Ita tecum actum est, ac si ex oleastro surculum quis inserat olivae, fructum inde vel praeter naturam consecuturus ».

Verum non obstante Orig. et S. Aug. negatione antiquitus olivis interdum oleastri surculos esse insertos, quin etiam istam insertionem saltem nonnullis in regionibus satis usitatam fuisse constat. Refert enim *Columella* (V. 9,16 ed. Schneid.) : « Solent etiam quamvis laetae arbores (oleae) fructus non afferre; eas terebrari gallica terebra convenit atque ita in foramen *viridem taleam oleastri* immitti; sic velut inita arbor foecundo semine fertilior exstat ». Atque iuxta *Palladium* (de insitione XIV. *v.* 53 sq.) : « Foecundat sterilis pingues oleaster olivas, Et quae non novit, munera ferre docet ». Recentiores quoque aliqui referunt, inveterascenti olivae ab agricolis ramum oleastri inseri, quo quasi renovetur et ad fructus denuo ferendos excitetur (cfr *Schulze* Leitungen des Höchsten V. 88; Michaelis Oriental. Biblioth. X. 67 sqq.; Bredenkamp in Paulus Memorabilien II. 149 sqq.). Iure merito quidem

dubitare licet, num iuxta physiologiae leges fieri possit, ut oleastri ramus insertus laetam sed sterilem olivam foecundet aut veterascentem ad novam fertilitatem excitet. Quoniam vero Columellae et Palladii testimoniis constat, oleastri insitionem in olivam antiquitus in usu fuisse, nihil obstare censemus, quominus Apostolus ad illum usum attendisse et ex eo similitudinem suam desumsisse dicatur. Utique obiicitur, oleastri surculum iuxta allegata testimonia utilitatem afferre olivae, iuxta similitudinem autem paulinam ex oliva utilitatem percipere. Verum haec duo nequaquam ita inter se pugnant, ut ideo similitudinem ex isto usu apte derivari negemus. Recte quippe respondetur, auctores citatos ad dubium finem, ob quem insertionem illam ab agricolis adhiberi arbitrantur, potissimum vel unice attendisse, Paulum vero, incerto isto fine praetermisso, ad id solum attendisse, quod in illa insertione, uti in quacumque alia, non fieri non potest. Certum enim est, oleastri surculum, si olivae rite inseritur, cum illa coalescere eamque deinceps, uti *Clem. Alex.* (Strom. VI. 15. M. 9,341) ait, pro agro habere ex quo nutritur, vel uti Paulus ipse loquitur, radicis et pinguedinis (sc. suci) olivae una cum eius naturalibus ramis participem fieri. Haec duo sola Paulus in tota sua similitudine supponit eaque ex illo agricolarum usu legitime desumere potuit; ad alia vero, quae non commemorat, similitudinem extendere neque opus est neque licet.

Ex sua admonitione obiectionem, qua ethnici gloriationem suam forsitan excusent, Paulus ipse derivat ac praeoccupat, ut illius refutatione monitum suum corroboret eorumque superbiam denuo cohibeat: 19. *dices ergo : Fracti sunt rami, ut* (ἵνα) *ego inserar* (vel accuratius : *insererer*). Haud recte *Tolet.* obiectionem ex verbis immediate praecedentibus (*radix portat te*) desumi putat, acsi Ethnicochristiani responderent : « Non gloriamur adversus radicem, quae nos nunc portat, sed adversus ramos fractos, quorum in locum inserti sumus »; neque enim radix, quae hic non commemoratur, et rami, sed rami naturales et inserti inter se opponuntur. Ex eo potius obiectio procedere dicenda est, quod Ethnicochristiani, quaequae pristina eorum abiectio ac miseria fuerit, nunc saltem Iudaeis a Deo antepositi sint ac proin adversus illos gloriari possint, quos Deus a messiano regno excludi eo consilio permiserit, ut ethnici in illud intrarent. Quem in sensum bene *Thom.* « Nemo, inquit, sustinet detrimentum unius rei, nisi propter pretiosiorem et magis dilectam, sicut medicus permittit infirmitatem in pede, ut sanet oculos; sic igitur ex hoc ipso [quod delicto Iudaeorum facta est salus gentium *v.* 11] videtur gentilitas esse pretiosior ac magis Deo dilecta, quam Iudaea ».

Quam obiectionem refutaturus Apostolus factum, cui innititur, concedit quidem, sed ex eo conclusionem illam erronee derivari ostendit, quia ad veram ac propriam eius rationem non attenditur : 20. *bene* (καλῶς); *propter incredulitatem* (melius : *infidelitate* seu *per infidelitatem*[1] τῇ ἀπιστίᾳ) *fracti sunt; tu autem fide* (τῇ πίστει i. q. per fidem) *stas; noli altum sapere* (vel : noli superbire μὴ ὑψηλὰ φρόνει) *sed time*. Adverbium καλῶς (*bene, optime*) concedentis utique et approbantis est, at hic cum ironia quadam positum videtur, uti ex addita sententia apparet : « Recte ais, illos fractos et te insertum esse, quin etiam dicere licet, illos fractos esse, ut tu insereris; nihilominus rem accuratius perpendas velim ». Sunt, qui solam naturalium ramorum fractionem et agrestium insertionem ab Apostolo concedi, causalem autem nexum, qui inter fractionem et insertionem adesse in obiectione asseritur (ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ *ut* ego insererer), ab eo negari censeant (cfr *Mai. Beel. Bisp.* etc. — *Oltram. Weiss* etc.). At *aliquem causalem* nexum inter Iudaeorum reiectionem et vocationem gentium adesse, Paulus supra (*vv.* 11. 12. 15) ipse agnovit; omnem igitur hic negare non potest. Ac revera ramorum naturalium fractionem causam occasionalem fuisse insertionis agrestium supponens explicat, quae sit vera ac propria vel, uti alii dicunt, formalis causa quum reiectionis Iudaeorum tum admissionis ethnicorum : *per infidelitatem* (τῇ ἀπιστίᾳ), i. e. eo ipso quod in Christum credere noluerunt, *fracti sunt* aliqui ex ramis naturalibus, aliis qui Messiam advenientem agnoverunt in oliva remanentibus; ac similiter *per fidem* (τῇ πίστει), i. e. eo ipso quod Evangelio sibi annuntiato credentes sese subiecerunt et nunc subiecti manent, aliqui ex oleastri ramis in olivam inserti sunt ac nunc in ea *stant* et virent, aliis ramis qui credere renuerunt in abiecto oleastro persistentibus.

Iamvero quia a fide, i. e. a gratuito Dei dono, de quo gloriari, quasi suum ipsius esset opus, nemini licet, tota salus pendet atque fides ipsa sine humilitate conservari nequit, sua sponte consequitur admonitio : *noli altum sapere* (seu *superbire*), *sed time* potius, ne tu quoque, sicut rami illi naturales, fidem amittas et per infidelitatem frangaris; 21. *si enim Deus naturalibus ramis non pepercit*, (cave) *ne forte nec tibi parcat*. Ad sensum haud multum refert, utrum cum iunioribus codd. graecis ac plerisque verss. hanc Vulgatae lectionem retineamus, an cum antiquioribus codd. graecis et *S. Aug.* alteram fortiorem praefera-

1. Versio nostra *propter incredulitatem*, quae graeco διὰ ἀπιστίαν magis respondet, hic ideo quoque minus est apta, quia Paulus hoc in loco fractionem velut poenam incredulitatis non considerat. In altero enim membro insertio tamquam praemium fidei certe non potest considerari. Nulla autem adest causa, cur duorum dativorum parallelorum diversam esse rationem cum nonnullis (cfr *Mai. Beel.* etc.) statuamus.

mus : « *si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet* » (cfr *VV. LL.*). Naturalibus autem certe non securiores sed minus securi sunt rami contra naturam inserti (cfr *v.* 24); quare aliqui Apostolum per litoten hic minus dicere quam significare haud immerito censent; Deum quippe Ethnicochristianis, nisi humiliter sentiant, etiam minus quam Iudaeis parciturum esse insinuat. « In hoc ergo, inquit *Thom.*, consistit solutio Apostoli, quod quum aliquis videt se gratiam adeptum esse, alio cadente, non debeat extolli contra cadentem, sed magis timere sibi ipsi, quia ipsa superbia est causa praecipitii, et timor est causa custodiae et cautelae ».

Quam egregium hic habeamus argumentum contra pseudoreformatores dictitantes hominem fidem iustitiamque semel acceptam amittere non posse atque plenam perfectamque iustitiae suae certitudinem habere (cfr ad 1 *Cor.* 10,12), bene exponit *Thom. Stapleton* (i. h. l.) : « Quod tam serio, tam acriter, tam multis verbis gentes conversas Apostolus monet, ne ad Christi fidem veritatisque agnitionem misericordissima Dei gratia perducti, perfidis interim Iudaeis in sua incredulitate relictis, inde efferantur aut insolescant aut sibi placeant, tamquam de salute adepta securi et extra omne amittendae salutis discrimen positi, sed potius timeant et hoc ipsum timeant, ne propter incredulitatem frangantur, hoc sane totum ad commentitiam calvinianam fidem, quae est divinae benevolentiae nunquam amittendae certa persuasio, et ad ipsam electorum fidem indelebilem, quam conformiter finxit Calvinus, denique ad totam illam certitudinem gratiae ac salutis, quam velut propriam Christianismi notam omnes hodie haeretici arctissime complexi sunt, penitus evertendam et refutandam invicte valet. Ubi enim homini iam credenti ac fide stanti timor adhuc futuri casus superest, ibi nec persuasio illa commentitia, neque indelebilis fides, neque certitudo praesumta ullum locum habere potest; quandoquidem nihil magis securitati adversatur quam timor, nihil certius salutis certitudinem tollit quam facile possibilis a salute lapsus, neque denique indelebile dici potest, cuius delendi et amittendi certum periculum imminet ».

Satis mirum est, quod *Est.* ex hac Pauli admonitione colligat, omnia a Dei voluntate ita pendere, ut libero hominis arbitrio locus non superesse videatur. Egregie quidem ait : « Haec ratio validissima est ad comprimendam omnem gloriationem gentilium adversus Iudaeos; neque minus valebit, etiamsi non a maiore sed a pari procedat, de quocumque homine gloriante adversus alterum. Quum enim omne bonum a Deo sit et ipse nemini quidquam debeat, nisi quantum vult debere per spontaneas promissiones et pacta, tam potest libera sua voluntate permittere casum ac defectionem gentilium [scilicet fidem aut non recipientium aut acceptam abiicientium], quam permisit Iudaeorum [Messiam suum respuentium], tam casum huius hominis [cum gratia non cooperantis], quam illius [similiter non cooperantis]; quod enim stat quisque, totum ad gratuitam Dei misericordiam referre debet [quae ni-

mirum gratiam confert, quacum homo, si cooperatur, stare potest] ». Quomodo autem nunc concludat : « Igitur ostendit hic locus, *ne reprobationem quidem esse ex meritis, sed ex sola Dei voluntate* », nemo facile dixerit. Nonne Apostolus statim (*v.* 22) clarissime docet, ramum excisum iri, nisi ipse per humilitatem et timorem in gratia, quam a divina bonitate accepit, permanere studeat? Sed de erronea hac sententia antea iam diximus.

Adversus naturales igitur ramos, eo quod fracti sint ut ipse insereretur, Ethnicochristiano gloriari non licet, sed potius sibi, ne ipse quoque frangatur, timens benignitatem ac iustam severitatem perpendere debet, quam Deus aequali modo erga Iudaeos et erga ethnicos exhibet : 22. *vide ergo bonitatem* (melius : *benignitatem* χρηστότητα cfr ad 2,4) *et severitatem* (ἀποτομίαν) *Dei : in eos quidem qui ceciderunt* (ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας) *severitatem* (ἀποτομίαν vel iuxta alteram lectionem : ἀποτομία *severitas* sc. est), *in te autem bonitatem* (χρηστότητα *benignitatem* vel χρηστότης *benignitas*) *Dei, si permanseris* (ἐὰν ἐπιμείνῃς vel : *si permaneas* ἐὰν ἐπιμένῃς cfr *VV. LL.*) *in bonitate* (ἐν χρηστότητι *in benignitate*); *alioquin et tu excideris;* 23. *sed et illi, si non permanserint* (ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσιν vel : *si non permaneant* ἐὰν μὴ ἐπιμένωσιν) *in incredulitate, inserentur.* Quoniam substantiva χρηστότης et ἀποτομία articulo carent, non tam attributa ipsa in se, quam eorum manifestationes quasdam significari dicendum est. Aptissime autem Apostolus lectoribus suis, ut eos ad humilitatem salutaremque timorem exhortetur, considerandum meditandumque (ἴδε *vide* i. q. attentionem tuam converte in...) proponit, quomodo attributa illa in ethnicorum vocatione et in reiectione Iudaeorum sese manifestaverint et in utrorumque sorte continuo sese manifestent. *Benignitatem* quippe Deus manifestavit erga ethnicos illos, quos non ob eorum merita praecedentia sed gratuito ex mera misericordia ad fidem adduxit; *iustitiae* vero *severitatem* ac rigorem (ἀποτομίαν, cui nomini, uti a Paulo χρηστότης *benignitas*, ita a *Plut.* de puer. educ. 18 πρᾳότης *clementia* et a *Dion. Hal.* VIII. 61 τὸ ἐπιεικές *lenitas* opponitur) adhibuit erga Iudaeos non omnes, sed *eos qui ceciderunt* (ἐπὶ τοὺς πεσόντας), i. e. qui sua ipsorum culpa in lapidem offensionis offendentes fide amissa lapsi sunt. Perverse *Est.* τοὺς πεσόντας interpretatur « quos Deus cadere permisit », atque perversius addit : « quae permissio ad severitatem pertinet tamquam divinae reprobationis effectus ». Nam de reprobatione hic non agitur atque iuxta Paulum Iudaeorum lapsus (τὸ πεσεῖν) non est effectus sed causa manifestationis severitatis : quia Iudaei fidem respuentes peccarunt et lapsi sunt, ideo Deus contra eos sese severum exhibuit iustitiaeque suae rigorem manifestavit.

Hoc enim sensu sententiam explicandam esse evidentissime elucet ex eo, quod neque divinae benignitatis erga Ethnicochristianos neque divinae severitatis contra Iudaeos incredulos manifestationem Apostolus constantem immutabilemque fore doceat, nisi quantum priores in fide, alteri in incredulitate persistant. Nam Ethnicochristianus benignitatem Dei erga se experiri dicitur, *si permanserit* (vel permaneat) *in benignitate; sin* autem in ea *non permanserit, ipse quoque excidetur* et severitatem divinam experietur. Haud male quidem *Clem. Alex.* (Paedag. I. 8 M. 8,333) « permanere *in benignitate* » sc. Dei idem esse censet quod « permanere *in fide Christi* »; hanc enim interpretationem membrum oppositum suadet, in quo increduli Iudaei *in incredulitate* permanere vetantur. Consulto tamen Paulus, uti *Chrys.* recte adnotat, *in benignitate* Dei permanendum esse dixit, ut Ethnicochristiani sese non sibi ipsis neque suis operibus sed misericordissimi Dei gratiae debere fidem, qua in olivam inserti sint, clarius intelligentes ab omni superbia, quae hominem divinis donis indignum reddit, sese abstinerent et per bona opera certam facerent vocationem suam (2 *Petr.* 1,11). « Quia enim benignus fuit erga te Dominus, time; neque enim immobilia sunt bona illa, si socors es » (*Chrys.*). Fides igitur, quae gratis a Deo datur, ab homine non conservatur, nisi cum gratia accepta cooperatur, ita ut acceptio quidem fidei sit sine praecedentibus hominis meritis, amissio autem fidei non sine hominis culpa. Iamvero sicut felix Ethnicochristiani status immutabilis non est sed ab eius cooperatione cum gratia pendet, ita etiam infelix Iudaeorum incredulorum conditio non est immutabilis, siquidem *et illi, si non permaneant in incredulitate, inserentur*. Quia Messiam suum respuebant, incredulitate sua ex oliva defracti sunt; at Deus etiam nunc eis gratiam offert, quam recipientes deponere possunt incredulitatem; qua deposita nihil obstat, quominus et ipsi inserantur.

Itaque quoniam insertis ramis semper timendum est, ne iterum excidantur, naturalibus autem ramis defractis spes relicta est fore ut iterum inserantur, Ethnicochristianus profecto cur adversus Iudaeos glorietur non habet. Ut autem ultimam quoque ei eripiat insolescendi causam, Apostolus non tantum ad omnipotentiam divinam appellans Iudaeos incredulos iterum in regnum messianum admitti posse confirmat, sed etiam naturalium quam alienorum ramorum insertionem magis naturae consentaneam videri monens Iudaeos quodam modo regno messiano viciniores aptioresque quam ethnicos esse declarat : *potens est enim Deus iterum inserere illos;* 24. *nam si tu ex naturali excisus es oleastro* (ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου) *et contra naturam* (παρὰ φύσιν) *insertus es in bonam olivam* (εἰς καλλιέλαιον), *quanto magis ii qui*

secundum naturam (sc. sunt rami bonae olivae; melius tamen : ii qui secundum naturam sunt, seu : *naturales rami* [bonae olivae] οἱ κατὰ φύσιν scil. κλάδοι τῆς καλλιελαίου) *inserentur suae olivae* (vel : *propriae olivae* τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ)? Magna cum vi Paulus Deum fractos ramos in pristinum suum locum restituere *posse* asserit, ut hac potentiae assertione simul spem excitet, eum revera, nisi quid obstet, facturum esse id quod potest (cfr 16,25; ad 2 *Cor.* 9,8), eum igitur Iudaeos, dummodo ipsi obice remoto gratiam fidei oblatam receperint, in regnum messianum iterum esse admissurum. Ad quam spem confirmandam augendamque naturalium ramorum insertionem cum insertione alienorum ita comparat, ut priorem, utpote naturae consentaneam, altera, quae naturae minus congruat (παρὰ φύσιν *praeter* naturam), faciliorem esse doceat. Quae enim eiusdem sunt generis ac naturae facilius inter se uniuntur, quam quae diversi sunt generis; unde ramus defractus, quum olivae naturam iam habeat, facilius quam oleastri ramus in olivam inseritur et cum ea coalescit.

Per se quidem Deo omnipotenti ethnicum ad fidem adducere difficilius non est quam Iudaeum; sed secundum nostrum iudicandi argumentandique modum, iuxta quem Apostolus loquitur, utique concludi potest : « Si gentilis oriundus ex gente a Deo aversa, quae salutis messianae promissionem non habebat et a Deo quasi derelicta videbatur, olivae Ecclesiae inseri potuit, multo facilius Iudaei ex sancta stirpe patriarchali oriundi, quibus salutis messianae promissio diserte facta est atque vi originis suae ius ad olivam iam competit, in eam iterum inserentur cum eaque coalescent ». Parum recte autem cum *S. Aug.* (c. Faust. XXVI. 3) antiquiores Latini (cfr *Haym. Herv. Thom.* etc.) locutionem « contra naturam inserere » interpretantur « contra communem cursum naturae, iuxta quem non ramus arboris malae in bonam sed e converso ramus bonae arboris in malam inseri solet ». Ex duorum enim membrorum oppositione satis patet, de ramorum inserendorum natura agi atque oleastri ramum origine ac natura sua a Paulo contrarium dici olivae bonae, cui origine ac natura ramus olivae ipsius omnino conveniat.

3. — *Post gentium plenitudinem plenitudo Israelis promissae salutis particeps fiet* (11,25-32).

11,25. ***Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes), quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret,*** 26. ***et sic omnis Israel salvus fieret, sicut***	11,25. Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα μὴ ἦτε ἐν ἑαυτοῖς φρόνιμοι, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ. 26. καὶ οὕτως

scriptum est : Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Iacob. 27. Et hoc illis a me testamentum : quum abstulero peccata eorum. 28. Secundum evangelium quidem inimici propter vos : secundum electionem autem, carissimi propter patres. 29. Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum : 31. ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium misereatur.

πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται καθὼς γέγραπται· Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος, ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ· 27. καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. 28. Κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς, κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας· 29. ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. 30. ὥσπερ γὰρ ὑμεῖς ποτὲ ἠπειθήσατε τῷ Θεῷ, νυνὶ δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, 31. οὕτως καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ νῦν ἐλεηθῶσιν· 32. συνέκλεισεν γὰρ ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ [1].

In superiore iam sectione Paulus, ut Ethnicochristianos a Iudaeis superbe despiciendis averteret, futuram universi Israelis admissionem in regnum messianum haud semel satis clare insinuavit (*vv.* 11. 12. 15), quin etiam eam possibilem ac probabilem esse demonstravit (*vv.* 16.

1. *VV. LL.* — 25. ἐν ἑαυτοῖς (*in* vobis ipsis; *Syr.* : in cogitatione vestra) B A; sed *textus rec.* : παρ' ἑαυτοῖς (*apud* vosmet ipsos cfr *Orig. int.*) cum ℵ C D L, plerisque minusc. et PP.; demum sine ulla praepositione : ἑαυτοῖς (*vobis ipsis*) F G, pauci minusc., *It. Vulg.*; sensu tres lectiones non differunt. — 26. καὶ οὕτως πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται (et sic omnis Israel *salvus fiet*) est communis ac certa omnium codd. graec. et verss. (praeter latinam) lectio; minus apte, licet sensus fere idem maneat, *It. Vulg.* hanc sententiam a praecedente particula *donec* dependentem faciunt : *donec... intraret et sic omnis Israel salvus fieret.* — ἀποστρέψει (avertet), coniunctione καί non praemissa, B ℵ A C D, pauci minusc., *Aeth.*; attamen coniunctionem addit *textus rec.* : καὶ ἀποστρέψει (*et* avertet) cum K L, plerisque minusc., *Vulg.* (cfr *Amiat.*) *Syr. Copt. Arm.*; coniunctio etiam in alexandrina versione exstat eamque *It.* ac *Vulg. Clem.* quoque agnoscunt, quae tamen haud recte habent : *et avertat*, acsi verbum hoc a praecedente pronomine relat. dependeret. — 30. ὥσπερ γὰρ ὑμεῖς ποτέ (sicut enim vos aliquando), particula καί ante ὑμεῖς praetermissa, B ℵ A C D E F G, aliqui minusc., *It.* (cfr *Orig. int.*, *S. Aug.* saepe) *Copt. Aeth. Goth.*; aptissime tamen *textus rec.* particulam addit : ὥσπερ γὰρ καὶ ὑμεῖς ποτέ (*sicut enim aliquando et vos*) L, plerique minusc., *It.* (cfr *A*[ter] *Pel.* etc.) *Vulg. Syr. Arm.* — 31. ἵνα καὶ αὐτοὶ νῦν ἐλεηθῶσιν (ut et ipsi *nunc* misericordiam consequantur) B ℵ D, paucissimi minusc., *Copt.*; particulam νῦν, quae ex praecedentibus membris irrepsisse videtur sed hic satis incommoda est, iure *textus rec.* omittit : ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσιν (*ut et ipsi misericordiam consequantur*) cum A E F G L, plerisque minusc., *It. Vulg. Syr. Arm. Aeth. Goth.* — 32. τοὺς πάντας (omnes) in utroque membro B ℵ A E L, omnes minusc., *It.* (cfr *Orig. int.*, *S. Aug.* ad Paulin. ep. 149,7 et saepius) *Syr. Copt. Arm. Goth.*; sensu non mutato : τὰ πάντα (*omnia*) D F G, *S. Iren.* (c. haer. I. 10,3); secundam hanc lectionem etiam sequuntur *It.* (cfr *S. Ambr.* de Abrah. II. 10,74 et saepius, *A*[ter] etc.) et *Vulg.* (« conclusit... *omnia*..., ut *omnium* misereatur). Nihilominus prior praeferenda videtur, quia altera probabiliter ad *Gal.* 3,22 (συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα) conformata est.

23. 24). Ad omne tamen dubium excludendum ulterius progrediens iuxta revelationem sibi factam exponit, quam arcto nexu cum ipso gentium omnium ingressu in Ecclesiam cohaereat totius Israelis salus (25. 26[a]), quae antiquis vaticiniis iam sit praedicta (26[b]. 27). Ne quis vero de hac doctrina miretur, divinum consilium paucis explicat, quo Israel et gentes ita ad fidem adducantur, ut sibi mutuo sint auxilio : Deus enim, etsi nunc Israelem ad gentium utilitatem excaecari permiserit et ad tempus reiecerit, fidelis tamen ea servabit, quae patribus eorum olim promisit (28. 29). Nam sicut gentibus infidelibus praesentem Israelis infidelitatem occasionem esse voluit, qua misericordiae suae particeps fierent, ita Israeli nunc infideli fidem gentium aliquando occasionem fore vult, qua et ille misericordiam consequatur (30. 31). Hac quippe ratione utrosque ex infidelitate eruere vult, ut erga utrosque eandem exhibeat misericordiam (*v.* 33).

Ramos ob infidelitatem defractos, dummodo ab ea desistant, suae olivae iterum iri insertum, Paulus absolute quidem asseruit (*v.* 23); sed num Israel conditionem appositam unquam esset impleturus, facile aliquis, praesente illius caecitate et contumacia considerata, addubitare potuit, non obstante argumentatione, qua eius conversio probabilis esse ostendebatur (*v.* 24). Itaque ad hanc dubitationem removendam argumentumque suum confirmandum pergit : 25. *nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc* (τὸ μυστήριον τοῦτο) — *ut non* (i. q. *ne* ἵνα μὴ) *sitis vobis ipsi sapientes* (ἑαυτοῖς φρόνιμοι vel : *apud vosmet ipsos sapientes,* παρ' seu ἐν ἑαυτοῖς φρ.) — *quia* (seu *quod* ὅτι) *caecitas ex parte contigit in Israel* (vel : *ex parte Israeli contigit* ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν), *donec* (ἄχρις οὗ) *plenitudo gentium intraret* (melius : *intraverit* εἰσέλθῃ), 26. *et sic* (καὶ οὕτως) *omnis Israel salvus fieret* (lege : *salvus fiet* σωθήσεται cfr *VV. LL.*). Singulari numero in pluralem mutato eosdem, quos antea, Ethnicochristianos alloquens (cfr ad *v.* 17) rem, quam afferre vult, haud levis esse momenti, quum formula qua illam introducit (οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν cfr ad 1,13; 1 *Cor.* 10, 1; 12,1 etc.), tum praecipue nomine *mysterii* ostendit, quo illam designat. In Novo Test. enim graecum μυστήριον, quod latinus noster interpres plus vicies retinuit ac dumtaxat sexies latino *sacramentum* expressit (cfr ad 1 *Cor.* 4,1), non rem quamcumque arcanam secretamque, quam cum aliis communicare non licet, uti apud profanos scriptores, significat (τὰ ἄρρητα καὶ ἀνεξήγητα *Hesych.*), sed illis solis veritatibus designandis inservit, quae creato intellectui per se absconditae ab eo eatenus tantum percipiuntur et intelliguntur, quatenus divina revelatione proponuntur ac manifestantur. Unde nomine mysterii (vel

mysteriorum) proxime quidem omnia Dei consilia comprehenduntur, quae ad salutem nobis per Christum praestandam spectant (cfr 16, 25; 1 *Cor.* 2,7; *Eph.* 1,9 etc.; *Matth.* 13,11 et parall.; *Apoc.* 10,7 etc.), aliquoties autem singularia quaedam divinae oeconomiae dogmata appellantur, quae utpote intellectu difficiliora non tironibus et parvulis in Christo, sed solis perfectioribus ac spiritualibus (cfr ad 1 Cor. 2, 13; 3,1 sqq.), ubi res vel tempus id poscebat, tradebantur.

Inter quae praeter doctrinas de gloriosa transmutatione iustorum, qui in secundo Christi adventu superstites erunt (cfr ad 1 *Cor.* 15,51), et de vera christiani matrimonii ratione (*Eph.* 5,25-32) potissimum illa numeretur oportet, quae speciali modo Paulo erat revelata de gentibus ad fidem vocandis iisque cum Iudaeis in unam Ecclesiam ita coadunandis, ut inter se pares et aequales utrique eadem haberent iura (cfr *Eph.* 2,11 sqq.; 3,1 sqq.). Cum hac autem doctrina (id quod ex *vv.* 30-32 clare elucet) arcte illud connexum est mysterium, quod Apostolus hoc in loco revelat, licet ob diversum finem. Attendas enim velim, eum aliis in epistolis hoc mysterio revelato iura Ethnicochristianorum magna cum vi contra iudaizantium invidiam superbiamque defendere, hic vero, quum ecclesiae scribat, in qua ethnici conversi longe praevalebant, eum contra illos eodem mysterio revelato non minus fortiter iura contribulium suorum tueri. Eo enim consilio se doctrinam de futura Israelis universi assumtione, quae non minus quam conversio plenitudinis gentium mysterio illo continetur, cum lectoribus suis communicare dicit, *ne sibi ipsi sint sapientes* (cfr 12,16). Quae verba ex *Prov.* 3,7 (μὴ ἴσθι φρόνιμος παρὰ σεαυτῷ) desumta *Theod.* bene explicat: « ne se ipsos valde prudentes esse rati *altos concipiant spiritus* », ne igitur suis praeiudiciis nixi Iudaeos, qui Messiam suum occiderant Evangeliumque respuebant, velut homines salute messiana indignos despiciant ac repellant. Nam « insultare lapsis, inquit *Orig.*, et gloriari adversus ramos, qui fracti sunt, non fit per divinam sapientiam, sed per humanam, notabilem [i. q. nota seu vituperio dignam] et ignorantem mysterium Dei ».

Porro ex superioribus patet, *mysterium* in eo non esse, quod mentis *caecitas* et consequenter obduratio voluntatis (πώρωσις cfr ad *v.* 7) *ex parte contigerit Israeli*, i. e. non toti quidem populo sed eius parti, utique maiori[1] (cfr *vv.* 5. 7; 9,27 sqq.); id enim Apostolus satis fuse

1. Erronee aliqui acath. cum *Calv.* locutionem ἀπὸ μέρους (*ex parte*) ita ad nomen πώρωσις trahunt, ut imperfecta quaedam caecitas Israeli contigisse dicatur (« ex parte i. e. quodam modo excaecati sunt »); caecitatem enim perfectam et completam intelligendam esse, ex *vv.* 8-10 evidentissime apparet. Male quoque *Hofm.* cum *A*[rv] arbitratur, *ex parte* idem valere quod *ad tempus*.

iam docuit. Duobus aliis potius membris continetur, quibus docetur, quousque caecitas illa duratura sit (ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ *donec plenitudo gentium intraverit*) et qua deinde ratione totius Israelis sors sese ad gentium sortem sit habitura (καὶ οὕτως πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται *et sic omnis Israel salvus fiet*). Prius membrum pseudoreformatores eorumque antiquiores asseclae, ne Israelis caecitatem aliquando habituram esse finem fateri cogerentur, pervertere obvioque suo sensu privare conati sunt[1]. Alii enim cum *Calv.* coniunctionem ἄχρις οὗ pro finali sumserunt (i. q. ἵνα), ut hic eodem modo, quo *v.* 11, doceretur, Iudaeorum excaecationem conversioni ethnicorum inservire. Quoniam vero hic sensus coniunctioni isti nusquam competit, alii cum *Melancht.* eam idem valere, quod latinum *quamdiu*, statuerunt, ut significaretur, Israelem tamdiu excaecatum manere, quamdiu gentiles in Ecclesiam ingressuri essent, i. e. iuxta suam opinationem usque ad finem mundi. Verum ἄχρις οὗ, etiamsi interdum, ubi nimirum cum indicativo praes. constructum est, latino *quamdiu* satis apte reddatur (cfr *Hebr.* 3, 13), hanc tamen explicationem non admittit, quotiescumque, uti hic, coniunctivum aor. secum habet, qui latino futuro exacto saepissime respondet. Namque hac constructione terminum indicari, usque ad quem res ita sit duratura, ut exinde cesset vel mu-

1. Ipse *Meyer-Weiss* (Krit. exeg. Handbuch über den Römerbrief. Ed. 7. 1886 p. 559) adnotat, « reformatores non exegeticis sed dogmaticis rationibus atque etiam iniquo suo praeiudicio de Iudaeorum perversitate adductos esse, ut obvium huius loci sensum relinquerent ». Quantum fuerit eorum praeiudicium, ex hoc loco Lutheri (Opp. ed. Walch. XX. p. 2529; ed. Ienens. VIII 109) disce : « *Ein Jude oder jüdisch Herz ist so stock-stein-eisen-teufelhart*, dass mit keiner Weisse zu bewegen ist. Wenn Moses käme mit allen Propheten, und thäten alle Wunderwerke vor ihren Augen, dass sie gethan haben, so wäre es doch umsonst. Wenn sie auch so greulich gestraft würden, dass die Gassen voll Bluts rännen, dass man ihre Todten nicht mit Hunderttausend, sondern mit Zehnhunderttausend rechnen musste : dennoch müssten sie Recht haben; wenn sie auch über diese 1500 noch 1500 Jahre sollten im Elend seyn, dennoch muss Gott ein Lügner, sie aber wahrhaftig seyn. Summa : *es sind junge Teufel, zur Hölle verdammt;* ist aber etwa was Menschliches in ihnen, dem mag solch Schreiben zu Nutz und Gut kommen. Vom ganzen Haufen mag hoffen wer will; ich hab da keine Hoffnung, weiss davon keine Schrift. Können wir doch unsere Christen den grossen Haufen nicht bekehren, müssen uns am kleinen Häuflein begnügen lassen : wie viel weniger ist est moglich, *diese Teufelskinder* alle zu bekehren. Denn dass Etliche aus der Epistel zum Römer im XI. Capitel *solchen Wahn* schöpfen, als sollten alle Juden bekehrt werden am Ende der Welt, ist nichts; S. Paulus meint gar viel ein Anderes ». Unde satis apparet, uti recte *Reith.* monet, epistolam ad Rom. in hoc loco, quemadmodum in multis aliis, Luthero librum clausum mansisse. Ceterum cum Luthero in hac quaestione consenserunt Calvinus, Melanchton, Osiander, Bugenhagen etc. Medio deinde saec. 18. plerique Lutherani obvium sensum iterum agnoscere coeperunt, atque hodie quoque plerique ex eis eum agnoscunt. Neque tamen desunt, qui variis artificiis eum effugere conentur (Philippi, Kliefoth etc.), dum rationalistae plerique (cfr Ammon, Fritzsche, de Wette, Köllner etc.) omnino quidem tenent, Paulum futuram universi Israelis conversionem annuntiasse, sed simul addunt, eum saltem in eo errasse, quod conversionem illam iam mox futuram esse putasset. Attamen ad varios hos errores attendere opus non est (cfr *Reith.*).

tetur (cfr 1 *Cor.* 11,24; 15,25; *Gal.* 3,19; 4,19 etc.), docent grammatici, atque nostro in loco reliqui interpretes omnes, quum antiquiores tum iuniores ac moderni, cath. et acath., consentiunt.

Itaque iuxta Paulum caecitas et obduratio, cui maior Israelis pars adhuc obnoxia est, usque ad illud quidem tempus perseverabit, quo *plenitudo gentium intraverit* (τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ), i. e. universitas gentium seu cunctae nationes gentiles fide evangelica recepta in messianum regnum seu in Ecclesiam catholicam ingressae erunt; tunc autem finem habebit, atque Israel quoque fidei sese subiiciet. Quae prioris membri interpretatio altero membro confirmatur, quo futurum esse praedicitur, ut totus seu *omnis Israel* (πᾶς Ἰσραήλ), ergo illa quoque eius pars quae adhuc excaecata est, *salvetur*. Porro particula καὶ οὕτως (*et sic*), qua alterum membrum toti priori (non ultimis tantum eius verbis, uti Vulg. lectione sua *fieret* insinuat) adiungi ab *Orig.* multisque aliis minus recte sensu mere temporali sumitur, acsi scriptum sit : καὶ τότε (*et tunc*). Praeter temporalem enim etiam causalem quendam nexum Apostolus significare voluit; omnium quippe nationum gentilium ingressus non tantum universae nationis israeliticae conversionem et assumtionem tempore praecedet, sed ad illam etiam aliquid conferet, quum gentium fides Iudaeos cunctos, qui tunc superstites erunt, ad aemulationem provocatura sit (cfr *vv.* 11. 14). Mysterium ergo non tam in eo est, quod universus populus israeliticus salutis messianae particeps futurus sit (id enim ab antiquis prophetis iam erat praedictum), quam in eo, quod omnis Israel post gentium conversionem et quodammodo per eam (cfr ad *v.* 31) ad fidem sit perventurus.

Evangelium, antequam veniat consummatio, *in universo orbe in testimonium omnibus gentibus* iri praedicatum, ex vaticinio constat, quo Dominus ipse suos discipulos, quum eis ultimorum temporum difficultates exponeret, consolari et confortare voluit (*Matth.* 24,14; *Marc.* 13,10 cfr *Knabenbauer* Comm. in Matth. II. p. 317 sqq.; in Marc. p. 341). Iuxta revelationem autem Paulo postea factam et hic ab eo traditam vaticinium istud angusto arctoque illo sensu, quem multi theologi admittunt, de praedicatione utcumque in universo orbe facta interpretari non licet. Iuxta eam enim Evangelium non tantum inter omnes gentes praedicabitur, sed etiam apud omnes fidem inveniet et ab omnibus recepietur. Unde ex hoc loco legitime colligitur, mundi finem non esse venturum, antequam universus orbis, plenitudine gentium et omni Israele in Ecclesiam ingressis, Evangelio subiectus et catholicus sit (aut saltem fuerit cfr *Luc.* 18,8; 2 *Thess.* 2,3 etc.).

Quemadmodum enim supra (*v.* 12) locutione *plenitudo* Israelitarum

in oppositione ad eorum *diminutionem*, seu parvum numerum eorum qui fidem iam receperant, universa natio israelitica designatur, ita locutione *plenitudo gentium* universitas gentium, seu omnes nationes gentiles, designari dicendae sunt in oppositione ad singulos illos ethnicos, qui ex variis gentibus tempore apostolico Ecclesiam ingrediebantur. Quem in sensum bene *Thom.* : « Plenitudo gentium, i. e. non solum aliqui particulariter ex gentibus, sicut tunc convertebantur, sed vel pro toto vel pro maiore parte in omnibus gentibus » (cfr *Herv. Cai.* etc., *Reith. Mai. Beel. LR. Dr. Weinh. Ag.* etc. — *God. Goeb. Weiss* etc.). Vicina est nonnullorum iuniorum interpretatio, qui plenitudinem gentium dicunt « ingentem gentium numerum ex omnibus mundi partibus iuxta prophetarum vaticinia vocandum ad Christi fidem » (cfr *Est. Nat.* etc.). Minus accurate tamen loquuntur, quia Apostolus non indefinite de magno quodam numero agit, verum definite dicit : τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, ita ut ex gentium numero nulla excludatur.

Itaque ingressum plenitudinis gentium in Ecclesiam annuntians vel potius velut rem lectoribus suis iam cognitam supponens B. Paulus vetera illa vaticinia confirmat, quibus *omnes gentes terrae* in semine Abrahae benedictum iri (*Gen.* 22, 18), *omnes gentes quascumque Deus fecit* venturas et coram eo adoraturas eiusque nomen glorificaturas esse (*Ps.* 85,9), Dominum a mari usque ad mare et a flumine *usque ad terminos orbis terrarum* esse dominaturum (*Ps.* 71,8) etc. promittitur. Attamen eum de plenitudine *gentium*, i. e. nationum gentilium, loqui monemus; quare licet ex eius locutione iure colligatur, *omnium nationum* tam magnum numerum Evangelium esse accepturum, ut iuxta consuetum loquendi modum omnes nationes illud recepisse recte dici possint, eodem cum iure non colligitur (quamvis id per se colligi posse non negaverim), omnium nationum *omnia ac singula membra* in Ecclesiam esse intratura. Id sua explicatione *Thom.* iam insinuat (« vel pro toto vel *pro maiore parte* in omnibus gentibus »), atque contra Hesychium, qui finem mundi proxime iam adfore contendebat, *S. Aug.* quoque (ad Hesych. ep. 199 n. 48) ex vaticiniis modo allatis concludit : « In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut ibi sit; non tamen ut omnes qui ibi fuerint credant; omnes enim gentes promissae sunt, non omnes homines omnium gentium ». Si enim nationem aliquam dicimus esse christianam, nondum asserimus omnes eius homines fidem profiteri.

Ad alias locutionis explicationes quod attinet, velut erroneam reprobamus nonnullorum acath. sententiam, qui nomini πλήρωμα significationem

complementi attribuentes τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν interpretantur illud « quod e gentibus desumendum Deus destinavit ad supplendum id quod deficit in olea mystica Israelis per abscissorum ramorum reiectionem » (*Wolf* cfr *Mich. Olsh. Phil.* etc.). Namque praeprimis nomen πλήρωμα, ubi complementum significat, genetivum rei quae completur semper adsciscit (cfr *Matth.* 9,13 τὸ πλήρωμα αὐτοῦ sc. τοῦ ἱματίου *complementum vestis*, i. e. pannus, quo assuto vestis resarcita est), ita ut hic dici debuerit τὸ πλήρωμα αὐτῆς (sc. τῆς ἐλαίας) τὸ ἐκ τῶν ἐθνῶν (*olivae complementum ex gentibus*); praeterea ineptus quoque est sensus, siquidem Iudaeis qui reiecti sunt iterum inserendis locus non superesset, si ethnicis insertis lacunae ramorum abscissorum expletae dicerentur.

Minus recte porro multi cath. « plenum numerum eorum, qui ex gentibus credituri sint » intelligunt (cfr *Haym. Tol. Lap. Iust. Pic. M Ev.* etc.) aut plenum numerum eorum, qui praedestinati sint ex gentibus (cfr *S. Aug.* ad Paulin. ep. 149 n. 19 : « plenitudo gentium in his intrat, qui secundum propositum vocati sunt », *Theoph.* : πάντες οἱ προεγνωσμένοι ἐθνικοί *Oec. Euth.* etc., *Bisp.*). Quae sententiae ac similes quaedam, quamvis per se verae sint et cum nostra aliquo modo conciliari possint, in eo maxime peccant, quod in verba Apostoli alienas ideas ingerant. Paulus enim nationum quidem gentilium futuram sortem nobis manifestat, at de singulis earum membris non magis hic agit, quam de conditionibus, quae requiruntur, ut aliquis in Ecclesiam intret aut in ea perseveret. Simili fere modo, quo olim prophetae, visione quadam totum mundum ethnicum (*plenitudinem gentium*) in Ecclesia eo tempore iam degentem spectavit, quo totum Israelem in eam intrare vidit.

Quemadmodum autem locutione *plenitudo gentium* futurum omnium ac singulorum gentilium ingressum in Ecclesiam admittere non cogimur, ita altera quoque locutio (*omnis Israel* πᾶς Ἰσραήλ) non postulat, ut post gentium conversionem omnes ac singulos Israelitas, qui tunc supererunt, salvos fore cum *Thom.* (« omnis Israel salvus fiet non particulariter sicut modo [de ethnicis dictum est] sed universaliter omnes ») aliisque multis concludamus. Apostoli enim sententia etiam vera erit, si nonnullis Iudaeis gratiam oblatam reiicientibus et in caecitate sua persistentibus tantus ex natione israelitica futurus sit credentium numerus, ut iuxta nostrum loquendi modum, qui ad paucorum voluntarium discessum non attendit, totus Israel Christo subiectus dici possit (cfr *Tol. Est. Lap. Iust. Nat.* etc., *Reith. Bisp. MEv. LR. Dr.* etc. — *God. Weiss* etc.). Quam explicationem praeferimus, quia Paulus in tota hac sectione, uti iam diximus, non tam de singulis hominibus quam de nationibus agit atque hic quoque totius nationis israeliticae sortem futuram cum sorte universitatis gentium quasi comparat. Quare nullo modo nobis sententia eorum probatur,

qui aut priorem dictionem laxius et alteram strictius aut e converso priorem strictius et alteram laxius interpretantur. Ante oculos enim habeamus oportet, Apostolum, ut lectores suos ad sapientiam divinam agnoscendam et admirandam impellat, id potissimum hic agere, ut aequali ratione Israelem et gentes a Deo gubernari et ad salutem adduci ostendat (cfr *vv.* 30-32). Ceterum cum *Est.* omnino fatemur: « Quanta iuxta proportionem futura sit multitudo credentium et quanta non credentium, id aeque de Iudaeis nobis ignotum est atque de gentilibus; et hoc arbitror Origenem iam velle, quando dicit, Deum solum novisse et Unigenitum eius et si qui forte amici eius sunt secretorum eius conscii, quis sit omnis Israel, qui salvus fiat, et quae sit ista plenitudo gentium, quae dicitur intratura ».

Verumtamen sive strictius sive laxius dictio *omnis Israel* sumitur, illud semper erit tenendum, nomine *Israelis* ab Apostolo hic naturalem Israelis, i. e. patriarchae Iacob, progeniem seu nationem israeliticam intelligi, vel iuxta antiquiorum interpretum usum loquendi *Israelem secundum carnem* (cfr ad 1 *Cor.* 10,18). Inter latinos quidem graecosque Patres non desunt, qui *Israelem secundum spiritum* seu Israelem Dei (cfr ad *Gal.* 6,16), i. e. universam vere credentium, sive Iudaei sive ethnici sint origine, Ecclesiam interpretari malint (cfr *S. Aug.* ad Paulin. ep. 149 n. 19: « et sic *omnis Israel* salvus fiet, quia et ex Iudaeis et ex gentibus, qui secundum propositum vocati sunt, ipsi sunt verus Israel »; *Theod.*: « vocat autem *omnem Israelem* eos qui credunt, sive sint ex Iudaeis naturalemque cognationem cum Israele habeant sive ex gentibus sola fidei cognatione cum Israele coniuncti sint »; similiter *Mopsu.* et *S. Caesar.* dial. IV. interrog. 197. M. 38, 1189). Verum hanc interpretationem vix non omnes iuniores (solis pseudoreformatoribus eorumque primis asseclis exceptis) modernique iure merito reiiciunt, idque primum ob totius huius partis argumentum, quod est de futura sorte eorum, quorum privilegia Paulus ab initio enumeravit (9,2-5). In eadem enim versatur solvenda difficultate, num gentium vocatione promissiones Israeli carnali factae pro abrogatis habendae sint, atque hac tandem in sectione tantum abesse docet, ut abrogatae sint, ut in fine temporum veram suam impletionem, toto Israele ad fidem converso, sint inventurae. Idem deinde ex contextu patet quum remotiore (11-24), in quo naturales olivae rami insertis ethnicis semper opponuntur, tum proximo, in quo Israeli ex parte occaecato omnis Israel qui crediturus sit opponitur; atqui in brevi hac sententia eidem nomini duas diversas significationes attribuere non licet. Porro in sequentibus quoque iterum de Israele carnali agitur; nam vaticinium, quo totius Israelis salus statim confirmatur (*v.* 26), ad

naturalem Iacobi progeniem pertinere, ipsum nomen Iacob, quod translato sensu de spirituali Israele sumi non solet, evidenter docet, sicut etiam dubium non est, quin *vv.* 28 sq. iterum de Iudaeis agatur.

Ceteroquin haec paucorum Patrum sententia nequaquam pseudoreformatoribus futuram omnis Israelis conversionem negantibus favet. Namque plerique ex illis una cum reliquis Patribus ex nostro loco et ex *Mal.* 4,5.6. recte docent, « venturum esse tempus, venturum finem saeculi et *crediturum esse totum Israel*, non illos, qui modo sint, sed ipsorum filios, qui tunc sint futuri » (*S. Aug.* serm. 122,5). Teste enim eodem *S. Aug.* (de civ. Dei XX. 29) suo tempore « celeberrimum erat in sermonibus cordibusque fidelium, per Eliam magnum mirabilemque prophetam exposita sibi Lege *Iudaeos* ultimo tempore ante iudicium in Christum verum, i. e. in Christum nostrum, esse credituros ». Quin etiam locutionem *omnis Israel* alibi (quaest. evang. II. 33) S. Doctor eadem ratione, qua nos, interpretatur : « Quum ergo plenitudo gentium intraverit, egredietur opportuno tempore pater, ut et iam *omnis Israel* salvus fiat, cui ex parte caecitas facta est ». Ex Graecis autem *Theod.* verbis supra allatis haec praemittit : « Hortatur (Paulus lectores suos), ut neque aliorum (Iudaeorum) salutem desperent; postquam enim gentes praedicationem receperint, illi etiam credent, ubi magnus Elias venerit et fidei doctrinam eis attulerit ». Atque similiter *Mopsu.* Iudaeos dicit « non in aeternum a pietate alienos mansuros, sed tempus venturum esse, quo ipsi quoque veritatem agnoscant, quando nimirum homines ubique pietatis doctrinam admiserint ». Solus igitur ad summum remanet *S. Caesar.*, qui a communi sententia aberraverit; nam *S. Hier.*, ad quem adversarii appellant, quia alicubi (Comm. in Is. 11,10) consuetam nostri loci interpretationem de futura Iudaeorum conversione iudaizantibus attribuit, aliis in commentariis haud raro eam ipse diserte tradit; ex. gr. ad *Os.* 3,3 adnotat : « Homo exspectat adulterae poenitentiam, ut postquam plenitudo gentium intraverit et novissime crediderit Israel, tunc fiat unus grex et unus pastor »; in *Hab.* 3,17 allegatis Domini de ficu sterili verbis : « non afferres fructum *in saeculum* » (*Matth.* 21,19) monet : « Diligenter considera quid dixerit; non ait *usque in saecula saeculorum*, sed quum istud saeculum transierit et intraverit plenitudo gentium, tunc etiam haec ficus afferet fructus suos et omnis Israel salvabitur »; similiter in *Am.* 9,11.12; in *Mal.* 4,5.6 etc.

Arctum quidem nexum, quo universae nationis israeliticae conversio cum ingressu gentium in Ecclesiam cohaeret, Paulus velut mysterium eo usque incognitum lectoribus suis proponit; conversionem vero ipsam in veteri iam revelatione contineri simul declarat. Namque omnis Israel, inquit, salvus fiet, *sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat* (melius : *veniet ex Sion redemtor* seu liberator ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος) *et avertat* (lege : *et avertet* καὶ ἀποστρέψει cfr VV. *LL.*) *impietatem* (melius : *impietates* ἀσεβείας) *a Iacob : 27. et hoc illis a me*

testamentum (seu : et hoc erit illis meum foedus καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη), *quum abstulero peccata eorum* (τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν). Uti alibi saepius (cfr ad *v.* 8; 9,33 etc.) duo testimonia Scripturae copulavit. Priorem enim ac maiorem sententiae partem ex *Is.* 59,20 desumsit, alteram vero breviorem, qua novi foederis quasi summa describitur (ὅταν ἀφέλωμαι κτλ *quum abstulero* etc.), ex *Is.* 27,9 adiecit; in utraque autem alexandrinam versionem sequitur et accurate quidem in priore. Hodiernae utique graeci Vet. Test. editiones cum codd. superstitibus ab initio habent : καὶ ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος (et veniet *propter* Sion redemtor); quam lectionem, utpote massorethicae (וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל et veniet *Sioni* redemtor) viciniorem, moderni plerique genuinam censentes Paulum pro ἕνεκεν Σιών (לְצִיּוֹן) proprio marte ex *Ps.* 13 (14), 7 vel *Is.* 2,3 vel simili loco lectionem ἐκ Σιών (מִצִּיּוֹן) substituisse arbitrantur. Atqui non tantum nulla excogitari potest ratio, cur lectionem mutaverit, quae in eius argumentationem optime quadrabat (*propter* Sion, i. e. ad Sionitas seu Israelitas redimendos salvandosque, veniet redemtor,), sed *S. Hier.* quoque, qui in suo commentario in Isaiam versionem alexandrinam ex codice hexaplari transcripsit, in ea lectionem ἐκ Σιών exstitisse diserte testatur (in Is. 59,20 *M.* 24,583. 584) Dicendum ergo videtur, textum non a Paulo sed ab uno ex versionis alexandrinae diasceuastis (Luciano?) iuxta iuniores codices hebraicos esse mutatum, ita ut Pauli lectio velut genuina in vaticinium Isaiae restitui debeat. Similiter in reliqua sententia massorethicum textum (וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב), quem etiam Vulg. nostra sequitur, secundum alexandrinum, quem Apostolus sua citatione approbavit, omnino censemus esse emendandum[1]. Priore igitur testimonii parte promittitur, ex ipso populo Israel, cuius regni sedes erat Sion, exorturum esse redemtorem, Christum, qui peccata populi ex patriarcha Iacob progeniti auferat, atque simul insinuatur, hanc peccatorum populi israelitici abolitionem, quum per Christi Apostolorumque eius praedicationem solae reliquiae ad salutem adductae, ceteri autem excaecati sint, in futuro tempore exspectandam relinqui.

Iamvero ad hanc promissionem confirmandam Deus in altera testimonii parte per prophetam addit, se cum Israelitis novum initurum

1. Lectio massorethica ab omnibus quidem vertitur : « et veniet Sioni redemtor ***et revertentibus ab iniquitate in Iacob*** (cfr *Vulg.*, quae minus recte hanc sententiam a praecedente dependentem facit : « timebunt Dominum, quum venerit..., et venerit Sioni redemtor ***et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob***); iuxta eam igitur ampla promissio priore membro expressa (*Sioni* i. e. toti populo veniet redemtor) altero membro quasi coarctari dicenda esset (iis nimirum veniet, qui poenitentiam egerint). Ast versio illa saltem est incerta; nullo enim simili exemplo probatur, locutionem שָׁבֵי פֶשַׁע significare posse : « re-

esse foedus, quo eis suum spiritum suamque doctrinam in perpetuum collaturus sit. Cum Massorethis enim sensu consonans alexandrina versio pergit: « *et hoc illis erit meum foedus* (vel: foedus a me, i. e. a gratia mea proficiscens ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη [1]): Spiritus meus, qui est super te, et verba mea, quae dedi in os tuum, non recedent ex ore tuo et ex ore seminis tui et ex ore seminis seminis tui amodo et in aeternum ». Totum tamen hunc locum Apostolus non recepit, licet universo populo israelitico summum bonum promittat, ad eius ergo argumentationem omnino quadret; sed solis primis verbis retentis (*et hoc illis erit a me foedus*) descriptionem novi foederis ex altero loco (*Is.* 27,9) desumere maluit, in quo non tam positivus (uti in priore) quam negativus eius fructus, nimirum remissio peccatorum, effertur, a qua omnis salus pendet initiumque sumit.

Sunt quidem, qui eum ultima verba (*quum abstulero peccata eorum* ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν) aut « apostolica auctoritate » proprio marte ex suis addidisse, ut tempus novi foederis definiret (cfr *Orig. Tol. Lap.* etc.), aut « ex praecedente sententia pro clariore foederis intellectu repetiisse » (cfr *Est. Iust.* etc.), aut etiam ex *Ierem.* 31,31-34 libere conformasse (cfr *Calv.*) censeant. Attamen quum *Is.* 27,9 legamus: καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ εὐλογία αὐτοῦ (sc. τοῦ Ἰακώβ), ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν (et haec erit benedictio eius, *quum abstulero eius peccatum*), quae phrasis etiam constructione sua cum paulino textu consonat, nulla adest ratio, cur Paulum ad illam respexisse et ex illa descriptionem novi foederis desumsisse negemus. Pluralem dumtaxat (τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν *peccata eorum* scil. Israelitarum) pro singulari (αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν *eius*, scil. domus Iacob, *peccatum*) posuit, quia hanc mutationem superius membrum (hoc *illis* erit meum foedus) postulabat.

verti *ab* iniquitate »; neque video quo argumento *grammatico* refutaretur, qui nostrum locum iuxta usitatam verbi שׁוּב significationem et constructionem potius vertendum esse contenderet: « et revertentibus *ad* iniquitatem in Iacob ». Haec enim versio, quamvis eius sensus hoc in loco plane sit ineptus, minus quam consueta recedere videtur ab hebraico loquendi modo. Ob internam ergo iam rationem lectio massorethica est suspecta; accedit autem, quod alexandrina versio a Paulo approbata hanc lectionem hebraicam supponat וְיָשִׁיב פֶּשַׁע מִיַּעֲקֹב, et quod chaldaicus quoque paraphrastes eandem aut similem secutus sit, licet eam pro more suo liberrime in hunc modum reddiderit: « et veniet Sioni redemtor et quidem *ad convertendum peccatores domus Iacob ad Legem* ». Nonnulli Chaldaeum pro יָשִׁיב potius legisse וְלָשִׁיב (i. q. וּלְהָשִׁיב cfr *Ierem.* 39,7 לָבִיא pro לְהָבִיא et *Ps.* 73,20 בָּעִיר) atque Alexandrinos hanc lectionem, quae vocalibus sepositis sola literae י transpositione et praepositionum בְּ ac מִן permutatione a massorethica differt, liberius reddidisse volunt (cfr *Beel.*). Quae sententia mihi non probatur, quia alexandrinus Isaiae interpres textum suum serviliter sequi solet.

1. De nominis διαθήκη duplici versione latina (*testamentum*, *foedus*) cfr ad 1 *Cor.* 11,25 p. 314 et ad *Gal.* 3,15 p. 492 sq.

Attendatur autem oportet, et apud prophetam et apud Paulum pronomen demonstrativum αὕτη (*haec, hoc*) verbis ὅταν κτλ (*quum* etc.) exponi ac definiri, ut sensus sit : « et hoc, quando eorum peccata abstulero, i. e. in hoc quod eorum peccata abstulero, seu in remissione peccatorum eorum est vel consistit foedus, quod illis erit a gratia mea »[1]. Utraque igitur loci parte docetur, Deum aliquando universo populo israelitico, quocum antea foedus inierat, salutem esse daturum.

Quae de futura totius Israelis assumtione ac de huius arcto nexu cum gentium omnium conversione dixit, ea lectoribus suis, utpote qui obstinatam Iudaeorum excaecationem ac pervicaciam quotidie ante oculos haberent, permira immo incredibilia videri Paulus non ignoravit. Quamobrem eis explicationis gratia consilia manifestare voluit, quibus sapientissimus Deus universum genus humanum ita ad salutem adducere statuit, ut neque Iudaei contra gentes neque gentes contra Iudaeos ullam haberent gloriandi rationem, quum utrique ex eadem miseria per eandem misericordiam liberarentur. Initium autem explicationis ab Ethnicochristianis monendis facit, ut praeter praesentem Israelis statum tristem etiam laetas considerent promissiones, quas in patribus suis a fidelissimo Deo accepit : 28. *secundum Evangelium quidem inimici* (melius : *odiosi* seu *exosi* ἐχθροί) *propter vos; secundum electionem autem carissimi* (melius : *cari* seu *dilecti* ἀγαπητοί[2]) *propter patres*. Sententiae subiectum Paulus non expressit, quia sua sponte ex contextu de iisdem agi apparet, quibus novum foedus per prophetam

1. Haud raro pronomen demonstrativum exponitur integris sententiis, quae a coniunctionibus ἵνα, ἐάν, ὅταν incipiunt aut accusativum c. inf. habent. Nostro loco vicinum est illud 1 *Ioan.* 5,2 : ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, ὅταν τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν (*in hoc* cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, *quum Deum diligamus* » i. e. in hoc, quod Deum diligimus seu in nostra dilectione Dei cognoscimus nos eius filios diligere). S. Ioannes amat hanc constructionem, quam Paulus hoc loco ex versione alexandrina transumsit : *Ioan.* 17,3 : αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκομεν σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν (*haec* est autem vita aeterna, *ut cognoscant te solum verum Deum*, i. e. haec, sc. veri Dei cognitio, est vita aeterna); *Ioan.* 15,9; 1 *Ioan.* 2,3; 3,23 etc.; cfr *Fritzsche* Comm. in ep. ad Rom. II. p. 525 sq.

2. Latinus interpres Novi Test. in graeco ἀγαπητός reddendo sibi tam parum constat, ut in eodem contextu illud aut positivo *dilectus* (16,5. 9) aut superlativis *dilectissimus* (16,9) et *carissimus* (16,12), quin etiam in eadem sententia aut *dilectus* (*Matth.* 17,5) aut *carissimus* (*Marc.* 9,6) vertat. Similiter alia positivi gradus adiectiva haud raro superlative exprimit (cfr *Luc.* 9,15 ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ in corde bono et *optimo*; 10,42 τὴν ἀγαθὴν μερίδα *optimam* partem; *Iac.* 1,17 πᾶσα δόσις ἀγαθή omne donum *optimum* etc.; *Matth.* 22.38 ἡ μεγάλη ἐντολή mandatum *maximum*; *Act.* 8,13 δυνάμεις μεγάλας virtutes *maximas* etc.; *Matth.* 12,45 τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ generationi huic *pessimae*; Act. 18,14 ῥᾳδιούργημα πονηρόν facinus *pessimum* etc.). Quare recte *Est.* monendum esse Scripturae lectorem censet, « ne in eiusmodi superlativis ponderet gradum extra Scripturam originalem, tametsi reprehendendus non sit vulgatus noster interpres, quippe qui in talibus consuetudinem sui temporis secutus esse videatur ».

promissum est, i. e. de Israelitis et quidem de omnibus seu de omni Israele; nam vaticinio proxime allato « *omnem Israelem* salvum fore » comprobatur. Sicuti igitur in tota tractatione, in hac quoque sententia de universa natione israelitica, minime vero de singulis eius membris sermo est. Ad quem nexum cum paucis Patribus (cfr *Orig. S. Aug.* ad Paulin. ep. 149 n. 20; de praedest. sanct. 16,33; *S. Prosp.* de vocat. gent. I. 10) etiam nonnulli iuniores (cfr *Haym. Thom. Lyr. Tol. Est.* etc.) haud attendentes erronee putaverunt « inimicos et dilectos non eosdem, sed in eodem populo diversos intelligi », aliud igitur subiectum in priore, aliud in altero sententiae membro esse supplendum. Neque enim diversos Israelitas, reprobos et electos, sed eundem populum Israel sub duplici respectu ab Apostolo considerari, cum plerisque (cfr *Chrys. Mopsu. Theod. Theoph.* etc., *Herv. Cai. Iust. Nat.* etc., *Reith. Mai. Beel. Aq.* etc.) omnino teneatur oportet.

Ac primum quidem, si *secundum Evangelium*, i. e. in praesente suo statu consideratur, quatenus Evangelium tamquam necessarium salutis instrumentum sibi oblatum obstinate reiicit, Israel utique nunc est vere *inimicus* seu exosus Deo, cuius iustitiae sese subiicere non vult (10,3). Odio autem a Deo habetur propter gentes seu in commodum gentium (*propter vos* δι' ὑμᾶς cfr 2 *Cor.* 6,17; 8,9 etc.), quibus Iudaeorum delictum et reiectio occasio salutis facta est (cfr *vv.* 11. 15. 19). Quoniam nomen ἐχθρός (*inimicus*) sensu activo (adversarius, qui odio habet alterum) frequentius quam passivo (qui odio habetur ab altero) usurpatur, antiquiores plurimi, priore sensu retento, Israelem inimicum dici arbitrantur aut Evangelii quod reiiciebat (cfr *Chrys. Dam. Theoph.* etc.), aut Dei cui resistebat et adversabatur (cfr *Orig.* etc.), aut Christi quem occiderat (cfr *S. Aug.* ll. cc. *Herv. Thom.* etc.), aut Pauli, quem ab Evangelio inter gentes praedicando retinere conabatur (cfr *Pel. Prim.* etc.). Adiectivum tamen ἀγαπητός (*dilectus*, carus), quod in altero membro opponitur, omnino suadet, ut ἐχθρός passive sumatur; quare cum *Mopsu.* et *Theod.* iuniores moderniquefere omnes hanc interpretationem praeferunt, neque tamen cum illis Israelem Paulo, sed ipsi Deo odiosum dici iure merito tenent, sicut in altero membro non Paulo sed Deo dicitur carus (cfr *Tol. Est. Iust. Nat.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. LR. Weinh. Ag. Sch.*).

Clarum porro est, illum Deo odiosum dici, in quantum Deus illum iuxta severitatem suam seu iustitiae suae rigorem excaecari permittit naturalesque sanctae olivae ramos defractos reiicit (*vv.* 22. 15. 17). Nihilominus si altero respectu *secundum electionem* suam (κατὰ τὴν ἐκλογήν), i. e. secundum historicum suum statum consideratur, quatenus prae aliis omnibus est electus ut Dei esset peculium, Israel

etiam nunc, infidelitate sua non obstante, Deo *carus* et *dilectus* est, idque *propter patres*, i e. in commodum vel potius in gratiam patriarcharum, qui promissionibus sibi de semine suo datis frustrari nequeunt. Deus enim patriarchas ita dilexit, ut eorum semen post eos eligeret (*Deut.* 4,37); unde Israel, qui in eis tamquam in sancta sua radice iam quodam modo sanctificatus est ac ius quoddam ad benedictiones messianicas accepit (cfr ad *v.* 16), universus non potest reiici, sed semel a Deo velut peculiaris suus populus praecognitus et praeagnitus etiam peculium eius manet (cfr *v.* 2), ita ut non tantum in illo semper aliqui adfuturi sint fideles eius servi, sed etiam universus aliquando salutem ab eo sit accepturus (*v.* 26). A qua communiore interpretatione aliqui cum *S. Aug.* (ll. cc.) haud recte recedunt, quum abstractum τὴν ἐκλογήν (*electionem*) hic eodem modo quo supra (*v.* 7) pro concreto τοὺς ἐκλεκτούς (*electos*) positum esse arbitrati Israelem « secundum electos », i. e. in eius reliquiis ad gratiam gloriamque iam vocatis, Deo dilectum dici velint (cfr *Haym. Herv. Thom*[2]. etc., *Mai.* etc. — *Mey. Ew.* etc.). Namque si *electio* hic idem est quod *electi*, non iam intelligitur, quomodo Paulus locutiones *secundum Evangelium* et *secundum electionem* inter se opponere eosque, qui ad gratiam iam electi ac praedestinati sint, dilectos *propter patres* dicere potuerit.

Ne quis vero Deum etiamnunc Israelem diligere et quidem propter patres diligere addubitet, Paulus assertum suum confirmat : **29.** *sine poenitentia* (ἀμεταμέλητα) *enim sunt dona et vocatio Dei* (τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ). Plerique hanc sententiam pro universali habent ideoque eam ita limitant, ut « de solis promissionibus divinis illis agat, quae factae sint *absolute* quibusque adeo nulla sit alligata conditio ». Quam explicationem per se quidem aptam esse et contextui quoque satis congruere non negamus, nullam autem rationem adesse monemus, qua sententiam pro universali axiomate sumere cogamur. Nam nihil obstat, quominus eam de solis donis gratuitis interpretemur, quae Deus Israeli propter patres non tantum promisit sed etiam iam concessit. Quin etiam hanc interpretationem praeferendam esse, contextus et constructio (attende ad articulum τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις) suadent, quibus Paulum non de promissionibus aut donis divinis in genere sed de determinatis gratiis Israeli propter patres datis loqui insinuatur. Priore igitur nomine (τὰ χαρίσματα) omnia illa privilegia designari videntur, quae supra (9,4. 5) sunt enumerata; altero autem (ἡ κλῆσις) ex istis unum illud speciatim effertur, quod ibi primo in loco positum est tamquam reliquorum fundamentum, nimirum *adoptio filiorum*, i. e. Israelis electio ac vocatio ad dignitatem filii primogeniti ac peculiaris populi Dei (cfr ad 9,4).

Iamvero horum donorum propter patres concessorum continuatione Deus ostendit, se etiam nunc Israelem propter patres diligere; dona autem continuat, quia illa velut stabilia, quorum eum neque poeniteat neque poenitere possit, patribus iam iuramento addito promisit. Ita enim Moyses (*Deut.* 7,6. 7) : « Te elegit Dominus Deus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt supra terram; non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus et elegit vos, quum sitis omnibus populis pauciores; sed *quia dilexit vos Deus et custodivit iuramentum, quod iuravit patribus vestris* ». Ob suam infidelitatem Israel nunc quidem ad tempus est reiectus, ut interea gentes regnum ingrediantur. Eius vero infidelitas divinam fidelitatem non evacuavit (cfr ad 3,3); iuramenti enim sui memor Deus eum diligere non cessat neque eius privilegia revocat, sed promissiones olim patribus factas in eo aliquando implebit.

Altero deinde argumento, quo vias rationesque, quibus Deus et gentes et Israelem ad salutem adducere statuit, inter se comparat, Apostolus divino odio, cui Israel nunc ad tempus obnoxius sit, non excludi amorem divinum confirmat, qui aliquando in totius populi assumtione sese sit manifestaturus. Ethnicochristianis enim pristinam, ex qua nunc per divinam benignitatem ac misericordiam eruti sint, infidelitatem ac morum pravitatem in memoriam revocans Deum simili modo erga Iudaeos, qui nunc ab ipso defecerint, misericordem se esse exhibiturum docet : 30. *sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo* (melius : *inobedientes* seu *rebelles fuistis Deo* ἠπειθήσατε τῷ Θεῷ), *nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum* (lege : *per horum inobedientiam* seu *rebellionem* τῇ τούτων ἀπειθείᾳ), 31 *ita et isti* (seu *hi* οὗτοι) *nunc non crediderunt* (melius : *inobedientes* seu *rebelles facti sunt* ἠπείθησαν), *in vestram misericordiam* (lege : *per vestram misericordiam* i. e. per misericordiam vobis exhibitam τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει) *ut* (ἵνα) *et ipsi misericordiam consequantur*. Ad huius loci versionem et constructionem quod attinet, primum animadverte, verbo ἠπειθήσατε totum illum statum delineari, in quo Ethnicochristiani *aliquando* (ποτέ opp. νῦν, ergo ante suam conversionem, temporibus ignorantiae *Act.* 17,30) degerant, quando veritatem in iniustitia detinentes Deumque cognitum agnoscere et glorificare nolentes in peccata criminaque omnis generis erant prolapsi (1,18-32). Quapropter verbum ἀπειθεῖν, quo Apostolus hic potius quam verbo ἀπιστεῖν uti voluit, rectius vertitur *inobedientem* vel *rebellem esse* (cfr ad 1,5; 10,21); ac similiter ἡ ἀπείθεια hic non tam est *incredulitas*, quo interpres supra (*v.* 20) graecum ἡ ἀπιστία reddidit, quam *inobedientia* seu *rebellio* contra Deum. Duo porro dativi (τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, τῷ ὑμέτερῳ ἐλέει), quibus interpres noster sine

sufficiente ratione ac parum recte diversam significationem (*propter* incredulitatem eorum, *in* vestram misericordiam), neque rectius Graeci vim temporalem attribuunt (cfr *Chrys. Theod.* etc.; similiter, ut videtur, *S. Aug.* de grat. et lib. arbitr. 22,44 : « *in illorum incredulitate, in vestra miseratione* »), pro instrumentalibus habeantur oportet. In priore explicando iuniores modernique fere omnes consentiunt, eodem sensu, quo Israelitarum *delicto* (τῷ αὐτῶν παραπτώματι) salus facta esse gentibus supra dicitur (*v.* 11 cfr *vv.* 12. 15), hic eorum *rebellione* et contumacia (τῇ τούτων ἀπειθείᾳ), i. e. occasione rebellionis eorum, gentes consecutas esse misericordiam dici. Maior est in altero explicando dissensus, quum non satis apparere videatur, quo pertineat, num nimirum cum praecedentibus an cum sequentibus verbis sit connectendus. Multi enim eandem, quam Vulgata Clem., interpunctionem secuti ad priora sententiae verba (*ita et ipsi nunc non crediderunt*) eum trahunt, diversimode autem eum interpretantur; siquidem alii dativo obiectum quod (vel in quod) Iudaei non crediderint (« non crediderunt in Christum, qui est misericordia gentium » *Pel.* etc., vel « non crediderunt in gratiam Christi, per quam misericordiam consecuti estis » *Thom.* etc., vel « credere noluerunt, beneficium Dei per Christum ad gentiles pertinere » *Est.* etc.), alii causam propter quam non crediderint (« increduli facti sunt ex eo, quod vos misericordiam estis adepti » *Erasm.* etc.), alii demum finem, quem in eorum incredulitate permittenda Deus habuerit (« increduli esse permissi sunt, ut vos misericordiam consequeremini » *Lap.* etc.) designari volunt. Sed ut alia, quae omnibus his explicationibus sive ex contextu sive ex verborum significatione et constructione iure opponi possunt, silentio praetermittamus, solus iam duarum sententiarum, quae inter se comparantur, parallelismus omnino postulat, ut praeeuntibus Graecis (cfr *Chrys. Cyr Alex. Theoph.* etc.) cum iunioribus modernisque plerisque (cfr *Cai. Tol. Iust. Nat.* etc., *Reith. Beel. Bisp. Weinh. Sch.* etc.) dativum ad membrum finale trahamus, cui per hyperbaton haud rarum praemissus est (cfr ad 2 *Cor.* 12,7; *Gal.* 2,10; *Ioan.* 13,29), ut maiore cum cum vi efferretur. Unde loci huius sensus est : « sicut *gentes*, quas Deus *aliquando* in praeteritis generationibus rebellare viasque suas malas ingredi permisit (*Act.* 14,15), *occasione rebellionis Iudaeorum* misericordiam *nunc* iam sunt consecutae, ita *Iudaei*, quorum inobedientiam contumaciamque Deus *nunc* permittit, *aliquando*, nimirum postquam plenitudo gentium intraverit in Ecclesiam, *occasione misericordiae gentibus exhibitae*, qua Israel ad aemulationem excitabitur (cfr ad *vv.* 11. 14. 26) misericordiam consequentur. Particula ἵνα (*ut*) quippe hic, uti saepe, non tam ἐκβατικῶς de eventu, qui secutus est vel sequetur (i. q. *ita ut*),

quam τελικῶς de fine interpretanda est, licet cum Graecis Toletus aliique iuniores priorem significationem praeferant.

Id autem hac comparatione Paulus potissimum ostendere vult, neque Iudaeos neque ethnicos habere, unde alteri adversus alteros glorientur, non tantum quia utrique iuxta sapientissimam Dei dispositionem sibi mutuo auxilio in assequenda salute sint, sed maxime quia utrique eadem via, non suis videlicet viribus operibusque verum sola divina benignitate ac miseratione, ad salutem perveniant. Quod ut clarius manifestet, comparationem allatam comprobat simul et explicat addens : 32. *conclusit* (συνέκλεισεν) *enim Deus omnia* (τὰ πάντα sed hic melius, ut videtur : *omnes* τοὺς πάντας cfr *VV. LL.*) *in incredulitate* (vel potius : *in inobedientiam* seu contumaciam εἰς ἀπείθειαν), *ut omnium misereatur* (iuxta grammat. latinam melius : *misereretur*). Verbum συγκλείειν hic aeque ac *Gal.* 3,22 non tam *simul claudendi* et comprehendendi (*Luc.* 5,6) quam *penitus et undique claudendi* notionem habet, et συγκλείειν τινὰ εἰς τινα vel τι per metaphoram significat « aliquem in alicuius personae vel rei potestatem plene redigere, ut ei sese subtrahere nequeat » (cfr *Ps.* 30,9; 77,50 etc.). *Omnes* (τοὺς πάντας) porro Paulus hic iuxta contextum non tam intelligit omnes homines singillatim quam omnes hominum classes, de quibus in superioribus locutus est : una ex parte nationem israeliticam, altera ex parte nationes gentiles. « Distributio, inquit *Thom.*, fit hic pro generibus singulorum et non pro singulis generum » (cfr *Tol. Est.* etc., *Beith. Sch.* etc. — *God. Oltram.* etc.). De populis enim in tota hac sectione Apostolus agit, non de singulis populorum membris, licet verum sit, omnes ac singulos in rebellionem contumaciamque ruituros fuisse, nisi Deus aliquos ex utraque hominum classe, ex Iudaeis et ex gentibus, sua gratia conservare voluisset.

Iamvero Graeci nonnulli locutionem συνέκλεισεν τοὺς πάντας (*conclusit omnes*) hic eodem modo, quo *Gal.* 3,22, ad diversa subiecta non attendentes exponunt, ut Deus omnes in inobedientiam et contumaciam conclusisse eatenus dicatur, quatenus omnes inobedientiae contumaciaeque reos esse ostenderit et convicerit (cfr *Chrys.* : συνέκλεισεν τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν τουτέστιν ἤλεγξεν, ἀπέδειξεν, — *Cyr Alex.* : συνέκλεισεν εἰς ἀπείθειαν ἐνόχους ὄντας ἀποφαίνων τοῖς ἀπειθείας ἐγκλήμασιν, — *Theod.* : συνέκλεισεν ἀντὶ τοῦ ἤλεγξεν τέθεικεν; similiter *Dam. Phot. Theoph. Oec. Euth.*). Verum si ad subiectorum diversitatem (ibi ἡ γραφή, hic ὁ Θεός) attendimus, vix dubitare possumus, quin Paulus Deum *omnes*, quum Israelem tum gentes, *in inobedientiam conclusisse* eadem ratione dicat, qua eum idololatras in immunditiam et in passiones ignominiae et in reprobum sensum *tradidisse* supra dixit (cfr ad 1,24. 26.

28). Ac revera Deus, quemadmodum in poenam cultus sibi negati et idolis exhibiti gentes, subtractis negatisque uberibus suis gratiis, in mentis caecitatem monstruosaque crimina, quae nomine inobedientiae seu rebellionis hic comprehenduntur, ruere permisit (1,18-32), ita etiam Iudaeos, gratiis suis uberioribus negatis, in poenam praecedentium peccatorum, quibus sese assimilaverant ethnicis (2,1-3,20), excaecari atque in contumaciam prolabi in eaque versari permisit (*vv.* 7-10; — cfr *Orig. Diod.* etc., *Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Tol. Est. Iust.* etc., *Klee. Reith. Beel.* etc.). Attamen omnes in inobedientiam hac ratione concludens eos perdere noluit sed salvare; eum quippe prosecutus est finem, *ut omnium misereretur*, i. e. ut omnibus, Iudaeis aeque ac gentibus, parem caritatem exhibens omnes eadem gratuitae suae misericordiae via ad salutem adduceret. Sibi ipsis enim suisque viribus naturalibus relicti cognoscere debebant, se suis ipsorum operibus saluti assequendae impares esse sibique per fidem confugiendum esse ad Christum Iesum, quem pro sua misericordia Deus toti mundo proposuit victimam piacularem, ut credentes gratis per gratiam ipsius omnes sine distinctione iustificarentur et salvarentur (cfr ad 3,24-26). Iustitia enim Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt in eum; non enim est distinctio (3,22).

Totam igitur tractationem suam dogmaticam Apostolus hac sententia quasi complectitur, qua Deum culpam rebellionemque totius generis humani permisisse docet, ut cunctos per fidem gratis iustificans misericordiam benignitatemque suam splendidissime manifestaret. Neque tantum hac conclusione eximium iustificationis gratuitae donum illustrat, sed simul Iudaeos non minus quam Graecos in humilitate continet atque ad mutuam concordiam reducit (cfr *Tolet.*).

4. — *Epilogus dogmaticae partis epistolae. — Laus divinae benignitatis ac sapientiae* (11,33-36).

11,33. *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* 34. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* 35. *aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?* 36. *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen.*

11,33. Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ· ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. 34. τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; 35. ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; 36. ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν[1].

1. *VV. LL.* — 33. βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως (altitudo, vel eodem sensu iuxta antiquiorem latinam versionem : profunditas vel profundum, divitiarum *et* sapientiae *et* scientiae) est communis omnium codd. et PP. graec. atque plurimarum

Postquam Dei tantam esse benignitatem misericordiamque demonstravit, ut Iudaeos Graecosque, utrorumque caecitate ac pervicacia non obstante, ad salutem adducere velit, tantamque scientiam ac sapientiam, ut ipsa utrorumque rebellione ad suum ipsius finem assequendum iam usus et in posterum usurus sit, Apostolus sibi temperare non potest, quin admirationem suam hac exclamatione prodat : 33. *o altitudo divitiarum* (et) *sapientiae et scientiae Dei : quam incomprehensibilia* (vel iuxta *Tert.* c. Hermog. 45 : *ininventibilia*, vel iuxta *S. Ambr.* de fide IV. 11,145), *S. Aug.* de gr. et lib. arb. 22,44 etc. : *inscrutabilia* ἀνεξευρένητα) *sunt iudicia eius* (τὰ κρίματα αὐτοῦ) *et investigabiles* (vel iuxta *Tert.* l. c. et c. Marc. II. 2 *ininvestigabiles* ἀνεξιχνίαστοι) *viae eius* (αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ). Nomine βάθος, quod latine non minus *altitudo* quam *profunditas*, apte redditur, metaphorice amplitudo vel immensitas rei cuiusdam significatur (cfr 2 *Cor.* 8,2 ἡ κατὰ βάθους πτωχεία *altissima* i. e. extrema *egestas*). Prima igitur exclamationis suae voce Apostolus eam esse divinorum attributorum, quae admiratur, amplitudinem declarat, ut ab humano intellectu neque comprehendi neque pervestigari possint.

Dissident autem inter se interpretes, utrum tres genetivi (πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Vulg. : *divitiarum sapientiae et scientiae*) pariter atque eadem ratione a vocativo ὦ βάθος (*o altitudo*) regantur, an primus solus (πλούτου) immediate a vocativo, duo vero reliqui (καὶ σοφίας καὶ γνώσεως) arctius inter se connexi proxime ab ipso primo genetivo dependeant. Quam secundam interpretationem, utpote latinae nostrae lectioni magis adaptatam, cum *S. Aug.* (de grat. et lib. arb. 22,44; serm. 26,13 sq. etc.) antiquiores Latini omnes et iuniores modernique nonnulli praeferentes *sapientiae* tantum *ac scientiae* immensas divitias (cfr *Col.* 2,3) a Paulo hic celebrari arbitrantur (cfr *A*[ter] *Pel. Prim. Sed. Haym. Herv. Thom. Lyr. Dion.* etc., *Cai.*

verss. lectio, quam ex Latinis quoque *S. Hilar.* (de Trinit. VIII. 38) omnino et *Tert.* saltem ex parte agnoscunt, quippe qui, tertio membro semper omisso, legat : « profundum divitiarum et sophiae Dei » (cfr c. Hermag. 45; c. Marc. II. 2; V. 14) : verum *It. Vulg.* cum aliis latinis PP. priore in loco coniunctionem solent omittere : *o altitudo* (vel : profundum) *divitiarum sapientiae et scientiae.* Graeca autem lectio ob testium auctoritatem et contextum recte praefertur; cfr *Comment.* — 35. προέδωκεν (*prior dedit*) est communis et certa lectio; *S. Ambr.* (de fide IV. 11,147. M. 16,645) quidem asserit, « graecos codices habere προσέδωκεν (addidit) », at huius lectionis, quae per se quoque parum apta est, aliud non invenitur vestigium. — 36. εἰς αὐτόν (in ipsum) iterum communis et certa lectio est cum codd. et PP. graec. tum plurimarum verss.; latinum autem *in ipso* explicari potest ac debet eodem sensu, quia noster interpres graecum εἰς saepe latino *in* cum ablat. iuxta suae aetatis usum loquendi reddit.

Est. Nat. etc., *Weinh. Ag.* etc. — *Luth. Calv. Reiche, God.* etc.). Verum graecae lectioni, quam latinae praestare auctoritate testium criticorum constat (cfr *VV. LL.*), prior interpretatio magis congruit [1], eandemque, quia etiam contextui magis consonat, cum omnibus Graecis (*Orig. Chrys. Theod. Theoph. Euth.* etc.) plurimi iuniores modernique iure merito adoptarunt (cfr *Tol. Iust. Lap. Picon.* etc., *Reith. Mai. Beel. MEv. Bisp. Dr. Sch.* etc. — *Beng. de W. Weiss, Oltr.* etc.). Ac profecto in praecedentibus Apostolus non tantum ostendit, Deum admirabili cum sapientia ac scientia omnia ita disposuisse, ut Iudaei et ethnici eadem via ad salutem pervenirent, sed etiam eum benignitatem misericordiamque perfectissime manifestasse, quum utrosque, licet ob caecitatem et pertinaciam suam salutis incapaces indignique essent, ad eam gratis per fidem adducere decrevisset. Quamobrem in hac exclamatione, qua totam demonstrationem concludit, divitias benignitatis ac gratiae divinae praetermittere non potuit. In sequentibus autem sententiam nostram tribus interrogationibus (*vv.* 34. 35) explanat, ita ut in exclamatione quoque tria membra distinxisse dicendus sit. Nam tertia interrogatio neque ad scientiam neque ad sapientiam apte refertur; per chiasmi ergo figuram tres interrogationes ita disposuit, ut prima ad scientiam, altera ad sapientiam, tertia ad divitias pertineat.

Divitiae (πλοῦτος) vero interdum quidem Deo absolute attribuuntur (cfr *Phil.* 6,19; *Apoc.* 5,12), quippe in quo omnes thesauri insint bonitatis (2,4), misericordiae (*Eph.* 2,4), gratiae (*Eph.* 1,7; 2,7), gloriae (9,23; *Eph.* 1,18; 3,16), sapientiae et scientiae (*Col.* 2,3) etc. Nihilominus contextum perpendenti (cfr *vv.* 32. 35) dubium esse nequit, quin Paulus divitias misericordiae, qua Deus omnium miseretur, gratiarumque, quas in omnes gratuito effundit, hic proxime ac potissimum significare voluerit. « *Divitias*, inquit *Theoph.*, divinam bonitatem appellat, ad cuius immensitatem obstupescit, quum eius quantitatem mente non capiat; divitiarum enim indicium tot thesauri sunt, quibus omnes gentes locupletat ».

Maior est in duobus nominibus *sapientiae* (σοφίας) et *scientiae* (γνώ-

1. Nonnulli moderni hanc interpretationem lectioni graecae congruere negant, quia Paulus, si tria membra copulare voluisset, aut scripsisset : ὦ βάθος καὶ πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως aut ὦ βάθος πλούτου, σοφίας καὶ γνώσεως. At Graeci haud infrequenter in trium membrorum coniunctione duobus postremis copulam praeponunt; cfr 2,7 δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν, 12,2 τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. *Matth.* 1,25; *Luc.* 5,17 etc. — Altera autem ex parte considera, in graeca lectione, si secundam interpretationem sequeris, duo nomina καὶ σοφίας καὶ γνώσεως (*tum* sapientiae *tum* scientiae), quae significatione diversa quidem sed vicina sunt, gravius quam par est distingui, quum inter se quasi opponantur.

σεως) definiendis dissensus interpretum. Iuxta *Thom.* sapientia est de divinis, scientia de humanis rebus; quocum fere consentiens *Est.* « sapientia, inquit, causam primam ac supremam contemplatur, scientia circa causas medias et omnino circa varios effectus divinae providentiae versatur ». Attamen contextui nostro haec non magis congruunt, quam si *Euth.* sapientiam τὴν δημιουργικήν et scientiam τὴν οἰκονομικήν τε καὶ προνοητικήν appellans insinuat, priorem ad creationem, alteram ad redemtionem spectare. Iuxta *Tol.*, quocum haud pauci consentiunt (cfr *Iust. Lap. Picon.* etc., *Reith. MEv.* etc.) « scientia est cognitio Dei, qua omnia futura distinctissime novit, antequam fiant nobisque innotescant; sapientia autem prudentia est, qua universa disponit et dispensat omnia mirabili et iustissima via, modo et ratione, et qua decrevit primo gentes negligere ac Iudaeos eligere, postea Iudaeos reiecit et gentes vocavit, postremo et Iudaeos convocabit ». Quae definitio, quamvis superioribus praeferenda videatur, in eo tamen peccat, quod scientiam ad solas res futuras restringat. Animadvertatur enim oportet, Apostolum hoc in loco divinam illam sapientiam ac scientiam celebrare, quam in salute toti generi humano, Iudaeis et Graecis, praeparanda sese manifestasse continuoque manifestare in superiore tractatione ostendit. Unde *altitudo sapientiae* recte quidem hic infinita prudentia intelligitur, qua Deus universa ad fines sibi propositos assequendos opportunissime et aptissime disponens dirigensque in toto nostro genere salvando eam elegit viam, quae omnimodam suam iustitiam ac perfectionem clarissime demonstraret (cfr ad 3,25. 26). *Altitudo scientiae* vero hic latius ita sumi videtur, ut omnium omnino rerum, maxime autem omnium, quae ad finem aliquem intentum ducunt, viarum perfectissimam cognitionem significet; quae scientia (iuxta nostrum concipiendi modum) prudentiae quasi antecedens ac praelucens multos et varios modos, quibus salus humana effici potuit, divinae electioni proposuit (cfr *Cai. Salm. Bisp. Ag. Sch.* etc. — *Weiss* etc.).

Immensitatem autem trium illorum attributorum divinorum, quam prima voce (ὦ βάθος *o altitudo*) iam indicavit, Apostolus duobus ultimis exclamationis membris clarius enuntiat, quibus Dei *iudicia* proclamat *incomprehensibilia* et *vias* eius *investigabiles*. Plerique utrumque membrum ad sapientiam scientiamque tantum pertinere volunt, et alii quidem *iudicia* ad sapientiam, *vias* ad scientiam (cfr *Thom. Est. Bisp.* etc.), alii e contrario *iudicia* ad scientiam et *vias* ad sapientiam (*Tol. Reith.* etc.), alii iudicia et vias pro synonymis sumentes utraque eodem modo ad sapientiam et scientiam referunt (*Euth.* etc.). Quoniam

autem in sequente immensitatis probatione (*vv.* 34. 35) misericordia satis clare commemoratur, equidem eorum magis sum sententiae, qui Paulum priore membro ad misericordiae divitias, altero solo ad sapientiam scientiamque respicere tenent. Τὰ κρίματα τοῦ Θεοῦ (*iudicia Dei*) ergo, qua locutione Alexandrini hebraicum משפטי יי reddere solent, hic neque omnia quae Deus decidit vel statuit vel decrevit, neque Dei iudicis sententias aut consilia severitatis, verum benignitatis consilia, quibus omnium miseretur (*v.* 32), designat. Eodem autem modo Paulus ea dicit *incomprehensibilia*, vel potius, uti *Chrys.* iam monuit et *Itala* exhibuit, *inscrutabilia* (ἀνεξερεύνητα), quo David eadem misericordiae consilia dixit « abyssum multam » (*Ps.* 35,7). Similiter αἱ ὁδοὶ τοῦ Θεοῦ (*viae Dei*), quas ad misericordiae consilia exsequenda pro sua scientia cognovit et pro sua sapientia elegit, *investigabiles* (i. q. non vestigabiles s. ininvestigabiles) sunt, quia humanus intellectus eas ita indagare nequit, ut eas vel omnino cognoscat, antequam a Deo revelatae sunt, vel plene cognoscat, postquam sunt revelatae. Quare recte *Cass.* (coll. 13,17) : « Qui ad plenum dispensationes Dei, quibus salutem in hominibus operatur, vel mente concipere vel disserere se posse confidit, procul dubio impugnans apostolicae sententiae veritatem scrutabilia esse Dei iudicia et vestigabiles vias eius profana pronuntiabit audacia, ipso quoque Domino haec ad eos ita testante : Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus; quia sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris (*Is.* 55,8 sq.) ».

Porro tribus interrogationibus, quarum duas priores ex *Is.* 40,13 accurate iuxta textum alexandrinum, tertiam ex *Iob* 41,2 liberius iuxta primigenium textum desumsit, assertam immensitatem confirmat : 34. *quis enim cognovit sensum* (melius : *mentem* νοῦν) *Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* 35. *aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?* Bene *Theod.* iam adnotat : « Tria haec prioribus tribus, divitiis sapientiae scientiae, opposuit; illud enim *quis novit mentem Domini?* ad scientiam, illud deinde *quis consiliarius eius fuit?* ad sapientiam, et illud demum *quis prior dedit ei et retribuetur illi?* ad divitias pertinet; tam immensae enim sunt divitiae benignitatis eius, ut et iis, quae non erant, dederit ut sint, et iis, quae facta sunt, dederit ut bene sint ». Chiastice (seu per decussem) igitur, uti antea monuimus, interrogationes suas ad superiora membra disponens Apostolus primo dicto prophetico quemquam mentem vel intelligentiam (νοῦν), i. e. cogitata et consilia (τὰ νοήματα cfr ad 2 *Cor.* 2,11) seu scientiam Domini cognoscere negat (*quis cognovit?* i. q. nemo cognovit). Hebraice habetur

מִי־תִכֵּן אֶת־רוּחַ יהוה *quis ponderavit* seu *examinavit spiritum Domini?* quae sententia eandem interpretationem admittit. *S. Hier.* quidem vertit : quis *adiuvit* spiritum Domini? ac similiter moderni verbo תִּכֵּן notionem *dirigendi* attribuunt, ita ut prior interrogatio : *quis direxit spiritum Domini?* plane synonyma sit alteri : *quis consiliarius eius fuit?* At nullo, quod equidem sciam, exemplo hucusque probatum est, verbo תִּכֵּן, quod in coniug. Kal significationem ponderandi et examinandi habet (cfr *Prov.* 16,2; 21,2; 24,12), in coniugat. Piel etiam adiuvandi aut dirigendi notionem competere; sin vero probaretur, alexandrina tamen horum verborum versio, quae isaiano contextui omnino consonat, praeferenda esset, utpote a S. Paulo (hic et 1 *Cor.* 2,16) adoptata et approbata. Optimo igitur iure duas interrogationes sensu inter se differre tenemus; priorem autem ad scientiam divinam referimus, quae tanta esse asseritur, ut nemo eam plene cognoscere, aut si mavis examinare, potuerit, alteram vero ad sapientiam divinam, quae tanta est, ut Deus in via ad suum finem assequendum idonea eligenda nullius unquam consilio vel directione indiguerit indigeatve. Porro animadverte. Isaiam utraque in interrogatione de scientia ac sapientia proxime loqui, quae in creationis opere sese manifestavit, Paulum vero utramque (per sensum quem vocant consequentem) ad scientiam sapientiamque in redemtionis sanctificationisque opere manifestatam transferre, quippe de quo a fortiore valeant.

Tertiam interrogationem eodem in contextu isaiano (*Is.* 40,14) duo ex antiquissimis graecis codd. (ℵ A) exhibent, sed eam istum in locum a sciolis librariis esse insertam hodie omnes consentiunt, quia non tantum in reliquis alexandrinae versionis codd. deest neque a graecis Isaiae commentatoribus (*Eus. Theod. Cyr Alex.* etc.) commemoratur, sed etiam a textu primigenio aliisque antiquis verss. quum immediatis (*Syr. Vulg.*) tum mediatis (*It. Copt. Aeth.* etc.) praetermittitur. Ac revera ex *Iob* 41,2 transumta est, quem locum Alexandrini in alienum sensum (« quis resistet mihi et subsistet? ») detorserunt. *S. Hier.* autem ex hebraico textu recte vertit : « *quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia, quae sub coelo sunt, mea sunt* ». Iuxta libri Iob contextum Deus hac sententia « liberrimam quam habet omnium rerum potestatem, qua nulli aliquid *debet*, ita ut a nullo in ius vocari possit » asserere videtur (cfr *Knabenb.* Comm. in l. Iob. p. 454). sed simul significat, se nullis beneficiis ad liberalitatem provocari, se igitur semper gratis dare. minime vero ex debito reddere. Unde Apostolus hac interrogatione iure utitur ad *immensitatem divitiarum* (βάθος πλούτου), i. e. benignitatis misericordiaeque Dei probandam, qui quum nulli quidquam debeat omnibus largiter dat. « eis, qui non erant, tribuens ut essent.

eis, quos fecit, quum non possent bene operari, tribuens ut operarentur, eos, qui in peccato erant, liberans et ad gratiam reducens » (*Tolet.*).

Contra haereticos, qui his verbis ad meritum negandum abutuntur, sufficit transcribere ea quae iam monuit *S. Aug.* (serm. 158,2 sq.) : « Debitor Deus factus est non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini : Debes mihi, quia dedi tibi, et aliter dicimus : Debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis : Debes mihi, quia dedi tibi, a te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum. Quando autem dicis : Debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti et tamen exigis; bonitas enim eius qui promisit dabit, ne in malitiam fides convertatur; qui enim fallit, malus est. Deo autem numquid dicimus : Redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando totum, quod sumus et quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus. Non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum, maxime dicente nobis Apostolo : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus : Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti, et hoc tu fecisti, quia laborantes iuvisti ». Licet igitur iusti cum Apostolo dicere possint : « reposita est mihi corona iustitiae, quam *reddet* mihi Dominus in illa die iustus iudex » (2 *Tim.* 4,8), verissimum tamen est, neminem quidquam Deo prius dedisse, sed Deum iuxta promissiones suas in nobis, uti S. Aug. saepe dicit, sua dona coronare (cfr *Iust. Est.* etc.).

Alterum allegati loci membrum, quo Deus se nemini quidquam debere sed omnibus cuncta gratis vi solius suae benignitatis dare quodammodo probat (*omnia, quae sub coelo sunt, mea sunt*), Apostolus libere ita reddere voluit, ut cunctas res omni ex parte a Deo pendere magna cum vi doceret : 36. *quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso* (lege : *in ipsum* εἰς αὐτόν) *sunt omnia* (τὰ πάντα); *ipsi gloria in saecula; amen.* Recte *Thom.* adnotat, « *omnia* hic absolute accipiendum esse pro omnibus, quae habent *verum esse*, peccata autem *verum esse* non habere, sed in quantum sint peccata, per defectum alicuius entis dici, quia malum nihil sit nisi privatio boni; quare sententiam de peccatis qua peccatis non esse intelligendam; quidquid tamen entitatis sit in peccato, hoc totum etiam esse a Deo ». Quomodocumque igitur res creatae considerantur, Dei sunt et ad eum pertinent, ut de iis pro suo arbitrio decernat constituatque. Si ad primam earum originem attenditur, *ex Deo* sunt velut ex prima ac suprema causa efficiente, quae eas quum nihil essent creavit ut essent. Si ad praesentem earum statum attenditur, *per Deum* sunt, quippe per quem post suum ortum conservandae sint ne pereant ac pro diversis suis naturis disponantur, ordinentur, gubernentur. Si ad ultimam earum destinationem attenditur, *in Deum* sunt, quia « omnia propter semet ipsum operatus est Dominus » (*Prov.* 16,4), omnia ergo ad se ipsum tamquam ad supremum eorum finem ordinavit omniaque ad ipsum vi quadam innata tendunt,

ut in ipso ultimam suam perfectionem inveniant ipsumque glorificent. Ad quam gloriam Deo ab omnibus debitam attendens Apostolus sententiam doxologia terminat (*ipsi gloria in saecula; amen*), quae sensu a superioribus (1,25; 9,5) non differt, aptissime autem hic adnectitur, ut simul sit clausula totius praecedentis tractationis, quae benignitatis ac misericordiae divinae erga totum genus humanum demonstratione et explicatione nos ad Deum glorificandum efficacissime exhortatur.

Hanc interpretationem, iuxta quam tribus praepositionibus ἐξ διά εἰς (*ex per in*) Deus tamquam creator, conservator, finis ultimus omnium rerum designatur, ex Graecis praeeunte iam *Orig.* tenent *S. Basil.* (de S. Spir. II. 9,92 : « *ex ipso* iuxta voluntatem Dei Patris manat iis quae sunt causa ut sint; *per ipsum* perseverant et consistunt omnia, universorum conditore unicuique rei creatae illa quoque, quae ad sui conservationem necessaria sunt, dimetiente; quare etiam omnia *in ipsum* ordinantur, invincibili quadam et insedabili desiderio et arcano affectu ad auctorem et largitorem vitae respicientia ») *Theod. Euth.*, ex Latinis praeeunte *S. Ambr.* (de S. Spir. II. 9,92) haud pauci iuniores ac moderni (cfr *Cai. Est. Iust. Picon.* etc., *Reith. M Ev. Bisp. Sch.* etc.). *S. Basil.* tamen et *S. Ambr.* in eo procul dubio errant, quod pronomine αὐτός solum Dei Filium designari volunt; Apostolus enim iuxta contextum de Deo loquitur ad personarum distinctionem non attendens.

Ab hac autem praepositionum explicatione multi recedunt. Iuxta *Chrys.* (« ipse invenit, ipse fecit, ipse conservat » cfr etiam *Theoph. Oec.* etc.) primo membro Deus omnium rerum fons esse significatur, quatenus omnia quae fecit prius cognovit; secundo deinde tamquam creator, tertio tamquam conservator proponitur, quatenus videlicet omnia in ipsum vergant velut in fundamentum, quo sustententur. Iuxta *Thom.* (cfr etiam *Tol. Lap. Nat.* etc.). « omnia sunt *ex* Deo, sicut ex prima operatrice potentia. *per* eum, in quantum omnia facit per suam sapientiam, *in ipso* sicut in bonitate conservante ». Iuxta modernos nonnullos (cfr *Mai. Beel.* etc.) omnia sunt *ex* Deo tamquam ex causa ideali, *per* Deum tamquam causam efficientem, *in* Deum tamquam causam finalem; iuxta alios aliter. Verum eam quam secuti sumus interpretationem paulinis verbis accuratius consonare clarum est, dummodo genuina lectio εἰς αὐτόν (*in ipsum*) retineatur.

Porro antiquiores iunioresque multi, praesertim inter Latinos, « tribus his particulis (*ex per in*) non tantum multiplicia beneficia, quae a Deo omnes creaturae et maxime homines accipiunt, significari sed etiam unius Dei trinitatem personarum insinuari » (*Tolet*) arbitrantur. Cui opinioni *Orig.* praelusit, qui totum hunc locum tribus personis divinis ita accommodari posse censuit, ut altitudine divitiarum Pater ex quo sint omnia, altitudine sapientiae Filius per quem omnia sint, altitudine scientiae S. Spiritus significetur, qui omnia etiam profunda Dei novit (1 *Cor.* 2,10). Alius tamen ex Graecis eam non commemorat, sed *S. Augustini*, qui eam

saepe proponit[1], auctoritate factum est, ut plerique Latini eam adoptarent (cfr *Haym. Herv. Thom. Lyr. Dion.* etc., *Tol. Est. Lap. Nat. Pic.* etc., *Mai. Ag.* etc.). Attamen praeprimis notandum est, plerosque Latinos hanc explicationem non proponere nisi velut probabilem loci accommodationem; ex. gr. *Thom.* explicationi suae antea relatae haec addit : « Haec tria (potentia, sapientia, bonitas) communia sunt tribus personis, unde hoc quod dicitur *ex ipso* etc. potest attribui cuilibet trium personarum; verumtamen potentia, quae habet rationem principii, appropriatur Patri, qui est principium totius divinitatis, et sapientia Filio, qui procedit ut verbum, quod nihil aliud est quam sapientia genita, et bonitas Spiritui S., qui procedit ut amor, cuius obiectum est bonitas; et ideo appropriando dicere possumus : *ex ipso*, scilicet ex Patre, et *per ipsum*, scilicet per Filium, et *in ipso*, scilicet in Spiritu S., omnia sunt ». Deinde attendatur oportet, Latinos illos in tertio membro lectionem parum accuratam (*in ipso*) sequi; si genuinam lectionem (*in ipsum*) habuissent, tertium membrum Spiritui S. vix accommodassent, quia ei appropriari non solet, ut sit ultimus omnium rerum finis. Ceterum ne latini quidem Patres inter se consentiunt; nam *S. Hil.* (de Trin. VIII. 38.39) ex hac sententia unam esse Dei naturam derivat, *S. Ambr.* (l. c.) eam ad solum Filium Dei, *Pel.* eam ad solum Deum Patrem referunt etc. Praeter *S. Aug.* et *A*trum vix inter Patres quemquam inveniri puto, qui tria membra inter divinas personas distribuat, id quod etiam contextus ratio aegre permittit.

1. Cfr de fide et symb. 19 : « *Ex ipso* tamquam ex eo qui nulli debet quod est, *per ipsum* tamquam per mediatorem, in *ipso* tamquam in eo qui continet, i. e. copulatione coniungit »; c. Maxim. Arian. II. 23,4 : « Si autem Apostolus... singula horum trium referri ad singulos voluit, *ex ipso* dicens propter Patrem, et *per ipsum* propter Filium, et *in ipso* propter Spiritum S. : cur hanc Trinitatem unum Dominum Deum non vultis agnoscere? Quandoquidem non ait *ex ipsis* et *per ipsos* et *in ipsis* sed ait *ex ipso* et *per ipsum* et *in ipso* »; de Trinit. I. 6,12 etc.

PARS ALTERA PARAENETICA.

VARIA PRAECEPTA AC MONITA MORALIA (12,1-15,13).

Ad alteram epistolae nostrae partem interpretandam transiens *Theod.* non minus opportune quam recte monet, divinam rerum fidem caput quidem ac fundamentum omnium bonorum esse, sed solam ad salutem consequendam non sufficere. « Quod enim corpori, inquit, est oculus, hoc animo est fides; verum sicut oculus manibus indiget et pedibus aliisque membris, ita fides virtute activa ». Ac profecto iuxta Paulum non minus quam iuxta Iacobum fides sine operibus mortua est; id quod satis iam ex eo elucet, quod nusquam de iis, quae Deus nobis credenda revelavit, loqui soleat, quin simul doceat, quid ad vitam Deo acceptam agendam valeant. Iamvero in superiore tractatione ab hac consueta sua disserendi ratione aliquantulum discessit; admodum enim paucis tantum conclusionibus practicis neophytos exhortatus est, ut vitam suam ad doctrinam propositam conformarent (cfr 6,11 sqq. 19 sqq.; 7,4 sqq.; 8,12 sq.). Nunc vero, postquam thesin suam, fidem evangelicam esse omnibus hominibus unicam verae iustitiae salutisque viam, omni ex parte demonstravit et explanavit et vindicavit, simili modo quo in aliis epistolis plerisque ad morum institutionem se convertens dogmaticae parti epistolae alteram moralem, vel potius paraeneticam, subiungit (cfr supra p. 14). Uberius enim accuratiusque exponere aggreditur, quid doctrina tradita a fidelibus postulet, quomodo nimirum universam suam vitam ad fidei evangelicae normam dirigere debeant, ut Deo benignissimo de tanto beneficio dignas gratias referant semetque ipsos vitae aeternae idoneos reddant.

Neque tamen suis praeceptis monitisque cuncta Christianorum officia attingit, sed illa tantum, quae pro temporis ratione ac forte etiam pro romanae ecclesiae statu, de quo per amicos suos, ut videtur, certior erat factus, magis utilia vel necessaria habuit. Subtilem autem singulorum praeceptorum dispositionem in hac paraenesi quaerere non licet, etiamsi aptus ordo nusquam desideretur. Cum plerisque enim duas sectiones recte distinguemus, in quarum priore S. Paulus omnes

fideles alloquens de officiis nonnullis agit, quae ad perfectionem omnibus communem pertinent omnibusque observanda sunt, atque inter ea maxime caritatem commendat, qua tota Lex impleatur (12,1-13,14). In altera autem ad romanam ecclesiam, ut videtur, magis attendens eos alloquitur qui in fide profecerunt, ut eos ad infirmiores suos fratres sustinendos exhortetur (14,1-15,13). Similiter sectiones apta partium dispositione nequaquam carent, licet id nonnulli moderni acath. asserere non dubitent[1]. Attendatur tamen oportet, Paulum theologiae moralis synopsin tradere noluisse et in virtutibus enumerandis ad earum nexum logicum minus quam ad neophytorum necessitates attendisse.

1. Immo aliqui ob accuratioris nexus defectum partem hanc ad epistolam ad Rom. pertinere negarunt (*Renan*, *Schulz* etc.). Contra quos rectissime *God.* : « A y regarder de près, cette matière n'est pas moins systématiquement ordonnée dans ces chapitres que celle de toute la partie doctrinale dans les onze précédents. Le caractère essentiellement logique de l'esprit de Paul suffirait déjà pour écarter l'idée d'une juxtaposition inorganique de préceptes moraux placés au hasard les uns à la suite des autres.

§ 1. — *De officiis quibusdam, quae omnibus observanda sunt* (12,1-13,14).

A generali praecepto, ut iuxta sanctam Dei voluntatem degentes sese ipsos ei tamquam viva sacrificia offerant, initio sumto (12,1. 2) ante omnia Paulus *de vita religiosa* agit omnesque monet, ut suo quisque in munere, quod charismate accepto ei assignatum est, modeste se continens eiusque officia diligenter explens ad commune Ecclesiae bonum pro sua parte conferat (12,3-8). Longa deinde serie officia genuinae caritatis enumerat, quae *in vita privata* omnibus explenda sint, ut Deo et proximis ea praestent, quae Evangelium postulat (12,9-21). Unde *ad vitam publicam* seu politicam transiens subiectionem potissimum obedientiamque magistratibus debitam magna cum vi inculcat (13,1-7). Demum omnia officia uno *praecepto caritatis* quasi comprehendi docens fideles exhortatur, ut salutis completae iamiam adventurae memores, omni torpore excusso, novam vitam in Christo agant (13,8-14). Paucis igitur imaginem quandam hominis vere christiani delineat.

1. — *Modestia observanda in vita religiosa* (12,1-8).

12,1. ***Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 2. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.***

3. ***Dico enim per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, 5. ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. 6. Habentes autem donationes secundum gratiam quae***

12,1. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοί, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν· 2. καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον.

3. λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως. 4. καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι πολλὰ μέλη ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν, 5. οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, τὸ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη. 6. ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν

data est nobis, differentes : sive prophetiam secundum rationem fidei, 7. sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, 8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.

ἡμῖν διάφορα, εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, 7. εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ, εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, 8. εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει, ὁ μεταδιδοὺς ἐν ἁπλότητι, ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ, ὁ ἐλεῶν ἐν ἱλαρότητι[1].

Primo suo praecepto Apostolus totius suae exhortationis quasi summam quandam proponit. Ad omnimodam enim sanctitatem neophytos exhortaturus totam eorum vitam quum externam (*v.* 1) tum internam (*v.* 2) ad divinam voluntatem conformandam esse docet. Ab externa autem incipiens simili modo, quo antea corporis membra Deo arma iustitiae exhibenda esse monuit (cfr ad 6,13), nunc alia imagine usus corpora Deo velut hostiam offerenda esse monet, ut tota vita externa cultus quidam divinus fiat : 1. *obsecro itaque* (melius : *exhortor itaque* (παρακαλῶ οὖν) *vos, fratres, per misericordiam Dei* (vel : *per miserationes Dei* διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ), *ut exhibeatis* (vel : *sistatis* παραστῆσαι) *corpora vestra hostiam* (θυσίαν) *viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* (rectius : *spiritualem cultum vestrum* τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν). Quoniam primo hoc praecepto (*vv.* 1. 2), utpote generali, reliqua quae sequuntur monita cuncta comprehenduntur, coniunctione οὖν (*itaque*) Paulus totam suam exhortationem

1. *VV. LL.* — 1. εὐάρεστον τῷ Θεῷ (placentem Deo: B D E F G L, plerique minusc. et PP., *Syr. Copt. Arm.;* inverso autem vocabulorum ordine : τῷ Θεῷ εὐάρεστον (*Deo placentem*) ℵ A P, nonnulli minusc., *It.* (*S. Ambr.* de incarn. sacram. 2,10; *S. Aug.* de civ. Dei X. 6, *A*[ter] etc.) *Vulg.* Sensum eundem manere patet, dummodo attendatur, dativum (τῷ Θεῷ) ad εὐάρεστον pertinere neque in priore lectione ad verbum παραστῆσαι, neque in secunda lectione ad adiectivum ἅγιον trahere licere. — 2. καὶ μὴ συσχηματίζεσθε... ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε (et ne conformamini, vel : *et nolite conformari... sed reformamini*) B ℵ L P, multi minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Goth. Aeth.*; sed infinitivos μὴ συσχηματίζεσθαι... ἀλλὰ μεταμορφοῦσθαι (non configurari... sed transformari) A D F G cum permultis minusc. Sensus quidem idem manet, quum infinitivi a praecedente verbo παρακαλῶ dependeant (exhortor... non configurari... sed transformari), sed ob versionum auctoritatem prior lectio praeferatur oportet, quum graeci librarii terminationes — εσθε et — εσθαι saepissime confuderint. — τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός (renovatione mentis), pronomine ὑμῶν non addito, B A D F G, pauci minusc. et PP., *Copt.*; sed melius et expressius *textus rec.* : τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν (*novitate sensus vestri*) cum ℵ E L P, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Arm. Goth. Aeth.* — De reliquae sententiae interpunctione et versione cfr *Comment.* — 5. τὸ δὲ καθ' εἷς (quod autem ad singulos attinet, vel : *singuli autem* B ℵ A D F G, paucissimi minusc.; eodem sensu, sed ex correctione, uti videtur *textus recept.* : ὁ δὲ καθ' εἷς cum E L, plerisque minusc. et PP. — 8. εἴτε ὁ παρακαλῶν (*sive* qui exhortatur) est communis lectio codd. graec. et verss.; particulam εἴτε (*sive*) Latini immerito omittunt.

nihil aliud esse ostendit nisi conclusionem practicam, quae proxime quidem ex sententiis immediate praecedentibus, quibus Deus omnium misereri asseritur (11,32) divinaeque misericordiae immensitas celebratur (11,33. 35 sq.), remote autem ex toto superiore tractatu sua sponte derivetur, quippe qui totus salutem nostram divinae misericordiae deberi probet ac praecipuas Dei miserationes ante oculos ponat (3,24 sqq.; 4,25; 5,6 sqq.; 7,4; 8,3 sq. 32 sqq.).

Statim ab initio ergo *per misericordiam Dei* vel potius *per miserationes divinas* (οἰκτιρμοί enim effectus seu specimina, quibus misericordia se manifestat, proprie significat) Christianos obtestans significat, eos misericordiae divinae, quam demonstravit quamque iam experti sint, memoria et consideratione adduci debere, ut exhortationi suae obsequentes Deo misericordissimo gratias dignas referant. Cum *Vulg.* quidem nostra etiam Graeci ac multi iuniores modernique verbo παρακαλεῖν hic *obsecrandi* notionem attribuere malunt, ita ut Paulus « non quasi imperans doceat, siquidem legis imperium nihil proficiat, sed quasi qui reconciliandi officium susceperit obsecret » (*Orig.* cfr. *Chrys. Theod.* etc., *Haym. Herv. Thom.* etc., *Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *Reith. Ag.* etc.). Attamen *exhortandi* vel *praecipiendi* notionem, quae non minus quam obsecrandi aut etiam consolandi significationes verbo παρακαλεῖν competit (cfr ad 1,12; ad 1 *Cor.* 1,10; ad 2 *Cor.* 1,4 etc.), hic praeferendam ducimus, quia Paulus statim *v.* 2. iuxta probabiliorem lectionem (cfr *VV. LL*) imperativis, qui obsecrationi minus congruunt, et *v.* 3. diserta praecipiendi formula utitur. Quod autem *Est.* ob additam obtestationem potius intelligendam esse obsecrationem monet, id vanum est, quia per misericordiam Dei non minus aliquem adhortari quam rogare possumus.

Quoniam corporis sensus appetitusque principium ruinae spiritualis homini esse solet, eos ante omnia dominio rationis subiicere debet, quicumque ad perfectionem omnibus Christianis necessariam contendit. Iure merito igitur Paulus priore sui praecepti generalis membro neophytos exhortatur, ut iis mortificatis corpora sua integra divino tradant servitio vel, uti sacrificii similitudine utens ait, Deo hostiam offerant. Inter modernos utique nonnulli τὰ σώματα ὑμῶν (*corpora vestra*) idem esse volunt quod ὑμᾶς αὐτούς (*vos ipsos*, vestras personas), quia nomen σώματος apud profanos et etiam apud Alexandrinos (cfr *Gen.* 36,6; 2 *Macc.* 8,11 etc.) ad totum hominem (corpus et animum) designandum interdum usurpetur. Verum hic loquendi usus, cuius certum exemplum in Novo Test. non exstat, non tantum nostro loco parum est adaptatus, quum vix adhibeatur, nisi ubi de servis vel militibus, quorum maxime spectari solent corpora, sermo est, sed eo minus hic

admitti potest, quia alterum praecepti membrum (*v.* 2) de animo diserte agit. Sacrificii porro notio verbo παραστῆσαι iam innuitur, quod ab Hellenistis (cfr *Philon.* de virtut. ed. Mang. II. 580; *Fl. Ios.* Antiqu. IV. 6,4 etc.) et Alexandrinis (cfr *Levit.* 16,6 etc.) de iis interdum dicitur, qui victimas altari admovent Deoque *sistunt* (cfr *Luc.* 2,22); atque hac significatione illud hic esse sumendum accusativus θυσίαν (*hostiam*, victimam) extra dubium ponit. Minus recte ergo *Chrys.* ad 6,13 (παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ) respiciens Apostolum nos hic quoque exhortari putat, ut corpora nostra Deo velut *arma* praebeamus ad bellum gerendum contra satanam. Alia quippe imagine utitur, qua clarius indicatur, corpora deinceps *soli* divino servitio esse impendenda; namque hostiam Deo oblatam ad profanos usus adhibere nefas est[1].

Quale vero corporum nostrorum sacrificium esse debeat, tribus adiectivis describitur. In vetere oeconomia victimae Deo sistebantur, ut mactarentur morteque sua ei offerrentur et consecrarentur; nos vero corpora nostra *vivam* hostiam offerre et consecrare iubemur. In baptismo videlicet vetus quidem noster homo cum Christo in crucem agitur, ut « corpus peccati », i. e. corpus peccato subiectum, evacuetur et destruatur (cfr ad 6,6); at in baptismo etiam cum Christo resurgimus, ita ut deinceps corpus nostrum velut ex mortuis vivens Deo sistere ac membra nostra ad iustitiae opera adhibentes Deo velut *vivam* hostiam offerre possimus (cfr ad 6,13). Minus apte epitheton hoc alii ex 8,13 cum *Chrys.* interpretari videntur : « ille (scil. ritus leviticus) hostiam exhibebat mortuam, hic (ritus novus) hostiam *facit* vivam; quando enim membra mortificamus, vivere possumus ». Neque aptius alii ad 2 *Cor.* 4,10 cum *Orig.* recurrunt : « vivam dicit hostiam, quae vitam, i. e. Christum, in se gerit et dicit : Mortem Iesu in corpore nostro circumferimus, ut et vita Iesu in corpore nostro manifestetur ». Eo ipso autem, quod vetere homine crucifixo corpus nostrum peccato est mortuum iustitiaeque vivit, etiam velut hostia *sancta ac Deo placens* offerri potest; utpote purum enim et immaculatum nihil, quo sancti Dei oculi offenduntur, in se habet, ita ut idoneum ac dignum sit quod Deo offeratur.

Iamvero hanc corporis nostri oblationem, qua illud bono membro-

1. Ceterum bene *Chrys.* : « Quomodo, inquies, corpus hostia fiet? Nihil mali oculus aspiciat, et factus est hostia; nihil lingua turpe loquatur, et facta est sacrificium; nihil iniqui manus faciat, et facta est holocaustum. Neque vero haec sufficiunt, sed etiam bona opera edamus oportet : manus eleemosynas eroget; os benedicat illis, qui iniuriam nobis inferunt; auris divinis concionibus operam det. Hostia enim nihil habet immundi; hostia omnium aliorum est primitiae; manus itaque et pedes et os et alia omnia velut primitias Deo offeramus ».

rum nostrorum usu Deo sistimus hostiam vivam et sanctam Deoque acceptam, Paulus vocat τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν, i. e. *cultum* (cfr ad 9,4) *rationabilem* vel potius *spiritualem*. Qua in locutione interpretanda ad eius nexum grammaticum et ad eius significationem attendamus oportet. Ad priorem quod attinet, tantum non omnes hodie consentiunt, verba illa appositionem esse non ad nudum nomen θυσίαν (victima enim inepte diceretur cultus) sed ad totam praecedentem sententiam (παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν κτλ. *ut sistatis corpora vestra hostiam* etc.). Graecis enim usitatum est, integris sententiis appositionem (plerumque accusativo, interdum nominativo) addere, qua aut explicentur aut iudicium de iis feratur; eiusmodi autem appositiones locum tenent consecutivae vel relativae sententiae in easque apte resolvuntur[1]. Unde noster locus hac ratione apte exponi videtur: παρακαλῶ ὑμᾶς παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν..., ὥστε τοῦτο (scil. τὸ παραστῆσαι ὑμῶν τὰ σώματα θυσίαν) εἶναι λογικὴν λατρείαν ὑμῶν : « iubeo vos offerre corpora vestra hostiam..., ita ut haec corporum vestrorum oblatio sit vobis cultus spiritualis ».

Locutionis autem significationem, praeeunte *Chrys.* et consentientibus multis iunioribus (cfr *Tol. Iust. Lap.* etc.) modernisque (cfr *Reith. Mai. Beel. M Ev.* etc.), egregie in hunc modum *Est.* interpretatur : « Vulgo quidem sic fere hanc sententiam accipiunt, quasi moneat Apostolus, ut pietatis exercitia, cuiusmodi sunt orationes et ieiunia et vigiliae, fiant cum ratione ac modo, ne corpori aut sensibus, si sint immoderata, nocumentum afferant (cfr ex. gr. *Thom. Lyr. Cai.* etc.). Attamen hic sensus, etsi bonam contineat doctrinam, praesenti loco non congruit; vocat enim Apostolus *obsequium* vel *cultum rationalem* (τὴν λογικὴν λατρείαν) eum, qui in ratione ac mente situs est, i. e. *cultum spiritualem*, ad differentiam cultus [mere] externi atque corporei [vel cruenti ac materialis], qualis cultus fuit Iudaeorum [ethnicorumque], qui in hostiarum carnalium mactatione consistebat; sic 1 *Petr.* 2,2 *lac rationabile* [γάλα λογικὸν i. e. lac spirituale in oppositione ad lac materiale]. Sensus ergo est : Exhibete corpora

1. Cfr *Beelen* Gramm. p. 387 sq.; *Winer* Gramm. p. 496; *Alex. Buttmann* Gramm. p. 134. — Exempla ex profanorum operibus afferunt *Phil. Buttmann* Griech. Gramm. Ed. 20 p. 375 sq.; *Kühner* Ausfuhrl. Gramm. der griech. Sprache § 500, 1. — Nostro loco haud dissimilis est constructio 8,3 (cfr p. 399), licet ibi appositio praemittatur sententiae; postponitur autem, uti hic, 1 *Tim.* 2,6 : ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις (« qui dedit semet ipsum pretium redemtionis pro omnibus, *testimonium* temporibus suis »); quam sententiam expone : ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων ὥστε τοῦτο (τὸ δοῦναι ἑαυτὸν κτλ) εἶναι μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις (« qui semet ipsum pretium redemtionis pro omnibus dedit, ita ut haec sui ipsius pro omnibus traditio sit testimonium temporibus suis »); cfr etiam 2 *Thess.* 1,5; *Apoc.* 21,17 etc.

vestra hostiam Deo per bona opera, qui est [vel potius : ita ut sit] rationalis cultus vester; ipsa igitur hostia, quam iubemur offerre, corpora nostra sunt; actus autem, quo Deo huiusmodi hostiam offerimus, cultus est rationalis ac spiritualis (ἡ λογικὴ λατρεία) ».

Interroganti autem, cur ad hanc sententiam exprimendam Paulus non potius dixerit τὴν πνευματικὴν λατρείαν, respondemus iuxta eius loquendi usum πνευματικός atque σαρκικός vel σάρκινος plerumque inter se opponi, cultum autem illum, cui corporis nostri oblatio hic opponitur, *carnalem* nominari vix potuisse, quoniam Apostolus de cruentis Iudaeorum sacrificiis a Deo praeceptis proxime cogitavit. Adiectivum λογικός igitur, quod adiectivo αἰσθητικός (sensilis seu sensibus perceptibilis) magis opponitur, recte elegit, ut cultui materiali opponeret immaterialem seu spiritualem. Id *Chrys.* iam innuit, ubi rationabilem cultum dicit eum « qui nihil habet corporei, nihil crassi, nihil sensibile » (ταῦτα ποιῶν — scil. eleemosynas distribuens, castitatem servans etc. — ἀναφέρεις λογικὴν λατρείαν, τουτέστιν οὐδὲν ἔχουσαν σωματικόν, οὐδὲν πάχυ, οὐδὲν αἰσθητικόν).

Ceterum exeunte 1. saec. ad nostrum locum iam respexisse ac vocabulum λογικός eodem sensu sumsisse auctor apocryphi *Test. duodec. patriarch.* (Levi 3) videtur, ubi angelos in quarto coelo λογικὴν καὶ ἀναίμακτον προσφοράν (spiritualem et incruentam oblationem) Deo offerre dicit. Saec. 2. deinde *S. Athenag.* (Legatio pro Christian. 12. *M.* 6,916) vocabulo procul dubio eandem significationem attribuit; veri enim Dei cognitionem puramque vitam omnibus holocaustis praestare praemonens id unum a Christianis postulari asserit, ut Deo victimam incruentam offerant ac *rationabilem* (vel *spiritualem*) *cultum* exhibeant (προσφέρειν δεῖ ἀναίμακτον θυσίαν καὶ τὴν λογικὴν προσάγειν λατρείαν). Insequente saec. *Euseb. Caes.* incruentum Eucharistiae sacrificium haud inepte velut λογικόν seu *spirituale* materialibus cruentisque Iudaeorum sacrificiis opponit; namque Demonstr. evang. I. 6 (*M.* 22,61) veteris oeconomiae sacrificia abrogata esse ad *Mal.* 1,11 respiciens ex eo probat, quod « Domino altare *incruentarum et rationalium hostiarum*, prout nova Novi Testamenti mysteria postulent (θυσιαστήριον ἀναίμων καὶ λογικῶν θυσιῶν κατὰ τὰ καινὰ μυστήρια τῆς νέας καὶ καινῆς διαθήκης) per totum terrarum orbem erectum sit ». Iterum Demonstr. evang. I. 10 (*M.* 22,92) variis Psalmorum locis praedici docet, « mysticam unctionem et veneranda mensae Christi sacrificia, quibus operantes Deo *incruentas et rationabiles* (seu *spirituales*) *eique acceptas victimas* (τὰς ἀναίμους καὶ λογικὰς αὐτῷ τε προσηνεῖς θυσίας) in tota nostra vita per eminentissimum eius pontificem offeramus ». Ad Patrum igitur graecorum usum loquendi *Cremer* (Bibl. theolog. Worterb. des N. T. Ed. 4. p. 539) non attendit, quum adiectivum λογικός in oppositione ad materialia veteris oeconomiae sacrificia ullibi usurpari idemque fere quod νοερός vel πνευματικός significare negaret. Conferri autem etiam *Euseb.* Hist. Eccl. IV. 23 (*M.* 20, 389) meretur, ubi ad 1 *Petr.* 2,2 alludens Dionysium Corinth. in epistola sorori Chrysophorae inscripta ei *nutrimentum spirituale* (λογικὴν τροφήν) praebuisse dicit.

Quemadmodum autem corpus, membris nostris soli servitio divino consecratis, Deo hostiam vivam sanctamque offerre debemus, ita animum quoque totum ei soli consecremus oportet. Namque « si corpus, inquit *S. Aug.* (de civ. Dei X. 6), quo inferiore tamquam famulo et tamquam instrumento utitur anima, quum eius bonus ac rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est, quanto magis anima ipsa, quum se refert ad Deum, ut igne amoris eius accensa formam concupiscentiae carnalis amittat eique tamquam formae incommutabili subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium ». Nihilominus sacrificii similitudinem Paulus relinquit, quando in altero praecepti sui membro ad animum transiens internam nostram vitam totam ad divinae voluntatis normam dirigendam conformandamque esse docet : 2. *et nolite conformari* (vel cum *S. Cypr.* ad Nemes. ep. 77,3 etc. : *nolite configurari*, aut rectius : *nolite vos configurare*[1] μὴ συσχηματίζεσθε cfr 1 *Petr.* 1,14) *huic saeculo, sed reformamini* (melius : *transformamini* vel potius : *transformate vos* μεταμορφοῦσθε cfr 2 *Cor.* 3,18) *in novitate sensus vestri* (melius : *renovatione mentis vestrae* ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν cfr *Eph.* 4,23), *ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (vel melius cum *S. Aug.* de civ. Dei X. 6, *A*[tro] etc. : *quae sit voluntas Dei, bonum et beneplacens et perfectum* τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον).

Duabus quasi partibus praeceptum constat, quarum priore negativa sequi vetamur quidquid animum inquinet ac pervertat, altera positiva iis studere iubemur, quae eum sanctificent ac perficiant. Simili quippe modo, quo *Iac.* 1,27 monet, ut *ab hoc mundo* nos immaculatos custodiamus, Paulus ne *huic saeculo nos configuremus* ante omnia interdicit. *Huius saeculi* autem (τούτου τοῦ αἰῶνος) vel *huius mundi* (τούτου τοῦ κόσμου) appellatione Paulus genus humanum frequenter designat, quatenus originali labe infectum nequedum redemtionis gratiae particeps factum dominio satanae, principis vel dei saeculi huius, subiacet peccatisque inservit (cfr ad 1 *Cor.* 1,20; 2,6. 8; 3,18 sq.; 2 *Cor.* 4,4; *Gal.* 1,4 etc.). Itaque hic eorum, qui ad hanc generis partem pertinent, figuram vel habitum (σχῆμα) induere, i. e. mores vitamque imitari, seu aliis verbis eadem sentire, desiderare, quaerere prohibemur, quae ethnici Iudaeique infideles sectantur, quos descriptis vitiis flagi-

1. Verbum συσχηματίζεσθαι hac in sententia non passivum sed medium esse reflexivamque habere significationem (i. q. *se configurare*), ex eo iam satis elucet, quod hic de praecepto agitur. Eadem media reflexivaque significatione verbum συσχηματίζεσθαι usurpatur 1 *Petr.* 1,14 (saepius in Novo Test. non legitur), uti μετασχηματίζεσθαι (i. q. *se transfigurare*) quoque 2 *Cor.* 11,13. 14. 15. — Similiter et ob eandem rationem μεταμορφοῦσθαι, quod 2 *Cor.* 3,18 passive adhibetur (cfr etiam *Matth.* 17,2; *Marc.* 9,2), hic pro medio (i. q. *se transformare*) rectius sumitur.

tiisque adhuc sub peccato esse antea est demonstratum (cfr ad 3,9 sqq.; 1,18 sqq.; 2,17 sqq.). Bene *Pel.* : « Nolite similes fieri filiis huius saeculi, qui facti estis filii Dei », et *Haym.* : « Nolite assimilari amatoribus huius saeculi, qui virtutes despiciunt et vitia sectantur » (cfr *Prim. Abael. Herv. Thom*[2]. etc., *Est. Iust. Lap.* etc., *Mai. Beel. Bisp.* etc.). Ad eundem fere sensum Graeci quoque nonnullique Latini perveniunt, licet appellatione *hoc saeculum* vel *hic mundus* ad 1 *Cor.* 7,31 (*praeterit enim figura huius mundi*) respicientes minus apte designari arbitrantur vanas fluxasque huius terrae res cunctas (divitias, honores, etc.), quibus homo sese configuret, si in eis totum suum studium ponat eisque per amoris affectum inhaereat (cfr *Chrys. Theod. Phot. Theoph.* etc., *Thom*[1]. *Cai. Tol. Reith. Ag.* etc.). Nulla enim adest ratio, cur a priore locutionis interpretatione, utpote apostolico tempore pervagata, recedamus.

Altera deinde praecepti parte *nos transformare* (μεταμορφοῦσθαι), i. e. vetere deposita forma novam induere seu vitam moresque in melius mutare[1] iubemur, idque *per renovationem mentis nostrae* (τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ἡμῶν). Nomine *mentis* (τοῦ νοός Vulg. : *sensus*) hic ratio practica designatur, quae de agendis iudicans voluntatem ad malum vitandum ac bonum faciendum inclinat (cfr *Thom.* etc.), in homine lapso autem nequedum regenerato renovatione indiget, quia peccato carni inhabitante obscuratur debilitaturque neque amplius voluntatem ad bonum agendum inclinat (cfr ad 7,15 sqq. 23 sqq.), quin etiam paullatim eo pervenit, ut ad iustum de agendis iudicium ferendum quasi inepta fiat (cfr 1,28 νοῦς ἀδόκιμος). Atqui haec renovatio regeneratis quoque semper est necessaria, quoniam in eis, reatu culpae peccati originalis deleto, concupiscentia remanet (cfr ad 2 *Cor.* 4,16). Quare « monet Apostolus, inquit *Thom.*, ut *reformemur*, i. e. *iterato* formam et decorem mentis assumamus, quem mens nostra habuit

1. Inter verba συσχηματίζειν et μεταμορφοῦν, quamvis prius latino *configurare*, alterum *transformare* reddamus, aliam significationis differentiam admittendam non esse censemus, nisi eam quae praepositionibus σύν et μετά indicatur. Graeci quidem (cfr *Chrys. Theod. Theoph.* etc.) ex nominum quoque, a quibus derivantur (σχῆμα, μορφή), diversitate diversam quandam verborum illorum significationem deducere conantur. Namque σχῆμα dicunt esse aliquid, quod rei extrinsecus accedat ideoque mutabile sit ac transitorium, μορφὴν vero illud, quod rei sit proprium ideoque stabile ac permanens; unde verbo συσχηματίζειν accidentalem, verbo μεταμορφοῦν substantialem mutationem, ut videtur, significari arbitrantur. At quidquid est de illa, quam tradunt, nominum simplicium σχήματος et μορφῆς diversa significatione (quae num ubique observetur, iure merito *Iust.* dubitat), Paulum eam in derivatis compositisque non agnoscere luculentissime ex *Phil.* 3,21 apparet : ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ (qui *transfigurabit* corpus humilitatis nostrae, ut fiat *conforme* corpori claritatis suae), quo in loco, si vera esset Graecorum explicatio, Paulus scribere debuit : ὃς μεταμορφώσει (qui *transformabit*..., ut sit *conforme*).

[scil. in Adamo ante eius lapsum]; quod quidem fit per gratiam Spiritus Sancti, ad quam participandam homo studium habere debet, ita nimirum, ut qui eam nondum perceperunt eam percipiant et qui illam perceperunt in ea proficiant ». Qua in explicatione *Thom.* latinam versionem sequitur (« *reformamini* in novitate sensus vestri »); graecus vero textus de *re*formatione non loquitur sed de *trans*formatione. Nihilominus explicatio etiam graeco textui congruit, quandoquidem graecum nomen ἀνακαίνωσις *restitutionem* recte dicitur significare in eum novum statum supernaturalem, in quo primi nostri parentes constituti erant et quem peccato suo sibi posterisque suis amiserunt. « Creatura, inquit *S. Basil.* (c. Eunom. V. *M.* 29,728), *iterum* fit nova, quando Spiritus Sancti particeps fit, quo privata inveteraverat » (cfr *Col.* 3,10; *Eph.* 4,23. 24 etc.).

Finis porro transformationis mentis nostrae est, ut accurate cognoscamus (εἰς ἐπίγνωσιν *Col.* 3,10) vel, uti hic dicitur, *probemus* (εἰς τὸ δοκιμάζειν), i. e. explorantes dispicientesque accurate intelligamus, *quae sit voluntas Dei* seu quid Deus a nobis agi velit (τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ i. q. ὃ θέλει ὁ Θεός, cfr 2,18 etc.). Ad quae verba bene *Orig.*, postquam mentem potissimum quotidiana Scripturarum lectione ac meditatione transformari praemonuit : « Utique nisi ad omnem scientiam revocatus sit sensus et totus Dei sapientia illuminatus, probare non potest, quae sit voluntas Dei. In multis enim putatur esse voluntas Dei et non est; in quo utique hi, qui sensum non habent renovatum, errant et falluntur. Est autem revera non cuiuscumque sensus sed valde renovati et, ut ita dicam, ad Dei imaginem transformati, probare in singulis quibusque, quae agimus, quae loquimur, quae cogitamus, si sit voluntas Dei, et nihil omnino vel agere vel dicere vel cogitare, quod voluntati Dei non senserit convenire ». Namque « sicut homo, inquit *Thom.*, qui habet gustum infectum, non habet rectum iudicium de saporibus, sed ea quae sunt suavia interdum abominatur, ea vero quae sunt abominabilia appetit, qui autem habet gustum sanum, rectum iudicium de saporibus habet : ita homo qui habet corruptum affectum, quasi conformatum rebus huius saeculi, non habet rectum iudicium de bono, sed ille qui habet sanum ac rectum affectum, sensu eius innovato per gratiam, rectum iudicium habet de bono ».

Tria adiectiva τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον una cum *Vulg.* et *Syr.* etiam Graeci (cfr *Orig. Chrys. Theod.* etc.) multique iuniores pro epithetis habent, quibus nomen τὸ θέλημα accuratius definiatur : « ut explorantes dispiciatis, *quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* ». Contra quam opinionem recte *Beel.* : « Ab iis, qui cum auctore Vulgatae vocabula illa pro epithetis habent, edoceri cupiam,

quid intelligant *voluntatem Dei beneplacentem;* item an sit etiam quaepiam Dei voluntas *non bona* aut *non beneplacens* aut *non perfecta* ». Cum *It.* ergo, quam *S. Aug. A*ter *Pel.* etc. sequuntur, nonnullisque iunioribus (cfr *Lap. Picon.* etc.) ac multis modernis (cfr *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Sch.* etc.) tria adiectiva substantive sumi atque locutioni τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ velut appositionem explicationis gratia addi censemus : « ut dispiciatis, quae sit *voluntas Dei* (seu quid Deus a nobis agi velit), videlicet quidnam sit *bonum et beneplacens et perfectum* ».

Hac ratione gradatio quoque aptius explicatur, quam inter tria adiectiva esse omnes Patres iam agnoscunt, quamvis in ea definienda varias ineant vias. Cum *Chrys.* nonnulli *bonum* ad veteris oeconomiae praecepta, *beneplacens et perfectum* ad novae oeconomiae instituta non minus arbitrarie quam parum recte referunt. Iuxta *S. Basil.* (reg. brev. tract. 276. *M.* 31,1276), quem *Theoph.* aliique sequuntur, voluntas Dei dicitur *bona,* qua generatim praecipit ea, quae nobis facienda sunt; *beneplacens,* qua bonum, quod praeceptum est, etiam bene, i. e. pro loci, temporis, personarum etc. ratione, fieri iubet; *perfecta,* qua id quod fit ulla ex parte imperfectum aut mancum aut mutilum esse vetat. Iuxta *Thom.* dicitur *bona* voluntas Dei, « quatenus nos bonum honestum velle vult et suis praeceptis ad hoc nos inducit; *beneplacens,* quatenus id, quod Deus nos velle vult, animo bene disposito delectabile est; *perfecta,* quatenus non tantum ad finem consequendum utile est, sed etiam fini nos coniungit » ; alii aliter. Praeeunte autem *Pel.* (« id quod bonum est et melius et optimum ») tres gradus boni honesti distingui recte tenere nobis videmur. « Sunt enim, inquit *Tolet.*, triplicia, quae Deus a nobis fieri vult; alia quippe bona, alia meliora, alia perfecta sunt; nubere bonum est, at continere melius; diligere amicum bonum est, ei benefacere melius, inimicum diligere perfectum est; non se vindicare de laedente bonum est, dare locum irae illius melius est, eum esurientem cibare perfectum est; praeesse, distribuere, misereri bona sunt et meliora multis aliis, sed si fiant in sollicitudine, simplicitate, hilaritate, perfecta sunt; debet ergo Christianus conari semper in melius, ut non tantum bona faciat, sed etiam meliora et perfecta aggrediatur ». Deo *beneplacens* ergo hic illud vocari videtur, quod non tam sub praecepto, quam sub consilio cadit.

Generalem suam exhortationem Apostolus praeceptis particularibus quasi confirmat simul et explicat (attende in *v.* 3 ad causalem particulam γάρ *enim*). Enucleatius quippe et distinctius « bonum et beneplacens et perfectum », quod Deus a Christianis fieri vult, eis opponit,

quae « hoc saeculum » a suis asseclis postulat. Primo autem in loco vitam religiosam considerans ab ea virtute exorditur, quae omnium aliarum radix haud immerito censetur. Effrenatae enim superbiae, qua mundani homines omnibus sese praeferentes aliena sibi arrogare solent, modestiam humilitatemque opponit, qua Christiani suo quisque in gradu divinitus assignato sese continere debeant (*v.* 3). Quam moderationem continentiamque commendat ostendens, simili modo, quo corporis membra diversis officiis fungantur, etiam hominibus in unam Christi Ecclesiam adunatis disparia, quae singulis competunt, munera obeunda esse, ut singuli pro sua parte ad totius coetus bonum conferant (4. 5). Quia autem pro variis muneribus varia quoque singulis a Deo concessa sint charismata, simul inculcat, ut illis quae acceperunt ea sola ratione utantur, qua Deus vult (6-8).

Praeceptum humilitatis primo in loco esse positum, quia neophyti romani magis quam alii eo indiguissent, temere assertum est et sine causa (cfr *Fritzche, Mey.* etc.); nam quaenam romanae ecclesiae conditio illo tempore fuerit, plane ignoramus. Rectius, ni fallor, dicemus, Paulum non tam romanae ecclesiae, cui scripsit, quam corinthiae, ex qua hanc epistolam dedit, statu permotum esse, ut hoc in loco modestiam humilitatemque ac debitam sollertiam in charismatum usu commendaret. Satis enim ex longo, quem priori epistolae ad Corinthios haud diu antea conscriptae inserere coactus erat (1 *Cor.* 12,1-14,40), tractatu de charismatis apparet, corinthiae ecclesiae pacem usu charismatum, quum alii de dono accepto non essent contenti, alii de suo dono superbirent, alii eo inconsiderate uterentur, haud leviter esse turbatam. Discordiarum autem reliquiis, quas Corinthum redux invenit, Paulus facile adduci potuit, ut brevi nostro monito simile periculum a romana ecclesia avertere studeret.

3. *Dico enim per gratiam, quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos* (vel melius : *unicuique qui est inter vos* seu *in vestro coetu* παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν) *non plus sapere* (μὴ ὑπερφρονεῖν) *quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (εἰς τὸ σωφρονεῖν), (*et*) *unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (iuxta graecam lectionem ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως, quam aliae quoque verss. multique *Vulg.* codd. sequuntur, particula *et*, quam *Vulg. Clem.* cum aliquibus latinis codd.exhibet, praetermittenda est; ex 1 *Cor.* 3,5 probabiliter huc irrepsit). Quemadmodum divinae, quam neophyti experti erant, misericordiae obtestatione generalem suam exhortationem corroboravit efficacioremque reddidit (*v.* 1), ita particularibus suis praeceptis Paulus vim ac pondus addere voluit ad apostolicum suum munus appel-

lans. Illius enim commemoratione sibi, utpote qui pro Christo legatione fungatur et per quem Deus ipse loquatur (cfr 2 *Cor.* 5,20), potestatem praecipiendi competere seque illa non nisi officii sui necessitate compulsum uti insinuat. Namque verbum λέγειν (*dicere*), uti saepe (cfr *Matth.* 5,28. 32. 34. 39. 42 etc.), etiam hic idem valere quod παραγγέλλειν (*edicere, praecipere* 1 *Cor.* 7,10; 11,17 etc.), contexta oratio satis declarat omnesque interpretes consentiunt. Similiter iuniores modernique fere omnes recte tenent, eum nomine *gratiae sibi datae* hic illam intelligere, qua constitutus est gentium Apostolus (cfr ad 1,5; 15,15 sq. etc.), apostolicum ergo munus gratis sibi a Deo collatum divinamque, quam ex eo haurit, auctoritatem modeste designare (cfr *Herv. Abael. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Salm. Tol. Est. Iust.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Dr. Ag.* etc.). Minus recte vero antiquiores gratiam ei datam interpretantur sapientiam (cfr 1 *Cor.* 3,10) vel disciplinae christianae peritiam, quam ad gentes docendas divinitus acceperat (cfr *Orig. A*[ter] *Prim. Sed. Haym.* etc.; similiter *Chrys. Theod. Theoph.* etc.). Neque enim tam ad sapientiam, quam ad auctoritatem apostolicam, quae ad omnes se extendens (1,14) omnibus velut divina suspicienda ac verenda erat, appellare debuit, ubi omnibus ac singulis romanis neophytis, nullo excepto, sive ex inferioribus sive ex primoribus erat, sive privatam agebat vitam sive munere quocumque ecclesiastico fungebatur (*unicuique qui est inter vos*), praecepta traditurus erat.

Itaque pro auctoritate apostolica divinitus accepta (*per gratiam mihi datam*) unicuique ex neophytis edicit, ut omni deposita superbia arrogantiaque in illo gradu ac munere se contineat, quem ei Deus dono collato assignavit. Duobus enim membris, negativo ac positivo, etiam hoc praeceptum constat, quod eleganti paronomasia proponit, quam latinus interpres imitando consequi non potuit: μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως. Verbum φρονεῖν, quod a φρήν (i. q. νοῦς *mens*) derivatum variis mentis actionibus (cogitandi 1 *Cor.* 13,11 etc., sentiendi et iudicandi *Gal.* 5,10 etc., appetendi ac studendi 8,5 etc.) designandis inservit, hic idem quod *de se sentire* seu *se aestimare* valere recte dicitur. Unde prius compositum (ὑπερφρονεῖν, quod hic tantum legitur) explicetur oportet « iusto altius de se sentire arrogantemque esse » (cfr apud profanos ὑπέρφρων superbus, ὑπερφρόνησις superbia) vel, si novo verbo uti licet, *se superaestimare*; alterum vero (σωφρονεῖν), quod *Chrys.* σώας ἔχειν τὰς φρένας (sanam mentem habere) haud male interpretatur, hic idem est atque « sane iusteque de se sentire modestumque esse » seu *iustam sui aestimationem habere*. Priore igitur

membro Paulus prohibet, ne quis *immodicus sui aestimator sit* (μὴ ὑπερφρονεῖν), atque explicationis tantum gratia addit, ne se aestimet *ultra modum quo se aestimare debet* (παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν).

Quam prohibitionem deinde altero membro positivo accùratius definit modo indicato, quem singuli in sui aestimatione tenere debeant. Etenim *ut se aestimet usque ad iustam sanamque sui aestimationem habendam* (ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν) seu ut se iuste aestimare studeat praecipit ac simul docet, normam, ad quam haec sui aestimatio diiudicanda sit, mensuram charismatum esse, quae maiora vel minora Deus unicuique attribuit : *unicuique prout* (ἑκάστῳ ὡς per hyperbaton pro ὡς ἑκάστῳ *prout unicuique*[1]) *Deus divisit mensuram fidei*. Cum graecis scilicet ac plerisque latinis interpretibus in locutione *mensura fidei* (μέτρον πίστεως) nomen *fidei* iuxta contextum (cfr *v.* 6 sqq.) metonymice pro charismatis in rei christianae exordio tam frequentibus sumendum esse censemus, quippe quae, licet a S. Spiritu *prout vult*, i. e. non iuxta singulorum merita sed iuxta varias totius Ecclesiae necessitates, liberrime distribuantur (cfr *Comm.* in 1 Cor. *p.* 372), credentibus tamen dentur (*Marc.* 16,17 etc.), ita ut fidei quasi fructus dici mereantur[2] (cfr *Orig. Chrys. Theod. Mopsu.* etc., *A^ter Prim. Sed. Haym. Herv.* etc., *Cai. Iust. Lap. Nat Pic.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp. Dr. Ag.* etc.). Totius ergo praecepti sensus est, ut unusquisque ex neophytis, quisquis demum sit, ab omni superba arrogantia se abstineat atque iuste se aestimare studeat pro ratione doni sibi ad totius Ecclesiae utilitatem gratis a Deo collati. Id autem faciet, si dono accepto contentus intra illius limites modeste se continebit, i. e. non tantum ab aliis muneribus, ad quae administranda dono divino non est praeparatus, sibi temperabit, sed etiam illius muneris, ad quod dono accepto est vocatus, officia diligenter iuxta Dei voluntatem implebit.

Hodiernae *Vulg.* lectio (sed sapere *ad sobrietatem*), aeque atque *It.*

1. Nonnulli quidem antiquiores iunioresque Latini (cfr *Herv.* etc., *Est.* etc.) dativum ἑκάστῳ (unicuique) ad praecedens verbum λέγω (*dico*) trahere malunt; sed hunc nexum, nisi durissimum admittere velimus anacoluthum, tota constructio respuit. Eandem autem traiectionem (ἑκάστῳ ὡς et ἕκαστον ὡς) Paulus etiam alibi adhibet (1 *Cor.* 3,7; 7,17), atque hoc in loco dativum ἑκάστῳ particulae ὡς per hyperbaton praemittere voluit, ut maiore cum vi superioribus verbis (παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν responderet : « edico *unicuique* in vestro coetu, ut omni deposita arrogantia iuste semet ipsum aestimare studeat, *unicuique prout* (i. e. prout unicuique) Deus mensuram fidei attribuit ».

2. Minus apte, ni fallor, alii metonymiam hic explicant. Iuxta *Thom.* nomen *fidei* hic pro gratia gratis data usurpatur, quia charismata « ad aedificationem fidei ordinentur »; iuxta *Est.*, « quia fides directrix ac moderatrix donorum sit » etc. Erronee *Tol.* hic *fidem* idem esse ac *fidelitatem* putat atque munera ecclesiastica gratiasque ad illa obeunda gratis collatas hic nomine *fidei* designari dicit, quia *fideliter* administrentur oporteat.

versio (sed sapere *ad temperantiam*), quam *S. Aug.* (ad Valent. ep. 215 n. 4) exhibet et *Rufin.* (in interpret. Orig.) praeferendam dicit, cum graeci textus (ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν) sensu, quem exposuimus, eatenus accurate congruunt, quatenus ad negativam praecepti apostolici partem potissimum attenditur. Nam *sobrie* vel *temperate* de se sentire is recte dicitur, qui in sui aestimatione iustos limites non supergressus ab omni superbia et arrogantia se abstinet neque in aliena officia se ingerit, ad quae praeparatus aptusque non est. Positivam tamen verbi σωφρονεῖν significationem non plane exhauriunt vel saltem non clare exprimunt. *Chrys.* enim bene adnotat, Paulum hic non tam exhortari εἰς τὸ ταπεινοφρονεῖν (ut aliquis *demisse abiecteque*, seu si mavis *humiliter*, de se sentiat) quam εἰς τὸ σωφρονεῖν (ut *iuste recteque* de se sentiat); eum igitur una quidem ex parte prohibere, ne quis donum, quod non accepit, sibi attribuens in munus aliquod, ad quod praeparatus non sit, arroganter se ingerat; sed altera ex parte velle, ut neophytus donum, quod vere accepit, agnoscens magnique faciens partes illius muneris, ad quod dono collato vocatus sit, eo modo quem donum postulat explere studeat. Iuxta Apostoli mentem neophytus neque iusto plus neque iusto minus sed sane recteque doni accepti ratione se aestimare debet. Neque ergo animo superbo arrogantique, acsi uno dono collato ad omnia munera aptus esset, neque animo fracto abiectoque, acsi donum collatum ad nihil valeret, in ecclesia se gerere ei licet; sed intra illius muneris, ad quod divinitus praeparatus est, limites modeste se continens ad totius ecclesiae utilitatem dono suo diligenter utatur oportet.

Ex contextu (*v.* 6 sqq.), uti iam diximus, Apostolum de ecclesiasticis muneribus, quibus fidelium bonum spirituale aut temporale promovetur, ac de usu gratiarum gratis datarum, quae primis fidei temporibus ad eiusmodi munera obeunda neophytis largissime distribuebantur (cfr *Comment.* in 1. Cor. *p.* 355.368 etc.), hic proxime ac directe loqui certum est. Quare verba nostra *Orig.* potius accommodare quam explicare dicendus est, si ex eis colligit, in omnibus, quae vel agamus vel loquamur vel sentiamus, temperantiam servandam esse, quia in omnibus virtutibus sola temperantia rectum modum tenere sciat. Similiter ad contextum non attendunt sed accommodatione quadam utuntur, qui cum nonnullis Patribus (*S. Iren.* c. haer. V. 20, 2; *S. Aug.* ad Valent. ep. 215 n. 4; *S. Greg. M.* in Ezech. hom. II. 1,18) hac sententia prohiberi dicunt, ne quis in divina mysteria ultra id, quod fides accepta de iis tradat, curiosius inquirere audeat. A vero autem omnino aberravit *S. Hier.* (c. Iovin. I. 37), quum contextu plane neglecto communem Latinorum lectionem *ad sobrietatem* vel *ad temperantiam* velut falsam reiiceret atque legendum praeciperet *ad pudicitiam*, ut totum hunc locum (*v.* 1 sqq.) de pudicitia interpretari posset. Latinam enim lectionem,

quamvis totum verbi σωφρονεῖν sensum non satis clare reddat, eum in modum, quem S. Hier., indicat, corrigere non licet, atque rectissime *Chrys.* iam adnotavit, nomine σωφροσύνης hic eam virtutem non designari, quae impudicitiae (τῇ ἀσελγείᾳ) opponatur animumque a libidine revocet, sed iudicii sanitatem ac moderationem (τὸ νήφειν καὶ ὑγιαίνειν κατὰ διάνοιαν).

Porro praeceptum suum, ut Christiani singuli in gradu divinitus sibi assignato modeste consistentes pro doni accepti mensura commune Ecclesiae bonum promoveant, Apostolus similitudine quadam commendat et inculcat, qua utpote aptissima (cfr ad 1 *Cor.* 12,12-14) frequenter utitur : 4 *sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent* (vel potius : *non idem habent officium* οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν, nam nomen πρᾶξις uti factum seu rem gestam, ita etiam rem gerendam seu negotium vel officium denotat), 5. *ita multi* (οὕτως οἱ πολλοί ita nos qui, vel quamquam, sumus multi) *unum corpus sumus in Christo, singuli autem* (τὸ δὲ καθ' εἷς *quod autem* ad unumquemque, vel *ad singulos attinet* cfr *VV. LL.*) *alter alterius membra.* De charismatis Paulus hanc similitudinem alibi fuse eleganterque eo consilio exponit, ut donorum varietatem ad totius Ecclesiae singulorumque fidelium utilitatem sapienter a Deo esse institutam demonstret (cfr ad 1 *Cor.* 12,15-27); hic breviter tantum eam proponit, ut praeceptum suum ipsi naturae Ecclesiae congruere ac proin necessarium esse ostendat. Corpus quippe humanum multis quidem partibus constat ceu membris, quae cuncta uno eodemque principio vitali vivificantur et arctissime inter se coniunguntur et uniuntur (*in uno corpore multa membra habemus*); at principium vitale, quamvis unum sit, non eadem ratione in omnibus membris vitam suam manifestat sed singulis diversam aptitudinem diversumque negotium attribuit. Efficit enim, ut oculus videat, auris audiat etc. atque his muneribus fungentes neque ad aliorum membrorum munera aspirantes aut in ea sese ingerentes sibi ipsis et commembris suis et toti corpori utiles sint (*omnia autem membra non idem officium habent*). Atqui ita quoque se habet Ecclesia, i. e. mysticum corpus Christi; multis quidem fidelibus constat, sed omnes uno eodemque Spiritu per baptismum in Christum sunt inserti, ita ut cum Christo capite suo unum corpus vivum constituant (cfr ad 1 *Cor.* 12,13), quod a S. Spiritu unitatem vitamque suam habet, sicut corpus humanum ab animo, quo informatur, unitatem vitamque suam accipit (*ita* nos, scilicet fideles, quamquam sumus *multi, unum corpus sumus in Christo*, i. e. in supranaturali nostra coniunctione et unione cum Christo). Attamen si singuli fideles in mutua sua relatione inter se considerantur, commembra recte dicuntur, quae inter se sicut unum ad

alterum eiusdem corporis membrum sese habent (*quod autem ad unumquemque* nostrum *attinet, alter alterius membra* sumus). Bene *Thom.* : « Membrum quodlibet proprium actum [officium] habet et virtutem; in quantum ergo unum membrum sua virtute et actu alteri prodest, dicitur membrum alterius; sicut pes dicitur membrum oculi, in quantum oculum defert, et oculus dicitur membrum pedis, in quantum pedem dirigit. Nam non potest dicere oculus manui : Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii (1 *Cor.* 12,21). Ita etiam in corpore mystico ille, qui accepit gratiam prophetiae, indiget illo, qui accepit gratiam sanitatum, et ita est in omnibus aliis; unde dum unusquisque fidelis secundum gratiam sibi datam alteri inservit, efficitur alterius membrum ».

Itaque ex hac comparatione consequitur, primum quidem fidelibus variis varia officia esse implenda neque singulos ad omnia esse aptos; si enim omnia corporis humani membra paria inter se essent atque uno eodemque munere fungerentur, neque omnibus hominis necessitatibus esset provisum neque corporis ipsius ratio ac natura consisteret (cfr ad 1 *Cor.* 12,17. 19); deinde singulis fidelibus id unum officium esse implendum, ad quod dono accepto destinati ac praeparati sint, ab aliis omnibus autem esse abstinendum; demum eos in suo munere implendo ab eo, a quo vocati et praeparati sint, totos dependere, ita ut eis non nisi iuxta Dei voluntatem illud ad suam ipsorum aliorumque utilitatem administrare liceat; Deus enim singula membra in corpore disposuit, sicut voluit (cfr 1 Cor. 12,18).

Praeceptum autem hac similitudine commendatum et inculcatum Apostolus exemplis quibusdam illustraturus prioribus quatuor neophytos exhortatur, ut singuli intra muneris sibi concrediti limites se contineant, reliquis tribus, ut illo munere modo debito iuxta divinam voluntatem fungantur : 6. *habentes autem donationes* (i. q. gratias gratis datas χαρίσματα) *secundum gratiam* (κατὰ τὴν χάριν) *quae data est nobis differentes : sive prophetiam, secundum rationem fidei* (κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως); 7. *sive ministerium, in ministrando* (εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ i. q. sive munus diaconi, in munere diaconi); *sive qui docet* (εἴτε ὁ διδάσκων), *in doctrina* (ἐν τῇ διδασκαλίᾳ i. q. in munere docendi); 8. (sive) *qui exhortatur* (εἴτε ὁ παρακαλῶν), *in exhortando* (ἐν τῇ παρακλήσει i. q. in munere exhortandi); *qui tribuit* (ὁ μεταδιδούς), *in simplicitate; qui praeest* (ὁ προϊστάμενος), *in sollicitudine; qui miseretur* (ὁ ἐλεῶν), *in hilaritate.*

Cum *Vulg. Clem.* ac plerisque interpretibus a participio ἔχοντες (*habentes*) novam sententiam inchoari censemus, quae coniunctione metabatica δέ

(*autem*) ad generale praeceptum (*v*. 3) explicandum vel illustrandum transiens utique elliptica est, quum verbo finito careat. Erronee enim nonnulli iuniores (*Tol. Lap*. etc.) participium ἔχοντες per hebraismum pro ἔχομεν positum esse dicunt. Quoniam autem in tota hac parte Apostolus praeceptorem agit, cum iunioribus Graecis (cfr *Phot. Euth. Oecum*. etc.) multisque Latinis (cfr *A*[ter] *Haym. Lomb. Thom*. etc., *Cai. Est. Iust. Pic*. etc., *Mai. Beel. M Ev. Bisp. LR. Weinh. Sch*. etc.) in singulis enumerationis membris exhortativum vel imperativum recte subaudimus vel supplemus, ad quem participium ἔχοντες (*habentes*) pertinet. Priora igitur duo membra ita fere complenda sunt : « *habentes autem charismata iuxta gratiam nobis datam diversa, sive prophetiam*, prophetemus *secundum rationem fidei*, — *sive munus diaconi, in munere diaconi* versemur intra eius limites nos continentes ». Si eandem structuram Apostolus retinuisset, pergere debuit : εἴτε διδασκαλίαν, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, εἴτε παράκλησιν, ἐν τῇ παρακλήσει sc. ὦμεν (*sive munus doctoris* [sc. habentes], *in munere doctoris* versemur, — *sive munus exhortatoris*, versemur *in munere exhortatoris*); constructionem autem varians anacoluthice pergit : « *sive* quis *doctor* est, *in docendi munere* versetur, — *sive* quis est *exhortator, in exhortandi munere* maneat ». Pariter tribus ultimis membris formam orationis mutat, ut doceat qua ratione munera illa administranda sint : « *distributor* (ὁ μεταδιδοὺς i. e. qui eleemosynae distribuendae charisma habet) distribuat *in simplicitate; praeses* (ὁ προϊστάμενος i. e. qui charisma habet, quo ad alios gubernandos idoneus redditur) praesit *in sollicitudine; opitulator* (ὁ ἐλεῶν i. e. qui charisma habet fratribus per misericordiae opera opitulandi) opituletur *in hilaritate* ».

Quod si hanc constructionem nimis abruptam esse obiicitur, sufficit respondisse, in sequentibus *vv*. 9-19 orationem non minus esseabruptam et hiulcam sacrosque scriptores ab abrupto hoc praecipiendi genere non abhorrere; cfr ex. gr. 2 *Cor*. 8,13.14 ac praesertim 1 *Petr*. 4,7-11, quo in loco princeps Apostolorum nostrum praeceptum quasi imitatus est : σωφρονήσατε καὶ νήψατε... ἕκαστος καθὼς ἔλαβεν χάρισμα, εἰς ἑαυτοὺς αὐτὸ διακονοῦντες ὡς καλοὶ οἰκονόμοι ποικίλης χάριτος Θεοῦ· εἴ τις λαλεῖ, (λαλείτω) ὡς λόγια Θεοῦ, εἴ τις διακονεῖ, (διακονείτω) ὡς ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ Θεός (« modeste ac temperanter agite... unusquisque charisma, prout illud accepit, ad alterutrius utilitatem administrantes, tamquam boni dispensatores multiplicis gratiae Dei; si quis loquitur, [loquatur] velut verba Dei; si quis diaconi munus agit, [munere illo fungatur] tamquam ex virtute, quam Deus subministrat »).

Ceterum multo minus apta est constructio et interpretatio eorum, qui nostra in sententia non praceptum dari sed similitudinem *v*. 4 inchoatam ita continuari volunt, ut altera illius pars (*omnia autem membra non idem officium habent*) ad charismata applicetur exemplisque illustretur (cfr *Herv. Lyr. Tol. Lap. Reith. Ag*. etc.). Solo nimirum commate nostram sententiam (*v*. 6) a praecedente separantes participium *habentes* (ἔχοντες) ad verbum *sumus* (ἐσμέν) pertinere aut etiam pro verbo finito (i. q. *habemus* ἔχομεν) poni volunt, atque deinde hac fere ratione (si anacoluthis, quos aeque ad nos admittere debent, iustae constructiones substituuntur) locum interpretan-

tur: « multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes tamen charismata iuxta gratiam nobis datam diversa, (nimirum) sive prophetiam, *quae est* secundum rationem fidei, sive diaconi dotem, *quae adhibetur* in diaconi munere, sive docendi donum, *quod exercetur* in doctrina tradenda (seu in doctoris munere), sive donum exhortandi, *quod exercetur* in exhortatione, sive donum largiendi in simplicitate, sive donum gubernandi in sollicitudine, sive donum miserendi in hilaritate ». Contra quam explicationem varia militant. Praeprimis enim nexu illo concinnitas destruitur similitudinis, quae *vv.* 4. 5. tota absolvitur, quum eodem modo, quo prius *v.* 5 membrum priori *v.* 4 membro respondet, etiam secundum secundo respondeat. Eo ipso videlicet, quod singuli fideles alter alterius membra dicuntur, illos diversis officiis fungi, quibus alter alterum iuvare possit, clarissime iam significatur; quare etiam particula, qua *v.* 6. introducitur (ἔχοντες δέ habentes *autem*), pro adversativa haberi nequit, siquidem inepte diceretur: « singuli sumus alter alterius membra alterutrum diversis officiis adiuvantia, habemus *tamen* diversa dona ». Porro pleraeque appositiones ad singula charismata iuxta hanc explicationem plane otiosae essent; superflue enim, si eadem in brevissima sententia nomen διακονία et facultatem ad diaconi munus exercendum atque ipsum munus diaconi significare posset, diaconi donum in munere diaconi, aut docendi donum in doctrina tradenda, aut exhortandi donum in exhortatione exerceri dicerentur. Demum ad totius huius partis contextum explicatio haec non attendit; si enim *vv.* 6-8 simplicem donorum continent descriptionem, non intelligitur, quomodo abruptae sententiae, quae sequuntur (*v.* 9 sqq.), praecepta esse possint.

Quibus de construenda sententia praemissis ad accuratiorem singulorum membrorum expositionem transimus. Quemadmodum supra (ad *v.* 3) iam diximus, totus hic locus de charismatis, i. e. de extraordinariis illis donis agit, quae primis maxime fidei temporibus a S. Spiritu largissime concedebantur, ut multiplicibus nascentium ecclesiarum indigentiis succurreretur. A libera Dei benignitate gratias has dependere neque cuiquam ob eius merita concedi, nomen χάρισμα ipsum satis iam docet. Spiritus S. eas singulis distribuit prout vult (1 *Cor.* 12,11), ita ut singuli diversas habeant « non ex diversitate meritorum *sed secundum gratiam eis datam* » (*Thom.*) neque tam ad ipsorum, qui eas acceperunt, quam ad fratrum totiusque coetus utilitatem. Tot quippe sunt numero, quot fidelium necessitates spirituales ac temporales, ad quas sublevandas dantur, neque magis hic, quam aliis in enumerationibus (1 *Cor.* 12,8-10. 28 sqq.; 13,1-3; 14,26 etc.), Paulus cunctas recensere voluit. Paucas tantum earum species nominat, ut earum exemplo doceat, quomodo in reliquarum quoque usu neophyti intra sui quisque doni limites se continere debeant.

Primam ponit *prophetiam* (προφητείαν), cui alibi secundum dignitatis gradum immediate post apostolatum attribuit (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 386 sq.). Quo nomine illud intelligit donum, quo aliquis praeparabatur et informabatur, ut concionibus (seu precationibus) divinitus inspiratis, quibus interdum futura annuntiabantur aut cordium occulta manifestabantur, fratres suos ad omnium virtutum exercitium excitaret ac stimularet (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 414 sq. etc.). Attamen ne propheta, qui S. Spiritus instinctu loqui coeperat et sub eius influxu loquebatur, naturali quodam affectu abreptus inspiratis sententiis humanas aut etiam erroneas interserens vel addens neophytos in errorem inducere posset, eius praedicatio iudicio eorum subiacebat, qui dono discretionis spirituum insigniti erant (cfr ad 1 *Cor.* 12,10; 14,29; 1 *Thess.* 5,20 sq.). Ad idem autem periculum avertendum, Paulus prophetis hic praecipit, ut prophetent *secundum rationem fidei* (κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως), i. e. secundum mensuram doni accepti neque limites eius transgredientes, id quod facerent, si superbia vel alio pravo aut naturali affectu ducti sua ipsorum sensa eis immiscerent, quae S. Spiritus per eos loquitur. Varie enim, uti in variis prophetis, ita in eodem variis temporibus S. Spiritus sese manifestat; ad hanc igitur manifestationem attendere eique obsequi prophetae iubentur atque sollicite cavere, ne ea proloquantur, quae Spiritus eis non inspiravit, neque loqui pergant, quando Spiritus per eos non amplius loqui vult; spiritus enim prophetarum prophetis subiecti sunt (cfr ad 1 *Cor.* 14,32).

Locutio κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως diversimode explicatur. Graecum ἀναλογία *proportionem* seu *rationem* proprie significat atque a *Chrys.* aliisque nomini μέτρον (*mensura*) synonymum hic recte sumitur. Πίστις autem hic iterum metonymice charisma designare videtur; unde locutio nostra sensu non differt a superiore (*v.* 3) καθὼς ἑκάστῳ ὁ Θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως (*sicut unicuique Deus attribuit mensuram fidei*). Pro mensura seu ratione doni, quod velut fidei fructum acceperunt, prophetae prophetare, sese ergo intra doni accepti limites continere iubentur (cfr *Reith. Mai. Beel. Dr.* etc.).

Parum recte vero cum Graecis (cfr *Chrys. Theod.* etc.) aliqui *fidem* proprio sensu sumentes donum prophetiae maius vel minus pro fidei magnitudine dari ex hoc loco colligunt: « Prophetia, inquit *Chrys.*, quamvis gratia sit, non simpliciter effunditur, sed mensuram ab excipientibus capiens tantum effluit, quantum fuerit vas fidei, quod invenerit sibi oblatum ». Contra quae recte *Est.* : « Constat id simpliciter non esse verum; multi quippe magnam fidem habent dono prophetiae penitus destituti ». Profecto S. Spiritus in donis suis distribuendis, licet ad illorum, quibus ea conferat, aut naturales ingenii dotes aut supernaturalem animi dispositionem interdum attendat, ita ut homo ad ea recipienda sese quodam modo

disponere eaque precibus suis efflagitare possit (cfr 1 *Cor.* 12,31; 19,1.13. 39), liberrimus semper manet neque quisquam ex fidelibus ullum unquam ius ad hoc vel illud charisma aut ad maiorem vel minorem eius gradum habet (cfr ad 1 *Cor.* 12,11). Aptior est iuniorum Latinorum interpretatio, quibus *analogia fidei* est consonantia doctrinae alicuius cum reliquis doctrinis revelatis, ita ut prophetae invigilare iubeantur, ne praedicationes suae sint contra fidem sed ut cum ea congruant (cfr *Herv. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *M Ev. Bisp. Ag.* etc.). Minus tamen nobis probatur, quia locutio *analogia fidei*, quamvis saepe hoc sensu a iunioribus theologis usurpetur, Patribus tamen eo sensu videtur incognita fuisse.

Secundo in loco praecipitur, ut is qui *ministerium aliquod* (διακονίαν sine artic.) habeat, ad quod exercendum charismatis collatione idoneus est redditus, *in ministerio accepto* (ἐν τῇ διακονίᾳ) totus sit (cfr 1 *Tim.* 4,15 ἐν τούτοις ἴσθι *in his esto* scilicet totus) neque quidquam ultra sibi arroget. Nomen διακονίας late patet; hac ipsa in epistola Paulus apostolatum, quo inter ethnicos fungitur, *ministerium* appellat (11,13) atque similiter se *ministerio* fungi dicit, quando pauperibus ierosolymitanis eleemosynas ecclesiarum Macedoniae et Achaiae affert (cfr ad 15,31), quin etiam Christum, quia Iudaeis salutarem doctrinam praedicavit, *diaconum circumcisionis* vocat (15,8). Nomen ipsum igitur, praesertim quum hoc in loco articulo careat, minime nos cogit, ut Apostolum de diaconatus officio vel ordine (cfr *Act.* 6,1 sqq.; *Phil.* 1,1; 1 *Tim.* 3,8 sqq.) loqui dicamus; contra vero lato sensu nomen sumendum esse, *Chrys.* recte iam monuit. Attendatur autem oportet, de ordinariis Ecclesiae statibus ordinibusque (de episcopatu, presbyteratu, diaconatu etc.), uti multi Latini volunt (cfr *Thom. Salm. Est. Nat.* etc.) hic non agi, sed de extraordinariis muneribus, quae multa in Ecclesiae primordiis charismate quodam collato ad fratrum utilitatem sive spiritualem sive temporalem fidelibus concredebantur (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 368. 385 sq. etc.). Sunt qui *prophetiam* et *ministerium* velut duo genera a Paulo hic ita poni censeant, ut prius nomen « charismata quae ad mentem intelligentiamque referantur », alterum « munera quae externo corporis motu et opificio peragantur » comprehendat (cfr *Tol. Iust. Lap.* etc.). At prophetiae nomen universali illo sensu numquam usurpatur; nihil tamen obstare puto, quominus nomine *ministerii* reliqua quae statim enumerantur munera comprehendi dicantur; idque eo facilius admitti potest, quia constructio quoque in sequentibus mutatur ac pro muneribus ipsis nomina eorum, qui ea administrant, ponuntur.

Sequitur enim *doctor* (ὁ διδάσκων i. q. ὁ τὴν διδασκαλίαν ἔχων, seu ὁ διδάσκαλος), cui Paulus alibi tertium dignitatis gradum inter charis-

maticos attribuit. Quo de munere alibi disserentes (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 369 sq. 387) ostendimus, prophetas et doctores, quorum officia similia fuisse certum est, inter se non tantum eo distingui, quod « priores omnia ex S. Spiritus instinctu et illustratione, alteri autem ex propria mente aliquando locuti sint ». (*Chrys.*), sed eam quoque inter eos intercedere differentiam, quod priores ad fideles aedificandos, exhortandos, consolandos a S. Spiritu inspirati sint (cfr ad 1 *Cor.* 14,3; *Act.* 13,12), doctores autem dono sermonis scientiae ideo sint instructi, ut doctrinas christianas illas, quae scitu omnibus necessariae sunt, clare explicarent ac demonstrarent. Porro uti doctor in doctrina fidelibus tradenda, ita *exhortator* (ὁ παρακαλῶν) *in exhortatione* totus esse debet. Quoniam exhortatoris donum ac munus alibi non amplius commemoratur, nihil certi de eo statui potest. Propheta quoque erat exhortator, sed inspiratus; hoc autem in loco intelligendus videtur vir, qui dono oratorio divinitus accepto instruitur aptusque redditur, qui fideles ad poenitentiam virtutumque exercitium efficaciter adducat. « Quidquid enim a natura aliquibus hominibus est inditum, ut ad certa munera obeunda idonei aut ad certa auxilia praestanda propensi sint, id omne in aliis extraordinario S. Spiritus dono suppleri potest, atque illae ingenii facultates dotesque, quae a natura iam inditae sunt, spiritualibus donis interdum excoluntur et augentur » (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 368). Mirum ergo videri nequit, quod oratoria quoque facultas inter charismata recenseatur.

In tribus reliquis donis Paulus modum indicat, quo iuxta divinam voluntatem administranda sint, ac primum quidem is *qui tribuit* (ὁ μεταδιδούς) *in simplicitate* tribuere iubetur. Verbum μεταδιδόναι (*communicare*) proprie significat « *de suis* aliquid dare » (1,11; *Eph.* 4. 28; 1 *Thess.* 2,8; *Luc.* 3,11; saepius in N. T. non legitur). Unde iam elucet, de diaconorum officio, qui eleemosynas collectas pauperibus distribuebant (διαδιδόναι cfr *Act.* 4,35), non agi, sed de iis, quos Spiritus S. dono gratis dato incitabat, ut sua ipsorum bona in pauperum cibos impenderent (cfr ad 1 *Cor.* 13,3). *In simplicitate* (ἐν ἁπλότητι) autem tribuit, qui animo sincero et candido ad suum ipsius commodum non attendens solam fratrum, quos adiuvat, inopiam sublevandam Deique, propter quem fratres diligit, gloriam promovendam spectat (cfr ad 2 *Cor.* 9,11). Difficilius dictu est, quid significetur altero membro : ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ (προϊστάσθω). Quodsi verbum προΐστασθαι consuetum suum sensum *praeesse* hic retinet, de illo utique dono sententiam explicemus oportet, quod *gubernationes* (κυβερνήσεις) vocatur, quo nimirum nonnulli ad rem quandam sive domesticam sive publicam vel etiam ecclesiasticam administrandam idonei reddebantur. Quae

interpretatio omnino retineri potest, dummodo iterum attendatur, de ordinariis superioribus ecclesiasticis non agi (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 387). Verumtamen προΐστασθαι interdum etiam valet « alicuius tutorem vel patronum agere » (προστάτης *tutor*) atque Paulus Phoeben diaconissam sibi Corinthi προστάτιν, i. e. adiutricem, fuisse dicit (16,2). Atqui haec significatio hoc in loco, quum ὁ προϊστάμενος medius inter eum *qui tribuit* et eum *qui miseretur* ponatur, praeferenda videtur, ita ut nomine hoc designetur aliquis, qui charismate accepto constitutus est adiutor ac patronus pauperum, maxime orphanorum ac viduarum. Demum ὁ ἐλεῶν (*qui miseretur*) procul dubio intelligendus est, qui charismate operum misericordiae ornatus a S. Spiritu impellitur, ut se totum aegrotorum, captivorum, peregrinorum etc. curae impendat. Bene *Tol.* : « Attende, Paulum non loqui generaliter de omni, qui misericordiam exercet erga aliquem, sed de eis qui curandis pauperibus (a S. Spiritu) designati erant, quales nunc in Ecclesia sunt hospitalarii. Huic autem peragendae functioni maxime necessaria est *hilaritas*, quae non solum in animi laetitia, sed in quadam etiam vultus alacritate et verborum affabilitate consistit. Haec enim tria necessaria sunt; atque animi quidem laetitia, ne ipse, qui miseretur, taedio ac nausea succumbat, quae solent maxime ex infirmorum praesertim pauperum aspectu contrahi; vultus autem alacritas et verborum affabilitas propter ipsos infirmos ac miseros, qui quum ob aegritudinem moerore affecti iam sint morositate et asperitate eorum, quorum ope indigent, magis affligerentur » etc.

2. — *Caritas genuina erga omnes in vita privata colenda* (12,9-21).

12,9. *Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhaerentes bono : 10. caritate fraternitatis invicem diligentes : honore invicem praevenientes : 11. sollicitudine non pigri : spiritu ferventes : Domino servientes : 12. spe gaudentes : in tribulatione patientes : orationi instantes : 13. necessitatibus sanctorum communicantes : hospitalitatem sectantes. 14. Benedicite persequentibus vos : benedicite et nolite maledicere. 15. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : 16. idipsum invicem sentientes : non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos : 17. nulli malum pro malo reddentes : providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram*

12,9. Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος· ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρόν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ. 10. τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι, 11. τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί· τῷ πνεύματι ζέοντες, τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες· 12. τῇ ἐλπίδι χαίροντες, τῇ θλίψει ὑπομένοντες, τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες· 13. ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες, τὴν φιλοξενίαν διώκοντες· 14. εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας, εὐλογεῖτε καὶ μὴ καταρᾶσθε. 15. χαίρειν μετὰ χαιρόντων, κλαίειν μετὰ κλαιόντων. 16. τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες, μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς. 17. μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες, προνοούμενοι καλὰ

omnibus hominibus. 18. *Si fieri potest, quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* 19. *Non vosmet ipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae : scriptum est enim : Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus.* 20. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* 21. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων. 18. εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες· 19. μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ἀγαπητοί, ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ· γέγραπται γάρ· Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος. 20. ἀλλὰ ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου, ψώμιζε αὐτόν· ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτόν· τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. 21. μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν [1].

Quomodo suum quisque donum ac munus speciale neophyti ad totius corporis, cuius sunt membra, utilitatem promovendam administrare deberent, Paulus superioribus praeceptis ita exposuit, ut potissimum quidem modestiam humilitatemque inculcaret, tribus tamen ultimis membris simul iam explicaret, charismatum usum, nisi cum caritate esset coniunctus, nihil eis profuturum qui illa accepissent. Hac ratione sibi viam paravit ad caritatem, quae mater ac radix est omnium virtutum, commendandam. Satis longa igitur nunc serie multa congerit praecepta, quibus ostendit, quomodo caritas variis in vitae quotidianae conditionibus sese manifestare debeat. Praecepta ipsa aphoristice et elliptice pleraque proponit neque in eis afferendis internum quendam ordinem tenet. Duae tamen sectiones a plerisque haud inepte distingui videntur; ab initio enim Apostolus de illis officiis agit, quae Christianis erga fratres suos implenda sint (9-16), in altera vero

1. *VV. LL.* — 11. τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες (*Domino servientes*) B ℵ A E L P, omnes fere minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sed *textus rec.* : τῷ καιρῷ δουλεύοντες (*tempori* servientes) cum D F G, nonnullis minusc. et aliquibus codd. latinis, de quibus cfr *Orig. interpr.* et *S. Hieron.* ad Marcell. ep. 27,3 : priorem tamen lectionem auctoritas testium critic. extra omne dubium ponit. — 13. ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων (*necessitatibus sanctorum*) B ℵ E L P, omnes fere minusc., *Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sensu quoque parum apta est altera lectio : ταῖς μνείαις τῶν ἁγίων (*memoriis* vel memoriae sanctorum) D F G cum aliquibus antiquioribus Latinis. — 14. τοὺς διώκοντας (*persequentes*), accusativo ὑμᾶς praetermisso, B, paucissimi minusc. et ex Latinis *Amiat.*; reliqui tamen testes legunt : τοὺς διώκοντας ὑμᾶς (*persequentes vos*). — 15. κλαίειν (*flere*), coniunctione καί non praemissa, B ℵ D F G, nonnulli minusc., *It. Vulg. Syr. Arm.*; satis superflue *textus rec.* particulam καί praemittit cum A K L P, multis minusc. *Copt. Aeth.* — 17. καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων (bona coram omnibus hominibus) B ℵ A D E L P, omnes fere minusc. et PP., *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; hanc lectionem, quae ob testium auctoritatem merito retinetur, Graecolatini et Latini ex 2 *Cor.* 8,21, ut videtur, amplificaverunt : καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον πάντων τῶν ἀνθρώπων (*bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*). — 20. ἀλλὰ ἐάν (*sed si*) B ℵ A P, haud pauci minusc. *It. Vulg. Copt. Arm.*, minus apte *textus rec.* : ἐὰν οὖν (si igitur) cum E L et multis minusc.

sectione de caritate erga omnes omnino homines ac praesertim erga inimicos exhibenda loquitur (17-21).

Simili fere modo, quo in priore ep. ad Corinth. (12,31 ; 13,1 sqq.), Paulus a charismatum, quae varia variis dantur, enumeratione ad excellentius donum transit, quod omnibus fidelibus eadem ratione necessarium est. Satis abrupte enim praecipit : **9.** *dilectio sine simulatione* (scil. *sit :* ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος sc. ἔστω). Non solum proximorum, id quod *Chrys.* opinatur, sed Dei quoque amorem hic nomine ἡ ἀγάπη (*dilectio* s. *caritas*) directe significari, praecepta ostendunt, quibus sententiola nostra statim exponitur quaeque officia erga Deum (*vv.* **11. 12**) non minus quam erga homines inculcant ac proin caritatem velut omnium virtutum formam considerant (cfr ad 13,8 sqq.; 1 *Cor.* 13,4 sqq.; *Gal.* 5,14 etc.). Iamvero caritas iuxta Apostolum eo sensu debet esse ἀνυπόκριτος (*non ficta* cfr 2 *Cor.* 6,6 vel *non simulata*), i. e. vera et genuina, ut una quidem ex parte non verbis tantum et lingua, sed opere ac veritate se manifestet (cfr 1 *Ioan.* 3,18), altera autem ex parte solum genuinum bonum, i. e. Deum eaque quae Deus vult, pro obiecto habeat neque se ipsum (uti mundanus amor) sed Deum quaerat. « Quicumque, inquit *Orig.*, aliud aliquid dilexerit quam Deum et quae Deo placent, caritas in eo ficta ac simulata est ».

Ad obiectum enim amoris Apostolum, ubi sincerum amorem postulat, potissimum attendere, ex duobus participiis additis elucet, quibus praeceptum accuratius definitur : *odientes malum* (vel potius : *abhorrentes turpitudinem* ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρόν), *adhaerentes bono* (i. e. *adhaerescentes honestati* κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ). Multi ad haec participia imperativum ἔστε (estote) supplent, ut tria membra inter se sint parallela : « caritas ne sit simulata (i. e. amate sincere), abhorrete malum, adhaerete bono ». Rectius tamen haec participia anacoluthice a primo membro dependere dicemus, quoniam Paulus ea ad sensum illum accommodavit, qui verbis ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος subest (ἀγαπᾶτε ἀνυποκρίτως) : « *amate* sincere, abhorrentes turpitudinem, adhaerescentes honestati »[1]. Participiis igitur declaratur, illam solam caritatem esse sinceram, quae etiam in personis amatis omnem turpitudinem aversatur ac removere studet, contra vero eas in bono promovet easque cum honestate arctissime connectit et quasi conglutinat. Bene *Orig.* : « Mirum fortasse sit, quod inter cetera bona virtutum

1. Cfr similem constructionem 2 *Cor.* 1,7 : καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν, εἰδότες κτλ (*et spes nostra firma est pro vobis scientes* etc.), ubi prius membrum positum est pro : καὶ ἐλπίζομεν βεβαίως ὑπὲρ ὑμῶν (*et speramus firmiter pro vobis*) atque participium εἰδότες (*scientes*) ad subiectum verbi ἐλπίζομεν (*speramus*) refertur; similiter *Hebr.* 13,5 etc.

assumitur etiam odium et tamquam necessarium ab Apostolo ponitur. Unde certum est, inesse animae odii affectum; est enim laudabile odisse vitia et peccata; nisi quis enim odio habeat vitia, non potest amare vel conservare virtutes. Verbi gratia si quis pudicitiam custodire proponat, non potest eam tuto servare, nisi odium quoddam et exsecrationem adversus impudicitiam sumat. Difficilis enim ac valde difficilis est illa continentia, ubi desideratur illud a quo abstinetur et animi cupiditas solo futuri iudicii metu refrenatur. Periculosa haec ac valde periculosa sunt, nisi iuxta Apostoli consilium *odientes mala* et impacata quodammodo adversus ea odiorum bella peragentes, sic *adhaereamus bono*. Observandum autem hoc quoque est, quod sicut alibi dicit : *Qui adhaeret Domino* (ὁ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ) *unus spiritus est*, ita hic dicit : *adhaereamus bono* (κολλώμεθα τῷ ἀγαθῷ), sine dubio ut contingat nobis *unum esse cum bono* » (cfr ad 1 *Cor*. 6,17).

Ad particularia porro descendens Apostolus ellipticum et anacoluthicum dicendi genus ita continuat, ut in plerisque exhortationis membris imperativus ἔστε ad participia vel adiectiva suppleri debeat, in paucis infinitivus pro imperativo, in aliis consueta constructio adhibeatur. Tria prima membra, quae pari modo a dativo relationis seu respectus (cfr *Beelen* Grammat. p. 217; *Winer* Gramm. p. 202 etc.) exorditur, hac constructionis similitudine arctius inter se colligavit, ut simul sumta unum constituerent praeceptum, quo sincerum amorem erga alios Christianos in omni vitae quotidianae genere manifestandum esse commendaret : 10. *caritate fraternitatis* (τῇ φιλαδελφίᾳ i. e. quod ad caritatem fraternam attinet) *invicem diligentes* (sc. *estote*, vel potius : *erga invicem affectuosi piique estote* εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι sc. ἔστε); *honore* (τῇ τιμῇ i. e. ad honorem quod attinet) *invicem praevenientes* (sc. *estote* ἀλλήλους προηγούμενοι sc. ἔστε); 11. *sollicitudine* (τῇ σπουδῇ i. e. quod ad sollicitudinem attinet) *non pigri* (i. e. *nolite esse pigri* μὴ ὀκνηροί sc. ἔστε). In Novo Test. ἡ φιλαδελφία mutuum amorem significat, quo Christiani se tamquam fratres complectuntur (cfr 1 *Thess*. 4,9; *Hebr*. 13,1; 1 *Petr*. 1,22; 2 *Petr*. 1,7), utpote qui ex Deo nati (cfr 1 *Ioan*. 5,1) una cum Christo, naturali Dei Filio, veluti fratre suo primogenito (8,29) unam familiam constituant. Egregie *Tertull*. (Apologet. 39) ethnicos alloquens : « Fratres etiam vestri, inquit, sumus iure naturae matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres; at quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverunt veritatis »! Quia autem Christiani tam arcto consanguinitatis vinculo inter se colligantur, non tam *invicem diligere*, uti nostra Vulg. fert, quam *erga invicem affectuosi* (cfr *Tertull.*

c. Marc. V. 14) vel *pii benignique esse* (cfr *A^{ter} Prim.* etc.) iubentur. Graecum φιλοστοργεῖν enim tenerum amorem significat ac de mutua parentum filiorumque pietate maxime usurpatur (cfr ad 1,31).

Nihil porro sincerae caritati fraternae magis quam superbia adversatur; « neque enim quisquam vere potest diligere quem despicit » (*Thom.*); contra vero si quis alios sincere tamquam fratres amat, sua sponte eis etiam debitam reverentiam exhibebit. Unde intelligitur, cur Paulus secundo in loco neophytis praecipiat, ut *ad honorem quod attinet* (τῇ τιμῇ) *se invicem praeveniant*, i. e. mutuis observantiae reverentiaeque signis inter se quasi certent, ita ut alter alterum dignum existimet, cui honorem non rependere sed prior praestare teneatur. Haud immerito antiquiores iam velut parallelum hic locum illum allegant, quo Philippenses admonentur, « ut in humilitate superiores sibi invicem arbitrentur » (*Phil.* 2,3), id quod, uti *Thom.* monet, facile fieri potest, si suos quisque defectus, alterius autem virtutes considerare velit. Tertio deinde *quod ad sollicitudinem attinet* (τῇ σπουδῇ) prohibetur, *ne* fratres *pigri segnesque sint* nimirum in aliis adiuvandis atque in bono promovendis. Nam sincerus amor neque affectu, quo alios velut fratres complectimur, neque observantia reverentiaque, qua eos velut superiores colimus, ullo modo exhauritur, sed potissimum contendit, ut non tantum eos adiuvemus, sed ut promtum quoque et alacre auxilium eis feramus neve illa, quae hodie eis praestare possumus, in alterum diem differamus (cfr *Chrys.* etc., *Tol. Lap. Est. Pic.* etc.). Alii quidem cum *Vulg. Clem.* tertium hoc membrum (*sollicitudine non pigri*) ad sequentia ita trahere malunt, ut in divina potius quam in fraterna caritate diligentia ac strenuitas commendetur (cfr *Theod. A^{ter}* etc., *Herv. Thom.* etc., *Iust. Reith. Mai. Beel.* etc.); minus apta tamen haec explicatio est, quia hoc membrum ob constructionis similitudinem duobus praecedentibus addatur oportet, quae de fraterna caritate agere evidens est.

Nihil vero obstat, quominus Paulum praecepto, quo segnitiem desidiamque in fraterna caritate vetuit, adductum dicamus, ut sollicitudinem quoque vel potius fervorem commendet in servitio, quo sincera caritas erga Deum se manifestare debeat. Pergit enim : *spiritu ferventes* (sc. *estote* τῷ πνεύματι ζέοντες sc. ἔστε); *Domino servientes*. Haud male *S. Basil.* (Reg. brev. tract. 259) interroganti, quis sit *fervens spiritu* (τίς ἐστιν ὁ ζέων τῷ πνεύματι) respondet : « Qui ardenti animi alacritate et inexplebili desiderio ac studio impigro voluntatem Dei facit in caritate Iesu Christi Domini nostri, iuxta id quod scriptum est : In mandatis eius volet nimis (*Ps.* 111,1) ». Qui fervor ex caritate quidem procedit, quam S. Spiritus diffundit in cordibus nostris (5,5); neque

tamen inde concludere licet cum *S. Aug.* (serm. 71 n. 19) aliisque nonnullis, nomine *spiritus* hic ipsum S. Spiritum designari, acsi praecepti sensus sit : « per S. Spiritum inflammamini ». Spiritus enim, uti saepissime, hoc in loco potius animus noster intelligitur, qui gratia sanctificante instructus et cum S. Spiritu unitus principium est actionum nostrarum supernaturalium. Hunc vero spiritus ardorem ac fervorem neophyti, uti alterum membrum addit, exhibeant necesse est in servitio Domini Iesu Christi, cuius dominio se totos ita subiecerunt, ut ei soli iam vivant eique moriantur eiusque sint sive viventes sive morientes (cfr ad 14,1 sqq.). Quem in sensum bene *Herv.* : « Domino ita sitis servientes, ut nulli vitiorum serviatis, sed Domino, cui servus vitiorum servire non potest (cfr ad 6,16 sqq.); Domino servite, ut quidquid boni feceritis ad Domini gloriam referatis et, quidquid pro eius amore proximis feceritis, ei vos facere credatis ».

Duplex est huius membri lectio (cfr *VV. LL*), atque cum *A*[bro] et *Gl ord.* etiam iuniores modernique nonnulli, maxime acath. (*Luth. Wolf, Carpz. Griesb. Fritzsche, Mey. God.* etc.), alteram lectionem (*tempori servientes* τῷ καιρῷ δουλεύοντες) praeferunt, quamvis testium criticorum auctoritas consuetam (*Domino servientes* τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες) ita tueatur, ut moderni omnes critici editores (*Lachm. Tisch. Treg. WH*) eam recipere non dubitaverint. Contra nostram lectionem id unum obiicitur, praeceptum ut *Domino serviamus* tam late patere, ut huic loco, ubi Paulus Romanis specialia quaedam officia commendet, nullo modo congruat. At praeceptum, si eo quem diximus sensu intelligitur, ut omnia ad unum Dominum Iesum Christum referenda eique soli verum ac proprium servitium (δουλεύοντες) exhibendum esse significet, generalius non est, quam reliquae huius loci sententiae, quae ipsae quoque pleraeque totam vitam christianam respiciunt.

Ceterum alteram lectionem non reiiceremus, si meliore testium criticorum auctoritate fulciretur, quoniam satis aptam interpretationem admittere videtur. Nam praeceptum proxime praecedens (*spiritu ferventes estote*) iustis limitibus circumscribens significare videtur, fervorem nostrum debere esse prudentem, ita ut ad temporis rationes attendat iisque se accommodet, illa igitur sive faciat sive omittat, quae facienda vel omittenda temporis rationes poscant. Quem sensum *A*[ter] iam innuit, sed arctius describit : « Quoniam autem, inquit, dixerat : *spiritu ferventes*, ne hoc sic acciperent, ut passim et importune verba religionis ingererent tempore inimico, quo forte scandalum excitarent, statim subiecit : *tempori servientes*, ut modeste et cum honestate aptis et locis et personis et apto tempore fidem religionis loquerentur ». Id tamen quoque animadvertas velim, verbum δουλεύειν apud Paulum nusquam sapientem quandam accommodationem, sed semper veram subiectionem significare.

Iam tribus sequentibus praeceptis, quae inter se iterum arcto vinculo colligantur, Paulus ostendit, quid neophytis ad fervens illud Domini servitium adiumento sit : 12. *spe gaudentes; in tribulatione patientes* (vel potius : *constanter perseverantes* ὑπομένοντες cfr ad 2,7; 5,5); *orationi instantes* (vel melius : *precationi assiduam operam na-*

vantes τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες). Nihil profecto ad sincerum animi fervorem in divino servitio conservandum promovendumque plus confert, quam gaudium spirituale, quod quum inter fructus Spiritus unum ex primis locis teneat (14,17; *Gal.* 5,22) Apostolus haud semel fidelibus apprecatur (15,13; 2 *Cor.* 1,23; *Phil.* 3,1; 4,4; 1 *Thess.* 5,16 etc.). Quamobrem hic quoque praeprimis ad illud neophytos exhortatur, fundamento quo nititur simul indicato, futurae videlicet gloriae spe, de qua iustificatos omnes iure laetari ac gloriari antea docuit (cfr ad 5,2). « Spes autem, inquit *Thom.*, facit hominem gaudentem ratione certitudinis », quandoquidem futuram gloriam, quam promissam speramus, propter divinam fidelitatem iure quodam acquisito iam possidemus. Porro ex 5,3 elucet, spem ipsam non parum augeri et corroborari constantia ac fortitudine, qua tribulationes huius vitae perferuntur. Exhortationi igitur ad gaudium spirituale, quod ex certa futurae gloriae spe exoritur, sua sponte praeceptum adnectitur de constantia in tribulatione. Calamitates quippe a Deo immissas neophytis subterfugere non licet; patienter ac fortiter potius eas sustineant (ὑπομένειν), quia persuasissimum eis sit oportet, leves ac transitorias huius temporis tribulationes iuxta incredibilem modum aeternum gloriae pondus operari (cfr ad 2 *Cor.* 4,17). Iure merito demum tertio in loco Apostolus praecipit, ut in precatione assidue perseverent (προσκαρτερεῖν), quia non nisi perseverante precatione gratia impetratur, quae ad reliqua praecepta implenda necessaria est. « Per orationem, inquit *Thom.*, in nobis sollicitudo excitatur, fervor accenditur, ad Dei servitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur et auxilium in tribulatione promeremur ».

Ab officiis erga Deum, quae quasi parenthetice inseruit (vv. 11. 12), ad caritatem fraternam Paulus revertitur, ut quomodo variis in occasionibus exercenda sit ostendat. Ante omnia autem vult, ut pauperum fratrum hospitumque cura habeatur : 13. *necessitatibus sanctorum communicantes* (ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες); *hospitalitatem sectantes* (τὴν φιλοξενίαν διώκοντες). Latinus noster interpres verbum κοινωνοῦν hic eodem modo, quo *Gal.* 6,6, sensu transitivo probabiliter sumsit (i. q. communicare aliquid cum aliquo seu alicui aliquid impertire), acsi ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες (necessitatibus sanctorum impertite) dictum sit pro τοῖς χρείας ἔχουσιν ἁγίοις κοινωνοῦντες (sanctis, qui necessitatibus premuntur, impertite). At κοινωνεῖν plerumque intransitive sumitur (i. q. rei alicuius participem fieri cfr 15,27 etc.), unde sententiolam nostram rectius explicabimus : « Necessitatum sanctorum participes vos facite, scilicet inopiam eorum vestris beneficiis sublevantes ». Praecipit ergo, ut fideles fratrum suorum necessitates velut

suas considerent atque suas quoque facultates cum pauperibus suis fratribus quasi communes habeant. Quem in sensum bene *Orig.* : « Nam usibus sanctorum honeste et decenter, non quasi stipem indigentibus praebere, sed censum nostrum cum ipsis quodammodo habere communem..., aptum et conveniens videtur ». Minus recte *Chrys.* Apostolum ad beneficentiae mercedem respexisse suspicatur : « Non dixit : illorum necessitatibus *subministrate* sed *communicate*, ostendens illos maiora accipere quam dare et rem illam esse negotiationem quandam, quum sit communicatio : tu pecuniam illis affers, illi tibi fiduciam erga Deum afferunt ». Liberalitati erga pauperes adiungitur liberalitas erga hospites seu *hospitalitas* (φιλοξενία), quae virtus non tantum inter dotes episcopi eligendi requiritur (1 *Tim.* 3,2; *Tit.* 1,8), sed omnibus quoque fidelibus tam necessaria est, ut Apostolus eam *studiose sectandam* (διώκειν), i. e. occasiones quibus exerceatur quaerendas esse declaret. Egregie iterum *Orig.*: « Quam digne hospitalitatem sectantis munificentiam uno sermone comprehendit! Dicens enim sectandam esse hospitalitatem non illud solum ostendit, ut venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed et requiramus et solliciti simus et sectemur et perquiramus ubique hospites, ne forte in plateis sedeant vel extra tectum iaceant. Recordare Lot (*Gen.* 19), et invenies quod non illum hospites sed ipse quaesierit hospites; hoc erat hospitalitatem sectari ».

Inter christianos peregrinos, quos eo tempore multos Romam confluxisse ex 16,3 sqq. rite colligitur, procul dubio non defuerunt, qui ob fidem suam ab ethnicis infidelibusque Iudaeis patriam relinquere essent coacti. Hinc Apostolus, quamvis statim (*vv.* 19 sqq.) de inimicorum amore fusius acturus sit, adductus videtur esse, ut hoc iam loco hospitalitatem erga fratres iniuste pulsos ac vexatos commendans simul obiter saltem innuat, quo animo neophyti erga fratrum vexatores persecutoresque affecti sint oporteat : 14. *benedicite persequentibus vos; benedicite et nolite maledicere* (cfr *Matth.* 5,44; *Luc.* 6,27 sq.), i. e. « bene precamini et orate Deum pro iis, qui vobis mortem aut damna inferre moliuntur vel etiam inferunt, ac nolite eis mala imprecari ». Si nexus, quem inter hoc praeceptum ac praecedens intercedere censemus, admittitur, pronomen *vos* (ὑμᾶς) in priore membro rectius cum B et *Am.* praetermittitur (cfr *VV. LL.*), ut sententia sit omnino generalis. Ceterum Dominus beatos praedicat eos, qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, quia eorum merces magna futura sit in coelo (*Matth.* 5,10 sqq.); unde verus Domini discipulus vexationes omnes, quibus propter fidem suam subiicitur, iure merito velut totidem beneficia considerabit persecutoresque ipsos, quum sint maioris

mercedis conciliatores, pro benefactoribus habebit, quibus gratias referre teneatur (cfr *Chrys*).

In explicanda deinde sincera caritate fraterna pergens Apostolus nos cunctas fratrum nostrorum res, sive prosperas sive adversas, tamquam nostras reputare iubet : **15.** *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Infinitivos hic imperativorum locum tenere aut saltem sensu imperativo esse interpretandos, ex contextu patet omnesque consentiunt. Ex intima unione, qua Christiani omnes velut unius corporis membra inter se colligantur (cfr *vv.* 4. 5), hoc praeceptum sua quasi sponte fluere clarum est; etenim « si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; si vero glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra » (1 *Cor.* 12,26). Ad ordinem autem sensumque duorum membrorum *Chrys.* bene adnotat : « Nemo ita est lapideus, ut eum non defleat qui in calamitatibus versatur; sed admodum generosi est animi, prospere agenti non modo non invidere sed etiam congaudere; ideo hoc posuit primo in loco. Revera autem nihil tantopere dilectionem conciliat, quam quum et gaudio et moerore fratris tamquam nostro afficimur. Ne igitur, quia ipse aerumnis cares, commisereri supersedeas; nam quando frater tuus male patitur, communem facere debes calamitatem. Communes sint tibi lacrymae, ut illius tristitiam alleves; communis etiam laetitia, ut dilectionem confirmes; atque hac ratione ante illum iuvabis temet ipsum, quum per lacrymas te misericordem exhibes et per commune gaudium te ab invidia liberas » (cfr *Theod. Theoph.* etc.).

Demum tribus ultimis huius particulae membris iterum modestiam humilitatemque inculcat, quae ad sinceram caritatem fraternam conservandam tam necessaria est : **16.** *id ipsum invicem sentientes* (τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες); *non alta* (τὰ ὑψηλὰ) *sentientes, sed humilibus* (τοῖς ταπεινοῖς) *consentientes* (συναπαγόμενοι); *nolite esse prudentes* (φρόνιμοι) *apud vosmetipsos.* « In Christo Iesu omnes unus sunt » (cfr ad *Gal.* 3,28); nam in baptismo formae omnes, quae ad veterem hominem spectant, destruuntur ac pereunt, ita ut in baptizatis illa sola iam adsit forma, qua sunt membra eiusdem corporis mystici Christi : « Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina ». Ideo Apostolus primum praecipit, ut Christiani *idem erga se mutuo sentiant,* i. e. eodem animo erga se et erga alios omnes sint affecti neque se ipsos aut alios quoscumque, quia opibus aut honoribus aut aliis eiusmodi rebus emineant, aliis praeferant, quum id unum in omnibus fratribus considerare debeant, quod sint membra Christi. « Quid, inquit *Chrys.*, significat : *idem erga vos mutuo sentite?* Advenit tibi pauper in aedes tuas; velut tibi

parem et aequalem eum habe neque ob tuas divitias superbia te efferas. In Christo nec dives nec pauper est; ne itaque pudore afficiaris ob externum eius habitum, sed suscipe illum propter internam fidem; neque eum, si lugentem videris, indignum reputes quem consoleris, neque si prospere agentem eum videas, erubescas partem laetitiae et gaudii suscipere. Ita potius erga illum esto affectus, sicut erga te ipsum; si magnum te existimas, magnum et illum putato; si illum humilem et exiguum suspicaris, de te idem sentito omnemque inaequalitatem elimina » (cfr *Orig. Theod. Theoph. Oec. Euth.; Pel. Sed. Haym. Abael.* etc., *Tol. Est. Iust. Lap.* etc., *Reith. Beel. Weinh. Sch.* etc.). Parum recte alii isto praecepto mutuam concordiam commendari volunt, quae adfutura sit, si neophyti in opinionibus suis inter se consentiant (cfr *Herv. Thom. Cai. Nat. Picon.* etc., *Mai. Bisp. M Ev. LR. Ag.* etc.). Neque enim hic scriptum est : τὸ αὐτὸ ἐν ἀλλήλοις φρονεῖτε (uti *infra* 15,5), neque simpliciter : τὸ αὐτὸ φρονεῖτε (uti 2 *Cor.* 13,11 cfr *Phil.* 2,2), quibus locutionibus utique sententiarum consensus et concordia commendatur, sed τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονεῖτε, quae verba, uti *Est.* et *Iust.* optime monuerunt, explicationem de sola animorum concordia vix admittunt.

Aptius quoque iuxta nostram interpretationem alterum adnectitur praeceptum, quo neophyti *alta sapere,* i. e. superbi ambitiosique excelsa, quibus super alios emineant, quaerere et appetere vetantur (cfr ad 11,20), *humilibus* autem abiectisque rebus quasi *consentire* iubentur, ita ut ab iis et una cum illis se abduci patiantur (τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι), i. e. eas ne recusent sed libenter, ubi occasio id tulerit, amplectantur. Cum Graecis (cfr *Orig. Chrys. Theod.* etc.) etiam multi Latini (*Tert.* c. Marc. V. 14, *S. Aug.* in Ps. 118 serm. 2,1, *Haym. Herv.* etc., *Est. Iust. Lap. Nat.* etc., *M Ev. Ag.* etc.) dativum τοῖς ταπεινοῖς (*humilibus*) pro masculino habent, quasi Paulus neophytos cum hominibus humilis abiectaeque conditionis conversari eisque se accommodare iubeat. Qui sensus aptus quidem est ac Vulgatae nostrae interpretatione (*humilibus consentientes*) omnino suaderi videtur; nihilominus cum *Thom.* et *Tol.* moderni feres omnes (cfr *Reith. Mai. Beel. Bisp. Dr. LR. Weinh.* etc.) de rebus, i. e. de negotiis conditionibusque vilibus abiectisque, hic agi recte tenent, quia dativus τοῖς ταπεινοῖς (*humilibus*) praecedenti τὰ ὑψηλά (*alta*) evidenter opponitur, neutrius ergo generis est. Unde bene *Tol.* : « Duo Paulus monet; unum quidem ne alta sapiant, i. e. ne ea appetant quae mundus magna existimat, quasi velint eminere et magni reputari; alterum vero, ut humilia potius, quae mundus vilia habet, amplectantur et ab iis velut abripi se sinant. Utrumque ad affectum pertinet; qui quum ab altis

retrahitur et ad infima convertitur propter Deum, tunc cogitationes et opera facile ad humilitatem tendent ».

Tandem commendationem humilitatis, qua sincera caritas conservatur et promovetur, illo monito terminat, quod iam Ethnicochristianis proposuit (11,25) : *nolite esse prudentes* (seu *sapientes* φρόνιμοι) *apud vosmet ipsos*, i. e. nolite vos tam prudentes sapientesque habere, ut alios despiciatis aliorumque consiliis monitisve vos non indigere putetis. « Nihil enim a reliquis nos ita abscindit et separat, quam quum nos nobis sufficere putamus; ideo nos Deus ita constituit, ut alter altero indigeamus. Etiamsi enim prudens sis, altero opus habebis; si autem te nullo indigere putas, omnibus factus es stultior et imbecillior. Nam eiusmodi homo se omni auxilio privat et in peccatis suis nulla fruetur vel correctione vel venia et per arrogantiam suam Deum ad iram concitabit » (*Chrys.*).

Postquam Apostolus exposuit, quomodo sincera caritas in vita quotidiana erga fratres exercenda sit, in ultima nunc parte ostendit, qua ratione erga omnes homines sese manifestare debeat. Quia autem eo tempore ethnici Iudaeique infideles plurimi Christianis erant inimicissimi, mirum non est, quod hoc in loco potissimum inculcet amorem inimicorum. Statim enim a principio iam praecipit : 17. *nulli malum pro malo reddentes* (sc. estote); *providentes bona* (*non tantum coram Deo, sed etiam*) *coram omnibus hominibus*. Ad secundi membri lectionem quod attinet, phrasin uncis inclusam (*non tantum... sed etiam*), utpote ex 2 *Cor.* 8,21 transumtam, hic melius praetermitti, supra monuimus (cfr *VV. LL.*); totius tamen praecepti sensum, si retinetur, non mutat. Praeprimis igitur omnem prohibet vindictam privatam, qua aliquis alteri, a quo laesus est, ex affectu odii malum infert[1] (cfr 1 *Thess.* 5,15; 1 *Petr.* 3,9). Quod praeceptum ad omnes omnino homines, sive christiani sunt sive non, se extendit (μηδενί *nulli*), uti ex altero membro evidentissime elucet, quo *coram omnibus hominibus* ea *providere*, i. e. diligenter procurare (seu *facere studere* cfr ad 2 *Cor.* 8,21) iubemur, quae *bona* sunt. Haec videlicet est Pauli mens, ut Christiani etiam in sua conversatione cum infidelibus non tantum ab omni prorsus mali specie sese abstinentes (1 *Thess.* 5,22) caveant, ne cui sive Iudaeo sive ethnico sive fratri christiano offensioni vel scandalo sint (1 *Cor.* 10,32), sed etiam bonis suis operibus omnes quum fideles tum infideles aedificent et ad Patrem coelestem glorificandum adducant (*Matth.* 5,16).

Quare secundo praecipit, ut pro viribus cum omnibus pacem con-

1. De accuratiore sensu similis praecepti Domini, ad quod Paulus aeque ac Petrus procul dubio respexerunt, cfr *Knabenbauer* Comm. in Matth. 5,38 sqq. (I. p. 235 sqq.).

cordiamque servent : 18. *si fieri potest, quod ex vobis est* (τὸ δυνατόν, τὸ ἐξ ὑμῶν) *cum omnibus hominibus pacem habentes* (sc. estote). Sunt qui priorem particulam limitantem (τὸ δυνατόν *si fieri potest*) ad praecedens praeceptum trahere malint, quia valde difficile esse aiunt bona coram omnibus providere (cfr *Cai.* — *Beng.*). Attamen ut semper et ubique id faciamus quod bonum est, in nobis solis est situm, quoniam gratia bene agere volentibus non deest; quare limitatio ad illud praeceptum minus apte trahitur. In nostra autem sola potestate non est situm, ut cum omnibus pacem colamus; nobis enim invitis alii eam perturbare possunt, ita ut nos eam servare ac tueri non possimus, nisi maiora iustitiae, pietatis, veritatis officia violari sinamus. Iure igitur praecepto nostro limitatio *si fieri potest* additur; altera autem particula (*quod ex nobis est*) praeceptum non tam limitat, quam accuratius definit, quum nos ad nosmet ipsos ante omnia attendere iubeat, si alii pacem perturbent. Eo quippe animo erga omnes esse iubemur, ut nostra ex parte faciamus quidquid ad concordiam amicitiamque cum eis restituendam conservandamque ullo modo confert. Haud male *Grot.* : « Omnium amici estote, si fieri potest; si non potest utrimque, certe ex vestra parte amici estote ».

Tertio demum loco docetur, quomodo adversarii beneficiis vinci ac reconciliari debeant (19-21). Ante omnia iterum (cfr *v.* 17) privata vindicta prohibetur : 19. *non vosmet ipsos defendentes* (vel cum *S. Aug.* in Ps. 78 expos. n. 14 clarius et melius : *vindicantes* sc. estote μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες sc. ἔστε), *carissimi; sed date locum irae* (τῇ ὀργῇ); *scriptum est enim : mihi vindicta* (ἐκδίκησις), *ego retribuam dicit Dominus.* Latinum verbum *se defendere* a nonnullis quidem antiquioribus consueto suo sensu sumitur, ut sit i. q. iniuriam avertere vel depellere seu se servare ab iniuria (cfr *Haym. Herv. Thom. Lyr.* etc.). Quoniam vero in inferiore latinitate idem interdum valet quod *se ulcisci* vel *se vindicare* (cfr *Forcellini* Lexic. latin. s. v.) et a Vulgatae interprete aliquoties hoc sensu usurpatur (cfr *Iudith* 1,12; 2,1), iuniores modernique omnes hanc interpretationem, quae sola graeco ἐκδικεῖν congruit, recte adoptarunt. Iamvero quia praeceptum de inimicorum amore difficile est observatu, Apostolus illud explanaturus benevolentiam lectorum sibi conciliat appellatione *carissimi* (ἀγαπητοί) amorem suum eis in memoriam revocans, quo ad eos docendos et exhortandos impellitur. Antea enim malum pro malo non esse reddendum iam monuit (*v.* 17), sed nunc bonum pro malo esse reddendum docebit (*v.* 20. 21). Negativum tamen illud praeceptum repetens privatam vindictam prohibet, ut totam vindictam relinquendam esse doceat *irae,* videlicet divinae (τῇ ὀργῇ), i. e. iustitiae Dei vindicativae, cui restitutio ordinis peccatis ho-

minum perturbati curae est (cfr ad 1,18). Inde a *Chrys.* et *Aug.* aetate nomine τῆς ὀργῆς (*irae*), quod hic uti 5,9 et 1 *Thess.* 2,16 absolute ponitur, iram divinam designari longe plerique tenent, idque rectissime. Etenim Apostolus locutiones *nolite vos ipsos vindicare* et *date locum irae* ita inter se opponit, ut alius nequeat esse sensus, nisi : « Nolite ipsi iniuriarum poenas sumere, sed sinite ut Deus eas repetat »; nam huic soli confirmando inservire potest vox divina : *mihi vindicta, ego retribuam.* Valde superflue vero ista verba essent addita, si praeceptum *date locum irae* de ira hominis iniuriam inferentis interpretaremur, quasi sensus esset aut : « nolite irato resistere sed patienter sustinete quaecumque vobis mala inferat » (cfr *S. Basil.* reg. brev. tract. 244, *Tolet.*), aut « cedite irato et ab eius praesentia declinate, ut quiescat ira eius » (cfr *S. Ambr.* de offic. I. 21). Desumtum autem est dictum divinum ex *Deut.* 32,35, liberius tamen allegatum; nam textus alex. habet : ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω (*in die vindictae retribuam*), hebraicus autem : לִי נָקָם וְשִׁלֵּם (*mihi ultio et retributio*).

Neque vero sufficit, ut fideles iustitiae divinae relinquant vindictam iniuriae illatae, 20 *sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis* (i. e. *prunas* seu carbones ardentes ἄνθρακας πυρός) *congeres super caput eius.* A plurali, quo in superioribus praeceptis usus erat, hic ad singularem Apostolus transit, ut ipsius Scripturae verbis (*Prov.* 25,21 sq.) iuxta alexandrinam versionem, quae sensu cum primigenio textu congruit, accurate allegatis beneficentiam liberalitatemque erga inimicum inopia laborantem inculcet. Quo autem consilio ita agendum sit, iisdem sacris verbis docet; cum Salomone enim vult, ut fideles suis beneficiis in adversario excitent illatae iniuriae memoriam, ex qua deinde vehementem capiat dolorem (velut si prunis congestis caput eius uratur), quo ad poenitentiam adducatur. Haud facile enim quisquam invenietur tam immanis, cuius ira beneficiis non frangatur quemque non poeniteat eos laesisse, qui iniurias beneficiis rependant.

Ab hac interpretatione, quae inde a Patrum aetate inter Latinos communis fuit (cfr *Orig. S. Aug.* expos. n. 71; in Ps. 78 enarr. n. 14; serm. 149 n. 19 etc.; *S. Hier.* ad Hedib. ep. 120 qu. 1; *A*[ter] *Pel. Prim. Sed. Haym. Herv. Thom.* etc., *Dion. Cai. Tol. Salm. Iust. Lap. Picon.* etc.; moderni omnes), pauci tantum iuniores (*Est. Nat*[2]. etc.) recedunt, qui cum multis Graecis verba addita in malam partem trahere malunt, ut sensus sit : « Beneficiis in inimicum collatis eum, nisi resipiscat, gravioris poenae reum facies » (cfr *Chrys. Theod. Phot. Theoph. Oec. Euth.*). Qui vero hanc explicationem sequuntur,

praeprimis illud *nisi resipiscat* ex suis addere coguntur. Deinde non attendunt, a Paulo uti a Salomone hanc sententiam adiici, ut lectores ad beneficia in inimicos conferenda invitentur ac permoveantur; a caritate autem profecto esset alienissimum, si quis inimico benefaceret, ut in inimicitia perseveranti maiorem conciliaret poenam. « Quomodo, inquit *S. Aug.* (expos. n. 71) quisque diligit eum, cui propterea cibum et potum dat, ut carbones ignis congerat super caput eius, si carbones ignis hoc loco aliquam gravem poenam significant »? Qui porro ad istam explicationem vindicandam ad 4 *Esdr.* 16,54 appellant (*Est.*), non considerant, nostri loci diversum esse contextum ibique locutione *carbones ignis super caput alicuius comburere* non maiorem vel extraordinariam poenam sed certissimam perniciem indicari.

Demum eam, quam sequimur, interpretationem solam posse admitti, luce clarius ex sequente sententia apparet, qua velut epiphonemate Paulus exhortationem suam de inimicorum amore (*vv.* 19. 20) complectitur : 21. *noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quae in verba egregie *Thom.* : « Naturale est homini, ut velit adversarium vincere et non vinci ab eo; illud autem ab aliquo vincitur, quod ad illud trahitur. Si ergo bonus aliquis homo propter malum, quod ipsi ab aliquo infertur, trahatur ad hoc, quod ei male faciat, bonus a malo vincitur; si autem e contrario propter beneficium, quod bonus persecutori exhibet, eum ad suum amorem trahat, bonus malum vincit. Dicit ergo : *noli vinci a malo* scilicet eius, qui te persequitur, ut tu eum persequaris; *sed in bono* tuo *vince malum* illius, ut scilicet ei benefaciendo eum a malo trahas ». Cave igitur, ne inimici iniuriis te ad vindictam rependendam trahi sinas, sed contra da operam, ut tuis beneficiis vincas eius malitiam.

3. — *Obedientia in vita civili magistratibus debita* (13,1-7).

13,1. ***Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.*** 2. ***Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt :*** 3. ***nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac : et habebis laudem ex illa :*** 4. ***Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa***

13,1. Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ, αἱ δὲ οὖσαι ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. 2. ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν· οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται. 3. οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶν φόβος τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, ἀλλὰ τῷ κακῷ. θέλεις δὲ μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν; τὸ ἀγαθὸν ποίει καὶ ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς· 4. Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν σοὶ εἰς ἀγαθόν. ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ·

gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei qui malum agit. 5. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ideo enim et tributa praestatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. 7. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.

οὐ γὰρ εἰκῆ τὴν μάχαιραν φορεῖ· Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. 5. διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργήν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. 6. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε· λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσὶν εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. 7. ἀπόδοτε πᾶσιν τὰς ὀφειλάς, τῷ τὸν φόρον τὸν φόρον, τῷ τὸ τέλος τὸ τέλος, τῷ τὸν φόβον τὸν φόβον, τῷ τὴν τιμὴν τὴν τιμήν [1].

Simili plane modo, quo S. Petrus ab operibus bonis, quibus in privata sua vita Christiani ethnicos aedificare et ad veri Dei cognitionem laudemque trahere teneantur, commendandis ad obedientiam magistratibus debitam inculcandam transit (2 *Petr.* 2,11-14), Paulus quoque nunc, postquam caritatis officiis enumeratis in privata vita coram omnibus omnino hominibus bona provideri iussit (cfr ad 12,17), neophytos romanos docere aggreditur, quid in publica vita potissimum eis praestandum sit. Gravi quippe oratione praecipit, ut magistratibus omnibus obediant, idque quia a Deo ipso sint instituti, ita ut qui eis resistat, divinae ordinationi resistat sibique ipsi poenam attrahat (1.2), siquidem divinitus constituti sint ad bonos quidem tuendos, sed ad

1. *VV. LL.* — 1. πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω (*omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*) est communis certaque lectio, a qua soli recedunt Graecolatini (D F G) cum paucis antiquis Latinis (*S. Iren.* interpr. c. haer. V. 24,1; *A[ter]*) nonnullisque bonis Vulg. codd. (*Fuld. Harl.*) legentes : πάσαις ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσεσθε (omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote). — αἱ δὲ οὖσαι (*quae autem sunt*) nomine ἐξουσίαι (*potestates*) non addito B ℵ A D F G, pauci minusc., *It.* (cfr *S. Iren.* interpr. l. c. *A[ter]*) *Vulg. Copt. Arm. Aeth. Goth.*; satis superflue nomine addito *textus rec.* legit αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι (quae autem sunt potestates) cum E L P, plerisque minusc. et PP. graec., *Syr.* — 3. Pro singulari τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ ἀλλὰ τῷ κακῷ (*Tert.* Scorp. c. Gnost. 14 : « bono operi sed malo ». *Vulg.* autem : *boni operis sed mali*), quem antiquiores testes tuentur, *textus rec.* pluralem recepit : τῶν ἀγαθῶν ἔργων ἀλλὰ τῶν κακῶν (bonorum operum sed malorum) cum E L, plerisque minusc., *Syr. Arm.* — 4. σοὶ εἰς τὸ ἀγαθὸν (*tibi in bonum*) est communis certaque lectio; minus apte pronomen σοί (*tibi*) omittunt F G et pauci minusc. — 5. ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι (*Orig.* interpr. : necesse est subditos esse) est communis Graecorum lectio, quam etiam *Syr. Copt. Arm.* exprimunt; sed *It.* et *Vulg.* videntur legisse : ἀνάγκῃ ὑποτάσσεσθε (*necessitate subditi estote*), quae lectio eodem sensu quo communis explicari potest; minus recte autem *S. Aug.* (expos. n. 74), in suo codice habuit : « *necessitati* subditi estote ». — 7. ἀπόδοτε (reddite), coniunctione οὖν (*ergo*) non addita, B ℵ A D, pauci minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* saepius, *Cassiod.* etc.) *Vulg.* (*Amiat. Demid. Tolet.*) *Copt.*; sed omnino praeferenda est lectio *textus recepti* : ἀπόδοτε οὖν (*reddite ergo*), quam exhibent E F G L P, omnes fere minusc., *It.* (cfr *A[ter] Pel.* etc.), *Vulg. Clem.* (cum *Fuld. Harl.* et plerisque) *Syr. Arm. Goth.*; si enim particula omittitur, mente saltem suppleatur necesse est; parum apta autem hoc in loco asyndeta constructio esset.

malos quoque reprimendos (3. 4). Ulterius deinde obedientiam, ut conscientiae macula evitetur, necessariam esse colligit (*v.* 5) atque hanc doctrinam ex eo confirmat, quod magistratibus tamquam Dei ministris tributa solvi soleant (*v.* 6). Argumentationem vero suam terminat singulis reddi iubens quae eis competant (*v.* 7).

Sunt qui conditione romanae ecclesiae Paulum adductum esse arbitrentur, ut monitum hoc de obedientia magistratibus debita epistolae suae insereret. Aeque parum vero atque superiora praecepta de modestia in vita religiosa et de caritate in vita privata observanda specialis quaedam conditio romanae ecclesiae reddidit necessaria, nostrum monitum romanis magis quam aliis neophytis necessarium dici potest. Generali enim modo omnia haec praecepta proponit neque ullo verbulo indicat, se in iis tradendis ad romanas potissimum res attendisse. Ac profecto quum in hac epistola capita praecipua doctrinae, quam inter ethnicos praedicare solebat, explanare vellet, facere vix potuit, quin illud quoque officium exponeret, quod mox, tempore videlicet instantis persecutionis, unum ex gravissimis et difficillimis fore praevidit. Neque enim deerant, quae primos Christianos in errorem circa obedientiam magistratibus ethnicis debitam inducere possent. Una enim ex parte periculum aderat, uti *S. Aug.* (expos. n. 72) recte iam adnotat, ne neophyti Pauli ipsius doctrinam, qua Christianos in libertatem vocatos esse asseruit (1 *Cor.* 7,23; *Gal.* 4,31 sq.) eosque lites suas ad ethnicos iudices deferre vetuit (1 *Cor.* 6,1 sqq.), male intelligentes « in superbiam elati se potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore gubernatio rerum temporalium tradita erat, non esse subdendos putarent ». Altera autem ex parte timendum quoque erat, ne iudaizantes quidam Christiani, qui erroneas contribulium suorum opiniones de Messiae regno temporali retinuerant, incautos neophytos de libertate populo Dei debita male docerent eosque ad rebelliones tumultusque excitarent. Hoc sensu *S. Hier.* (Comment. in *Tit.* 3,1) nostrum praeceptum dicit editum, quia per illud tempus adhuc vigebat dogma Iudae Galilaei (cfr *Act.* 5,37; *Fl. Ioseph.* Antiqu. XVIII. 1,6; Bell. iud. II. 8,1), « qui inter caetera hoc quasi probabile proferebat ex Lege, nullum nisi solum Deum debere dominum vocari, et eos qui ad templum decimas deferrent Caesari tributa non reddere. Quae haeresis in tantum creverat, ut etiam Pharisaeorum ac multam populi partem conturbaret, ita ut ad Dominum nostrum quoque referretur haec quaestio, liceretne Caesari dari tributum annon; quibus Dominus prudenter cauteque respondens ait : Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo (*Matth.* 22,17 sqq.). Cui responsioni Paulus congruens docet, principatibus et potestatibus credentes debere esse subiectos ».

Non minus abrupte, quam a prima sectione ad secundam (cfr ad 12,9), a secunda ad tertiam Apostolus transit praecipiens : 1. *omnis anima potestatibus sublimioribus* (ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις) *subdita sit.* Prae-

cepti universalitas ex verbis clare apparet; etenim locutione *omnis anima* (כָּל־נֶפֶשׁ πᾶσα ψυχή cfr 2,9; Act. 2,43; 3,23) non significatur, « subiectionem superioribus deberi *ex animo* seu ex pura voluntate » (uti vult *Thom.* cfr *Tol. Ag.* etc.), sed neminem ab illa subiectione eximi. « Sive apostolus sit, sive evangelista, sive propheta, sive quivis alius » (*Chrys.*), omnes nullo excepto subditi sint oportet *potestatibus sublimioribus.* « Indefinite autem, inquit *Thom.*, dicit *potestatibus sublimioribus* (ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις sine artic.), ut ratione sublimitatis officii eis subiiciamur, etiamsi sint mali (cfr 1 *Petr.* 2,18) ». Recte quoque *Salm.* monet, per *potestates sublimiores* vel potius *eminentes* hic intelligi « homines publica auctoritate praeditos omnes, sive reges sint sive principes sive duces sive magistratus quicumque »; neque enim inter magistratus summos et inferiores sed inter homines auctoritate praeditos et privatos epitheto ὑπερέχουσαι distinguitur. Similiter Apostolorum princeps praecipit : « Subiecti estote *omni* humanae creaturae (scil. quae potestate praedita est cfr *Est. Iust.* i. h. l., seu : *omni* humano instituto πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει) propter Deum, sive regi quasi praecellenti (ὡς ὑπερέχοντι) sive ducibus tamquam ab eo missis » etc. (1 *Petr.* 2,13). Per se porro patet, subiectionem hanc magistratibus deberi, in quantum sublimiores sunt, i. e. ius iurisdictionemque vere possident. Neque immerito *S. Aug.* (expos. n. 72) addit, « eum modum servandum esse, quem Dominus ipse praescripserit, ut reddamus Caesari quae Caesaris sunt et Deo quae sunt Dei ».

Quas limitationes Paulus indicat addita ratione, cur omni potestati civili, de qua proxime ac directe agit (cfr *vv.* 3. 4. 6), subiectio debeatur : *non est enim potestas, nisi a Deo; quae autem sunt* (scil. potestates), *a Deo ordinatae sunt*[1]. Duplicem autem affert rationem, siquidem et *potestatem* ipsam seu in abstracto, uti dicitur (οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία attende ad singul.) et potestatem definite in eis qui eam tenent consideratam (αἱ δὲ scil. ἐξουσίαι attende ad plur.) a Deo esse declarat. « Propterea autem, inquit *Estius*, de potestatibus, i. e. de principibus, repetere voluit, quod abstractive de potestate dixerat, ne quis excusaret et diceret, se potestatem quidem ipsam venerari, sed eos qui illa fungantur malos esse proindeque indignos, quibus obediatur; quam excusationem hac parte exclusit affirmans ipsos principes a Deo cum potestate institutos esse ».

Ab hac explicatione, quae fere communis dici potest, *Chrys.* cum sua

1. *Herv. Thom.* aliique olim legerunt : « quae autem sunt, a Deo *ordinata* sunt » aut etiam alio modo interpungentes : « quae autem sunt a Deo, ordinata sunt »; sed has lectiones erroneas esse neque graeco textui congruere, demonstratione non indiget.

schola recedit, quum malos principes a Deo potestatem accepisse negans utramque sententiam de potestate ipsa ita interpretetur, ut in secunda varias eius species (potestatem viri in mulierem, patris in filios, principis in subditos etc.) divinitus institutas dici declaret. Sed recte iam *Orig.*: « Quid ergo? et illa potestas, quae servos Dei persequitur, fidem impugnat, religionem subvertit, a Deo est? Ad hoc breviter respondebimus. Nemo est qui nesciat, quod et visus nobis a Deo datus est et auditus et sensus; quum ergo a Deo haec habeamus, in potestate tamen nostra est, ut visu vel ad bona vel ad mala utamur, similiter et auditu et motu manuum et cogitatione sensus; et in hoc est iustum iudicium Dei, quod his quae ille ad bonos usus dedit nos abutimur ad impia et iniqua ministeria; ita ergo et potestas omnis a Deo data est ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum (*vv.* 3.4); erit autem iustum iudicium Dei erga eos, qui acceptam potestatem secundum suas impietates et non secundum divinas temperant leges ». Alia ratione *S. Aug.* (de civ. Dei V. 21) rem considerans eandem interpretationem sequitur : « Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno coelorum solis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet... Qui Mario, ipse Caio Caesari; qui Augusto, ipse et Neroni; qui Vespasianis vel patri vel filio, suavissimis imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo; et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino christiano, ipse apostatae Iuliano... Haec plane Deus unus et verus regit ac gubernat, ut placet; et si occultis causis, numquid iniustis »?

Accuratius *Thom.* totam quaestionem perpendit : « Regia potestas, inquit, vel cuiuscumque alterius dignitatis potest considerari quantum ad tria : uno quidem modo quantum *ad ipsam potestatem*, et sic est a Deo, per quem reges regnant (*Prov.* 8,15); alio modo quantum *ad originem potestatis*, et sic quandoque potestas est a Deo, quando scilicet aliquis ordinate eam adipiscitur (*Hebr.* 5,4), quandoque vero non est a Deo, sed ex perverso hominis appetitu, qui per ambitionem vel quocumque alio illicito modo eam adipiscitur (*Am.* 6,13); tertio modo quantum *ad usum potestatis*, et sic quandoque est a Deo, puta quum quis iuxta praecepta divinae iustitiae utitur potestate sibi concessa (*Prov.* 8,15 per me legum conditores *iusta* decernunt), quandoque autem non est a Deo, puta quum aliqui data sibi potestate utuntur contra divinam iustitiam (*Ps.* 2,2) ».

Quae quamvis bene sint dicta, attendatur tamen oportet, Apostolum de modo, quo aliquis potestatem adipisci possit aut adeptus sit, hic non loqui, sed de potestate ipsa eaque iam constituta, i. e. de iis, qui re potestatem tenent (αἱ δὲ οὖσαι *quae autem sunt* potestates), neque eum postulare, ut neophyti, antequam magistratibus obediant, inquirant, num illi legitime potestatem adepti sint. Sive legitimi sive illegitimi sint principes, eorum potestas, quam re tenent, iuxta Pauli doctrinam, quam Dominus ipse haud obscure iam insinuaverat (cfr

Ioan. 19,11), est a Deo eisque obediatur oportet, quia potestas, quam exercent, a Deo est. Similiter fieri quoque potest, ut ii qui re potestatem tenent aliquid contra divinam iustitiam praecipiant finesque potestatis sibi concessae transgrediantur; quamvis vero in his « Deo obedire oporteat magis quam hominibus » (*Act.* 5,29), abusus tamen potestatis non efficit, ut potestas ipsa non amplius sit a Deo aut ut *potestates quae sunt* non amplius dici possint a Deo constitutae.

Ex duobus principiis praemissis Apostolus nunc concludit, eos qui potestatem constitutam agnoscere recusant reos esse peccati et poenae: 2. *itaque qui resistit* (ὁ ἀντιτασσόμενος) *potestati, Dei ordinationi* (τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ) *resistit* (vel potius : *se opponit* ἀνθέστηκεν); *qui autem resistunt* (vel : *se opponunt* ἀνθεστηκότες), *ipsi sibi damnationem* (κρῖμα) *acquirunt.* Sensus sententiae, in qua Apostolus, uti saepe, paronomasiis indulget, clarus est. Quodsi potestatibus sublimioribus subditi esse (ὑποτάσσεσθαι) debemus quia a Deo ordinatae sunt (τεταγμέναι εἰσίν), rite colligitur, eum, qui illis resistit (ὁ ἀντιτασσόμενος), divinae ordinationi (διαταγῇ) adeoque ipsi Deo se opponere. « Resistere autem divinae ordinationi, inquit *Thom.*, contrariatur honestati virtutis; unde contra virtutem agit, quicumque potestati resistit in eo quod pertinet ad ordinem suae potestatis ». Ergo non tantum contra principes sed etiam contra Deum peccat sibique sententiam damnatoriam (κρῖμα cfr ad 2,2. 3 etc.) poenamque et a Deo et a principibus attrahit.

Haud sine vi rebellis *sibi ipse* damnationem acquirere dicitur, quatenus ordo rebellione ipsius turbatus restitui debet. Iamvero quum fieri nequeat, ut pro sua iustitia Deus rebelles impunitos abire permittat, Paulus hac assertionis parte praetermissa statim probare aggreditur, magistratus quoque pro suo officio posse ac debere punire rebelles utpote male agentes: 3. *nam principes non sunt timori boni operis sed mali*, vel accuratius iuxta graecum : *non sunt timor* (i. q. timorem non incutiunt s. timendi non sunt) *bono operi sed malo* (οὐκ εἰσὶν φόβος τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ ἀλλὰ τῷ κακῷ). Qua in sententia perpulchre per metonymiam abstractum φόβος (timor) pro concreto φοβεροί (timendi) et per prosopopoeiam quandam τὸ ἀγαθὸν (κακὸν) ἔργον (bonum s. malum opus) pro ὁ τὸ ἀγαθὸν (κακὸν) ἔργον ἐργαζόμενος (bene s. male operans) ponitur. Recte autem interpretes monent, Apostolum hic ex fine, ad quem magistratus instituti sint, et ex iure argumentari, quod vi officii sui eis competat. Quoniam enim ad bonum promovendum et malum arcendum a Deo potestatem accipiunt, ius eis est subditos suos poenae timore a malo faciendo retinere maleque operantes punire, uti etiam eos ad bonum faciendum adducere beneque operantes laudibus praemiisque ornare. Idem etiam S. Petrus declarat, quum duces missos

esse asserit « ad vindictam (i. q. punitionem ἐκδίκησιν) malefactorum, laudem vero bonorum (1 *Petr.* 2,14). Haud male autem, licet ad sententiae explicationem directe non pertineat, *Thom.* cum *S. Aug.* (expos. n. 73; serm. 13 n. 6; 302 n. 12 etc.) addit, verba nostra etiam ad malos principes referri posse. « Etsi enim mali principes interdum iniuste persequantur bene operantes, hi tamen causam non habent timendi, quia hoc ipsum (sc. iniusta persecutio), si patienter sustinent, in eorum bonum cedit iuxta illud S. Petri : Quis est qui vobis noceat, si boni aemulatores (τοῦ ἀγαθοῦ ζηλωταί) fueritis? sed et si quid patimini propter iustitiam, beati; timorem autem eorum ne timueritis (1 *Petr.* 3,13 sq.) ».

Ad illud igitur respiciens, quod magistratibus vi officii et acceptae potestatis competit, Paulus utramque sententiae praecedentis partem exponit, ac primum quidem relate ad bonos : *vis autem non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa;* 4. *Dei enim minister est tibi in bonum* (εἰς τὸ ἀγαθόν). Utrum primum membrum interrogative cum *Vulg. Clem.* et antiquioribus Latinis legamus, an cum Graecis et plerisque modernis pro elliptica conditione habeamus (i. q. si autem vis non timere potestatem), ad sensum nihil refert; iuxta utramque interpunctionem Apostolus ostendit viam, quam homo ingredi debet, qui magistratuum timore vacare velit. Si bonum agit, non tantum non habet, cur eos timeat, sed etiam ab eis approbatur laudemque ab illis exspectare potest; ad hoc enim a Deo sunt instituti, ut etiam approbatione ac laude praemiisque subditos suos ad bonum faciendum incitent. Aliter autem sese res habet relate ad malos : *si autem male feceris, time; non enim sine causa* (εἰκῇ) *gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum egit.* Pro suo officio magistratus tamquam ministri Dei probos quidem homines approbant tuenturque atque vitam eorum securam et tranquillam reddunt (cfr 1 *Tim.* 2,2), malos autem terrent ac puniunt gladio; hoc enim insigne iuris necis ac vitae non temere acceperunt et gestant, ut illud semper in vagina condant, sed ut illud in male agentes stringant. « Si ergo princeps, inquit *Chrys.*, et quum punit et quum approbat, Dei minister est virtutem vindicans, malitiam abigens, sicuti Deo placet, cur cum illo (sc. cum principe) contenditis, qui tanta vobis affert bona viamque paravit? Nam multi, qui prius propter principes virtutem exercuerunt, postea etiam ob Dei timorem eam amplexi sunt; crassiores enim non tam futuris quam praesentibus moveri solent. Qui ergo multorum animos vel timore vel praemiis praeparat, ut ad sacrae doctrinae verbum recipiendum aptiores fiant, minister Dei iure merito vocatur ». Neque tamen haec unica aut praecipua

appellationis ratio est; minister enim Dei est princeps, quia ab eo tamquam eius vicarius potestatem accepit (*v.* 1).

Postquam magistratibus ius puniendorum rebellium competere ostendit, Paulus ad praeceptum ab initio propositum (*omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*) revertens illud duabus quas exposuit rationibus velut necessarium commendari concludit : 5. *ideo necessitate subditi estote* (vel melius cum *Orig. interpr.* iuxta graecam lectionem : *ideo necesse est subditos esse* διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι cfr *VV. LL.*) *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam.* Coniunctione διό (*ideo*) ad totam praecedentem argumentationem respicit, duabus autem locutionibus διὰ τὴν ὀργήν (*propter iram*) et διὰ τὴν συνείδησιν (*propter conscientiam*), quae iuxta graecum textum immediate ad ἀνάγκη ἐστίν (*necesse est*) pertinent et iuxta Vulgatam velut appositio quaedam ad ablativum *necessitate* considerari possunt, ea comprehendit, quae et de magistratuum iure puniendi (*vv.* 3. 4) et de divina origine potestatis civilis (*vv.* 1[b]. 2) exposuit. Itaque ad evitandam quidem iram, i. e. iustitiam ultricem magistratuum, praecipue vero ad satisfaciendum conscientiae dictanti, magistratibus utpote a Deo ordinatis obedientiam deberi, omnes potestatibus sublimioribus subditos esse necesse est. « *Propter iram,* inquit *Oecum.*, pravi etiam nolentes subduntur, *propter conscientiam* probi sponte et cum animi alacritate subdi debent ».

Haud recte tamen iuniores Graeci (*Theoph. Oecum. Euthym.*) cum *Chrys.* Paulum locutione *propter conscientiam* ad beneficia, quae magistratus subditis suis subministrent, alludere censent, quasi nos subditos esse iubeat, « ne ingrati erga benefactorem esse videamur ». Etenim in superioribus beneficia, quae magistratus probis suis subditis praestant, obiter tantum commemorantur, ut ex eorum oppositione clarius magistratuum ius puniendi innotescat, fuse autem et magna cum vi origo divina potestatis civilis asseritur. Quapropter cum Latinis fere omnibus iuxta contextum conscientiam hic intelligendam esse tenemus, quae nos docet, eos qui contra legitimas potestates rebellant ordinationi divinae resistere et in Deum ipsum peccare (1[b]. 2. 4). Unde sequitur, leges a legitima potestate sive civili, de qua hic proxime et directe agitur, sive ecclesiastica *legitime* latas subditos in conscientia obligare earumque transgressores sicuti coram humanis iudicibus ita etiam et praecipue coram supremo iudice Deo culpae poenaeque reos esse. Contraria autem doctrina, iuxta quam legitima praecepta potestatis legitimae conscientiam subditorum non ligent, non tantum falsa et a Scripturarum sensu aliena est, quia omni humanae auctoritati *propter Dominum* subiici debemus (1 *Petr.* 2,13), sed noxia quoque et

virtuti inimica, quia homines reddit hypocritas vel iuxta Apostolum (*Eph.* 6,6; *Col.* 3,22) « ad oculum et non ex animo servientes » (*Est.* cfr *Iust. Lap.* etc.).

Novo deinde argumento eoque obvio, quum ex ipsa fidelium ratione agendi sit desumtum, Paulus praecedentem conclusionem confirmans docet, non tantum ad poenam humanam sed potissimum ad conscientiae maculam evitandam eos magistratibus obedire debere : 6. *ideo* (διὰ τοῦτο) *enim et tributa praestatis; ministri* (λειτουργοί) *enim Dei sunt in hoc ipsum servientes*, vel iuxta graecum textum accuratius: *in hoc ipsum assidue incumbentes* (εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες cfr 12,12). Sunt quidem, qui particulam διὰ τοῦτο (*ideo*) praecedenti διό (*v.* 5) parallelam habeant eamque, praetermisso *v.* 5, immediate ad *vv.* 1-4 referant, quasi doceatur, cui fini tributa soluta inserviant (« ideo, scilicet ut magistratus mandatu Dei homines maleficos puniant proborumque saluti prospiciant, tributa solvitis » *Fritzsche*); at satis superflue Apostolus hic finem tributorum omnibus notum commemorasset neque ulla prorsus est ratio, cur nexum cum sententia immediate praecedente ab omnibus fere admissum et aptissimum relinquamus. Eo ipso videlicet, quod fideles verbo Domini obedientes (*Matth.* 22,21) magistratibus non tantum reverentiam debitam sed *et tributa* ab eis imposita praestant, aperte profitentur, se eis obedientiam debere. Ex facto igitur manifesto omnibusque noto Paulus argumentatur; vim vero argumenti sui non parum auget et corroborat, quum tributa magistratibus tamquam Dei ministris pendi addit, et quidem ideo, quia in munere divinitus sibi commisso assidue versantes (εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες) subditorum curam gerant ac publico bono consulant. De magistratibus enim loquitur, quatenus potestatem, quam a Deo acceperunt, iuxta Dei voluntatem exercent. Hanc ob causam etiam eos, quos antea διακόνους Θεοῦ appellavit (*v.* 4), hic λειτουργοὺς Θεοῦ significantius appellat (latinus interpres ob linguae suae penuriam utroque in loco nomen *ministri Dei* minus accurate posuit). Non minus enim sacram quam publicam esse indolem muneris, quo magistratus civiles funguntur, hac appellatione docet; quin etiam tributa propter conscientiam pendenda esse insinuat, quum eos in tributorum imponendorum et exigendorum ratione sacerdotibus in sacrario operantibus et de sacrario edentibus vel etiam apostolicis operariis (15,16) Evangelium annuntiantibus et de Evangelio viventibus (cfr 1 *Cor.* 9,13. 14) aequiparat. Cfr quae de nominis λειτουργός affiniumque vocabulorum usu et significatione in Novo Test. diximus in *Comment.* in 2 Cor. *p.* 250 sq.

Ex tota demum expositione praecepta quaedam specialia derivat

(οὖν *ergo* cfr *VV. LL.*). Ea nimirum quae dixit etiam ad inferiores quidem magistratus pertinere monet, pro diverso tamen eorum gradu ac munere diversam eis deberi obedientiam, idque in illis solis, quae ad eorum munus spectant eorumque dignitati conveniunt. Unde sequitur, magistratibus singulis limites potestatis sibi commissae transgredi non licere neque illimitatam omnimodamque obedientiam eos postulare posse. 7. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum* (τῷ τὸν φόρον, φόρον); *cui vectigal* (τῷ τὸ τέλος), *vectigal; cui timorem* (τῷ τὸν φόβον), *timorem; cui honorem* (τῷ τὴν τιμήν), *honorem*. Contextu vox *omnibus* (πᾶσιν) ad solos magistratus restringi, plerique recte tenent; si qui vero illam latissimo sensu de omnibus hominibus explicant Apostolumque generale iustitiae praeceptum proponere censent (cfr *Est. Nat. Pic.* etc., *Reith. M Ev. Sch.* etc.), proximis membris iam refelluntur, quibus eum de variis magistratuum classibus loqui apparet. Recte porro *Chrys.* adnotat, eum non dixisse : δότε πᾶσιν (*date* omnibus) sed ἀπόδοτε (*reddite*) ac praeterea addidisse : τὰς ὀφειλάς (*debita*), ut se de iustitiae officio loqui significaret. « Ex iustitiae enim necessitate, inquit *Thom.*, subditi principibus iura sua exhibere tenentur ».

Neque vero omnibus magistratibus eadem sunt iura; regibus utique seu summis magistratibus omnia, quae quatuor sequentibus membris velut exempla proponuntur, deberi clarum est; inferioribus autem pro muneris dignitatisque ratione unum alterumve solum competit. Quare Apostolus quaedam singillatim enumerat, ut ex iis, quid aliis debeamus, ipsi diiudicemus. Ellipsis quatuor membrorum ex generali membro praemisso facile suppletur : in latino textu supplendum esse patet : cui tributum *debetis*, tributum *reddite* etc.; in graeco autem, in quo pro pronomine relativo habetur articulus, suppleatur oportet participium ἀπαιτοῦντι (ἀπαιτεῖν enim est i. q. *iure poscere*) : τῷ τὸν φόρον ἀπαιτοῦντι τὸν φόρον ἀποδότε κτλ (tributum *iure poscenti* tributum *reddite* etc.). Inter φόρον (*tributum*) et τέλος (*vectigal*) ea intercedit differentia, quod tributum pro capite aut fundis, vectigal pro mercibus importandis exportandisve solvatur; de inferioribus igitur magistratibus, de quaestoribus vel potius de quaestorum ministris et de publicanis seu teleonariis agitur, qui aliud sibi ius vindicare non possunt, nisi ut tributa et vectigalia a summis magistratibus imposita exigant. Duo alia membra ad superiores magistratus pertinent, quibus utique singularis quaedam reverentia (φόβον *timorem* hic idem esse quod εὐλάβειαν *reverentiam* graeci interpretes cum *Chrys.* recte adnotant) ac singularis quaedam observantia ob altiorem, qua insigniuntur, dignitatem debetur. Haud dissimili sensu sententiam nostram antiquus iam auctor videtur intellexisse quum dicit (*Constit. apostol.* VII. 16) : « *Regem*

vereberis (φοβηθήσῃ) sciens a Deo eum esse constitutum; magistratus eius *honorabis* (τιμήσεις) tamquam sacros Dei ministros (λειτουργοὺς Θεοῦ); quibus grato animo exsolvite *vectigal* (τέλος), *tributum* (φόρον) omneque stipendium impositum (καὶ πᾶσαν εἰσφοράν) ».

4. — *Caritas, qua tota lex impletur, semper et nunc quam maxime colenda est* (13,8-14).

13,8. ***Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. 9. Nam : Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces : et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11. Et hoc scientes tempus : quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam quum credidimus. 12. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. 13. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus, et ebrietatibus : non in cubilibus, et impudicitiis : non in contentione, et aemulatione : 14. sed induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.***

13,8. Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀλλήλους ἀγαπᾶν. ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωσεν. 9. τὸ γὰρ Οὐ μοιχεύσεις, Οὐ φονεύσεις, Οὐ κλέψεις, Οὐκ ἐπιθυμήσεις, καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολή, ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ ἀνακεφαλαιοῦται· Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. 10. ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ ἐργάζεται· πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη. 11. καὶ τοῦτο εἰδότες τὸν καιρόν, ὅτι ὥρα ἤδη ὑμᾶς ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι· νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. 12. ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν. ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, ἐνδυσώμεθα δὲ τὰ ὅπλα τοῦ φωτός. 13. ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἔριδι καὶ ζήλοις. 14. ἀλλὰ ἐνδύσασθε τὸν κύριον Χριστὸν Ἰησοῦν, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας [1].

1. *VV. LL.* — 9. οὐ κλέψεις, οὐκ ἐπιθυμήσεις (non furaberis, non concupisces), alio membro non interiecto, B A D E F G L, sat multi minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de doctr. christ. I. 30,32; *S. Ambr.* in Ps. 118. serm. 22,21; *A*[cr] etc.), *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Tolet.*) *Syr.* (codd.) *Sah.*; sed *textus rec.* : οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις, οὐκ ἐπιθυμήσεις (*non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces*) cum ℵ P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum *Demid. Harl.* et iunioribus) *Syr. Memph. Arm. Aeth.*; si testes ponderantur. prior lectio videtur praeferenda. — ὡς σεαυτόν (*sicut teipsum*) B ℵ A D E, multi minusc.; eodem sensu *textus rec.* : ὡς ἑαυτόν cum F G L P et plerisque minusc. — 10. ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ ἐργάζεται (caritas *proximo* malum non operatur) est communis lectio graec. codd. et versionum. exceptis latinis (*It. Vulg.*), quae minus apte genetivum exhibent : *dilectio proximi malum non operatur.* — πλήρωμα οὖν (*plenitudo ergo*) B ℵ A E L. plerique minusc. et PP.. *It.* (cfr *S. Aug.* de grat. et lib. arb. 17,33 etc.) *Vulg. Syr.* (codd.) *Goth. Copt.*; minus recte : πλήρωμα δέ (plenitudo *autem*) D F G, *It.* (cfr *S. Aug.* in Ps. 31 enarr. n. 5 etc.) *Aeth.*, aut : πλήρωμα γάρ (plenitudo *enim*) aliqui minusc., *It.* (cfr *A*[cr]) *Syr.* (codd.). — 11. ὑμᾶς ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι (*vos* de somno surgere) B ℵ A C P. paucissimi minusc., sed *textus rec.* : ἡμᾶς ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι (*nos de somno surgere*) cum D E F G L, plerisque minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*

Ab obedientia magistratibus debita S. Paulus ad caritatem inculcandam revertitur. Antea quidem (12,9-21) eam iam commendavit, sed nunc addit, ab ea colenda fidelibus desistere non licere, quia hac dilectione Lex tota impleatur (*v.* 8), omniaque decalogi mandata uno caritatis praecepto summatim contineantur (9. 10); eo magis autem eam nunc colendam esse, quoniam diem Domini iam instare sciant (11. 12[a]). Unde ad hortationem transiens eos in totius sectionis epilogo acriter urget, ut omnibus pravis operibus depositis piam vitam secundum Christi doctrinam agant (12[b]-14).

8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Asyndete iterum (cfr 12,9; 13,1) quartam hanc expositionem exorditur, sed dubium non est, quin eam praecedenti arcte subiungat, quoniam prioribus suis verbis (μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε) primum superioris sententiae praeceptum generale (ἀπόδοτε πᾶσιν τὰς ὀφειλάς) forma negante repetit ac denuo inculcat. Neque tamen veram ac propriam habemus illius membri repetitionem; etenim ibi dativus πᾶσιν (*omnibus*) ad solos magistratus contextu restringitur, hic autem dativum μηδενί (*nemini*) de omnibus omnino hominibus intelligendum esse, membrum alterum ostendit, quo mutuae caritatis, ad quam omnes erga omnes obligantur, debitum perpetuum esse neque unquam exstingui scite et acute insinuatur. Nam omnia, quae cuicumque debeamus, nos accurate et integre solvere iubens Apostolus declarat, nos debita iustitiae ita persolvere posse, ut ad nihil ultra teneamur (*nemini quidquam debeatis*); generalis autem huius praecepti exceptionem statuens (*nisi ut invicem diligatis*) officia caritatis eiusmodi esse significat, ut ab iis nunquam nos liberare possimus. Quamquam igitur illa solvimus, semper manebimus debitores caritatis exhibendae, « quam, inquit *S. Aug.* (ad Sever. epist. 110,1), tanto magis debemus, quanto amplius impenderimus ». Continuam ergo postulat dilectionem proximi, sicut etiam S. Petrus praecipit, ut « ante

Goth.; ob versionum auctoritatem lectionem alteram priori, quamvis antiquiorum codd. consensu commendatae, praeferimus. — 12. ἐνδυσώμεθα δέ (induamur *autem*) B A C D E P. *Copt. Goth.*; sed *textus rec.* melius : καὶ ἐνδυσώμεθα (*et induamur*) cum ℵ F G L. omnibus minusc., *It. Vulg. Arm. Aeth.*; parum recte : ἐνδυσώμεθα οὖν (induamur *ergo*) solus *Syr.* — τὰ ὅπλα τοῦ φωτός (*arma lucis*) est communior lectio codd. et omnium versionum; soli A D F cum paucis minusc. : τὰ ἔργα τοῦ φωτός (*opera lucis*). — 13. μὴ ἔρισιν καὶ ζήλοις (non in contentionibus et aemulationibus) solus B cum *It.* (cfr *S. Ambr.* l. c. etc.) et *Sah.*: cum reliquis testibus lege : μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ (*non in contentione et aemulatione*). — 14. τὸν κύριον Χριστὸν Ἰησοῦν (*Dominum Iesum Christum*) omnes testes praeter B. qui solus legit : τὸν Χριστόν Ἰησοῦν (Iesum Christum). — εἰς ἐπιθυμίας (in desideria) B ℵ D E L P. omnes fere minusc.; vicina est lectio : εἰς ἐπιθυμίαν (in desiderium) A C et aliqui PP.; longius recedunt F G cum *It.* et *Vulg.* legentes : ἐν ἐπιθυμίαις (*in desideriis*).

omnia inter nos caritatem *continuam* (ἀγάπην ἐκτενῆ) habeamus » et « simplici ex corde nos invicem diligamus *continuo* » (ἐκτενῶς pro quo *Vulg.* minus recte : *attentius* cfr 1 *Petr.* 4,8; 1,22).

Egregie nostrum in locum *Thom.* : « Sunt quaedam debita, a quibus homo nunquam potest se absolvere, et hoc contingit dupliciter : uno quidem modo propter excellentiam beneficii, cui aequivalens recompensari non potest, sicut Philosophus dicit de honore, qui exhibetur Deo vel parentibus; altero modo propter causam debendi, quae semper manet, vel etiam propter hoc, quod illud quod redditur non exhauritur sed in reddendo semper crescit. Propter has causas debitum dilectionis fraternae ita solvitur, ut semper debeatur; primo quidem quia dilectionem proximo debemus propter Deum, cui sufficienter recompensare non possumus (1 *Ioan.* 4,21); secundo quia dilectionis causa semper manet, quae est similitudo naturae et gratiae (*Eccli.* 13,19); tertio quia caritas in diligendo non deficit sed proficit (*Phil.* 1,9). Ideo dicit : *nisi ut invicem diligatis,* quia scilicet dilectionis debitum ita semel redditur, ut tamen semper maneat sub debito praecepti ». Ultimam rationem clarius *Dion.* exprimit » quia dilectio, quotiescumque alteri impenditur, permanet iugiter praecepta ». Idem recte quoque addit, « per dilectionem hic intelligi omnes actus virtuosos, quos unus alteri debeat », ita ut obiici nequeat, nos praeter amorem etiam honorem etc. aliis semper debere.

Cur vero « debitum hoc (fraternae caritatis) et quotidie solvere et semper debere nobis expediat » (*Orig.*) Paulus explanat addens : *qui enim diligit proximum* (vel uti iuxta graecam lectionem τὸν ἕτερον *S. Aug.* de gr. et lib. arb. 17,34 etc. legere solet : *alterum*), *legem implevit* (πεπλήρωκεν). Eo ipso igitur, quod aliquis *alterum* hominem (i. e. proximum suum, quicumque et qualiscumque est, sive propinquus sive extraneus, sive amicus sive inimicus, sive fidelis sive infidelis) iuxta divinam voluntatem sicut se ipsum *diligit,* non solum caritatis praeceptum implet, sed totam *legem* iam *implevit,* quoniam fieri nequit, ut perdurante dilectione mandata reliqua mosaicae Legis, de qua proxime agitur (cfr *v.* 9), non impleantur; unde pro impletis merito iam habeantur oportet[1]. Eodem modo (*Gal.* 5,14) « totam legem in uno hoc sermone : Diliges proximum tuum sicut te ipsum, impletam esse » (πᾶς ὁ νόμος... πεπλήρωται) dicit. Ad quem locum cum *S. Aug.* adnotavimus, ex duobus praeceptis dilectionis, Dei et proximi, ab Apostolo solum secundum nominari eoque impleto reliqua omnia mandata impleta dici, quia vera proximi dilectio absque Dei dilectione non habeatur, sed eam necessario supponat ac sua sponte ex ea profluat; namque

1. Perfectum pro praesente vel potius pro futuro haud raro adhibetur, ubi summa rei certitudo indicanda est (*Beelen* Gramm. p. 291 sq.; *Winer* Gramm. p. 256 sq.); cfr 4,14; 14,23; 1 *Cor.* 13,1; *Ioan.* 3,18 etc.

« ex una eademque caritate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum » (*S. Aug.* de Trin. VIII, 8,12; — cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 576 sq.; *Comm.* in 1 Cor. *p.* 392. 397).

Similiter nostrum in locum *Thom.*, quum sibi ipsi obiecerit, iuxta Dominum in *duobus* praeceptis dilectionis Dei et proximi totam Legem et Prophetas pendere (*Matth.* 22,40), Apostolum ergo minus accurate locutum esse, respondet : « Dicendum est, quod dilectio illa proximi ad caritatem pertinet et Legem implet, qua proximus diligitur propter Deum; et ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu. Dicitur enim : Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum (1 *Ioan.* 4,21); et e converso dilectio proximi includitur in dilectione Dei, sicut effectus in causa, unde dicitur : Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odio habet, mendax est (ibid. *v.* 20). Et hinc est, quod in S. Scriptura quandoque fit mentio solum de dilectione Dei, quasi sufficiat ad salutem (*Deut.* 10,12), quandoque autem solum de dilectione proximi (*Ioan.* 15,17) ». Quodsi iuniores nonnulli ad difficultatem illam non tam solvendam quam evitandam, praeeunte *Cai.*, Apostolum eam solam Legis partem, quae officia iustitiae erga proximum continet, dilectione fraterna impletam dicere arbitrantur, non satis attendunt, in loco parallelo (*Gal.* 5,14) *totam* Legem diserte nominari. A vero autem moderni nonnulli acath. plane aberrant, qui Paulum de mosaicae Legis, utpote quam alibi abrogatam esse fidelesque non amplius obligare asserat, impletione hic loqui potuisse negant (*Weiss* etc.). Nusquam enim moralia Legis mosaicae praecepta, quae pleraque decalogo continentur, abrogata esse neque amplius fideles ad suam impletionem obligare docet; contra vero ubique eorum obligationem supponit, licet utique asserat, fideles non amplius esse sub Legis dominio, quum eis iam praesto sit gratia, qua adiuti eam implere possint (cfr ad 6, 14; 7,1 sqq. etc.).

Totam porro Legem moralem ab eo, qui proximum diligit sicut se ipsum, revera impleri inductionis argumento probat : 9. *nam* (illud τὸ) *Non adulterabis, Non occides, Non furaberis,* (*Non falsum testimonium dices*), *Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc uno verbo instauratur* (melius graecum ἀνακεφαλαιοῦται cum *S. Aug.* ad Hieron. epist. 167 n. 16 redditur : *recapitulatur,* i. e. *repetitur et summatim comprehenditur*) : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (cfr *Levit.* 19,18). Utrum octavum mandatum (*non falsum testimonium dices*) cum *Vulg. Clem.* et graeco *textu rec.* inseramus, an cum antiquioribus graecis latinisque testibus praetermittamus (cfr *VV. LL.*),

per se nihil interest. Illo enim membro, quo enumerationem terminat (*et si quod est aliud mandatum*), Apostolus completam enumerationem sibi curae non fuisse satis declarat, assertum igitur suum de omnibus decalogi praeceptis et de aliis similibus, qualia ex. gr. *Levit.* 19,9-18 habentur, eodem modo valere. In mandatis autem recensendis ordinem decalogi (*Exod.* 20,13 sqq.; *Deut.* 5,17 sqq.) sequitur, nisi quod sextum (*non adulterabis*) primo in loco ponat quintoque (*non occides*) praemittat, id quod similiter *Luc.* 18,20 (text. gr.) et *Marc.* 10,19 (at non item *Matth.* 19,18) fecerunt. Cuius inversionis nonnulli eam afferunt rationem, quod Paulus « de adulterio fugiendo imprimis Romanos putaverit admonendos ». At de admonendis Romanis hic non agitur atque simplicius rectiusque dicemus, eum aeque atque Lucam et Marcum suorum codicum alexandrinorum ordinem secutos esse. Nam satis multa exemplaria versionis alexandrinae, inter quae duo antiquissima (B ℵ), in utraque decalogi recensione, uti etiam *Philo* (de decal. 12. 32 etc.) et *Clemens Alex.* (Strom. VI. 16 *M.* 9,377), eandem duorum praeceptorum inversionem exhibent.

Mirum videri potest, quod sola praecepta negativa Paulus enumeret, quamvis is qui proximum vere diligit affirmativa quoque sit impleturus; neque enim tantum ea, quae nobis ab aliis fieri nolumus, eis facere prohibemur (*Tob.* 4,16), sed etiam ea, quae nobis fieri volumus, eis facere iubemur (*Matth.* 7,12). Ac profecto omnia praecepta ad dilectionem referuntur, quum teste Apostolo finis Legis sit caritas (1 *Tim.* 1,5); uti negativa nos ab ea violanda retinent, ita affirmativa nos ad eam exercendam, augendam, perficiendam adducunt. Nihilominus ex solis negativis hic argumentari voluit idque ideo, ut videtur, quia negativa affirmativis universaliora recte existimantur, ita ut ex eorum observatione, utpote continua et universali, clarius cognoscatur, nos semper mutuae caritatis debitum (*v.* 8) agnoscere. Namque singulis temporis momentis negativa mandata erga omnes homines impleri debent, neque ullo momento ullam iniuriam cuiquam inferre licet; affirmativa vero, quamvis nos semper obligent, non nisi data occasione impleri possunt, neque singulis temporis momentis actio praecepta a nobis exigitur (cfr *Thom.* etc.)..

Paucis deinde verbis praecedentem sententiam repetit, ut manifestior sit conclusio, quam ex ea derivare vult: 10. *dilectio proximi* (vel iuxta graecam lectionem τῷ πλησίον accuratius: *proximo*) *malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio* (πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη). In priore membro nomen *dilectio* (ἡ ἀγάπη) per prosopopoeiam pro ipso diligente ponitur; eius sensus autem evidens est. Quoniam uno enim dilectionis fraternae mandato omnia decalogi ac Legis universae prae-

cepta compendiose summatimque sunt contenta, fieri plane nequit, ut is qui hoc unum vere observat proximo ullam iniuriam inferat; e contra omni qua potest ratione illius, sicut suum ipsius, bonum promovere studet. Etenim caritas iuxta Apostolum *utilis est* (χρηστεύεται cfr ad 1 *Cor.* 13,4), quia diligens omnia quae habet bona cum aliis libentissime communicat. Unde sua sponte sequitur, *dilectionem esse Legis impletionem* (πλήρωμα), uti illius est finis (1 *Tim.* 1,5), idque eo magis, quia simul ad singula eius praecepta observanda nos impellit atque efficit, ut eadem perfecte ac fructuose impleamus. Omnia videlicet nostra in caritate fieri Paulus vult (cfr 1 *Cor.* 16,14), siquidem deficiente caritate opera nobis non prosunt (cfr 1 *Cor.* 13,1 sqq.). Cum plerisque πλήρωμα (*plenitudo*) hic idem quod πλήρωσις (*impletio*) valere censemus; addendum tamen videtur, Paulum nomen hoc, quamvis illa significatione rarius usurpetur, ideo hic elegisse, ut in dilectione omnia quae Lex postulat iam impleta inveniri insinuaret (cfr *v.* 8 qui enim *diligit, Legem iam implevit*), dilectionem ergo esse quasi « Legem impletam » seu Legis impletionem iam factam.

Postquam assertum suum, mutuae caritatis debitum nunquam exstingui sed semper solvendum esse, quasi per parenthesin vel digressionem quandam (*vv.* 8ᵇ-10) explicavit confirmavitque, ad totum praeceptum ab initio *v.* 8 propositum revertitur, ut illud fidelibus ob temporis quo degunt rationem diligentissime observandum esse moneat : **11.** *et hoc* (καὶ τοῦτο), *scientes tempus* (εἰδότες τὸν καιρόν), *quia hora est iam nos de somno surgere* (ἐγερθῆναι). Antiquiores Latini plurimi, quum ad primigenium textum non attenderent, pronomen *hoc* (τοῦτο) ad nomen *tempus* (τὸν καιρόν) erronee traxerunt (cfr *Abael. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.); sed graecum καὶ τοῦτο, quod *Theod.* hic καὶ μάλιστα (et maxime) apte interpretatur, latino *idque* (i. q. *et praesertim*) omnino respondet, quo aliquid ad aggravandam augendamque sententiam addi solet (cfr 1 *Cor.* 6,6. 8; similiter καὶ ταῦτα cfr *Hebr.* 11,12). Hoc autem in loco ad initium *v.* 8. immediate referatur oportet (μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀλλήλους ἀγαπᾶν, καὶ τοῦτο εἰδότες τὸν καιρόν), neque opus est, ut cum nonnullis ellipsin statuamus imperativumque suppleamus (καὶ τοῦτο ποιεῖτε εἰδότες τὸν καιρόν et hoc *facite* scientes tempus). Quamvis autem iuxta nostram constructionem καὶ τοῦτο non minus quam participium εἰδότες cum imperativo ὀφείλετε grammatice connectenda sint, sensu tamen utrumque ob contextum, qui de continua caritate exhibenda potissimum agit, ad alteram praecepti partem (εἰ μὴ τὸ ἀλλήλους ἀγαπᾶν) iure merito trahitur, ita ut significetur : mutuae caritatis debitum continuo solvite, et id quidem praesertim, quia cognitam habetis (εἰδότες) temporis rationem.

Quam vero temporis rationem lectoribus suis cognitam esse supponat, Paulus explicat epexegetice addens, horam iam de somno surgendi advenisse. Quibus in verbis eum metaphora *somni* ethnicam infidelitatem impietatemque non designare evidens est, quum non tantum fideles alloquatur sed etiam iuxta probatiorem lectionem (hora est iam *nos* de somno surgere cfr *VV. LL.*) semetipsum dormientibus quasi adiungat. Statum potius socordiae et ignaviae ergo vel, si mavis, tepiditatis cuiusdam designat, in quem etiam apostolico tempore haud paucos fideles post primum fervorem relapsos esse ex omnibus fere eius epistolis satis constat. Lectores igitur hominibus assimilat, qui ex alto gravique sopore, quo antea tenebantur, excitati iterum leviter obdormiscunt neque tamen sui conscientiam plane iam amiserunt; eos enim scire dicit, horam surgendi iam advenisse. Unde totius sententiae sensus est, nunc praesertim mutuam caritatem esse colendam, quia temporis quo degunt ratio postulet, ut omnis iam excutiatur somnolentia et socordia. « Quia verisimile erat, inquit *Chrys.*, illos ab initio, vigente nempe primo illorum desiderio, studiosiores fuisse, tempore autem procedente totum illorum ardorem emarcuisse, contrarium faciendum esse monet; neque enim procedente tempore languescere licet, sed vires magis sunt exserendae ».

Cur autem nunc praesertim caritas, qua tota Lex impletur, omni excussa tepiditate sit colenda, sequens sententia declarat : *nunc enim propior est nostra salus* (vel iuxta graecum textum : νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία accuratius, ut videtur, et melius : *nunc enim propius a nobis abest salus*), *quam quum credidimus* (ἐπιστεύσαμεν); 12. *nox praecessit* (rectius cum multis codd. latinis : *processit* προέκοψεν), *dies autem appropinquavit*. Quae in verba iterum bene *Chrys.* : « Quando regis instat adventus, tunc magis nos apparemus oportet; quanto propinquius est bravium, tanto magis ad certamina nos excitare debemus; id enim et cursores faciunt, qui ad curriculi terminum appropinquantes bravio iam vicini nervos enixius contendunt ». Atqui bravium, ad quod fidelibus anhelandum est, *salus* eaque completa est, quae in secundo Christi adventu eis continget, quando a mortuis gloriose resurgent, ut corpora quoque eorum mortalia et corruptibilia immortalitatem et incorruptionem induant (1 *Cor.* 15,53). Tam cito autem tempus transvolat, ut ab eo momento, quo Evangelium praedicari coeptum est et Apostolus pariter ac primi epistolae lectores fidem receperunt (ἐπιστεύσαμεν *credidimus* i. q. credere incepimus cfr ad 10, 14 p. 559 *n.*), haud parva pars spatii, quo ab ultimi iudicii et universalis resurrectionis die separantur, iam praeterierit et salutem completam eis nunc viciniorem esse Paulus iure merito dixerit. Quin etiam id

eo rectius dicere potuit, quia singulis ad bravium illud merendum salutemque suam operandam non nisi breve vitae tempus concessum est, quo peracto ad Christum iudicem pervenient, ut ab eo ad praecipuam bravii partem iam admittantur et in beatifica Dei visione securi et quieti mercedis suae complementum, i. e. corporis redemtionem (8, 23), exspectent. Porro uti priore, ita etiam altero membro, quo similitudine somni resumta *noctem processisse, diem autem appropinquasse* dicit, ob temporis, quod eis ad mercedem acquirendam supersit, brevitatem socordiam negligentiamque omnem deponendam esse monet. *Nocte* enim huius saeculi tempus tenebris ignorantiae et caligine peccatorum obscuratum, *die* autem futuram vitam salutemque completam designat, qua beati post mortuorum resurrectionem in claritate Dei perpetuo fruentur. Attamen nox illa, quae a protoparentum lapsu initium sumsit, Christo redemtore adveniente ad finem vergere coepit, ita ut fideles nunc quasi sub aurora degentes pleno diei, quem Christus iudex adventurus adducet, viciniores sint. Bene *Herv.*, quamvis latinam lectionem minus accuratam claramque (nox *praecessit*) sequatur: « Qui *post discessum noctis* non iam venisse sed *appropinquasse diem* insinuat, procul dubio ante solem post tenebras adhuc *auroram esse* demonstrat. Nondum enim in splendore suae claritatis apparuit sol iustitiae, Christus, sed iam vicinus eius instat adventus; et ideo nondum perfectum diem, sed adhuc diluculum et auroram habemus. Vita enim fidelium, quae in hoc saeculo et in hac carne ducitur, in comparatione vitae infidelis et impiae non irrationabiliter quidem lux et dies appellatur; verum in comparatione illius diei, quo aequales angelis facti videbimus Deum sicuti est, adhuc nox est ».

Quam interpretationem *Herv.* a *S. Greg. M.* (Moral. XXIX. 2,2-4) mutuatus est, eandem autem vel plane similem, ut totum praesentis vitae tempus nocti, aeternam vero beatitudinem diei Apostolus assimilaverit, inde a Patrum aetate longe plerique tenent (cfr *Orig. S. Basil.* in Is. 13,9, *Chrys. Mopsu. Theoph. Euth.* etc.; *S. Aug.* ad Hesych. ep. 199 n. 22, *Haym. Herv. Thom*[1]. etc., *Cai. Est. Iust. Nat. Picon*[1]. etc., *Reith. M Ev. Beel. Bisp. Ag. Sch.* etc.). Parum recte autem pauci cum *Theod.* (« noctem vocat tempus ignorantiae, diem autem tempus post adventum Domini ») tempus incarnationem Christi praecedens velut noctem tempori praesenti, quod Evangelii sole illustretur, opponi arbitrantur (cfr *S. Cypr.* de zelo et liv. 10; *S. Ambr.* in Ps. 45 enarr. 14 et de sacram. V. 26, *S. Aug.* expos. n. 76, *Prim. Sed.* etc., *Lap. Nat*[2]. *Mai.* etc.); alii quidam aetatem Legis, quae futura bona umbris figurarum tegebat, nocti comparari censent, diei autem tempus gratiae per Christum allatae (*Thom*[3]. *Lyr. Dion.* etc., *Tol. Nat*[3]. etc.); alii demum statum culpae et ignorantiae atque statum gratiae et spiritualis intelligentiae inter se opponi coniiciunt (cfr *A*[er]: « noctem veterem hominem significavit, qui per baptismum innovatus est,... prius enim ignorantes Christum in tenebris eramus; at ubi didicimus, lux in nobis exorta est », *Lomb. Thom*[2]. etc.). Omnes enim istae explicationes neque genuinae lectioni graecae (ἡ νὺξ προέκοψεν,

quae noctem non *praecessisse*, i. e. iam transiisse, sed *processisse*, i. e. adhuc perdurare, ad finem autem vergere significat, neque contextui satis congruunt.

Cum multis acath. etiam nonnulli moderni cath. (cfr *Mai. Bisp.*) ex *vv.* 11. 12 colligunt, Paulum secundum adventum Christi iam prope instare erronee putasse. Quam temere ac falso hic error Apostolo affingatur, saepe iam demonstravimus (cfr *Comment.* in 1 *Cor. pp.* 151. 200. 310; *Comment.* in 2 *Cor. pp.* 131. 146 sq. etc.), ita ut pauca tantum hic addere opus sit. Quomodo aliquis sibi persuadere possit, in nostra epistola eum erroneam illam opinionem supposuisse aut secutum esse, profecto nos non intelligere fatemur. Praeprimis enim nihil aliud hic asserit, nisi fideles saluti completae viciniores iam esse diemque, quo illam consecuturi sint, appropinquasse; id quod, uti iam adnotavimus, eo maiore cum iure urgere potuit, quia singulis dumtaxat exiguum reliquae vitae spatium supererat, ut ad eam sese praepararent. Deinde sicuti Corinthiis scribens varias fore aetatis christianae periodos declaravit (cfr *Comment.* in 1 *Cor. p.* 283 sq.) et Thessalonicenses diem Domini nondum instare diserte docuit (cfr 2 *Thess.* 2,1 sqq.), ita Romanis mysterium de gentium Israelisque plenitudine in Ecclesiam ingressura revelans (cfr ad 11,25 p. 611 sq.) apertissime, opinor, significavit, eos ad completam salutem non tam cito esse perventuros. Sibi ipsi igitur diserte contradixisset suamque ipsius doctrinam destruxisset, si hoc in loco adventum Christi iudicis iam vicinum esse supposuisset. Itaque eadem plane ratione, qua Dominus ipse iudicii universalis, cuius diem et horam nemo praeter patrem sciret, descriptione Apostolos omnesque, qui per eos crediturі erant, ad continuam vigilantiam exhortatus est, ne dies Domini sicut fur in nocte adveniens eos nondum praeparatos inveniret (cfr *Matth.* 24,36 sqq.; *Luc.* 21,34 sqq.), Paulus futurae resurrectionis completaeque salutis commemoratione Romanos ad socordiam omnem tepiditatemque excutiendam exhortatur. Quamvis enim dies et hora, qua illius participes fient, ab eis ignoretur, dubium tamen non est, quin quotidie ad illam appropinquent, neque minus certum est, haud multum temporis eis reliquum esse, quo illam cum gratia cooperantes sibi merere possint.

Eandem retinens similitudinem Apostolus lectores epistolae directe iam exhortatur, ita tamen ut se ipsum quasi includens communicativa quae dicitur orationis forma verba satis aspera quae dicturus est quodam modo mitiget : *abiiciamus* (melius : *deponamus* ἀποθώμεθα[1]) *ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis.* « Quando videmus noctem, inquit *Chrys.*, ad diluculum properare et canentem iam audimus hi-

1. Latinus interpres pro ἀποθώμεθα (ab ἀποτίθεσθαι *deponere* cfr *Eph.* 4,22. 25; *Col.* 3,8 etc.) probabiliter legit ἀπωθώμεθα (ab ἀπωθεῖσθαι *a se depellere* cfr 11,1. 2; 1 *Tim.* 1,19 etc.), nisi forte cum D E in suo codice habuerit ἀποβαλλώμεθα. Ceterum consueta lectio graeca aptior videtur, quia Apostolus *opera tenebrarum* hic velut noctis indumenta considerat, quae mane *deponuntur*.

rundinem, alter alterum excitamus, licet nox nondum abscesserit. Quando vero in eo est ut abeat, urgemus nos invicem dicentes: Iam dies est, et diurna opera aggredimur, assumtis vestibus, excussis somniis somnoque depulso, ut nos paratos dies inveniat, ac solis radiis nondum exortis surgere incipimus et manus operi admovere. Quod in saecularibus rebus facimus, id etiam nunc faciamus (in vita spirituali): phantasias deponamus, a praesentis vitae somniis nos liberemus, somnum excutiamus, et pro vestimentis induamur virtute: haec omnia B. Apostolus postulat dicens: deponamus opera tenebrarum et induamur arma lucis ». *Opera tenebrarum* vocantur peccata (cfr *v.* 13), non tantum quia in tenebris perpetrari solent et ab hominibus quantum fieri potest occultantur (cfr *Iob* 24,13; *Ioan.* 3,20), sed etiam quia ex luce gratiae neglecta exoriuntur (*Eph.* 5,11), huic saeculo rectoribus tenebrarum subiecto conveniunt (*Eph.* 6,12) et ad aeternas tenebras adducunt. *Arma lucis* autem, i. e. arma (ὅπλα) quae advenienti regno lucis congruunt, non tam sunt bona opera (cfr *Theod. A^ter^ Pel.* etc., *Herv. Thom.* etc., *Tol. Est. Picon.* etc., *Beel. MEv. Ag.* etc.), quam ipsae « virtutes et dona S. Spiritus, quae animum roborant ac defendunt contra insidias daemonis et contra iacula vitiorum » (cfr *Dion*) quibusque tenebrarum regnum impugnatur ac debellatur (cfr *Chrys. Theoph. Euth.* etc., *Haym. Abael. Lyr.* etc., *Reith. Mai. Bisp.* etc.), et quae ab Apostolo alibi fusius describuntur (cfr 1 *Thess.* 5,8; *Eph.* 6,11 sqq.; 2 *Cor.* 10,4 sqq.). Bona enim opera ornamentis vel vestimentis lucis rectius quam armis assimilari videntur. Haud sine ratione autem haec metaphora, licet praecedenti nomini proprio (*opera tenebrarum*) minus apte opponatur, electa recte dicitur, quoniam vitam fidelium debere esse continuam militiam clarius significat.

Utrumque monitum Paulus sequentibus *vv.* 13. 14 diligentius exponit ac primo quidem quae *tenebrarum opera* intellexerit exemplis illustrat: 13. *sicut in die honeste* (εὐσχημόνως) *ambulemus, non in comessationibus* (μὴ κώμοις) *et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis* (μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις), *non in contentione et aemulatione* (vel eodem quidem sensu sed minus recte, ut videtur: *non in contentionibus et aemulationibus* cfr *VV. LL.*). Quia nocte iam progressa ante solis ortum fideles vivere significavit (*v.* 12), apte eos exhortatur, ut *sicut in die* (ὡς ἐν ἡμέρᾳ), i. e. quasi iam plenus dies advenerit, vivant. Quid vero velit, adverbio εὐσχημόνως accuratius explicat, quod secundum suam etymologiam (εὖ et σχῆμα) idem valet quod *pulchre ac decore* neque tam id quod dumtaxat *honestum* est, quam illud quod splendore ac decore insigne ac *perfectum* est designat (cfr ad 1 *Cor.* 7,35). Ad decorem quippe homines per diem maxime attendunt ideoque eo tem-

pore ab iis se abstinere solent, quibus decor ac pudor modestiaque violantur, a *comessationibus et ebrietatibus*, i. e. ab omnibus gulae vitiis (de accurata nominis κώμου *comessationis* vel *comissationis* significatione cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 584), a *cubilibus et impudicitiis*, i. e. ab omni luxuriae libidinisque specie (κοίτη *cubile* enim hic *concubitum* cfr ad 9,10 eumque *illegitimum* cfr *Sap.* 3,13. 16, ἀσέλγεια autem effrenem *luxuriam* cfr ad *Gal.* 5,19 significat), a *contentione et aemulatione*, vel uti alii legere malunt a *contentionibus et aemulationibus* (de quorum nominum significatione cfr ad 1 *Cor.* 3,3; 2 *Cor.* 12,20; *Gal.* 5,20).

Altero deinde membro brevissime declarat, quid *armorum lucis* nomine intellexerit : 14. *sed induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis* (vel potius : *in desideria* seu in libidines εἰς ἐπιθυμίας cfr *VV. LL.*). Baptismo utique neophyti iam induunt Christum, i. e. in eum transformantur, ita ut eiusdem cum illo formae facti quasi *alteri Christi* sint neque quidquam in eis appareat nisi quod sit Christi (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 516 sq.). Hanc autem conformitatem cum Christo continua virtutum eius imitatione fideles quotidie non tantum conservare sed etiam augere oportet; unde eum semper denuo induere recte dicuntur. « Dicitur autem, inquit *Thom.*, induere Christum, qui eum imitatur; quia sicut homo continetur vestimento et sub eius colore videtur, ita in eo qui Christum imitatur opera [vel rectius : mores ac virtutes] Christi apparent; per hoc ergo *induimur arma lucis*, quando induimur Christum ».

Hoc monito, quo omnia officia vitae christianae continentur, Paulus exhortationem terminare potuit. Ad illud tamen *non in comessationibus* etc. respiciens addendum censuit, eam debere nos habere carnis curam, qua prava desideria non excitentur (vel iuxta Vulgatam : quae inordinata desideria non sequatur). *Carnis* nomine hic proxime quidem corpus designatur, quod utpote mortale sustentatione per cibum etc. indiget, simul vero sensualitas inferioresque animae facultates intelliguntur (cfr ad 7,18), quae lascivire incipiunt, si carni nimis indulgetur. Itaque Apostolus, « sicut non bibere, sed inebriari, neque uxorem ducere sed libidinose vivere prohibuit, ita neque curam gerere corporis prohibet, sed *ad concupiscentias* (εἰς ἐπιθυμίας) tantum, ne necessitatem praetergrediamur » (*Chrys.* cfr *S. Greg. M.* Moral. XXX. 18, 61-63, qui fuse haec verba exponit).

§ 2. — *De infirmis in fide suscipiendis sustinendisque* (14,1-15,13).

Cum caritatis, quae Legis est plenitudo, commendatione (12,9 sqq.; 13,8 sqq.) nova tractatio arcte connexa est, qua S. Paulus, ut discordiam, quam in ecclesia romana variae de ciborum maxime distinctione opiniones provocarant, componat concilietque, id quoque ad genuinum amorem fraternum pertinere demonstrat, ut in rebus per se indifferentibus Christiani varietatem sententiarum toleranter ferant, illi autem praesertim, qui fide sint firmi, imbecilliores suos fratres, omni eorum scandalo studiose vitato, benigna cum indulgentia tractent. Inter romanos enim neophytos duas fuisse quasi classes ex nostro loco apparet, quum alii ob contaminationis metum ab omni carnium vinique usu sese abstinerent certosque dies sollicitius observarent, alii nullum omnino ciborum dierumque discrimen agnoscerent (cfr 14,2 sq. 5 sq. 20 sq.). Priores, quos Apostolus *infirmos in fide* (ἀσθενοῦντας τῇ πίστει 14,1. 2) seu *invalidos* (ἀδυνάτους 15,1) appellat, plerosque ex Iudaeochristianis, alios vero *firmiores* (seu validos τοὺς δυνατοὺς 15,1), quos inde a 14,13 solos alloquitur, qui igitur numero plures praecipuam ecclesiae partem constituisse iure censentur, fere omnes ex Ethnicochristianis fuisse, sententia inde a Patrum aetate communis tenet, idque recte. Nam Paulus ipse infra (15,7 sqq.), ut firmiores ad infirmos suos fratres suscipiendos permoveat, eis in memoriam revocat, Iudaeos propter divinas quas acceperant promissiones proprio quodam iure, gentiles vero, quia eiusmodi promissionibus careant, ex sola divina misericordia in Ecclesiam esse admissos.

Cur vero infirmi Iudaeochristiani illam vivendi rationem sibi adoptandam esse duxerint, diserte quidem non tradit; lenitate tamen et indulgentia, qua cum eis agit aliosque agere vult, satis ostendit, eos a iudaizantium illorum opinionibus longe abfuisse, quos tamquam Evangelii adversarios et destructores, quia mosaicae Legis iugum et ipsi retinere et gentilibus imponere, ut perfecti ac genuini fierent filii Abrahae, volebant, tam acriter aliis in epistolis impugnat (cfr *Gal.* 1,6 sqq.; 3,1 sqq.; 5,4 sqq. etc.). Nihilominus haud pauci antiquiores et moderni (cfr *Orig. Chrys. Theod.* etc., *A*ter *Prim*2. *Haym. Herv. Thom.* etc. *Cai. Est. Nat.* etc., *Beel. M Ev. Dr. Ag.* etc.) eos ita egisse

putant saltem ob reverentiam quandam antiquae Legis, quam ceu divinam a pueris venerari didicerant atque nunc quoque a Christianis ierosolymitanis sedulo observari (*Act.* 21,20) sciebant. At Legis mosaicae ne levissima quidem in toto tractatu invenitur mentio, ritus autem, quos infirmi tenebant, non erant mosaici. Neque enim omnium, sed immundorum tantum animalium carnes Lex vetabat (*Lev.* 11,2 sqq.; *Deut.* 14,3 sqq), atque vini usum omnibus concedebat, solis exceptis nasiraeis (*Num.* 6,2) et sacerdotibus in templo ministrantibus (*Lev.* 10,9). Arbitrarie autem cum *Chrys.* nonnulli coniecerunt, infirmos sibi omnium carnium usum interdixisse, ne a sola porcina sese abstinentes pro Iudaeis haberentur; revera Apostolus aliam abstinentiae rationem eis fuisse indicat (14,14). Haud minus arbitrarie multi moderni acath. eos suam vivendi rationem a Neopythagoreis (cfr *Eichh.* etc.) aut ab Ebionitis (cfr *Baur* etc.) aut ab Essenis (cfr *Seml. Ew. Ritschl, Mey. Weiss* etc.) transumsisse arbitrantur. Rectius sentire existimo Patres nonnullos, qui eos sabbatha et festa quidem religiose iuxta Legem celebrasse, sed a carnibus et vino se abstinuisse tenent, « ne vel nescientes inciderent in ea, quae idolis sacrificabantur; omnis enim tunc immolatitia caro in macello vendebatur, et de primitiis vini sui libabant gentiles simulacris suis et quaedam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant » (*S. Aug.* expos. n. 78; cfr *Clem. Alex.* Paed. II. 1. *M.* 8,392 sq.; *S. Basil.* reg. brev. tract. 64, *Pel. Primas*[1]. *Sed.*). Iuniores modernique aliqui hanc explicationem cum prima, quam exposuimus, coniungere malunt (cfr *Tol. Iust. Lap. Reith. Mai. Bisp. Sch.* etc.); sed quo cum iure id fiat, non video, quum sola sufficiat. Addi tamen licet, severiorem vel potius scrupulosiorem interpretationem decreti apostolici, quo Ethnicochristiani *ab idolothytis et sanguine et suffocato* sese abstinere iubebantur (*Act.* 15,29), aliquid contulisse, ut infirmi Iudaeochristiani in suo idolothytorum sanguinisque horrore confirmarentur et aliqui Ethnicochristiani sollicitiores eundem adoptarent. Quoniam enim vix fieri posse videtur, ut sanguis a carnibus plane separetur, admodum mirum non est, quod timidiores completam carnium vinique abstinentiam sibi imposuerint.

Quidquid de ultima hac coniectura est, qua Pauli indulgentia ac lenitas erga infirmos illos facilius explicari videtur, similis procul dubio quaestio hic agitatur et in priore epistola ad Corinthios (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 218 sqq.). Eadem utroque in loco est Apostoli clementia atque eadem quoque cum prudentia et sollicitudine praecavet, ne aut infirmorum scrupulositatem timiditatemque augeat aut libertatem christianam, quam firmiores iure sibi vindicabant, ultra iustos limites extendi permittat. Accuratius tamen Corinthiis, a quibus hac de re

interrogatus erat, totam quaestionem exponit atque rationes simul explicat, quibus idolothytorum usum per se non esse malum demonstratur (1 *Cor.* 8,1-7 etc.). In nostra autem epistola, dogmaticis his considerationibus praetermissis, id unum sectatur, ut infirmos firmioresque in pristinam concordiam reducat. Quamobrem primum utrosque exhortatur, ut ab iniquis iudiciis sibi temperent solique Deo iudicium relinquant, coram cuius tribunali suae quisque vitae rationem sit redditurus (14,1-13^a). Firmiores deinde rogat, ut non tantum ab infirmis suis fratribus scandalizandis diligenter caveant (14,13^b-23), sed etiam Christum non sua quaerentem imitati illos benigne sustineant ac suscipiant (15,1-13).

1. — *Ab invicem se diiudicandis infirmi firmioresque caveant* (14,1-13^a).

14,1. ***Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum.*** 2. ***Alius enim credit se manducare omnia : qui autem infirmus est, olus manducet.*** 3. ***Is qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non iudicet : Deus enim illum assumsit.*** 4. ***Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statuere illum.*** 5. ***Nam alius iudicat diem inter diem : alius autem iudicat omnem diem : unusquisque in suo sensu abundet.*** 6. ***Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat : gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.*** 7. ***Nemo enim nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur.*** 8. ***Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.*** 9. ***In hoc enim Christus mortuus est, ut et mortuorum et vivorum dominetur.*** 10. ***Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.*** 11. ***Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu : et omnis lingua confitebitur Deo.*** 12. ***Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*** 13. ***Non ergo amplius invicem iudicemus...***

14,1. Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. 2. ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. 3. ὁ ἐσθίων τὸν μὴ ἐσθίοντα μὴ ἐξουθενείτω· ὁ δὲ μὴ ἐσθίων τὸν ἐσθίοντα μὴ κρινέτω· ὁ Θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο. 4. Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει· σταθήσεται δὲ, δυνατεῖ γὰρ ὁ Κύριος στῆσαι αὐτόν. 5. ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν· ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω. 6. ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν Κυρίῳ φρονεῖ. καὶ ὁ ἐσθίων Κυρίῳ ἐσθίει· εὐχαριστεῖ γὰρ τῷ Θεῷ· καὶ ὁ μὴ ἐσθίων Κυρίῳ οὐκ ἐσθίει καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ. 7. οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ, καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει. 8. ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ Κυρίῳ ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν. ἐάν τε οὖν ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τοῦ Κυρίου ἐσμέν. 9. εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς ἀπέθανεν καὶ ἔζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ. 10. σὺ δὲ τί κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου; ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν ἀδελφόν σου; πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Θεοῦ. 11. γέγραπται γάρ· Ζῶ ἐγώ, λέγει Κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ ἐξομολογήσεται πᾶσα γλῶσσα τῷ Θεῷ. 12. ἄρα ἕκαστος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον ἀποδώσει. 13. μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν...[1].

1. *VV. LL.* — 2. ἐσθίει (manducat) communior est lectio codd. graec. et verss., quam

Prima sua sententia Apostolus Christianis illis, quibus postea (cfr 15,1) tamquam firmioribus perfectioribusque semet ipsum accenset, benignam indulgentiam erga fratres infirmiores praecipiens quasi inscriptione quadam principale totius huius tractatus argumentum indicat (*v.* 1). Verum ut ad illud explanandum viam sibi aperiat, antea utrosque ad concordiam exhortatur. Duplici enim quaestione, quae ecclesiae pacem haud levi periculo obiiciebat, paucis explicata cavere

ex Latinis sequuntur *Tert.* (de ieiun. 15 : *vescitur*) et *S. Hier.* (c. Iovin. II. 16 : *manducat*); minus apte : ἐσθιέτω (*manducet*) D F G, *It. Vulg. Arm.* — 3. ὁ δὲ μὴ ἐσθίων (qui *autem* non manducat) B ℵ A C D, paucissimi minusc., *Goth.*; sed *textus rec.* : καὶ ὁ μὴ ἐσθίων (*et qui non manducat*) cum E L P, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Sah. Aeth.*; particulam omnem omittit *Memph.*; ob versionum auctoritatem lectio nostra melius retinetur. — 4. δυνατεῖ γάρ (potest enim) B ℵ A C D F G; eodem sensu *textus rec.* : δυνατὸς γάρ ἐστιν (*potens est enim*) cum L et omnibus minusc. — ὁ Κύριος (Dominus) B ℵ A C P *It.* (cfr *S. Aug.* c. Adim. 14,2) *Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Goth. Aeth.*; sed *textus rec.* : ὁ Θεός (*Deus*) cum D E F G L, omnibus fere minusc. et PP., *It.* (cfr *S. Aug.* de mor. Manich. II. 14,32, *A^ter* etc.), *Vulg. Syr.* (codd.). — 5. ὃς μὲν κρίνει (alius quidem iudicat), coniunctione γάρ omissa, B D E F G, plerique minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* c. Adim. l. c., *Orig. int.* etc.) *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; minus apte : ὃς μὲν γὰρ κρίνει (*nam alius* quidem *iudicat*) ℵ A C P, pauci minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de mor. Manich. l. c. *A^ter* etc.) *Vulg.* — 6. ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν Κυρίῳ φρονεῖ (*qui sapit diem, Domino sapit*) sine additamento B ℵ A C D E F G, paucissimi minusc., *It. Vulg. Copt. Aeth.*; ex interpolatione, ut videtur, *textus rec.* addit : καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν Κυρίῳ οὐ φρονεῖ (et qui non sapit diem, Domino non sapit) cum L P, plerisque minusc., *Syr. Arm.* — καὶ ὁ ἐσθίων (*et qui manducat*) est communis lectio, a qua *textus rec.*, coniunctione καὶ omissa, male recedit cum paucis minusc. — 9. Χριστὸς ἀπέθανεν καὶ ἔζησεν (Christus mortuus est et vixit) B ℵ A C, aliqui PP. gr. (cfr *S. Cyr. Ieros.* Catech. 15,24; *S. Cyr. Alex.* Glaph. *M.* 69.93. 148 etc.) *It.* (cfr *Orig. interpr.*) *Copt. Arm. Aeth.*; similis est altera lectio : Χριστὸς ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη vel ἀνέζησεν (*Christus mortuus est et resurrexit* vel *revixit*) F G, aliqui PP. gr. (cfr *Orig.* c. Cels. II. 65 etc., *S. Cyr. Alex.* in Soph. n. 37 etc.), *It.* (cfr *A^ter* *Pel.* etc.) *Vulg.*; attamen *textus rec.* : Χριστὸς ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη καὶ ἀνέζησεν vel ἔζησεν (Christus mortuus est et resurrexit et revixit, vel : et vixit) cum L P, omnibus fere minusc., *Syr.* (codd.); demum alii : Χριστὸς ἔζησεν καὶ ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη (Christus vixit et mortuus est et resurrexit) D E, *It.* (cfr *S. Iren. int.* c. haer. III. 18,2; *S. Aug.* de mor. Manich. l. c.; sed idem c. Adam. l. c. nihil habet nisi : « Christus mortuus est, ut mortuorum et vivorum dominetur »). In hac lectionum varietate nostram iure retinemus. — 10. τῷ βήματι τοῦ Θεοῦ (ante tribunal *Dei*) B ℵ A C D E F G, paucissimi minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de mor. Manich. II. 14,32, *Orig. int.*, *A^ter* etc.) *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Harl. Tolet.* etc.) *Copt. Arm.* etc.; sed *textus rec.* : τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ (*ante tribunal Christi*) cum L P, omnibus fere minusc. et multis PP. gr., *It.* (cfr *Pelag.*), *Vulg. Clem.* (cum iunioribus codd.) *Syr. Goth.* Utra lectio praeferatur, per se parum interest; ob testium tamen auctoritatem et etiam ob contextum equidem priorem praeferendam censeo. — 12. Item parum interest, utrum λόγον ἀποδώσει (rationem *reddet*) an λόγον δώσει (rationem *dabit*) legatur; cum plerisque tamen testibus addatur oportet τῷ Θεῷ (*Deo*), quae verba a B F G et nonnullis latinis PP. minus apte omittuntur.

eos iubet, ne alii alios iniquis iudiciis lacessant (2-5). Quod monitum ut corroboret, praeprimis iudicia illa esse iniusta docet, quia utrique suam agendi rationem eo consilio sequantur, ut Christo Domino placeant (*v.* 6); Christo enim cuncti fideles vivere ac mori debent (*vv.* 7.8), utpote qui morte sua supremum vivorum ac mortuorum dominium sibi acquisiverit (*v.* 9). Deinde soli Deo iudicium competere addit (*vv.* 10. 11), coram cuius tribunali suarum ipsius tantum actionum rationem unusquisque redditurus sit (*v.* 12). Unde sua sponte derivatur conclusio, mutua iudicia diligenter eis esse vitanda (*v.* 13[a]).

Ab omnibus neophytis romanis, quibus caritatem mutuam ob temporis quo degerent conditionem maiore cum diligentia servandam esse inculcavit, Paulus ad eos se convertit, qui praecipuam ecclesiae illius partem constituebant, ut singulare quoddam amoris fraterni officium eis commendet : 1. *infirmum autem in fide* (τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει (eum autem qui respectu fidei infirmatur) *assumite, non in disceptationibus cogitationum* (iuxta graecum : μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν melius : *non ad diiudicationes cogitationum* vel opinionum). Particulam δέ (*autem*) hic non esse adversativam, sed metabaticam, satis clarum videtur. Parum apte enim sententia nostra a *Chrys.* etc. praecepto negativo immediate praecedenti, quo immoderata carnis cura vetatur, et a *Thom.* positivo praecepto opponitur, quo neophyti Christum induere iubentur; a generali potius caritatis praecepto (13,8-10) oratio ad speciale quoddam traducitur.

Porro in locutione *infirmus fide* (ἀσθενῶν τῇ πίστει) nomen *fidei* diversimode explicatur; aliis enim hic (simili modo ac 4,19) est virtus theologica, qua divinam revelationem assensu mentis amplectimur, ita ut infirmus fide dicatur aut ille, « qui in aliqua parte fidei dubitat neque perfecte credit, sicut credendum est » (cfr *Haym.*) vel « qui nondum perfecte credit, quod fides Christi sine legalibus ritibus sufficiat ad salutem » (*Thom.* cfr *Herv.* etc.), aut ille, qui fidem suam non tamquam unicam agendi normam sequi audet, sed in suis actionibus interdum rationibus a fide alienis regitur. Aliis autem fides est ipsa doctrina revelata, et infirmus fide ille, « qui de lege catholica minus sufficienter est instructus » (cfr *Lyr.*) vel « qui de beneficio Christi et de libertate per eum adepta nondum ita instructus et persuasus est, ut ea uti audeat » (*Est.* cfr *Dion. Cai. Tol. Iust. Nat. M Er. Weinh.* etc.). Accuratius tamen moderni plerique ad *vv.* 22. 23 attendentes, ubi fides sine ullo dubio dictamen conscientiae actionem quandam velut licitam permittens designat [1], hic quoque fidem significare

1. Cfr *Thom.* ad *v.* 23 : « Potest hic fides dupliciter accipi, uno modo de fide quae est

dicunt persuasionem de rebus homini christiano licitis vel illicitis, atque re saltem nihil aliud esse quam *conscientiam*, quo nomine Paulus alibi de eodem idolothytorum argumento tractans utitur; nulla enim adest ratio, cur nomen fidei alio significatu hic, alio *vv.* 22. 23 usurpatum dicatur. Unde infirmus fide est ille, qui infirma conscientia (cfr 1 *Cor.* 8,7. 12 συνείδησις ἀσθενής vel ἀσθενοῦσα) laborans de licitis illicitisque non recte sentit eaque, quae vetita non sunt, pro vetitis habet (cfr *Klee Reithm. Mai. Beel. Bisp. LR. Dr.* etc.).

Quamvis autem Apostolus fidei infirmitatem, de qua loquitur, hic nondum definierit, dubium tamen non est, quin in hoc iam praecepto scrupulosos illos neophytos intelligat, quorum agendi rationem statim expositurus est, qui scilicet ob erroneam conscientiam metuentes, ne idolothytis contaminarentur, a carnium vinique usu penitus se abstinebant et cum Iudaeis sabbatha, neomenia etc. celebrare pergebant. Hos ergo a firmis vel potius validis, quorum persuasio de licitis et illicitis, utpote cum evangelica praedicatione consonans, sana erat et recta, *assumi* (προσλαμβάνεσθαι) vult, idque non ad agapas tantum celebrandas, uti moderni nonnulli interpretantur, neque proxime ad eos corrigendos vel erudiendos, uti antiquiores haud pauci interpretati sunt, sed in quotidianam consuetudinem ac familiaritatem. Quid enim verbo προσλαμβάνεσθαι significare voluerit, ex *v.* 3 et 15,7 elucet, ubi Deus et Christus neophytos assumsisse, i. e. in suam amicitiam recepisse secumque coniunxisse dicuntur (cfr etiam *Ps.* 26,10; 65,5 etc.); itaque firmi infirmis amice familiariterque uti eosque velut genuinos fratres amare, honorare, tractare iubentur.

Verum ne infirmi absterreantur, Apostolus addit : *non ad diiudicationes cogitationum;* ita enim eos recipi vult, ut firmi de eorum cogitationibus neque iudicium sibi arrogent neque sententiam ferant, sed eos suas opiniones, licet erroneae sint, sequi patiantur. Egregie *S. Aug.* (expos. n. 78), qui in suo codice legit : in *diiudicationibus* cogitationum, membrum hoc explicat : « ne diiudicemus cogitationes eius, quasi ferre audeamus sententiam de alieno corde, quod non videmus ». Multi quidem cum *Vulg.* graecum διακρίσεις latino *disceptationes* vel *disputationes* reddere malunt, acsi id unum vetetur, ne firmi cum infir-

virtus, alio modo secundum quod fides dicitur conscientia; et hae duae acceptiones non differunt nisi secundum differentiam universalis et particularis. Id enim quod universaliter fide tenemus, puta usum ciborum esse licitum vel illicitum, conscientia applicat ad opus quod est factum vel faciendum ». Melius et clarius cum aliis *Est.* ad *v.* 23 : « Itaque fides hic accipitur, quomodo proxime et in superioribus ostendimus eam accipi, videlicet secundum materiam subiectam, ut sit persuasio, qua quis credit aut existimat, aliquid sibi esse licitum » (vel illicitum). Similiter iuniores plerique ad *v.* 23, quamvis ad *v.* 1 alias sententias sequantur.

mis de eorum opinionibus disputent; at διάκρισις, licet apud profanos interdum disputationem significet, hoc sensu in Novo Test. non invenitur (cfr 1 *Cor*. 12,10; *Hebr*. 5,14; saepius non legitur), et in sequentibus de iniquis iudiciis quidem, quae utique contemtu externe manifestantur, at non de disputationibus agitur.

Priusquam hoc praeceptum, quod ad solos firmos pertinet, diligentius explicet, Paulus quaestiones, de quibus Romani inter se dissentiebant, explanandas duxit, ut hac occasione etiam infirmos a fratribus suis diiudicandis et condemnandis averteret. A ciborum autem distinctione exorditur (2-4), quae praecipua ut videtur dissensionis causa fuit, ut deinde (*v*. 5) dierum discretionem obiter tantum commemoret. 2. *Alius enim credit se manducare omnia* (cum *S. Aug*. c. Adim. 14,2 et *S. Hier*. c. Iovin. II. 14 lege : *alius quidem credit manducare omnia* ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα); *qui autem infirmus est*, *olus manducet* (cum *Tert*. de ieiun. 15., cum *S. Hier*. c. Iovin. II. 14 etc. lege : *manducat* ἐσθίει).

Obscurior neque satis accurata est versio, quam *Vulg. Clem*. exhibet. Atque primum quidem particulam causalem (*enim*) immerito inseruit, quia nostra sententia neque probandae vel confirmandae neque explicandae praecedenti inservit. Deinde pro simplici infinitivo (credit *manducare* πιστέυει φαγεῖν) haud recte atque etiam contra fidem meliorum codicum (*Fuld. Amiat*. etc.) habet accusativum cum infin. (credit *se manducare*). Etenim verbum πιστεύειν (i. q. πίστιν ἔχειν fidem habere) hic, eodem modo ac nomen πίστις in praecedente praecepto, de practica persuasione conscientiae usurpatur. Infinitivus φαγεῖν autem, uti saepius infinitivus post verba dicendi vel credendi (cfr *Beelen* Gramm. p. 324; *Winer* Gramm. p. 302; *Buttmann* Gramm. p. 235), non id exprimit, quod est vel fit, sed id quod facere licet; unde antiquiores verbum ἐξεῖναι (licere) per ellipsin omissum esse putarunt. Hinc prioris membri sensus est : Alius (ille nimirum cuius conscientia sana est et valida) persuasum habet sibi licere omnia (i. e. quaevis) manducare, vel etiam : fiduciam habet quaevis manducandi, vel iuxta *Tert*. (l. c.) interpretationem : « credit omnia manducanda esse ». Demum *Vulg. Clem*. in altero membro pravam lectionem graecam secuta (cfr *VV. LL.*) coniunctivum *manducet* (ἐσθιέτω) pro indicativo *manducat* (ἐσθίει) erronee posuit. Neque enim in hac sententia praecipitur, quid faciendum sit, sed enarratur id, quod in ecclesia romana tunc fiebat; sicut in priore membro firmorum, ita in altero infirmorum ratio vivendi describitur, qui ob infirmam videlicet suam conscientiam metuentes, ne idolothytis contaminarentur, iis solis vescebantur, quae idolis offerri non solebant, i. e. oleribus. Ex ipsa oppositione inter *quaevis manducare* et

olera manducare elucet, infirmos Romanos ab omnibus semper carnibus sese abstinuisse.

Quaestionis statui exposito Apostolus praeceptum subiungit : 3. *is qui manducat* (ὁ ἐσθίων), *non manducantem* (τὸν μὴ ἐσθίοντα) *non spernat; et qui non manducat, manducantem non iudicet; Deus enim illum assumsit* (προσελάβετο). Nomine τοῦ ἐσθίοντος firmum, cui promiscue quaevis manducare sibi licere persuasum est, et nomine τοῦ μὴ ἐσθίοντος infirmum, qui ab omnibus carnibus sibi abstinendum esse putat, hic designari contextus docet. Bene autem Paulus prohibet, ne prior alterum *spernat* (ἐξουθενεῖν i. q. *nihili facere*) neve alter priorem *iudicet* et condemnet (κρίνειν cfr ad 2,1). Facile quippe fieri potuit, ut firmus infirmum pro homine scrupuloso et superstitioso haberet, ad cuius opiniones utpote erroneas, quin etiam stultas ac ridiculas, attendere operae pretium non esset; quanta vero cum cura firmi ad eas attendere debeant, gravissima verba ostendunt, quibus Apostolus eos mox (*v.* 15 sqq.; cfr 1 *Cor.* 8,9 sqq.) allocuturus est. Similiter scrupulosi proniores esse solent ad iniquam et sinistram censuram agendam de omnibus, quae suae ipsorum cogitandi agendique rationi non consonant. Iure igitur infirmus firmum *iudicare*, i. e. tamquam hominem levem et impium, qui divinas leges non servet, vel etiam tamquam hominem gulae deditum condemnare vetatur. Quia autem Apostolus in hac tantum sectione infirmos instruit, secundo membro rationem addit, quae eos a fratribus suis diiudicandis et condemnandis retinere debeat. Id enim considerent oportet, quod *Deus illum* (sc. firmum) *assumserit*, i. e. in suam amicitiam, immo velut servum domesticum quodammodo in suam familiam receperit, vel iuxta *Chrys.* interpretationem « ineffabili gratia exornaverit et ab omni crimine absolverit ». Sunt quidem, qui pronomen αὐτὸν (*illum*) ad utrumque, ad manducantem simul et ad non manducantem, referri censeant, ut utrique praecepti membro confirmatio addatur (cfr *Mai.* etc.), aut qui totam sententiolam *Deus illum assumsit*) per hyperbaton ad prius membrum trahant (cfr *Est.* etc.), ut infirmus a Deo assumtus dicatur; sed neutrum apte fieri evidens est.

Nam sequens quoque sententia, licet *Chrys.* eam nescio cur de firmo intelligat, ad solum infirmum spectat, siquidem Apostolus, uti ex eius verbis clare apparet, eum solum alloquitur, quem fratres suos *iudicare* vetuerat : 4. *tu quis es, qui iudicas alienum servum* (ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην)? *Domino suo* (melius et fortius : *proprio domino* seu hero τῷ ἰδίῳ κυρίῳ) *stat aut cadit; stabit autem, potens est enim Deus* (ὁ Θεός, vel *Dominus* i. e. Christus ὁ Κύριος cfr *VV. LL.*) *statuere eum* (στῆσαι αὐτὸν i. e. efficere ut stet, seu eum stabilire). Magna cum vi, quam

compellationis forma (τὸ τίς εἶ; cfr ad 9,20) non parum auget, arrogantiam infirmi de fratre suo iudicantis castigat. Legitimus servorum iudex non est nisi eorum herus, idque quam maxime valet de servis illis, qui ad domestica servitia electi eandem cum hero domum incolunt et quasi membra familiae eius habentur. Ad aggravandum igitur argumentum suum Paulus nomen οἰκέτης (servus domesticus cfr *Act.* 10,7; *Luc.* 10,13; 1 *Petr.* 2,10), quo alibi numquam usus est, hoc in loco praetulisse recte dicitur. Atqui proprius Christianorum herus est Christus Dominus (cfr v. 6 sqq.); in illius ergo iura invadit summaeque insolentiae reum se facit, quicumque fratrem suum, *servum alienum*, iudicare audet.

Quod ut clarius appareat, Apostolus similitudinem pluribus exsequens monet, omnia quae servus agit ad herum proxime pertinere in eiusque utilitatem aut damnum cedere, ad eum ergo etiam approbationem vel reprobationem actionum servi sui spectare. Itaque soli Domino, et non homini, cognitio et iudicium competit, utrum aliquis e Christianorum numero *stet*, i. e. in christiana fide et pietate perseveret (cfr ad 1 *Cor.* 10,13; 2 *Thess.* 2,14; 1 *Thess.* 3,8 etc.), an *cadat*, i. e. peccando ex pristino suo pietatis statu delabatur; nam « sive stat sive cadit, utrumque ad Dominum spectat, cuius est damnum, servo cadente, et lucrum, servo stante et perseverante[1] » (*Chrys.* cfr *Theod. Theoph. Euth.* etc., *Herv. Thom. Cai. Tol. Iust.* etc., *Mai. Beel. L R. Weinh.* etc.). Minus apte alii verba *stare* et *cadere* sensu forensi sumunt, ut stare dicatur, qui in iudicio absolutus causa vincit, cadere autem, qui condemnatus causam perdit: « Hoc est domino suo stare aut cadere, a domino absolvendum esse aut condemnandum » (*Est.* cfr *Thom*?. *Lap. Nat. Picon. Bisp. M Ev. Ag.* etc.). Licet enim proximum membrum (*stabit* vel *stabilietur autem* σταθήσεται δέ), quo Paulus disiunctionem suam quasi corrigens omne dubium de firmi quaevis manducantis bono statu removet (i. q. divina gratia adiuvabitur, ut in pietate perseveret), haud inepte etiam de absolutione in iudicio intelligi possit, nullo tamen modo haec interpretatio ad alterum membrum (*potens est enim Deus statuere illum*) quadrat. Neque enim pro

1. Gloriam nimirum Christi auget homo, si cum gratia cooperans perseverat, iniuriam autem Christo infert, si gratiis neglectis aut repulsis peccat. Ceterum *Thom.*, qui nomine *Domini* hic Deum designari minus recte censet, bene adnotat : « Loquitur Apostolus secundum similitudinem hominis servi, ad cuius dominum pertinet omne quod circa servum agitur. Neque tamen intelligendum est, quod *Deo* [scil. in se spectato] aliquid proficiat vel noceat, si homo stet aut cadat (cfr *Iob* 35,6. 5); sed quantum ad homines [scil. ad externam Dei gloriam apud homines] id quod recte agimus ad gloriam Dei spectat (cfr *Matth.* 5,16); quod autem cadimus peccando, est hominibus occasio blasphemandi Deum (cfr 2,24) ». Similiter *Cai.* Dominum *Deum* intelligens inter internam et externam gloriam distinguit.

sua potentia, sed pro sua misericordia ac iustitia Deus in iudicio absolvit aut condemnat, pro sua benignitate autem et potentia nobis gratias concedit, quibus confirmati perseverare possumus (cfr **2** *Cor.* **9,8**; *Eph*, **3,20**; **1** *Cor.* **1,8**; *Phil.* **1,6**; **2,13** etc.).

Complementi gratia addere hic liceat, quae S. Aug. et S. Thom. ex hoc loco de iudicio temerario colligunt. « Quod autem, inquit *S. Aug.* (expos. n. 79), dicit : *tu quis es qui iudices alienum servum ?* ad hoc dicit, ut in rebus, quae possunt et bono animo fieri et malo, iudicium Deo demittamus, neque audeamus de alterius corde quod non videmus ferre sententiam. In his vero rebus, quae ita comprehenduntur, ut eas bono et casto animo non posse fieri manifestum sit, non improbatur si iudicemus. Itaque hoc quod de cibis dicitur, quia ignoratur quo animo fiat, non vult nos esse iudices sed Deum; de illo autem nefario stupro, ubi uxorem patris sui quidam habuerat, praecepit debere iudicari (1 *Cor.* 5,1); non enim poterat ille dicere, bono animo se tam immane flagitium commisisse. Ergo quaecumque facta ita manifestantur, ut non possit dici : Bono animo feci, iudicanda sunt a nobis; quaecumque autem ita fiunt, ut quo animo fiant incertum sit, non sunt iudicanda sed reservanda iudicio Dei ». Plenius et accuratius *Thom.* : « Ex hoc loco sequi videtur, hominis iudicium de alio homine esse illicitum; sed dicendum est, quod in tantum hominis iudicium licitum sit, in quantum agitur auctoritate divinitus concessa (cfr *Deut.* 1,16 sq.); si quis vero velit sibi usurpare iudicium super ea, quae non sunt ei divinitus concessa ad iudicandum, est iudicium temerarium, sicut si quis iudex delegatus a Papa vellet transgredi mandati fines. Deus autem soli sibi reservavit iudicare occulta, quae praecipue sunt cogitationes cordium et futura. Et ideo si quis de his iudicare praesumserit, est iudicium temerarium. Unde *Augustinus* (de serm. Domini in monte 18,59-61) dicit : In his duobus est temerarium iudicium, quum videlicet incertum est, quo animo aliquid factum sit, vel incertum, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet ». Cfr ad 1 *Cor.* 4,5.

Sequitur altera dissensionis causa, quae obiter tantum attingitur, aut quia minus videbatur periculosa aut quia iuxta superiora facile diiudicari poterat : 5. (*nam*) *alius iudicat* (κρίνει) *diem inter diem* (cum *S. Hier.* c. Iovin. II. 16 melius : *diem plus quam diem*, vel etiam : *diem prae die* ἡμέραν παρ' ἡμέραν), *alius autem iudicat* (κρίνει) *omnem diem : unusquisque in suo sensu* (ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ) *abundet* (melius : *certus sit* πληροφορείσθω). Coniunctionem causalem (nam γάρ) hic non esse genuinam, testium criticorum, maxime antiquarum versionum, fide abunde constat (cfr *VV. LL.*). Revera quid in principio huius sententiae sibi velit, nemo facile dixerit, quoniam in superioribus nihil reperitur, cui confirmando vel illustrando seu explicando inservire possit. Asyndete potius haec quaestio sicuti prior (*v.* 2) affertur, ne quis eam cum priore arcte coniungat, acsi altera esset eius forma. Minus clara porro minusque accurata est nostra versio, quia non tantum in duobus prioribus membris graecum κρίνειν eodem modo ac *vv.* 3. 4 latino *iudicare* reddit, quamvis hic latino *aestimare* vel *probare* magis respondeat, sed etiam in primo membro comparativam

vim praepositionis παρά **plane neglexit (cfr 12,3** παρ' ὃ δεῖ *supra id* **quod oportet** vel *magis quam* oportet; *Luc.* 13, **2** ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας **peccatores** *prae* omnibus; *Hebr.* **1,9** ἔχρισέν σε... παρὰ τοὺς μετόχους **unxit te...** *prae* participibus tuis etc.). Duas enim **iterum classes distinguens** (ὃς μέν... ὃς δέ *alius quidem... alius autem*) **Paulus significat, alios ex fidelibus romanis** (scilicet fide infirmos) **dierum discrimen facere, quum unum diem prae** altero (seu unum **magis quam alterum) probent, i. e. digniorem** vel sanctiorem **habeant, alios vero (scilicet fide firmos)** omnem seu quemvis diem probare **eiusdemque dignitatis** vel sanctitatis ac reliquos aestimare. **Utram ex his duabus opinionibus ipse praeferat,** nec dicit nec insinuat; **sed quia de re agitur, quae per se indifferens est et** de qua nihil **eousque ab Ecclesia statutum erat, utrosque, et** qui discernunt et qui **non discernunt dies, in sua propria sentiendi** ratione (*in proprio suo sensu* ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ) **vult** *esse certos* (πληροφορεῖσθαι proprie *plenum fieri* **dicitur hic de eo, qui de re quadam plenam seu** certam habet scientiam **cfr 4,21;** *Col.* **4,12), ne cum conscientia practice** dubia agentes periculo **peccandi sese obiiciant** (cfr ad *v.* 23).

Sicut antea diximus, cum iunioribus modernisque fere omnibus tenemus, Paulum hic ad Iudaeochristianos maxime respicere, qui sabbatha ac neomenia et si qui alii eiusmodi fuerunt dies, quos a pueris sanctius celebrare assueverant, etiam post conversionem suam observare pergebant. Multo minus placet, quod antiquiores plerique coniecerunt, eum de diebus ieiunii vel potius abstinentiae loqui; arbitrantur enim, Romae nonnullos certis tantum diebus, alios autem omnibus diebus ab aliquibus cibis (sive idolothytis sive in Lege vetitis) sese abstinuisse (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A[ter] Haym. Herv. Thom.* etc.). Satis clare enim Apostolus duas quaestiones ita distinguit, ut eas in unam contrahere non liceat, ac mirum profecto esset, si quis Iudaeochristianus carnes porcinas, quas Lex absolute vetabat, aut idolothyta, quae decretum apostolicum absolute prohibuerat, certis tantum diebus sibi interdici putasset.

S. Aug. (expos. n. 80) latina sua versione (*alius quidem iudicat alternos dies*) in errorem est inductus. Namque verbum *iudicandi* eodem sensu ac *vv.* 3.4. sumens non de duabus hominum classibus sed de hominibus et de Deo agi sibi persuasit. Unde haec est eius interpretatio : « *Qui enim alternos dies iudicat*, homo est : potest enim hodie aliud, cras aliud iudicare, i. e. ut quemcumque hodie malum convictum confessumque damnaverit, cras bonum inveniat, quum se erexerit; contra quum aliquem iustum hodie laudaverit, cras inveniat depravatum. *Qui autem iudicat omnem diem*, Deus est, quia non solum qualis quisque sit, sed etiam qualis omni die futurus sit novit ». Quam interpretationem neque verbis neque contextui Apostoli ullo modo consonare, probatione non indiget.

Alterius quoque controversiae statu indicato S. Apostolus ad superius suum praeceptum, ne fideles ob diversa quae sequantur vitae instituta inter se contemnant aut condemnent (*vv.* 3. 4), revertitur, ut illud argumentis corroboret et inculcet. Primum igitur utrosque, et firmos et infirmos, si inique de fratribus suis iudicent, iniuste agere declarat, quia utrique suam vivendi rationem cum illa intentione teneant, quae sola Christianos decet (6-9). Quae vero utrorumque intentio sit, ostendit pergens : 6. *qui sapit diem* (ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν), *Domino sapit* (φρονεῖ), *et qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo; et qui non manducat, Domino non manducat et gratias agit Deo.* Graecum φρονεῖν τι (*Vulg.* : aliquid *sapere*) idem valet quod « rei alicuius studio teneri » (cfr ad 8,5; *Phil.* 3,19; *Col.* 3,2 etc.) atque hic verbo παρατηρεῖν (religiose *observare* seu celebrare cfr *Gal.* 4,10) respondere recte dicitur. Iuxta Apostolum ergo infirmus, qui diem prae die probat (*v.* 5), *illum diem* quem praeferendum arbitratur (τὴν ἡμέραν) velut sanctum *observat Domino,* i. e. propter Christum Dominum, ut ei placeat fidelemque se exhibeat eius servum. Per se quidem satis apte graecus *textus rec.* alterum membrum addit : καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν Κυρίῳ οὐ φρονεῖ (et qui non observat statum diem, propter Dominum eum non observat); ob criticorum tamen testium auctoritatem (cfr *VV. LL.*) rectius omittitur. Nam scioli librarii probabiliter est interpolatio, qui priorem versus partem posteriori exaequare voluit, at alteram de dierum discretione controversiam ab Apostolo negligi non animadvertit.

Itaque uno illo membro contentus Paulus ad praecipuam dissensionum causam revertitur, ut in hac maxime doceat, firmos infirmosque, quamvis diversum sequantur vitae genus, eadem bona intentione regi, qua se genuinos esse Christi servos probent. Namque eum *qui* quaevis *manducat* (ὁ ἐσθίων), i. e. firmum qui libertate per Christum acquisita utitur, ita agere dicit *propter Christum,* idque ex eo demonstrat, quod manducaturus de cibis sibi concessis *Deo gratias agat.* Christi nempe exemplum sequentes fideles cibum potumque, antequam manducarent, cum gratiarum actione benedicere solebant (cfr *Matth.* 15, 36; 26,26; *Marc.* 8,7 etc.; *Act.* 27,35; 1 *Tim.* 4,4 etc.); atqui fieri non posse iuremerito censet, ut firmus de carnibus Patri gratias referat, nisi persuasum ei sit, se earum manducatione voluntatem Christi non transgredi sed adimplere. Similiter eum *qui non* quaevis *manducat* (ὁ μὴ ἐσθίων), i. e. infirmum, qui a carnibus sibi abstinendum esse putat, solis oleribus vesci dicit *propter Christum* eumque, dum a carnibus abstinet, de cibis sibi datis *gratias agere Deo,* quia persuasum habeat, se per suam abstinentiam Christo obedire et placere. Utraque igitur precatio, qua

de sua quisque coena Deo gratias agit, utrumque sicuti pium erga Deum ita obedientem erga Christum esse demonstrat, ita ut neutrum aut condemnare aut spernere liceat. Antiquiores iunioresque vix non omnes nomine *Domini* hic Deum intelligunt, moderni autem plerique Christum; utraque explicatio per se apta est atque utramque sine ullo argumentationis detrimento tenere licet. Modernorum tamen explicationem praeferendam ducimus, quia ex *v.* 9 satis ni fallor elucet, Apostolum in tota hac pericope de Christi dominio loqui.

Omnes neophytos romanos, sive carnibus vescantur sive ab eis se abstineant, ea esse pietate, ut non nisi propter Christum suam vivendi rationem elegerint ac sequantur, Paulus in sua argumentatione pro certo supponit. Haud temere autem se illud supponere, ex eo iam confirmat, quod nemo esse possit Christianus, nisi vitam suam ac mortem ad Christum referat, cuius dominio sit plane subiectus: 7. *nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur;* 8. *sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* In oppositione ad hominem naturalem, qui a primo usque ad ultimum vitae momentum suam ipsius solam voluntatem sequitur, omnia ad semetipsum refert, in omnibus quae agit aut quae ei accidunt non nisi suam ipsius utilitatem, delectationem, gloriam quaerit, cum emphasi *nemo* ex numero Christianorum (*nemo nostrum* οὐδεὶς ἡμῶν) *sibi vivere* et *sibi mori* dicitur. Revera omnis vere Christianus, utpote fide edoctus, se non esse sui iuris sed servum Christi a quo emptus est pretio soluto (1 *Cor.* 6,20), totam vitam non ad suam ipsius utilitatem ac gloriam, acsi sibi ipse sit finis, verum ad Christi, cuius servus est, gloriam et utilitatem dirigit, atque in omnibus actionibus solam voluntatem Domini sui Christi sequi studet. Neque quisquam Christianus sibi moritur, i. e. mortem eaque quae mortem sequuntur ad suum ipsius usum et obsequium refert, ac si sui ipsius sit dominus, verum mortem quoque ad Dominum refert, ut eum et in morte ipsa et post mortem glorificet. Itaque Christianus vi ut ita dicamus naturae suae uti in vita ita in morte non suus est, sed Christi Domini, ut ei serviat eiusque gloriam et utilitatem promoveat.

Quam conclusionem Paulus morte ac resurrectione Christi comprobat: 9. *in hoc* (εἰς τοῦτο i. q. *in hunc finem*) *enim Christus mortuus est et resurrexit* (ἀνέστη vel: *revixit* ἀνέζησεν, vel *vixit* i. e. vitam recepit [uti *Apoc.* 20,4. 5] ἔζησεν cfr *VV. LL.*), *ut et mortuorum et vivorum dominetur,* ut nos ergo, sive vivamus sive moriamur, illius simus neque iam nobis ipsis sed illi vivamus ac moriamur. Similiter Corinthiis scripsit: « Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » (2 *Cor.* 5,15). Morte sua

supremum dominium sibi acquisivit (cfr *Phil.* 2,8 sqq. etc.) illoque potitus est (vel si mavis, illud exercere coepit cfr *Tol.*), quando post gloriosam resurrectionem sibi omnem potestatem in coelo et in terra datam esse discipulis annuntiavit. Recte autem hac sententia declarari dicitur (cfr *Tol. Est. Nat.* etc.), Christum, quamvis sit Dominus omnium hominum, peculiari ratione esse Dominum bonorum ac fidelium. « Hos enim non solum sibi subiecit (quod et malis ac reprobis ipsisque daemonibus commune est) verum etiam redimendo sibi servos, i. e. servientes et obedientes, fecit; neque solum pro tempore vitae praesentis, cuius fines excedere non possunt servitutes humanae, sed etiam et quidem multo perfectius pro saeculo futuro et nunquam terminando, de quo scriptum est (*Apoc.* 22,4 sqq.) : *et servi eius servient illi*, utique beata servitute, nam sequitur : et regnabunt in saecula saeculorum » (*Est.*). Aliquid miri in eo a nonnullis invenitur, quod quasi ordine inverso (cfr 2 *Tim.* 4,1; *Act.* 10,42; 1 *Petr.* 4,5) *mortuorum et vivorum* Christus dominari dicatur; verum hic ordo electus videtur, ut verbis praecedentibus *mortuus est et resurrexit* (vel *revixit*) accuratius responderet. Morte sua Christus mortem devicit eiusque regnum destruxit, ut ipse deinceps sit mortuorum Dominus, et resurrectione sua vitam reparavit, ut viventium dominetur.

Altero iam argumento Apostolus superius suum praeceptum (*v.* 3) ita corroborat, ut fideles simul ad severam rationem attentos faciat, quam de suis quisque actionibus aliquando sint reddituri (10-12). Namque nefas esse monet, homines inter se pares et insuper fraternae caritatis vinculo coniunctos alterum de altero iudicare, quia omnes Deum habituri sint iudicem : 10. *tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu* (vel iuxta graecum : ἢ καὶ σύ melius : *aut tu quoque*) *quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi* (τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, melius : *ante tribunal Dei* τῷ βήματι τοῦ Θεοῦ cfr *VV. LL.*). Apostolus ad *v.* 3 respicit; sua ergo compellatione et infirmum graviter reprehendit, qui fraternae caritatis immemor fratrem, qui libertate christiana utitur, velut hominem levem et impium divinae legis transgressorem iudicare et condemnare audet, et firmum, qui ipse quoque (ἢ καὶ σύ), quamvis utpote perfectior a fratribus iudicandis longius abesse debeat, infirmum fratrem superstitionis reum esse iudicat ideoque spernit.

Ratio autem duplicis reprehensionis eadem fere est, quae supra (*v.* 4) iam est indicata : sicuti enim solus infirmus vituperatur, quod de Christi servo iudicans sibi Christi auctoritatem arrogaverit, ita nostro in loco infirmus et firmus vituperantur, quod alter alterum iudicantes ius Dei iudicis violent, cuius iudiciariae potestati omnes sine

ulla exceptione sunt subiecti et ante cuius tribunal omnes aliquando sese sistent. Multi quidem cum graeco *textu rec.* et *Vulg. Clem.* hic quoque de Christo iudice agi volunt, idque eo magis, quia etiam alibi Paulus dicat : « Omnes nos manifestari oportet *ante tribunal Christi*, ut referat unusquisque propria corporis, quae gessit » (2 *Cor.* 5,10; cfr 1 *Cor.* 4,5). Verum haud recte; nam quamvis per se parum intersit, utrum legatur *ante tribunal Dei* an *ante tribunal Christi* (idem enim est Dei et Christi tribunal, siquidem Pater iudicaturus est mundum per Filium, cui omne iudicium commisit et potestatem dedit iudicium facere, quia Filius hominis est cfr *Ioan.* 5, 22. 27), priorem tamen lectionem velut genuinam retinendam esse una cum testium criticorum auctoritate etiam contextus docet.

Etenim ut omnes omnino homines ante illud tribunal comparituros esse demonstret, Apostolus verba *Is.* 45,23 allegat, quibus omnes (non Christum sed) Deum tamquam iudicem agnituros esse asseritur : **11.** *scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus quoniam* (ὅτι, hic melius : *quod*) *mihi flectetur omne genu et omnis lingua confitebitur Deo.* Alexandrinam versionem, quae toto suo sensu in hoc vaticinio a primigenio textu non dissentit, pro more secutus testimonium ex memoria potius quam ex codice satis libere affert, aliis omissis, quae ad suam rem non erant necessaria, aliis maioris claritatis gratia mutatis. Alexandrina haec habet : κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω (εἰ μὴν ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη, οἱ λόγοι μου οὐκ ἀποστραφήσονται), ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν Θεόν, « *per me iuro* (profecto egredietur de ore meo iustitia, verba mea non revertentur), *quod mihi flectetur omne genu et iurabit omnis lingua per Deum* », seu « et omnis lingua iurando invocabit testem Deum ». Apostolus igitur praeprimis pro Dei verbis apud prophetam : *per me iuro* formulam *vivo ego* posuit, qua Deus quasi ad hominum per eius vitam iurantium (« vivit Dominus » cfr 1 *Reg.* 14,39. 45; 19,6 etc.) exemplum aliquoties usus esse legitur (cfr *Num.* 14,21. 28; *Is.* 49,18 etc.). Bene autem de hac iurandi formula *Thom.* : « Iuramentum interdum in verbis Dei ponitur ad ostendendum, id quod dicitur immutabilitate divini consilii firmum esse, non autem mutabile, sicuti ea quae praenuntiantur secundum causas inferiores, uti vaticinia comminationis; unde dicitur : Iuravit Dominus et non poenitebit eum (*Ps.* 109,4). Homines autem *per maiorem sui iurant;* quia vero Deus non habet maiorem, in quo maior consistat firmitas veritatis, *per semet ipsum iurat* (*Hebr.* 6,13. 16); ipse autem est ipsa vita et fons vitae (*Deut.* 30,20; *Ps.* 35,10); et ideo forma iuramenti Dei est : *Vivo ego*, quasi diceret : iuro per vitam, qua ego singulariter vivo ». Totam deinde sententiam, quam uncis inclusimus

et qua Deus id, quod iuramento suo hic confirmat, utpote iustum et irrevocabile certissime eventurum esse asseverat, Paulus brevitati studens praetermisit. Formulam vero *dicit Dominus* ex suis inseruit, ut Dei verba a propheta referri indicaret. Gravior demum ultimi membri mutatio videtur, quum pro verbis καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν Θεὸν (*et iurabit omnis lingua per Deum*) positum sit : καὶ ἐξομολογήσεται πᾶσα γλῶσσα τῷ Θεῷ (*et confitebitur omnis lingua Deo*). Attamen « *iurare* est actus cultus divini (cfr *Is.* 19,18; 44,5), quia in iuramento per Deum facto Deus publice ac sollemniter agnoscitur tamquam numen omniscium, vindex mali, veritatis ac iustitiae amans etc., atque apud prophetam haec una cultus divini species ponitur pro quovis Dei cultu » (cfr *Knabenb.* Comment. in Isaiam II. p. 190). Itaque Apostolus, quum pro dictione *iurabit per Deum*, qua indirecte tantum significatur, perfectum cultum Deo exhibitum iri, alteram (*confitebitur Deo* i. e. celebrabit et laudabit Deum velut supremum suum dominum et iudicem) eligeret, qua idem directe declaratur, a genuino vaticinii sensu non recessit, sed eum clarius reddidit, ne testimonio explicationem addere cogeretur[1]. Ceterum ex prophetae loco apparet, verbum ἐξομολογεῖσθαι hic non usurpari *fatendi* significatione, ac si Paulus dicere velit : « omnis lingua confitebitur propria sua peccata Deo tamquam iudici suo » (*Oecum.* cfr *Chrys. Theoph. Euth.*, *Mai. Bisp.* etc. — *Rück. Reiche* etc.). Nam licet ἐξομολογεῖσθαι τὰς ἁμαρτίας vel τὰς πράξεις vel τὰ παραπτώματα significet *confiteri peccata* vel *actus* vel *delicta* (cfr *Matth.* 3,6; *Act.* 19,18; *Iac.* 5,16), nusquam tamen nudum verbum (sine accusativo) hanc significationem admittit.

Magna cum vi in allegato Isaiae loco certissime futurum esse asseritur, ut *omne* genu *Deo* flectatur et *omnis* lingua *Deo* confiteatur, i. e. ut omnes ac singuli cuiusvis gentis homines aliquando, sive voluntarii sive coacti, Deo tamquam supremo suo Domino plene sese subiiciant (genuflexio enim per metonymiam signi et signati subiectionem denotat) Deumque tamquam supremum suum Dominum agnoscant et profiteantur. Atqui supremus omnium Dominus eo ipso etiam supremus omnium iudex est, cuius est ab omnibus rationem reposcere cunctorum donorum, quae singuli per totam suam vitam ab eo acceperunt. Dei autem iuri rationis reposcendae respondet hominis offi-

1. Addamus oportet, eandem lectionem ἐξομολογήσεται ab alexandrinae quoque versionis codicibus nonnullis bonis (A etc.) exhiberi, ita ut plane improbabile non sit, Paulum eam iam in suo codice habuisse. Plerique quidem alexandrinos illos codices ex nostro loco eam transumsisse arbitrantur; notatu tamen dignum est, Apostolum etiam alibi (*Phil.* 2,10. 11), ubi isaiana verba nostra non allegat quidem, sed suo argumento libere accommodat, verbum ἐξομολογεῖσθαι, alia utique significatione, adhibere. Forsitan alexandrinus interpres in suo codice hebraico pro תִּשָּׁבַע (*iurabit*) legerit תְּשַׁבַּח (*laudabit*; cfr *Fritzsche*.

cium rationis reddendae, unde meritissimo ex verbis allatis Apostolus colligit : **12.** *itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Cuius sententiae singula fere verba peculiare habent pondus. Dicens enim *unusquisque nostrum,* quod praecedenti *omne* (genu) et *omnis* (lingua) respondet, Apostolus neminem officio rationis reddendae sese subtrahere posse declarat. Nomine deinde *Deo*, cui ultimum sententiae locum attribuit, non minore cum vi significat, huic soli iudicium competere. Demum *pro se* quemque rationem redditurum esse asserens indirecte fideles exhortatur, ut ab aliis iudicandis se abstineant, quorum vitae genus ac mores ad eos non spectent, sibique ipsis potius invigilent. Ad totam autem argumentationem suam respiciens particulam hanc terminat admonitione, ut omnes deinceps a temerariis iudiciis sibi caveant : **13.** *non ergo amplius invicem iudicemus.* Qua in sententia praesertim attende ad particulam μηκέτι (*non amplius*), qua haud obscure indicari videtur, Romanos infirmos et firmos eousque mutuis iudiciis temerariis indulsisse.

2. — ***Firmi sibi caveant, ne infirmioribus scandalo sint*** (14,13ᵇ-23).

14,13. Non ergo amplius invicem iudicemus, ***sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* 14. *Scio, et confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.*** 15. ***Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.*** 16. ***Non ergo blasphemetur bonum nostrum.*** 17. ***Non est enim regnum Dei, esca et potus : sed iustitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto :*** 18. ***qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.*** 19. ***Itaque quae pacis sunt, sectemur : et quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus.*** 20. ***Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda : sed malum est homini qui per offendiculum manducat.*** 21. ***Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.*** 22. ***Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.*** 23. ***Qui autem***

14,13. μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν, ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, τὸ μὴ τιθέναι τῷ ἀδελφῷ σκάνδαλον. 14. οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ, εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν. 15. εἰ γὰρ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, οὐκέτι κατὰ ἀγάπην περιπατεῖς. μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε, ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανεν. 16. μὴ βλασφημείσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθόν. 17. οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ : 18. ὁ γὰρ ἐν τούτῳ δουλεύων τῷ Χριστῷ εὐάρεστος τῷ Θεῷ καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις. 19. ἄρα οὖν τὰ τῆς εἰρήνης διώκομεν καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους; 20. μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. πάντα μὲν καθαρά, ἀλλὰ κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι· 21. καλὸν τὸ μὴ φαγεῖν κρέα μηδὲ πιεῖν οἶνον μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ. 22. σὺ πίστιν, ἣν ἔχεις, κατὰ σεαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτόν, ἐν ᾧ δοκιμάζει· 23. ὁ δὲ

discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

διακρινόμενος ἂν φάγῃ κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως· πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν[1].

13. *Non ergo amplius invicem iudicemus* (κρίνωμεν), *sed hoc iudicate* (κρίνατε) *magis* (lege : *potius* μᾶλλον), *ne ponatis offendiculum* (πρόσκομμα) *fratri vel scandalum* (ἢ σκάνδαλον). Eleganter Apostolus hac sententia a prima tractatus parte ad alteram transit; priore enim membro praeceptum hucusque explicatum, omnibus videlicet quum firmis tum infirmis abstinendum esse a mutuis iudiciis et condemnationibus, repetit atque altero ad solos iam firmos, qui praecipuam ecclesiae romanae partem constituebant, sese convertens praeceptum proponit, quod in sequentibus explanaturus est. Per antanaclasin autem (similiter ac *Iac.* 2,4) utroque in membro verbo κρίνειν (*iudicare*) utitur, quippe

1. *VV. LL.* — 13. τὸ μὴ τιθέναι τῷ ἀδελφῷ σκάνδαλον (ne ponatis fratri scandalum) B cum *Syr.* et *Arm.* Cum reliquis autem lege : τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον (*ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*). — 14. δι' ἑαυτοῦ (per se ipsum) B ℵ C, satis multi minusc.; reliqui graeci codd. aut δι' αὑτοῦ (*per se* ipsum) aut δι' αὐτοῦ (*per ipsum*) cfr *Comment.* — 15. εἰ γάρ (*si enim*) B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de mor. Manich. II. 14,32; c. Adim. 14,2; *A^ter* etc.) *Vulg. Copt. Syr.* (codd.); contra vero *textus rec.* : εἰ δέ (si *autem*) cum L, plerisque minusc. et PP. iunior., *Syr.* (codd.) *Goth.* — 16. ὑμῶν τὸ ἀγαθόν (*vestrum* bonum) B ℵ A C L P, omnes fere minusc., *Syr.* (codd.); sed ἡμῶν τὸ ἀγαθόν (*nostrum bonum*) D E F G, aliqui antiquiores PP. gr., *It. Vulg. Syr.* (codd.); utraque lectio apta. — 18. ἐν τούτῳ (*in hoc*) B ℵ A C D F G P, paucissimi minusc. *It. Vulg. Copt.*; eodem sensu neque minus apte habet *textus rec.* : ἐν τούτοις (*in his*) cum K L, omnibus fere minusc., *Syr. Goth. Arm.* — 19. διώκομεν (sectamur) B ℵ A F G L P, pauci minusc., sed rectius *textus rec.* : διώκωμεν (*sectemur*) cum C D E, longe plurimis minusc. omnibusque verss. — εἰς ἀλλήλους (in invicem) sine additamento, B ℵ A C L P, omnes ut videtur minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* ll. cc.; *Orig. interpr.*) *Vulg.* (codd. *Demid. Harl.* etc.) *Syr. Copt.*; sed εἰς ἀλλήλους φυλάξωμεν (*in invicem custodiamus*) D E F G, *It.* (cfr *A^ter Pel.* etc.) *Vulg Clem.* (cum *Fuld. Amiat.* etc.); prior lectio alteram auctoritate testium vincit. — 21. προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ (*offenditur aut scandalizatur aut infirmatur*) B D E F G L P, omnes fere minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de morib. Manich. l. c., *A^ter* etc.) *Vulg. Sahid. Syr.* (codd.) *Arm.*; sed προσκόπτει (offenditur) reliquis verbis praetermissis, ℵ A C, paucissimi minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* c. Adim. l. c.) *Memph. Syr.* (codd.) *Aeth.*; prior lectio retineatur oportet. — 22. σὺ πίστιν, ἣν ἔχεις, κατὰ σεαυτὸν ἔχε (tu fidem, quam habes, penes temetipsum habe) B ℵ A C, *It.* (cfr *S. Aug.* expos. 81, c. Adim. l. c., *Orig. interpr. Pel.*) *Vulg.* (codd. *Tol.* aliique) *Memph.*; eodem sensu sed vividius *textus rec.* omisso pronomine relativo : σὺ πίστιν ἔχεις; κατὰ σεαυτὸν ἔχε (*tu fidem habes? penes temetipsum habe*) cum D E F G L P, omnibus ut videtur minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de morib. Manich. l. c. *A^ter*) *Vulg Clem.* (cum codd. *Fuld. Amiat.* etc.) *Syr. Sahid. Arm. Aeth.*; a modernis criticis (*Lachm. Treg. Tisch. VIII*) prior lectio praefertur, sed dubito num recte. — Post *v.* 23 a L, ducentis fere minusc. et lectionariis, *Syr.* (codd.) additur doxologia, quae aliis in exemplaribus legitur 16,25-27; sed de hac quaestione, quam in Prolegom. p. 21 iam attigimus, sermo infra recurret ad 16,25.

quod ei in priore idem valeat ac *sententiam* (damnatoriam) *in iudicio ferre*, in altero autem idem quod *apud animum suum constituere* seu sibi proponere (cfr 1 *Cor.* 2,3; 2 *Cor.* 2,6 etc.). Firmis igitur deliberatum sit oportet et constitutum sibi cavere, ne infirmis suis fratribus ullo modo fiant causa peccandi.

Πρόσκομμα (*offendiculum*) et σκάνδαλον (*scandalum*) in metaphorico suo usu synonyma quidem sunt et haud raro promiscue adhibentur (cfr 9,32. 33); utrumque enim id designat, in quo animus ita offendit, ut ad peccandum incitetur. Hic tamen Apostolus, nisi eum verbositatis incusare velimus, aliquid discriminis inter illa fecisse dicendus est ad proprias forte illorum significationes attendens. Nam πρόσκομμα (a προσκόπτω) proprie est omne viae obstaculum, sive magnum sive parvum, cui quis impingit pedem; σκάνδαλον vero (seu σκανδάληθρον) proprie est mobile tigillum decipulae, quod si offenditur eam claudit (cfr ad 11,9). Atqui fieri potest, ut qui pedem offendiculo impingit, titubet quidem aut etiam retardetur, sed non cadat neque progredi plane impediatur. Qui vero ad σκάνδαλον offendit, in decipula certe capitur. Unde priore nomine, utpote generaliore, Apostolus leviorem, altero graviorem animi offensionem probabiliter voluit significare, quae duplici responderent periculo, quod firmorum liberior vivendi ratio infirmo crearet : eum enim incitavit, ut de illa severius et iniquius iudicaret, aut eum seduxit, ut illam cum conscientia dubia aut etiam contra conscientiam suam imitaretur.

Revera de duobus his periculis Paulus in sequentibus agit; postquam enim sese de controversiae causa non aliter ac firmos sentire declaravit (*v.* 14), primum eos hortatur, ne fraternam caritatem violent liberiore sua vita infirmos ad convicia et maledicta provocantes (*vv.* 15. 16); neque enim usum illius libertatis tanti valere, ut propter eum vera regni divini bona, quibus Deo hominibusque probemur, destruantur (*vv.* 17. 18); illa igitur esse sectanda, quae mutuam pacem et aedificationem promoveant (*v.* 19). Deinde sibi cavere eos iubet, ne Dei opus destruant, infirmum ut contra conscientiam suam agat seducentes (*v.* 20); etenim ab omnibus potius abstinendum esse quae fratribus ullo modo offensioni esse possint (*v.* 21). Neque vero ideo, quia eam semper sequi nequeant, abiiciendam esse firmam illam de libertate christiana persuasionem addit, siquidem sit magnum bonum, quum nunquam liceat cum dubia conscientia agere (*vv.* 22. 23).

Simili modo, quo a Corinthiis de idolothytorum usu interrogatus, antequam eos ad pusillorum scandalum hac in re vitandum exhortaretur, genuinam de eorum usu per se licito sententiam praemisit (cfr 1

Cor. 8,1-6), Paulus etiam hic, ubi firmos Romanos a scandalizandis fratribus infirmis revocat, ante omnia apostolicum suum de quaestione controversa iudicium clare proponit, ut sese firmorum doctrinam approbare atque solam agendi rationem improbare statim declaret : 14. *scio et confido* (πέπεισμαι rectius : *certus sum* cfr 8,38; 15,14) *in Domino Iesu, quia* (i. e. *quod* ὅτι) *nihil commune* (κοινόν) *per ipsum* (δι' αὐτοῦ, melius cum *S. Hier.* c. Iovin. II. 16 : *per se ipsum* δι' ἑαυτοῦ vel δι' αὐτοῦ), *nisi* (εἰ μή) *ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Nonnulli duo verba οἶδα καὶ πέπεισμαι (*scio et certus sum*) ita distinguunt, ut priore naturalem, altero, ad quod appositionem ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ (*in Domino Iesu*) trahunt, supranaturalem scientiam designari teneant : « indubitate scio, natura docente, et pro certo teneo, sic institutus et edoctus a Domino Iesu, vel sic institutus in religione Christi » (*Est.* cfr *Thom. Dion.* etc. — *Lange, God.* etc.). Quae distinctio solido caret fundamento, atque rectius longe plurimi ambo verba, quae ad perfectam scientiam et certitudinem designandam coniuncta sunt, cum illa appositione connectunt, qua certitudinis fons demonstratur. In sua quippe unione cum Domino Iesu, i. e. tamquam eius membrum et minister (cfr 9,1 ; 2 *Cor.* 2,17 ; 12,19 etc.), ac proinde per eius institutionem ac disciplinam cognovit et pro certissimo habet eam sententiam, quam propositurus est. Itaque non tam suam ipsius opinionem quam Christi doctrinam enuntiat : « Ne quis, inquit *Chrys.*, obiiciat : — Et quid ad nos, si tibi de hac re constat? Neque enim tu ita fide dignus es, ut contra tantam legem et contra oracula de coelo allata stare possis, — subiungit : *in Domino Iesu,* i. e. ab eo edoctus et certior factus sum ; non ergo humanae mentis opinio est ».

Iamvero iudicium suum Apostolus duobus membris explicat, quorum priore axioma universale statuit, *nihil* (scilicet eorum, de quibus hic agitur, i. e. eorum quae hominum victui inserviunt) *commune esse per se ipsum* (i. e. ex natura sua aut virtute quadam insita ac propria), altero autem quasi exceptione quadam facta *aliquid ei, qui illud commune esse existimat,* revera *commune esse* concedit. Qua in sententia adiectivum κοινόν (*commune*), uti saepe in Novo Test., idem valet atque ἀκάθαρτον (*impurum* seu pollutum) atque illud significat, a quo omnis, ne coram Deo coinquinetur, se abstineat oportet (cfr *Act.* 10,14. 28 ; 11,8). Quae vocabuli significatio, quum nondum in protocanonicorum librorum sed primum in 1 *Mach.* 1,50. 65 (47. 62) versione alexandrina inveniatur, iunioribus Iudaeis originem suam debere dicenda est, a quibus omnia illa, quae ipsi iuxta Legem aut maiorum suorum traditiones velut vetita aut immunda vitabant, *communia* dicebantur, quia in ethnicorum populorum communi usu essent. « Populus Iu-

daeorum, inquit *S. Hier.* (Comment. in Matth. 15,11), partem Dei se esse iactans communes cibos vocat, quibus omnes (reliqui) utuntur homines, verbi gratia carnem suillam, ostreas, lepores...; *commune* ergo, quod ceteris hominibus (gentilibus) patet et quasi non est de parte Dei, pro *immundo* appellatur ».

Pharisaeorum, uti videtur, maxime error fuit, ciborum in Lege vetitorum usum ideo esse prohibitum, quia cibi illi ipsa sua natura essent immundi hominemque iis utentem coram Deo immundum redderent virtute sua insita. Unde factum esse videtur, ut infirmi Christiani idolothyta quoque, de quibus proxime ac potissimum controversiam hic agitari diximus (cfr p. 693), oblatione sua quasi intrinsecus mutari et ab idolis virtutem quandam, qua polluerent edentem, acquirere existimarent. Contra Pharisaeos Dominus iam monuerat « non illud, quod in os intrat, coinquinare hominem » (*Matth.* 15,11), cibos ergo per se ac natura sua neque immundos esse neque polluendi virtutem habere, licet eorum usus ratione inobedientiae, si qui scilicet a legitima auctoritate essent prohibiti, aut ratione intemperantiae vel appetitus male ordinati, una voce ratione conscientiae homines coinquinare posset (cfr *Knabenbauer* Comment. in Matth. II. p. 27). Quibus edoctus S. Paulus non tantum « omnia munda esse mundis » (*Tit.* 1,15) « omnemque creaturam Dei bonam neque quidquam reiiciendum (ἀπόβλητον i. q. טְמֵא impurum) esse dicit, quod cum gratiarum actione percipiatur » (1 *Tim.* 4,4), sed speciatim idolothyta (uti idola ipsa) nihil esse, i. e. per se nihil virtutis habere neque obesse cuiquam aut prodesse atque eis solis nocere qui contra conscientiam suam iis vescantur, Corinthios diserte docet[1] (cfr 1 *Cor.* 8,4-7; 10,19. 25-27).

1. Totam sententiam bene interpretatur *S. Cyr. Alex.* i. h. l. : « Fide dignus testis, qui se scire ac persuasum habere asseverat; addit autem *in Christo Iesu*, ut veritatem magis corroboret omnemque dubitationem excludat; in memoriam quippe revocat, quae olim Christus dixit : non quod in os intrat, coinquinat hominem, et : omnis esca in ventrem vadit et in secessum emittitur (*Matth.* 15,11. 17); haec autem est escae natura et usus. Quod ergo ad propriam naturam attinet, nihil commune est aut contaminatum ex his quae nutrimento inserviunt; sanctificantur enim omnia per verbum Dei et orationem (1 *Tim.* 4,3 sq.). Sed meminerimus quoque, Deum teste Scriptura, quum omnia creasset, vidisse omnia esse valde bona eisque benedixisse (*Gen.* 1,31); quoniam ergo Deus res a se creatas laudavit eisque benedixit, nemo inquinamentum et contaminationem ex eis exoriri asseret, quin simul eorum creatorem accuset. Itaque nulla omnino creatura natura sua est communis; si quis autem aliquid commune esse putaverit, per illud coinquinatur et in propria sua mente inquinamento laborat; omnia enim munda sunt, sed incredulum coinquinat infirma eius in nonnullis rebus fides, minime vero res ipsa, quam communem esse putat. Etenim sicuti mente perfectis unus est Deus neque alius praeter ipsum, neque ullum est idolum in mundo atque idolothytum quoque pro nihilo reputatur — qui enim idolum non agnoscit, quomodo idolothytum pensi habuerit? eis vero qui multos esse deos putant, utique etiam idolothytum erit aliquid — ita eis, qui omnia, quae a Deo sunt, incontaminata et pura esse

Sibi igitur plane constat, si hoc in loco una ex parte ullum cibum, ac proinde etiam idolothytum, natura sua impurum esse edentemque polluere negat, altera ex parte omnem cibum, quem aliquis pro impuro habet, illi revera impurum esse illumque, si eo utitur, coinquinare asserit, quoniam contra conscientiam suam (vel etiam cum conscientia practice dubia) eo utatur. Ceterum ad sententiae constructionem quod attinet, animadvertatur oportet, particulam εἰ μή hoc in loco exceptivam quidem suam significationem (*nisi*) retinere, admittendam autem esse breviloquentiam quandam, qua nimirum duae sententiae quodam modo in unam sunt contractae : « nihil immundum est per se ipsum (neque enim quidquam immundum est), nisi ei, qui illud immundum esse existimat » (cfr ad *Gal.* 2,16). Dicere tamen etiam cum aliis poteris, particulam εἰ μή a Graecis interdum non ad integrum membrum praecedens (οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ) sed ad solam quasi negationem (οὐδὲν κοινὸν) referri (cfr *Matth.* 12,4; *Luc.* 4,26. 27).

In priore membro explicando lectionem οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ vel δι' αὑτοῦ (nihil commune *per se ipsum*) secuti sumus cum plerisque Graecis (cfr *Orig. Chrys. Cyr Alex. Dam. Theoph. Sever.* apud *Oecum*[2]. *Euth.*), haud paucis antiquioribus Latinis (cfr. *S. Aug.* de mor. Manich. II. 14,32, c. Adam. 14,2, *S. Hier.* c. Iovin. II. 16, *Abael. Herv. Thom*[1]. etc.) multisque iunioribus ac modernis (cfr *Cai*[1]. *Est. Iust. Lap. Picon.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Dr. Weinh. Ag. Sch.* etc.). Alterius lectionis (οὐδὲν κοινὸν δι' αὐτοῦ nihil commune *per ipsum*) duae propositae sunt interpretationes. Alii enim pronomen αὐτοῦ de Deo creatore intelligunt nihilque impurum esse censent, quia Deus omnia bona creaverit (cfr *Sever.* apud *Oecum*[3]. *Haym. Lomb*[1]. *Lyr. Dion*[1]. etc.); quae explicatio, quamvis sensu vix differat a nostra, admitti nequit, quia pronomen αὐτοῦ grammatice ad nomen Θεός (*v.* 12) non potest referri. Alii autem *per ipsum* Christum nihil esse impurum interpretantur, quippe per quem Lex mosaica, quae ciborum distinctionem introduxerat, iam abrogata sit, ita ut Christiano omnibus sine pollutionis periculo vesci liceat (cfr *Mopsu. Theod. Sever.* apud *Oecum*[1]., *A*[ter] *Pel. Prim. Lomb*[2]. *Thom*[2]. *Cai*[1]. *Nat. LR.* etc.). Attamen Paulus, ni fallor, si id significare voluisset, non tam negative « *nihil est impurum* per Christum », quam positive dixisset : « *omnia iam pura sunt* per Christum »; aut si negativam formam adhibere voluisset, clarius dixisset : οὐδὲν κοινὸν τῷ ἐν αὐτῷ (nihil commune est ei, qui est in ipso). A vero demum prorsus aberrarunt pauci moderni (*Bisp.* — *Olsh.* etc.), qui ad 8,20 respicientes omnia primo Adami peccato polluta atque Christi passione in pristinum statum restituta esse sibi per-

credunt, nihil erit ex natura sua commune omniumque escarum liberrimus erit usus; eis vero, qui id sibi nondum persuaserunt, nondum munda sunt secundum eorum opinionem, quam rectam putant [ideoque sequi tenentur], sed communia, quia eorum mens relate ad veritatem claudicat ».

suaserunt. Neque enim profecto illo in loco Apostolus docet, omnia primo peccato ita esse polluta, ut nemo eis uti possit, quin polluatur et immundus reddatur coram Deo; ac praeterea creaturae restitutio in integrum ibi non velut iam facta consideratur, sed velut futura exspectatur.

Apostolus quum in altero iudicii sui (*v.* 14) membro cibos quosdam infirmo ob conscientiam eius infirmam (1 *Cor.* 8,7) seu erroneam, qua illos pro immundis et illicitis habet, revera immundos et illicitos fieri doceat, simul iam insinuat, firmos in sua vivendi ratione ad hanc fratris infirmitatem attendere oportere, ne ei occasionem peccandi praebeant. Quae accuratius expositurus primum firmos sibi cavere iubet, ne cum caritatis detrimento vita sua liberiore infirmum ad eam iniquius diiudicandam et increpitandam provocent : 15. *si enim* (εἰ γάρ vel melius, ni fallor : *si autem* εἰ δέ) *propter cibum* (διὰ βρῶμα propter escam aliquam cfr 1 *Cor.* 8,4. 8. 13 etc.) *frater tuus constristatur, iam non* (melius : *non amplius* οὐκέτι cfr *v.* 13)' *secundum caritatem ambulas; noli cibo tuo* (τῷ βρώματί σου) *illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Utra ex duabus particulis, num εἰ γάρ an εἰ δέ, praeferenda sit, in controversia est; priorem omnino praeferunt, qui cum modernis criticis (*Lachm. Tisch. WH.*) solam testium auctoritatem (cfr *VV. LL.*) considerant; alteram tamen aptior sententiarum nexus commendat. Nam qui causalem particulam (εἰ γάρ) retinere vult, is aut totam doctrinae expositionem (*v.* 14) pro parenthesi obiter adiecta habere nostramque sententiam velut confirmationem immediate cum ultimo *v.* 13. membro connectere cogitur (« hoc magis iudicate, ne offendiculum ponatis fratri; si enim propter cibum » etc.), aut monitum quoddam, cuius confirmationem nostra sententia afferat, ex altero *v.* 14. membro mente supplere debet (« abstine ergo ab illis, quae frater infirmus pro immundis habet; si enim propter cibum » etc.). At neutrum apte fieri plerique interpretes recte arbitrati particulam δέ (*autem*), etiamsi minor sit testium eam tuentium auctoritas, cum gravissimis Patribus graecis (cfr *Orig. Chrys. Cyr Alex. Theod. Dam.* etc.) praeferunt eamque transitioni (δέ metabaticum) hic inservire tenent (cfr *Tolet. Est. Iust. Nat. Calm.* etc., *Reith. Mai. M Ev. Dr. LR.* etc. — *de W. Fr. God. Oltr.* etc.).

Sensus porro sententiae planus est : Apostolus firmos a cibis, quos ipsi quidem recte pro licitis, infirmi autem erronee pro illicitis habent, ob caritatem sese abstinere vult, quotiescumque se illorum usu fratri infirmo maestitiam illaturos et scandalum praebituros esse videant. Vera enim caritas non quaerit quae sua sunt, bono fratris neglecto (cfr ad 1 *Cor.* 13,7), sed iure suo, ubi id fieri licet et fratri utile

est, libenter cedit. Eo autem magis firmi ita agere tenentur, quo vilius est bonum, cui per abstinentiam renuntiant, nimirum *esca*, quae hominem Deo non commendat (cfr ad 1 *Cor.* 8,8), et quo maius est malum, quod non abstinentes fratri inferunt, quem velut se ipsos diligere debent. Nomine *tristitiae* enim, in quam infirmus liberiore firmorum vita coniici dicitur, hic gravissimum designari malum, ex altero membro apparet, quo prius quodam modo explicatur. Animi quippe significatur aegritudo, qua infirmus inducitur et quasi compellitur, ut liberiorem firmorum vitam inique diiudicet atque maledictis conviciisque insectetur, quibus semetipsum aeternae perniciei periculo exponit. Revera ergo *non amplius secundum caritatem ambulat,* sed eam plane abiecit, qui rem vilem, *escam suam,* aeternae fratris saluti praefert, quam Christus tanti fecit, ut pro ea ipsam suam vitam cum sanguine suo fundere non recusaverit.

Egregie hoc argumentum, quo B. Paulus etiam Corinthios, ut infirmorum conscientiae parcerent, permovere studuit (cfr ad 1 *Cor.* 8,11) *Chrys.* amplificat : « Numquid fratrem tanti non facis, ut pro eius salute saltem a cibis quibusdam te abstineas? Atqui Christus propter eum neque servus fieri neque mori gravatus est, et tu escae vili, ut eum salves, renuntiare gravaris ! Christus, quamvis non omnes se salvaturum esse sciret, pro omnibus tamen mortuus est sua ex parte omnia implens; tu vero, quum te cibo tuo summum damnum inferre scias, adhuc altercaris eumque, pro quo Christus tanta in se suscipienda duxit, contemnere audes eumque, quem Christus tantopere dilexit, nullo in pretio habes ! Ille non pro infirmo tantum, sed etiam pro inimico mortuus est; tu vero propter infirmum ne a cibo quidem tibi temperas ! Christus quod maximum erat fecit, quamvis esset Dominus ; tu vero ne minimum quidem facis pro tuo fratre ! »

A vero autem *Aler* aberrat, qui hoc argumentum ab Apostolo non contra firmos infirmum ad temeraria iudicia provocantes, sed potius contra infirmum urgeri arbitratur, quippe qui inanibus suis scrupulis dubitationem, annon cibi illi vere prohibiti sint, etiam firmorum mentibus iniecerit et effecerit, ut hi cum dubia conscientia illis vescentes in peccatum ruerent. Aliis enim, quibus haec sententia erronea esse ostenditur, praetermissis illud unum cum *Tol.* adnotasse sufficit, Paulum, si hic infirmum allocutus esset, non dicturum fuisse : « noli *cibo tuo* », sed « noli *abstinentia tua* illum perdere, pro quo Christus mortuus est ».

Haud pauci ad 1 *Cor.* 8,10 sq. respicientes monitum praecedens de illo iam scandalo interpretantur, quo infirmus exemplo firmorum seductus contra conscientiam suam idolothyta manducat. Attamen Apostolum dumtaxat de temerariis iudiciis et conviciis cogitasse, ad quae infirmus liberiore firmorum vita provocaretur, ex conclusione apparet, quam ex monito suo derivat : 16. *non ergo blasphemetur bonum nostrum* (ἡμῶν τὸ ἀγαθόν vel : *vestrum* bonum ὑμῶν τὸ ἀγαθόν cfr *VV. LL.*). Utra lectio praeferatur, nihil interest ; utraque enim sufficiente testium

auctoritate munitur et utraque apta est, dummodo pronomine ἡμῶν vel ὑμῶν firmos designari teneatur, quos Apostolus in altero *v.* 13 membro secunda persona plur. allocutus est quibusque se ipsum statim (*v.* 19) prima persona plur. utens accenset. Mirum autem est, quod antiquiorum plurimi non intellexisse videantur, quidnam a Paulo hic *bonum nostrum* (vel *vestrum*) dicatur. Iuxta *Chrys.* enim « aut fidem dicit aut futuram praemiorum spem aut perfectam pietatem », iuxta *Orig.* « spiritualem Legis intelligentiam », iuxta *Theod.* (cfr etiam *Phot. Theoph.* etc., *Abael.* etc.) « perfectam fidem », iuxta *A^trum^* (cfr *Sed.* etc.) « doctrinam dominicam », iuxta *Prim.* (cfr *Lyr. Dion.* etc.) « bonam famam », iuxta *Lomb.* « bona opera », iuxta *Cai.* « regnum Dei », iuxta iuniores quosdam (cfr *Nat. Picon. M Ev.* etc.) « fidem et religionem nostram » etc. Ad contextum scilicet non satis attendentes moneri cunctos neophytos putarunt, ne suis dissensionibus de cibis edendis aut non edendis infideles Iudaeos et ethnicos provocarent ad contumelias in fidem aut in religionem christianam aut in ipsos fideles effundendas. Verum in toto hoc tractatu de mutuis solorum firmorum infirmorumque officiis agitur, neque apparet, cur Apostolus hic subito ad infideles transierit.

Praeeunte ergo *Pel.* iuniores modernique fere omnes cum *Herv.* et *Thom.* recte censent, *bonum nostrum* hic dici « libertatem quam habemus in Domino, ut omnia nobis munda sint » (*Pel.* cfr *Tol. Est. Iust.* etc., *Reith. Mai. Beel. Bisp. Ag.* etc.), atque firmos admoneri, ne libertatem per Christum acquisitam inconsiderato illius usu temerariis iudiciis et conviciis infirmorum fratrum exponant. Simili modo iuxta plerosque Apostolus alibi (1 *Cor.* 10,30) de idolothytorum usu loquens firmos, qui aliquem cibum esse idolothytum ab infirmo monentur, ab eo manducando sese abstinere iubet, ne blasphementur, i. e. ne contumeliis onerentur ac velut divinae legis contemptores aut velut homines gulosi reprehendantur propter cibum, quo per se licite uti possint (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 305). Ceterum ex isto loco evidenter elucet, contra nostram interpretationem immerito a nonnullis obiici, quod verbum βλασφημεῖν de fratrum infirmorum iudiciis temerariis et conviciis adhiberi nequeat; nam ibi quoque non de infidelibus, sed de fidelibus blasphemantibus agitur.

Quoniam autem neque monitum neque conclusio ex eo derivata valerent, nisi firmis usui libertatis illius absque suae salutis detrimento renuntiare liceret, B. Paulus confirmationis gratia addit, libertatem quaevis manducandi non esse inter ea bona, quibus homo christianus Deo hominibusque probetur : **17.** *non est enim regnum Dei esca et potus* (βρῶσις καὶ πόσις), *sed iustitia et pax et gaudium in Spi-*

ritu sancto. Negativam argumenti partem Corinthiis clarius proposuit, ut idolothytorum usum ad salutem nihil conferre doceret : « Esca nos non commendat Deo; neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus ». Cibus ergo quicumque per se non est res, quae nos Deo magis minusve acceptos reddit; si quis illo utitur, ideo per se in vita spirituali non proficit, et si quis ab illo se abstinet, ideo per se in spirituali vita detrimentum non patitur. Itaque usus potestatis quaevis manducandi non est ad salutem necessarius, quin etiam licitus esse cessat, si caritate fraterna ad infirmorum scandalum vitandum (vel alia virtute, ex. gr. obedientia etc.) a certis cibis abstinere iubemur (cfr ad 1 Cor. 8,8 sq.).

Idem quoque negativo nostro membro significatur, siquidem *regnum Dei,* uti cum plurimis Patribus (cfr *Clem. Alex.* Paedag. II. 1. *M.* 8,388, *Chrys. Theod. Dam. Phot.* etc., *Tert.* de ieiun. 15., *S. Aug.* quaest. evang. II. 11, *A^tro^ Pel. Prim.* etc.) multi quoque iuniores modernique recte tenent (cfr *Abael. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Tol. Est. Iust. Lap. Nat. Pic.* etc., *Reith. M Ev. Weinh. Ag.* etc.), per metonymiam effectus pro causa « dicitur hic id, per quod Deus regnat in nobis et per quod ad regnum ipsius pervenimus » (*Thom.*). Iuxta Apostolum igitur libertatis evangelicae in ciborum potuumque electione usus neque efficit neque adiuvat, ut Deus in nobis regnet, seu non est necessaria causa vel conditio regni Dei, quod intra nos est (*Luc.* 17,27), imperfecte quidem in hac vita, perfecte autem in altera. A qua explicatione re vix dissentiunt, quamvis minus accurate loqui videantur, alii iuniores ac moderni, qui *regnum Dei* hic aut « rationem vitae in regno Dei instituendae » (cfr *Beel.*) aut « essentiam regni Dei » (cfr *Cai. Mai. Bisp. LR. Sch.* etc.) interpretantur, ut sententiae negativae sensus sit : « Vita christiana (vel : essentia religionis christanae) non consistit in cibo et potu seu in usu potestatis quaevis manducandi ac bibendi ». A vero autem aberrare dicendi sunt nonnulli antiquiores, qui cum *Orig.* hic quoque *regnum Dei* significare volunt aeternam beatitudinem, in qua beati, uti neque nubent neque nubentur, ita neque escam neque potum sument : « Stultum est, de non manducandis et de manducandis nos disputare, quae in regno coelorum non erunt necessaria » (cfr *Haym.* etc.).

Cibo porro ac potui, quibus utpote rebus per se indifferentibus non acquiritur neque promovetur regnum Dei, Paulus opponit *iustitiam et pacem et gaudium in Spiritu S.,* quae, quum nos cum Deo coniungant, regnum eius in nobis fundant ac promovent. Quae tria *Thom.* bene exponit : « *Iustitia* refertur ad exteriora opera, quibus homo reddit unicuique quod suum est, et ad voluntatem huiusmodi opera

faciendi (*Matth.* 6,33). *Pax* autem refertur ad effectum iustitiae; per hoc enim maxime pax perturbatur, quod unus homo non exhibet alteri quod ei debet (*Is.* 32,17). *Gaudium* vero referendum est ad modum, quo sunt iustitiae opera perficienda; uti enim dicit Philosophus: non est iustus, qui non gaudet iusta operatione (Eth. 1). Causam demum huius gaudii exprimit dicens: *in Spiritu S.;* est enim S. Spiritus, per quem caritas diffunditur in nobis (5,5); illud enim est gaudium in Spiritu S., quod caritas parit, puta quum aliquis gaudet de bono Dei et proximorum ». Quibus tamen maioris claritatis gratia cum *Herv.* addere iuvat, Apostolum « has tres virtutes idcirco posuisse, quoniam eas ad intentionem suam et ad correctionem Romanorum specialiter militare vidit ». Neque enim contra caritatem tantum sed etiam quodam modo contra iustitiam (stricto sensu) firmi peccarunt, quum in suae libertatis usu ad infirmi opinionem contrariam non attendentes eius ius laederent. Pacem quoque turbarunt, quum eum ad disceptationem et convicia provocarent, atque gaudium sustulerunt, quum eum sua agendi ratione contristarent (*v.* 15). Qui igitur ad totum contextum attenderit, neque mirabitur, quod tres tantum hae virtutes hic sint enumeratae, licet aliis quoque regnum Dei in nobis promoveatur, neque δικαιοσύνην (*iustitiam*) hic cum *Chrys.* aliisque multis de iustitia lato sensu, i. e. de omnium virtutum exercitio, aut cum *Lyr.* aliisque de dono illo divino interpretabitur, quo homo ex statu peccati in statum gratiae transit et ex iniusto fit iustus.

Iure merito autem regnum Dei dici iustitiam et pacem et gaudium in Spiritu S., i. e. Deum per has virtutes in nobis regnare, Apostolus probat addens: 18. *qui enim in hoc* (ἐν τούτῳ vel: *in his* ἐν τούτοις cfr *VV. LL.*) *servit Christo, placet Deo et probatus est hominibus.* Quam confirmationem haud male *Thom.* hoc syllogismo proponit: « Ille homo videtur ad regnum Dei pertinere, [vel etiam: in eo Deus videtur regnare], qui placet Deo et a sanctis hominibus approbatur; atqui hoc illi contingit, in quo invenitur iustitia, pax et gaudium; ergo in his est regnum Dei ». Recte enim pronomen ἐν τούτῳ (*in hoc*) velut collectivum ad tres virtutes enumeratas refert, id quod altera quoque lectio (ἐν τούτοις *in his*) omnino postulat. Haud multum quidem diversus erit sensus, si cum *Orig.* aliisque pronomen ἐν τούτῳ (*in hoc*) ad solam dictionem ἐν ἁγίῳ πνεύματι (*in Spiritu S.*) refertur; nam Spiritus S. sua inhabitatione hominem constituit verum Christi servum (8,9) in eoque virtutes illas velut fructum producit (*Gal.* 5,22). Attamen in praecedente sententia nomina *iustitia et pax et gaudium* praecipuum pondus habent, verba *in Spiritu S.* autem, quae ad solum nomen *gaudii* a plerisque recte trahuntur, vix non obiter videntur adiecta

et quasi delitescunt; quare pronomen *in hoc* ad priora rectius refertur. Qui igitur virtutum illarum exercitio servit Christo, is et *Deo placet*, qui in eo nihil quo offendatur deprehendit, et *ab hominibus* quoque *approbatur*, quoniam externis eius actionibus eum velut hominem, in quo Deus regnet, agnoscere omnino coguntur, dummodo recte iudicare velint.

Priorem huius sectionis partem, qua firmos admonet, ne inconsiderato libertatis evangelicae usu infirmum fratrem ad disceptationes et convicia provocent, Paulus adhortatione terminat, cuius prius membrum ex superioribus (scil. ex *v.* 17) derivat, altero secundam nostrae sectionis partem quodam modo praeparat: 19. *itaque quae pacis sunt* (τὰ τῆς εἰρήνης) *sectemur* (διώκωμεν) *et quae aedificationis sunt in invicem* (vel clarius : *quae aedificationis mutuae sunt* τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους) *custodiamus* (φυλάξωμεν). Ad cuius sententiae varias lectiones quod attinet, adhortativum διώκωμεν (*sectemur*) propter versionum maxime omnium eum tuentium consensum, et propter aptiorem quoque sensum omnino retinendum ducimus, quamvis plurimi, at non omnes (cfr *VV. LL.*), graviores codd. graeci indicativum (διώκομεν *sectamur*) exhibeant. Alterum vero verbum (φυλάξωμεν *custodiamus*) ob testium criticorum auctoritatem melius omitti concedimus, licet sensum non mutet si retineatur. Attende tamen, dictionem *in invicem* (εἰς ἀλλήλους) cum verbo *custodiamus* non esse connectendum, uti *Vulg. Clem.* sua interpunctione indicat, sed iuxta graecum textum ad nomen *aedificationis* pertinere.

Priore igitur membro Paulus ad praecedens monitum respiciens firmos hortatur, ut fratris infirmi contristatione et provocatione evitata *in iis quae pacis sunt*, i. e. in iis, quae ad pacem cum infirmo conciliandam conservandamque conducunt, omnem curam et operam ponant; altero autem ad sequentia prospiciens eaque praeparans firmos non minore cum diligentia iis studere vult, *quae mutuae aedificationis sunt*, i. e. iis quae infirmum in virtute promovent (de metaphorico vocum *aedificare*, *aedificatio* etc. usu cfr ad 1 *Cor.* 8,1; 2 *Cor.* 10,8 etc.). Similiter Corinthiis praecepit, ut in idolothytorum usu « nemo quod suum est quaereret, sed quod alterius », i. e. non tam ad propriam utilitatem, quam ad proximi aedificationem attenderet. Eo ipso enim, quod aliquis fratrem suum iuvat, suum quoque bonum spirituale promovet (cfr ad 1 *Cor.* 10,24).

Si vero ea quae mutuae aedificationis sunt sectemur oportet, sua sponte elucet, quantae culpae reus sit, qui contrarium agit. Quare Apostolus non sine animi concitatione (attende ad asyndeton) praecipit : 20. *noli propter escam destruere* (μὴ... κατάλυε) *opus Dei* (τὸ ἔργον τοῦ

Θεοῦ); *omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum* (διὰ προσκόμματος) *manducat*. Eum in eadem similitudine persistere, verbum καταλύειν (*destruere*) ostendit, quod quum aeque atque καθαιρεῖν (2 *Cor*. 10,5. 8 etc.) de violenta aedificiorum eversione adhibeatur (*Matth*. 26,61 etc.), verbo οἰκοδομεῖν (*aedificare*) opponitur (cfr *Gal*. 2,18). *Opus Dei* ergo hic idem est quod aedificium Dei (ἡ Θεοῦ οἰκοδομή cfr 1 *Cor*. 3,9). Pessime autem hac metaphora *Pel*. significari putat « hominem a Deo creatum »; melius *Orig*. de caritatis, *Chrys*. de salutis, *Theod*. de fidei, *A*[ter] de regenerationis nostrae aedificio spirituali cogitant, quae quasi complexus *Thom*. intelligi dicit « opus gratiae, quod in nobis ipsis Deus specialiter operatur ». At cum *Est*. multo rectius et ad Pauli mentem accommodatius hic intelligitur « ipse frater, in quantum frater i. e. Christianus est, fide et pietate iam imbutus ». Id enim non tantum superiora verba (*v*. 15 : noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est) suadent, sed ipsa quoque oppositio inter *aedificare* et *destruere* omnino postulat, ut utrumque verbum ad idem obiectum referamus, i. e. ad ipsum fratrem infirmum. Itaque sensus est : « Noli propter cibum, rem vilem et indifferentem, destruere ac perdere aedificium Dei, i. e. fratrem tuum infirmum, quem Deus fecit fidelem ». Quotquot enim Christiani sumus, qua tales iuxta Paulum « Dei sumus factura (ποίημα i. q. ἔργον), creati in Christo Iesu in (ἐπί) operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus » (*Eph*. 2,10).

Quemadmodum ergo supra (*v*. 15) caritatem, qua Christus sese pro infirmo morti tradidit, ita hic caritatem, qua Deus infirmum meritorum Christi participem reddidit, velut causam affert, cur firmi ab eo scandalizando ac seducendo diligentissime sibi cavere debeant. De quanam enim destructione operis Dei loquatur, indicaturus iudicium suum de Romanorum controversia antea (*v*. 14) latum ita repetit, ut illud ad infirmum exemplo firmorum corruptum diserte adaptet. Omnes quippe cibos sine exceptione per se mundos esse ac sine peccato manducari posse iterum quidem asserit, sed *malum* (κακόν i. e. inhonestum ac peccatum, opponitur enim *v*. 21 καλόν bonum et honestum) esse simul asserit, si infirmus *per offendiculum* vel potius *cum scandalo*, i. e. in statu scandali ex firmorum vivendi ratione desumti (διὰ προσκόμματος, de hoc praepositionis διά usu cfr ad 2,27), persistente videlicet eius persuasione (utique erronea) de quorumdam ciborum prohibitione ac proinde contra conscientiam suam aut etiam cum conscientia practice dubia omnibus promiscue vescatur.

Hac in interpretatione ex Graecis *Chrys. Theoph. Oec. Euth.*, ex Latinis

A[ter] *Sed.* nobis praeiverunt eandemque ex modernis pauci cath. (cfr *Dr. Ag*[2].), multi acath. (cfr *Mey. Weiss God.* etc.) adoptarunt. Iuniores vero modernique cath. vix non omnes cum *Orig.* et *Pelag.* sententiam nostram non de infirmo, qui cum scandalo passivo manducat, sed de firmo intelligere malunt, qui male agere et peccare dicatur, si cum alterius offensione seu cum scandalo activo quibusvis cibis utatur. Utraque explicatio per se vera est, atque graecum διὰ προσκόμματος per se non minus apte « cum alterius offensione » (seu cum scandalo activo) quam « cum sua ipsius offensione » (seu cum scandalo passivo) explicari posse fatemur. Nihilominus cum *Chrys.* hic passivam προσκόμματος significationem praeferimus, primum, quia tota nostra sententia (*omnia quidem munda sunt* etc.), uti ipse *Orig.* recte iam adnotavit, superiori (*v.* 14 *nihil commune per se* etc.) parallela est; atqui illius membrum alterum de passivo scandalo evidenter agit; nostrum secundum igitur de eodem agere rite colligitur. Accedit, quod nostra explicatio contextui sit conformior, immo sola ei respondere videatur. Namque sententia haec adiicitur, ut quomodo propter escam destruatur *opus Dei* explicetur; atqui omnibus consentientibus nomine *operis Dei* aut ipse infirmus aut saltem eius status gratiae vel pietas vel salus etc. designatur; destructio ergo, de qua hic sermo est, in eo habetur, quod infirmus scandalo ex firmorum manducatione sumto cibis, quos prohibitos esse putat, contra conscientiam suam vescens peccet et pereat, minime vero in eo, quod firmi sua manducatione occasionem ruinae spiritualis infirmo praebentes ipsi peccent semetque ipsos periculo damnationis exponant. Argumentatio Pauli hic eadem est atque 1 *Cor.* 8,9-11 : « Videte autem, ne haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis » (= noli propter escam destruere opus Dei); si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia eius, utpote infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta? et peribit infirmus in tua scientia, frater propter quem Christus mortuus est » (= peccat enim infirmus, qui scandalo ex tua manducatione sumto contra conscientiam suam vel cum dubia conscientia manducat).

Itaque iuxta Chrys. interpretationem, quam sequimur, Apostolus firmos considerare vult, quantum sit damnum, quod infirmus frater, « opus Dei », eorum improvido incautoque vel potius importuno ac pertinaci libertatis evangelicae usu patiatur. Ne vero ignorent, quid eos ex hac consideratione desumere velit, illud ipse diserte proponit : **21.** *bonum est* (καλὸν) *non manducare* (τὸ μὴ φαγεῖν) *carnem et non* (μηδὲ) *bibere vinum et non* (μηδὲ supple : ποιεῖν ἄλλο τι *quidquam aliud facere*), *in quo* (ἐν ᾧ) *frater tuus offenditur* (cum *Fuld. Amiat.* aliisque melioribus *Vulg.* codd., uti etiam cum *It.* cfr *S. Aug. l. c. A*[ter] etc., lege : *offendit*) *aut scandalizatur aut infirmatur* (προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ). Quoniam articulus infinitivo μὴ φαγεῖν praemissus etiam ad duo alia membra pertinet, quae coniunctione μηδὲ adduntur, etiam

pronomen ἐν ᾧ ac proinde tota sententia relativa ad omnia tria referatur oportet, ita ut bona et honesta dicatur abstinentia et a carnium manducatione et a vini potione et a quavis alia actione, si qua ex his ullo modo sit infirmis fratribus scandalo. Simili modo sed fortius, licet indirecte, Corinthios monuerat : « Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem » (1 *Cor.* 8,13), eosque directe exhortatus erat, ut « sive manducarent, sive biberent, sive aliud quid facerent, omnia in gloriam Dei facerent » (1 *Cor.* 10,31). Id autem profecto fieri nequit, si quid in aliqua actione fratri sit causa ruinae spiritualis.

Satis obiter tantum hic abstinentia a vino commemorari videtur; nihilominus recte ex hoc monito concludere nobis videmur, inter romanos neophytos fuisse, qui ab omni vini usu sibi abstinendum ducerent, quia illud sacrificio in ipsis torcularibus oblato inquinatum putarent (cfr *S. Aug.* expos. n. 79). Tertio membro (*neque* aliud quid facere) probabiliter ad dierum distinctionem alluditur, cuius antea (*v.* 5) mentio facta est. Tria porro verba (προσκόπτειν, σκανδαλίζεσθαι, ἀσθενεῖν) accumulata sunt, ut maiore cum vi omne omnino scandalum pusillorum prohibeatur. Quomodo duo prima inter se distinguantur, ex iis quae ad *v.* 13 diximus satis elucet; προσκόπτειν enim, quum generaliorem significationem habere videatur, etiam leviori offensioni designandae apte inservit, σκανδαλίζεσθαι autem graviorem plerumque denotat; quid vero hic sibi velit ἀσθενεῖν, difficilius est dictu. Nonnulli *infirmari* (seu infirmum esse) hic idem esse volunt, quod « dubitationibus perturbari » (cfr *Thom.* etc.), alii idem quod « latentem fidei infirmitatem externe prodere » (cfr *Est.* etc.), alii i. q. « tentationibus vinci » (cfr *Beel.* etc.), alii aliter. Recte autem cum *Iust.* infirmum infirmari dicimus, si exemplo firmorum eo est adductus, ut iam titubet ac nutet lapsuique vicinus sit, vel etiam de suae ipsius opinionis veritate iam dubitet et cum hoc dubio practico agere velit. Periculosius igitur scandali genus indicari videtur, ita ut gradatio quaedam a levi habeatur offensione ad gravissimam.

Postquam hac ratione firmos ad abstinentiam a cibis per se licitis, ubicumque eorum usus offensioni vel scandalo esset fratri infirmo, exhortatus est, Paulus tacitae illorum dubitationi occurrit, annon frivola et inanis dicenda sit libertas evangelica, qua uti non possint. Ad quod dubium removendum interpellat firmum : 22. *tu fidem* (πίστιν) *habes? penes temet ipsum* (rectius : *relate ad te ipsum* seu *tibi ipsi* κατὰ σεαυτὸν) *habe coram Deo; beatus qui non iudicat* (κρίνει) *semet ipsum in eo quod probat* (δοκιμάζει). Ad sensum non refert, utrum primum membrum (*tu fidem habes*) cum *Vulg. Clem.* et plerisque graecis ac modernis interpretibus interrogative legamus, an cum *S. Aug. Thom. Tol.* etc. assertive, ita ut concessionem vel conditionem ellipti-

cam exprimat (cfr ad 13,3). Aptior tamen interrogatio videtur, quippe qua interpellati fides non tam in dubium vocetur quam vividius asseveretur. Sive vero interrogativam sive assertivam formam praefers, cave, ne cum *S. Aug. A^tro Herv. Thom.* etc., verba *penes temet ipsum* ad primum illud membrum trahas; id enim genuinam sententiam pervertit. *Fides* (πίστις) porro hic, uti antea iam diximus (ad *v.* 1), omnibus fere concedentibus idem est quod firma persuasio, vel si mavis practicum conscientiae dictamen, et quidem iuxta totum contextum de licito omnium ciborum usu seu de potestate quibusvis vescendi per Christum facta. Quam persuasionem tantum abest ut Apostolus pro inani inutilique habeat, ut firmum illam *relate ad se ipsum* scilicet solum (seu *sibi soli* cfr *Act.* 28,16 μένειν καθ' ἑαυτόν manere sibimet, i. e. solum seu seorsim manere; *Iac.* 2,17 etc.) *coram Deo* retinere iubeat. Quibus verbis permissum esse simul declarat, ut firmus illam coram Deo, quippe cuius iudicium ei timendum non sit, in sua ipsius vita etiam sequatur, quando videlicet infirmi non adsint, qui scandalizari possint. Quantum vero bonum sit eiusmodi certum conscientiae dictamen, ex eo elucet, quod *beatus* praedicetur, *qui in eo quod approbat* (δοκιμάζει), *semet ipsum non iudicat,* i. e. se ipsum in iudicium non vocat quasi dubitans, num id quod agendum eligit licitum sit necne, qui igitur semper cum certa conscientia de actionis suae liceitate agit; is quippe non peccat.

Neque hac laude contentus infelicitatem illius describit, cui in agendo firma illa persuasio deest : 23. *qui autem discernit* (lege : *qui autem haesitat* vel *dubitat* ὁ δὲ διακρινόμενος), *si manducaverit, damnatus est* (κατακέκριται), *quia non ex fide* (ἐκ πίστεως); *omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Noster interpres, qui alibi passivum διακρίνεσθαι latino verbo *haesitare* aut *dubitare* recte reddere solet (cfr 4,20; *Matth.* 21,21; *Marc.* 11,23; *Act.* 10,20; *Iac.* 1,6), hoc in loco participium διακρινόμενος cum activo διακρίνων videtur confudisse. Qua falsa versione in errorem inducti inde ab *A^tri* aetate antiquiores Latini primum membrum eo fere modo quo *Thom.* interpretantur : « *Qui autem discernit,* i. e. qui habet opinionem falsam, quod oportet cibos discernere, *si manducaverit* scilicet cibos, quos reputat esse illicitos, *damnatus est* ex hoc, quod quantum in ipso est habet voluntatem faciendi quod est illicitum, et sic delinquit proprio iudicio condemnatus ». Iuxta genuinam vero loci versionem sententia cum Graecis intelligatur oportet non de eo, qui contra suam conscientiam (erroneam), verum de eo, qui cum conscientia practice dubia agit : « Qui haesitat seu dubitat, num sibi cibus quidam sit licitus, si eum manducaverit, condemnatus est, idque quia non ex certa persuasione (*ex fide*) mandu-

cat ». Recte igitur *Est.* hoc loco ostendi asserit id quod theologi tradant, eum qui facit de quo dubitat, an sit peccatum, peccare. Sententiam videlicet specialem, qua eum, qui dubitans, num sibi liceat, cibum quendam comederit, condemnatum esse dicit, Apostolus sententia universali confirmat, qua omnem actionem, quae non ex certa persuasione eius liceitate procedat, peccatum esse pronuntiat. Hinc etiam patet, parum recte a nonnullis ad illud *condemnatus est* suppleri : *a semet ipso;* quoniam enim de peccato agitur, supplendum omnino est : *a Deo*. Ceterum « nomen damnationis in Scripturis generale est ac saepe extenditur ad poenam temporalem, interdum etiam ad poenam venialis peccati, uti *Matth.* 12,37 : *ex verbis tuis condemnaberis*, ubi de verbis otiosis sermo est » (*Est.*). Quapropter ex paulinis verbis non sequitur, eum semper mortaliter peccare, qui cum conscientia practice dubia agit; sed si quis dubitat, num quid sit mortale, et tamen illud facit, mortaliter peccat; venialiter vero, si facit, quod num sub levi sit prohibitum dubitat.

Quoniam *vv.* 22.23. tam arcte inter se cohaerent, ut quasi unam sententiam continuam constituant, maioris claritatis causa uno tenore eos exposuimus, discrepantibus aliorum interpretationibus, quae multae sunt, interim praetermissis; restat igitur, ut praecipuas saltem ex illis, quae auctorum suorum gravitate commendantur, breviter strictimque proponamus.

Ac primum quidem haud pauci verba κατὰ σεαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ cum *It.* et *Vulg.* vertere malunt : *apud temetipsum habe coram Deo,* iisque prohiberi volunt, ne firmi suam persuasionem externe prodant aut in vita sua ullo modo sequantur : « Noli mihi eam ostendere, sed sufficit tibi tua conscientia et Deus qui eam videt » (*Theoph.* cfr *Chrys. Oec.* etc.), vel etiam : « noli eam opere profiteri coram hominibus, sed sufficit tibi eam habere coram Deo » (*Cai.* cfr *Herv.* etc.). Verum si hic esset sententiae sensus, Paulus sibi non constaret; namque alibi docet, firmis persuasionem suam in vita sua, ubi timendum non sit scandalum pusillorum, sequi omnino licere (cfr ad 1 *Cor.* 10,27-29), id quod iuxta nostram versionem hic quoque asserit. Quare alii illam versionem ita interpretantur, ut ad nostram prope accedat : « Habeto ergo fidem hanc, sed conserva eam apud te et coram Deo, qui corda respicit, *neque utere illa cum scandalo proximi* » (*Tol.* cfr *Thom. Lyr.* etc., *Est. Iust. Lap.* etc., *Beel. M Ev. Ag.* etc.); sed ultimum illud membrum, licet omnino sit ad mentem Pauli, ex eius verbis iuxta *Vulg.* versionem desumi non potest.

Maior est dissensus in altero membro explicando : *beatus qui non iudicat semet ipsum in eo quod probat.* Nonnulli his verbis infirmum instrui arbitrantur, qui exemplo firmorum seductus seu gula illectus contra conscientiam suam cibis vesci velit, quos prohibitos putat; ad eum igitur absterrendum Paulus beatum praedicare dicitur illum, quem propria conscientia non

condemnet (iudicare i. q. condemnare) in eo quod agendum eligat (cfr *A*[ter] *Thom. Est. Lap. Pic. M Ev.* etc.). Sententia vera est ac verbis quoque congruit, quum κρίνειν haud raro sit i. q. condemnare. Quo autem cum iure Apostolus, qui inde a *v.* 13 semper firmos allocutus est et statim 15.1 sqq. eosdem iterum alloquitur, hic subito ad infirmum instruendum transire putetur, non videmus. Si quis verbo κρίνειν significationem condemnandi hic tribuere voluerit, multo rectius sententiam de firmo interpretabitur, qui quum suam persuasionem de omnium ciborum licito usu sequatur a sua conscientia non condemnetur neque vexetur, ideoque beatus sit. Quae explicatio nostrae vicina est, nobis tamen minus probatur non tantum, quia ex paronomasia trium verborum in una hac sententia coniunctorum (κρίνειν, διακρίνεσθαι, κατακρίνειν) apparere videtur, κρίνειν hic diversam a κατακρίνειν significationem habere, sed etiam quia sequens membrum (*qui autem haesitat* etc.) iuxta nostram explicationem facilius adnectitur.

Condemnandi significationem *Orig.* quoque retinet, sed in nostro membro constantiam stabilitatemque commendari censet : « Beatus ille, qui in eo, quod semel probavit et statuit, fixus et stabilis permanet, neque postea se iudicat ac reprehendit dubitans an recte probaverit et statuerit «. Ast haec explicatio neque verbis satis congruit neque cum contextu ullatenus conciliatur. Similiter *Chrys.* (cfr *Theoph.* etc.) contextum non videtur perspexisse, quum praecedens membrum velut contra vanam gloriam dictum interpretatus nostrum hoc modo exponit : « Tu tibi ipsi sufficis ut sis beatus, si te ipsum non condemnas in re, quam probasti seu elegisti ».

Alias porro significationes verbo κρίνειν alii attribuunt. Iuxta antiquiores multos Latinos, qui S. Aug. sequi videntur, sensus sententiae est : « Beatus qui non *facit damnabilem* se ipsum nocendo aliis in eo facto quod laudat et probat » (*Herv.* cfr *Abael. Lomb. Lyr.* etc.) ; sed neque verbum κρίνειν hanc significationem admittit, neque haec sententia ad contextum quadrat. Iuxta iuniores quosdam κρίνειν est i. q. probare ; unde *Salm.* : « Beatus est, qui non iudicat se bene facere in eo quod probat neque se ideo iustum reputat et sanctum, sed potius cum Apostolo dicit : nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum » ; atque *Tolet.* : « Beatus est atque iuste recteque agit, qui per id solum, quod approbat et licitum in se esse cognoscit, non se iudicat quasi bene faciat ; non enim omnia bona bene fiunt, quum in bono faciendo multae qualitates considerentur oporteat ». Quae explicationes quam longe a mente Pauli hic absint, probatione non indiget. Sed haec specimina sufficiunt ; recentiorum autem sententiae a nostra discrepantes ad unam ex enumeratis magis minusve accedunt.

Ultimo in v. 23 membro : *omne, quod non est ex fide, peccatum est,* olim nonnulli nomen *fidei* de ea fide interpretati sunt, qua Christiani sumus. Unde *Orig.* dubitat, annon ex hoc loco recte colligatur, « si quid boni operis apud haereticos geri videatur, illud quia non fiat ex fide in peccatum converti ». *S. Aug.* autem multis in locis (ad Sixt. ep. 194 n. 9 ; de adulterin. coniug. I. 18,20 ; de gr. Chr. 26 ; c. Iul. IV. 3,24 etc.) eumque secuti *S. Prosp.* (ad Rufin. c. 8 etc.), *S. Fulg.* (de rem. pecc. II. 1), *Gl ord.*, *Herv.* etc. ex eo

desumserunt, omnia infidelium opera esse peccata. Quid istae sententiae valeant, docent theologi; id unum hic adnotemus oportet, iuxta totum contextum hoc in loco fidem non posse intelligi mentis assensum, quo divinam revelationem amplectimur, sed significare firmam persuasionem, qua non haesitantes iudicamus, nos hic et nunc licite agere. Qui autem in agendo practice dubitat, num sibi agere liceat, « exercite ita animatus est, ut nihil curet peccatum; quod, quum summopere curari, i. e. caveri debeat, eo ipso quod parvipenditur contrahitur (*Lehmk.* Theol. mor. I. n. 49).

3. — *Firmi exemplum Christi imitati infirmos benigne sustineant* (15,1-13).

15,1. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* 2. *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad aedificationem.* 3. *Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* 4. *Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.* 5. *Deus autem patientiae et solatii, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum :* 6. *ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et patrem Domini nostri Iesu Christi.* 7. *Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.* 8. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum :* 9. *gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo.* 10. *Et iterum dicit : Laetamini gentes cum plebe eius.* 11. *Et iterum : Laudate omnes gentes Dominum : et magnificate eum omnes populi.* 12. *Et rursus Isaias ait : Erit radix Iesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo : ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti.*

15,1. Ὀφείλομεν δὲ ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν. 2. ἕκαστος ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν. 3. καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν, ἀλλὰ καθὼς γέγραπται· Οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε ἐπέπεσαν ἐπ' ἐμέ. 4. ὅσα γὰρ ἐγράφη, πάντα εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν ἐγράφη, ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν τῆς παρακλήσεως. 5. ὁ δὲ Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως δώῃ ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν, 6. ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 7. διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ἡμᾶς εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ. 8. λέγω γὰρ Χριστὸν διάκονον γενέσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, 9. τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεόν, καθὼς γέγραπται· Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσιν καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ. 10. καὶ πάλιν λέγει· Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ· 11. καὶ πάλιν λέγει· Αἰνεῖτε, πάντα τὰ ἔθνη, τὸν Κύριον, καὶ ἐπαινεσάτωσαν αὐτὸν πάντες οἱ λαοί· 12. καὶ πάλιν Ἠσαΐας λέγει· Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαί, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. 13. ὁ δὲ Θεὸς τῆς ἐλπίδος πληροφορήσαι ὑμᾶς ἐν πάσῃ χαρᾷ καὶ εἰρήνῃ, ἐν τῷ πιστεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου[1].

1. *VV. LL.* — 2. ἕκαστος (*unusquisque*), nulla coniunctione addita, B ℵ A C D E F G L P, multi minusc. et omnes verss.; quare merito reprobatur lectio ἕκαστος γάρ (unusquisque *enim*), quam *textus rec.* cum haud multis minusc. exhibet. — ἕκαστος ἡμῶν

Inde a 14,14 Apostolus firmos diligentissime cavere iussit, ne ullo modo vita sua liberiore infirmis ansam seu occasionem peccandi praeberent. Cui negativo praecepto ut facilius iam satisfaciant, eisdem nunc regulam generalem proponit, quam in sua conversatione cum infirmis tenere debeant. Primum enim monitum suum (14,1 *infirmos in fide assumite*) recipiens eos adhortatur, ut infirmorum opiniones toleranter ferant suaque non quaerentes sese ad illos accommodent, ut illorum spiritualem utilitatem promoveant (*vv.* 1. 2); Christi enim exemplum eis esse imitandum, quem Scripturae ad nostram institutionem nobis datae opprobria in se nostra causa suscepisse testentur

(unusquisque *nostrum*) B ℵ A C D L, multi minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* de mor. Manich. II. 14,32) *Syr. Copt. Arm.*; sed ἕκαστος ὑμῶν (*unusquisque vestrum*) F G P, haud pauci minusc., *It.* (cfr *Orig. interpr.*) *Vulg.*; utraque lectio per se apta, at prior ob testium criticorum maiorem auctoritatem praevalet. — 4. ὅσα γὰρ ἐγράφη (*quaecumque enim scripta sunt*) solus B cum *It.* (cfr *A^ter^ Orig. interpr. Pel.* etc.) *Vulg. Arm. Aeth.*; sed ὅσα γὰρ προεγράφη (quaecumque enim *antea scripta sunt*) ℵ A C E L P (ex lapsu calami D F G : προσεγράφη), omnes minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* c. Faust. XIII. 18 et saepius) *Syr. Copt. Goth.*; quae lectio ob maiorem testium auctoritatem et ob internas rationes (cfr *Comment.*) merito praefertur. — Alterum autem ἐγράφη (*scriptum est*) cum B ℵ D E F G. paucis minusc., *It.* (cfr *S. Aug.* etc.) *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.* retineri meretur, quamvis ibi quoque προεγράφη legatur ab A L P, plerisque minusc., *Syr.* (codd.). — διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως (per patientiam et *per* consolationem) B ℵ A C L, haud pauci minusc., *Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.*; at *textus rec.* secundum διὰ omittit cum D E F G P, plerisque minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt Goth.*; utra lectio praeferatur, parum interest, quum ambae eodem sensu explicari possint; cfr *Comment.* — τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν τῆς παρακλήσεως (spem habeamus *consolationis*) solus B; genetivus τῆς παρακλήσεως omittatur cum reliquis testibus. — 7. προσελάβετο ἡμᾶς (suscepit *nos*) B D P, multi minusc.; lege : προσελάβετο ὑμᾶς (*suscepit vos*) cum ℵ A C E F G L, multis minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Goth.* — 8. λέγω γάρ (*dico enim*) B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Goth.*; sed *textus rec.* : λέγω δέ (dico *autem*) cum L, plerisque minusc., *Syr. Arm.*; prior lectio merito praefertur. — Nudum nomen Χριστόν exhibent B ℵ A C, *Copt. Arm. Goth.*; sed Χριστὸν Ἰησοῦν exhibent L P, plerique minusc., *It. Vulg. Goth.*, atque Ἰησοῦν Χριστὸν legunt D E F G. pauci minusc., *Syr.*; prima lectio, ex qua duae aliae exortae videntur, videtur genuina. — γενέσθαι (fuisse) B C D F G, sed γεγενῆσθαι (exstitisse) ℵ A E L P, omnes minusc.; utra lectio praeferatur, nihil interest, secundam tamen maior testium numerus commendat. — 9. ἐν ἔθνεσιν (*in gentibus*), vocativo Κύριε non addito, est communis lectio, quam cum *A^tro^* et *Orig. interpr.* etiam antiquiores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Demid.* etc.) sequuntur; vocativum *Domine* autem cum *Pel.* et *Sed.* alii codd. *Vulg.* uti etiam *Copt.* et *Syr.* (codd.) addunt. — 11. καὶ πάλιν λέγει (et iterum *dicit*) B D E F G, *Syr. Copt. Arm. Goth.*; verbum λέγει omittunt ℵ A C L P, omnes fere minusc., *It. Vulg.* — ἐπαινεσάτωσαν (*laudent*) B ℵ A C D E, pauci minusc.; sed *textus rec.*, ut videtur. melius : ἐπαινέσατε (*laudate*) cum F G L P, plurimis minusc. et omnibus verss. — 13. ἐν πάσῃ χαρᾷ καὶ εἰρήνῃ (*in* omni gaudio et pace) solus B; cum reliquis testibus lege : πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης (*omni gaudio et pace*). Similiter post ἐν τῷ πιστεύειν cum reliquis supple : εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς (*ut abundetis*), quod solus B omittit.

(*vv*. 3. 4). Quod ut non nisi per divinam gratiam fieri posse intelligant, Deum precatur, ut fidelibus mutuam concordiam largiatur, qua unanimes uno ore eum celebrent (*vv*. 5. 6). Quia porro hic in firmorum, qui plerique Ethnicochristiani erant, maxime institutione versatur, diversam rationem eis in memoriam revocat, qua ipsi et Iudaeochristiani in Ecclesiam sint admissi. Namque utrosque quidem per Christum ad glorificandum Deum assumtos esse, utrosque igitur etiam se mutuo assumere debere monet (*v*. 7); attamen Iudaeos quasi proprio quodam iure per Christum admissos esse addit, ut promissionum patriarchis olim datarum veritas probaretur (*v*. 8), ethnicos vero, ut in eorum admissione misericordia potissimum appareret Dei, qui videlicet eis promissiones quidem non dedisset, multis tamen vaticiniis se eos cum Iudaeis adunaturum esse antiquitus iam manifestasset (9-12). Qua ex differentia colligi vult, firmos, utpote qui potissimum misericordiae admissionem suam in Ecclesiam debeant, ad infirmos, qui suo quasi iure membra illius sint, benigne assumendos oportere esse promtiores. Totam demum partem paraeneticam terminat utrisque plenitudinem gaudii ac pacis spiritualis a Deo exoptans (*v*. 13).

Praecedenti sectioni hanc arcte annexurus Paulus magno peccandi periculo, quod infirmis vix non necessario creet accommodatio ad liberiorem firmorum vitam (14,23), statim officium opponit, quo firmi infirmorum erroneas opiniones defectusque patienter tolerare et ad eorum scrupulos sese accommodare teneantur : 1. *debemus autem nos firmiores* (ἡμεῖς οἱ δυνατοί i. q. nos qui validi sumus) *imbecillitates infirmorum ferre* (τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν) *et non nobis placere*. Quam sententiam *Theod*. breviter sed bene exponit : « Scio te validum esse fidemque te potentem reddidisse, sed hortor te, ut infirmo manum praebeas et non tua tantum quaerens proximi salutem procures ». Dubium nemini est, quin nomine τῶν ἀδυνάτων (invalidorum), quorum imbecillitates (vel potius infirmitates τὰ ἀσθενήματα) ferendae sint, iidem designentur, qui antea ἀσθενοῦντες τῇ πίστει (14,1. 2 *infirmi fide*) nominati sunt. Quare etiam οἱ δυνατοί (potentes seu validi cfr 1 *Cor*. 26; *Act*. 25,2 etc.), quibus Apostolus se ipsum accenset, hic strictiore sensu intelligendi sunt *fide validi*, quos inde a 14,13 allocutus est quosque de quaestione inter Romanos recte sentire supra (14,14) significavit. « Sicut autem in materiali aedificio, inquit *Thom*., aliqua eliguntur firmiora ad sustinendum totum aedificii pondus quod superimponitur, puta fundamenta et columnae, ita etiam in spirituali Ecclesiae aedificio non solum eliguntur sed efficiuntur aliqui firmiores, ut sustineant pondus aliorum ».

Apostolus ergo simili modo, quo alibi duas has fidelium classes distinguens eos qui scientiam habeant iis qui ea careant (cfr 1 *Cor.* 8,1. 7) eosque qui spirituales sint carnalibus (*Gal.* 6,2 cfr ad 1 *Cor.* 3,1) indulgere atque auxilio adiumentoque esse vult, hic quoque validis duo officia inculcat, quorum observationem primo suo verbo (*debemus* ὀφείλομεν) non ab eorum beneplacito dependere sed ad officia caritatis fraternae pertinere declarat (cfr *Cai.*). Primum enim validi omnia, quibus fratrum infirmitas fidei sese manifestat (haec nimirum cuncta nomine τὰ ἀσθενήματα *imbecillitates* comprehenduntur), ergo non tantum inanes eorum scrupulos sed etiam eorum temeraria iudicia eorumque convicia aliosque defectus, velut onus sibi impositum *ferre,* i. e. non minus clementer quam constanter et fortiter tolerare iubentur (cfr ad *Gal.* 1. 2). Quod ut facere possint, Paulus altero membro eos *sibi ipsis placere* vetans prohibet, ne de sua fide gloriantes infirmum despiciant (14,3) aut contristent (14,15), neve suis tantum commodis servientes eius utilitatem salutemque negligant vel posthabeant, neve demum suam persuasionem obstinate ac superbe sequentes ei fiant causa vel occasio ruinae spiritualis (14,20).

Quam duplicem regulam generaliore sensu intelligendam esse neque in sola quaestione, de qua hic agitur, sed per totam vitam in omnibus observandam esse, *Chrys.* haud immerito adnotat. Namque Apostolus, quum negativo membro praecedenti (*debemus... non nobis placere*) explicationis causa positivum opponat: 2. *unusquisque vestrum* (ὑμῶν, melius : *nostrum* ἡμῶν cfr *VV. LL.*) *proximo suo placeat in bonum ad aedificationem* (εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν), se omnibus Christianis (*unusquisque nostrum*) relate ad omnes (τῷ πλησίον *proximo suo*) praeceptum proponere ipsis suis locutionibus satis clare demonstrat. Verbum ἀρέσκειν (*placere*) in hac sententia, uti saepius (cfr 1 *Cor.* 10,33; *Gal.* 1,10; 1 *Thess.* 2,4), de conatu vel potius de studio adhibitum recte censetur, quo aliquis, suis ipsius commodis posthabitis, ad aliorum opiniones ac voluntates eo fine se accommodat, ut eis acceptus probatusque fiat (ἀρέσκω i. q. *studeo placere*). Atqui honestatem studii aliis placendi ab opinionum voluntatumque, ad quas aliquis se accommodat, natura et indole proxime pendere evidens est. Etenim si illae legi divinae repugnant, nemini profecto ad eas se accommodare licet; de hoc autem perverso accommodationis genere Apostolus loquitur, ubi ad iudaizantes Galatarum seductores respiciens haud sine indignatione ait : « Si adhuc (sicuti ante meam conversionem) hominibus placerem (i. q. placere quaererem), Christi servus non essem » (cfr ad *Gal.* 1,10). Sin vero legi divinae non repugnant, accommodatio non modo licita est sed etiam, quotiescumque utilitati et aedificationi proximo-

rum inservit, a caritate fraterna exigitur. Quare Apostolus Corinthios exhortatur, ut se ipsum imitentur, quippe qui « per omnia omnibus placeat (i. e. placere studeat) non quaerens quod sibi utile sit, sed quod multis, ut salvi fiant » (cfr ad 1 *Cor.* 10,33); nam ad suam vivendi rationem ibi respicit, qua in apostolicis suis peregrinationibus ad suum commodum non attendens ad omnia hominum genera, quibuscum ei conversandum erat, se accommodavit, Iudaeis Iudaeus, Legem non habentibus quasi exlex, infirmis infirmus factus, ut omnes faceret salvos (cfr ad 1 *Cor.* 9,19-22).

De hoc altero autem placendi studio se in nostro praecepto loqui duabus ultimis locutionibus ostendit (*in bonum ad aedificationem*), quibus duplicem finem indicat, quem ante oculos habeamus oportet, quotiescumque fratri placere studemus : propiorem, ut fratri, nostris commodis postpositis, bonum i. e. utilitatem spiritualem procuremus (εἰς τὸ ἀγαθόν i. q. εἰς τὸ σύμφορον cfr 1 *Cor.* 10,33), et remotiorem, ut bonum fratris procurantes eum aedificemus, i. e. ad eius perfectionem salutemque aliquid conferamus (πρὸς οἰκοδομήν). Minus recte nonnulli moderni priorem locutionem de obiecto, quo quis alteri placere quaerit, et solam secundam de studii fine interpretantur. Praepositionem εἰς enim hic latino *quod attinet ad* respondere (uti 4,20; 2 *Cor.* 11,14; 13,3; *Gal.* 6,4) volunt et τὸ ἀγαθὸν de bono honesto intelligunt, ut sensus praecepti sit : « Unusquisque proximo placere studeat relate ad id quod honestum est (εἰς τὸ ἀγαθόν) idque eo fine, ut eum ad salutem adducat (πρὸς οἰκοδομήν). Quae explicatio etsi per se apta sit, scopo Apostoli non omnino congruere videtur.

Corinthiis, quos in Christo per Evangelium genuerat (1 *Cor.* 4,15) et qui per haud paucos annos eum suis ipsius commodis, ut alios salvaret, semper renuntiare spectarant, Paulus se ipsum tamquam exemplar imitandum proponere potuit (cfr ad 1 *Cor.* 11,1). Romanos vero, quibus fere ignotus erat, Christum Dominum intueri iubet, ut illius exemplo, quod ipse quoque imitatus erat, edoceantur ad propria commoda non esse attendendum, ubi de proximorum salute agitur : 3. *etenim* (καὶ γάρ melius hic : *nam et* cfr 11,1 etc.) *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* De priore membro bene *Chrys.* : « Quid sibi vult illud *non sibi placuit?* Licuit Christo non ferre opprobria eaque, quae passus est, non pati, si sua spectare voluisset; at illa spectare noluit, sed quod nostrum erat respiciens neglexit ea, quae ipsius erant ». Revera iuxta totum contextum Apostolus eos *sibi placere* dicit, qui sua semper quaerentes aliorum salutem non curant, sicut firmi illi, quos antea reprehendit eo quod suam persuasionem de licito omnium ciborum usu

etiam cum infirmorum scandalo sequi vellent ad eorumque infirmitatem non attenderent. Atqui hoc sensu locutionem hic quoque esse intelligendam, secundo membro positivo ostendit, quo prius negativum illustrans tantum abfuisse monet, ut Christus suo bono contentus alios non curaret, ut ad Patris gloriam promovendam et ad nos salvandos opprobria adversariorum Dei in se susciperet et « proposito sibi gaudio crucem sustineret confusione contemta » (*Hebr.* 12,2).

Ut Christum non sibi placuisse explanet ac demonstret, altero in membro Paulus sententiam ex *Ps.* 68,10 desumtam anacoluthice adiungit, qua iustus de opprobriis conqueritur, quibus ob suum zelum domus Dei a peccatoribus oneretur. Iure autem dictum illud Christo Patrem suum alloquenti attribuit, quia in toto isto carmine iustum κατ' ἐξοχήν, i. e. Christum, loqui constat (cfr quae de Psalmi 68. prophetico et messianico charactere adnotavimus ad 11,9. 10 p. 585). Ad sententiae nostrae constructionem sanandam haud pauci iuniores ac moderni aliquid supplendum esse arbitrantur (cfr ex. gr. *Tol.* : « non sibi placuit, sed *imbecillitates omnium infirmorum sustinuit*, sicut scriptum est : Improperia » etc.; *Est.* : « non sibi placuit, sed *nobis placuit in bonum*, sicut scriptum est » etc.; *Lap.* : « sed *nostris commodis servivit*, sicut » etc.; *Beel.* : « sed *ita egit*, *ut de se dicere potuerit*, sicut « etc.); verum haec aliaque similia supplementa non minus superflua quam arbitraria videntur. Apostolus enim, qui concisum concitatumque dicendi genus amat, pro indirecto sermone, quo ad anacoluthum evitandum uti quidem potuit, sed qui languidior est (« non sibi placuit, sed, sicut scriptum est, improperia improperantium Deo ceciderunt super eum » sc. Christum), directum accuratiore neglecta constructione adhibere maluit, cui et maior inest vis ac virtus et quo allegatorum verborum contextus sua quasi sponte in memoriam revocatur. Contextus enim consideretur necesse est, ut plenus, quem Apostolus sua allegatione significare voluit, sensus percipiatur. Iuxta completam scilicet sententiam (« zelus domus tuae comedit me, et [ideo] improperia improperantium tibi ceciderunt super me ») Christus propter suum zelum domus Dei opprobria peccatorum *Deo* maledicentium (*improperantium tibi*) sibi contraxit. Iamvero *zelus domus Dei* hoc in loco, praesertim si ad *Ioan.* 2,17 attenditur, proxime quidem ille intelligi potest, quo Dominus omnem templi et cultus divini violationem impedire studuit, iuxta totum tamen carminis contextum maxime ille intelligatur oportet, quo per totam suam vitam gloriam Patris sui defendit atque morte sua pro nostris peccatis satisfaciens auxit promovitque. Hoc sensu si Psalmistae sententia intelligitur, facile apparet, quam apte hoc in loco a Paulo sit allegata.

Christi Domini vita ac mors per se iam omni Christiano summum est vivendi ac moriendi exemplum; quare satis fuisset, si Paulus suis verbis Romanis in memoriam revocasset, eum commodis omnibusque suis rebus salutem nostram Patrisque sui gloriam autetulisse; sed ut maiore imitationis studio eos inflammaret, illud Scripturae verbis docere maluit. Hanc nimirum ipse praecedentis allegationis dat rationem, quum pergat : 4. *quaecumque enim scripta sunt* (ὅσα γὰρ ἐγράφη, cum *S. Aug.* etc. melius : *quaecumque enim ante scripta sunt* ὅσα γὰρ προεγράφη cfr *VV. LL.*) *ad nostram doctrinam scripta sunt* (ἐγράφη), *ut per patientiam et consolationem* (διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως vel : *per patientiam et per consolationem* διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ διὰ παρακλήσεως cfr *VV. LL.*) *Scripturarum spem habeamus.* Ad finem igitur Romanos attentos facit, quem Deus in Scripturis inspirandis ac dandis prosecutus est. Nam sicuti alibi quoque haud semel monet (cfr 4,23. 24; 1 *Cor.* 9,10; 10,11; 2 *Tim.* 3,16. 17.), Deus iam in Vetere Testamento omnia literis consignari voluit, ut ad Christianos erudiendos inservirent. Quicumque autem attenta mente consideraverit, sibi iam antiquitus singulari Dei providentia uberrimum ac plenissimum doctrinae fontem esse apertum, is sibi quasi temperare non poterit, quin grato animo iis utatur, quae Deus tanta cum benignitate ac liberalitate ei largitus est. Unde Romani quoque verbis allegatis, quibus Christum ad Dei gloriam reparandam et ad procurandam hominum salutem opprobria in se suscepturum esse tamdiu antea Deo moderante annuntiatum est, ad eius exemplum imitandum efficacius permovebantur. Hinc elucet, lectionem ὅσα προεγράφη (quaecumque *ante* scripta sunt), quam plerique graviores testes critici tuentur, etiam menti argumentationique Pauli melius congruere ac proinde retinendam esse. Cave tamen credas, hac locutione solas praedictiones figurasque in Vetere Test. contentas significari; a messiano quidem vaticinio (*Ps.* 68,10) Paulus hic proficiscitur, sed totum Veteris Test. argumentum complectitur (*quaecumque* antea scripta sunt), idque iure etiam ex eo colligimus, quod praeter vaticinia typosque ipse haud pauca ex Vetere Test. affert, quibus nos erudiri aliquoties disertis verbis declarat, saepissime sua argumentatione demonstrat.

Non sine causa autem cum emphasi asserit, omnia quae ante aetatem christianam scripta sint ad *nostram* (sc. Christianorum) doctrinam scripta esse. Licet enim proxime Iudaeis sint data eosque praeprimis spectare videantur, re tamen Deus in iis inspirandis Ecclesiam eiusque membra potissimum respexit illisque ea destinavit. Revera post Christi adventum Iudaeis ad doctrinam non iam inserviunt, quia ea propter velamen, quod super cor eorum positum est, non iam intelligunt neque

intelligere possunt, sicut ea Christi tempore non amplius intellexerunt neque intelligere voluerunt (cfr ad 2 *Cor.* 3,14 sq.). Ad nostram vero *doctrinam* seu institutionem (εἰς... διδασκαλίαν) ea scripta esse asserens non tam de credendis, quamvis haec quoque in Vetere Test. toto contineautur ac tradantur, quam de agendis hoc in loco cogitat. Scripturas enim nobis datas esse addit, *ut per patientiam et (per) consolationem earum habeamus spem*, i. e. *ut* in huius temporis tribulationibus *patientiam* vel constantiam *exercentes* (διὰ τῆς ὑπομονῆς quo de nomine cfr ad 2,7; 5,3), quam multis et praeclaris exemplis nos docent et ad quam frequentissime nos adhortantur, *et consolatione nos corroborantes* (καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως), quam nobis promissionibus suis magnificis continuo subministrant, *spem* (τὴν ἐλπίδα spem ergo illam, quae Christianis propria est) aeternae hereditatis filiis adoptivis destinatae *habeamus* ac teneamus in eaque crescamus. Patientia enim probationem, probatio autem spem operatur, quae nos nec fallit nec fallere potest (cfr ad 5,4 sq.).

Inter modernos nonnulli, quia locutionem ἡ ὑπομονὴ τῶν γραφῶν (*patientia Scripturarum*) parum aptam esse arbitrantur, genetivum τῶν γραφῶν ad solum secundum nomen (τῆς παρακλήσεως) trahere volunt (i. q. per patientiam et Scripturarum consolationem), atque in huius explicationis confirmationem monent, iuxta graviores testes criticos (cfr *VV. LL.*) legendum esse : διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως, repetitione ergo praepositionis duo nomina ita divelli ac separari, ut genetivus γραφῶν ad utrumque referri nequeat (cfr *Mai. Sch.* etc. — *Rück. Goeb. Lange* etc.). Verum cur Scripturae nobis minus apte *patientiam* quam *consolationem* exhibere ac subministrare dicantur, equidem non intelligo. Exemplis et verbis in tribulationibus nos corroborant, ut fortiter et constanter eas toleremus, nosque consolantur, ut eas cum gaudio perferamus. Praepositionis autem repetitio difficultatem non creat; secundo διά, si genuinum est (de quo dubitare licet), Apostolus dumtaxat impedire voluit, ne duo nomina (ὑπομονή et παράκλησις) nimis arcte inter se colligentur. Profecto quum immediate postea (*v.* 5) Deum vocet τὸν Θεὸν τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως, satis clare significat, eum per Scripturas nobis patientiam et consolationem largiri.

Ab ultima sententia de fine et utilitate Scripturarum, quam obiter tantum explicationis causa et quasi parenthetice inseruit, Paulus ad argumentum suum revertens fidelibus mutuam concordiam, in qua commendanda versatur (*v.* 1 sq.), a Deo efflagitat, ut una mente et uno ore Deum celebrare possint : 5. *Deus autem patientiae et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum* (rectius : *idem sapere inter vos invicem* τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις) *secundum Iesum Christum*, 6. *ut unanimes uno ore honorificetis Deum et patrem Domini nostri Iesu Christi*. Quo pio voto non tantum lectores ad concordiam restituendam indirecte hortatur, sed simul eam a divina gratia pendere neque nisi

precibus obtineri ostendit. Praecedente quidem sententia adductus est, ut Deum hic vocaret *patientiae et solatii* auctorem ac largitorem; at si similes appellationes comparamus (Deus *spei* v. 13; *pacis* v. 33; 16,20; *Phil.* 4,9; 1 *Thess.* 5,23; *Hebr.* 13,20; *dilectionis* 2 *Cor.* 13,11), dubitare nobis non licet, quin nostram hoc in loco elegerit, ut duo haec dona divina Romanis ad concordiam restituendam ac servandam necessaria esse significaret. Revera firmi patientia indiguerunt, ut suis commodis posthabitis scrupulos infirmorum tolerarent ad eosque se accommodarent, infirmi autem consolationem, utpote a firmis contemti et contristati. Porro supra (ad 12,16) iam adnotavimus, τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις non idem esse ac τὸ αὐτὸ φρονεῖν εἰς ἀλλήλους, hic igitur non praecipi, ut fideles eodem modo erga alios affecti sint atque erga se ipsos, sed ut in opinionibus sententiisque inter se consentientes mutuam concordiam colant. Idem autem inter se sentire iubentur *secundum* (κατὰ) *Iesum Christum*, i. e. secundum *voluntatem* Christi (cfr κατὰ Θεὸν secundum Dei voluntatem vel beneplacitum 8,27; 2 *Cor.* 7,9. 11), cui videlicet summae curae est mutua concordia et pax, quin etiam intima unio fidelium (cfr *Eph.* 2,14 sqq.; *Ioan.* 12,34 sq.; 17,11 sqq. etc.). Minus recte vero cum *Orig.* nonnulli iuniores locutionem illam interpretantur *secundum doctrinam Christi* illamque adiectam esse volunt « ad excludendam consensionem in doctrina falsa » (*Est.* cfr *Tol. Nat.* etc.); plane otiosum enim ac superfluum eiusmodi additamentum esset, quia ne stultissimo quidem in mentem venire potuit, Apostolum Deum precari, ut Romanis consensum in falsa doctrina largiatur. Neque satis recte quoque alii eam idem valere censent quod *ad exemplum Christi* (cfr *Lap. Pic. Reith.* etc.); nam in toto contextu nihil legitur, quod Christum cum Patris voluntate consentientem hic velut exemplum mutui fidelium consensus proponi ullo modo suadeat aut insinuet; immo dubitare licet, num hoc exemplum nostro in loco, in quo de firmis infirmisque reconciliandis agitur, apte afferri potuerit.

Finis demum concordiae, quam Apostolus omnibus suis lectoribus a Deo exposcit, is est, ut omnes *unanimiter* (ὁμοθυμαδὸν), i. e. animis inter se consentientes, *uno ore*, i. e. eadem quoque externa fidei suae professione, glorificent « Deum, qui Christum secundum humanitatem creavit et secundum divinitatem genuit, atque hac ratione vere est *Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi* » (*Herv.*). Multi utique hanc appellationem haud infrequentem ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (cfr 2 *Cor.* 1,3; 11,31; *Eph.* 1,3; *Col.* 1,3; 1 *Petr.* 1,3) ita interpretantur, ut genetivum τοῦ Κυρίου ad solum nomen Πατὴρ trahant (« Deus qui est Pater Domini nostri Iesu Christi); sed

haec interpretatio verbis graecis minus congruit (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 18 sq., ubi fusius de hac appellatione disseruimus).

Mutua igitur fidelium concordia divinum quidem donum est, sua tamen ex parte fideles ipsi ad illud obtinendum et conservandum cum gratia divina cooperari debent. Id Apostolus demonstrat, quum ad finem indicatum, ut omnes scilicet unanimiter uno ore Deum celebrent, omnino requiri affirmat, ut discordiarum causis sepositis in mutuam amicitiam se recipiant : 7. *propter quod* (διό) *suscipite* (vel melius : *assumite* προσλαμβάνεσθε cfr 14,1) *invicem*, *sicut et Christus suscepit vos* (melius : *assumsit vos* προσελάβετο ὑμᾶς aut minus apte : ἡμᾶς *nos*) *in honorem Dei* (εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ). Particulam διό (propter quod) ad membrum finale immediate praecedens referendam esse, ex arcto duorum *vv.* 6 et 7 nexu elucet. Nam verbis εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ (*in honorem Dei*) ad praecedens ἵνα δοξάζητε τὸν Θεόν (*ut honorificetis Deum*) aperte alluditur. Fideles ergo, ut Deum glorificent sua concordia, mutuam in amicitiam sese assumere iubentur, sicut Christus ipsos in suam amicitiam assumserit, ut divinam gloriam promoveret.

Sunt quidem, qui coniunctione illa omnes rationes in superiore exhortatione inde a 14,2 expositas comprehendi dicant (διό i. q. quae quum ita sint), idque potissimum, quia Apostolus nostro in loco ad primum suum praeceptum (14,1) revertatur illudque quasi repetat (cfr *Iust. Nat. Reith. Mai. Beel.* etc.); at totam huius partis structuram non satis perpendunt. Namque inde a 14,15 Paulus solos firmos exhortans rationes affert, quae ad eos solos pertinent neque ullo modo infirmis conveniunt; inde autem a praecedente precatione (*vv.* 5.6) omnes Christianos romanos, infirmos non minus quam firmos, respicere coepit. Neque nostrum praeceptum (προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους *assumite vos invicem*) idem atque primum (προσλαμβάνεσθε τὸν ἀσθενοῦντα *assumite infirmum*) esse recte dicitur, sed praeter firmos etiam infirmos attingit. Etenim hi quoque, quum firmorum societatem fugerent, concordiam perturbabant monitoque indigebant, ut eos in suam consuetudinem familiaritatemque reciperent. Similiter ex altero membro, quo Christus omnes in suam amicitiam ad Dei honorem suscipiens lectoribus epistolae velut exemplum imitandum proponitur, non minus clare elucet, praeceptum nostrum et ad infirmos et ad firmos spectare. Paulus enim, ut illud explanet, mox ostendet, quomodo Christus assumtione utriusque populi, quum Iudaeorum (*v.* 8), ex quorum numero fere omnes erant infirmi, tum gentilium (9-12), ex quibus erant firmi, Patrem glorificaverit. Quia autem in gentium assumtione explicanda diutius immoratur, omnino concedimus, immo asserimus, eum etiam in nostro

praecepto firmos seu Ethnicochristianos, qui praecipuam ecclesiae romanae constituebant partem, potissimum spectasse (cfr infra).

Si contextum consideramus, dubium vix est, quin verba εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ cum immediate praecedentibus καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ὑμᾶς, id quod eorum collocatio postulat, sint connectenda iisque significetur, Christum Iudaeos et gentiles in suam amicitiam assumsisse, ut hac ratione gloriam Dei promoveret. Unde sua sponte sequitur, Christianos quoque se mutuo assumere debere, ut sua concordia Deum glorificent (cfr *Thom. Tol*[2]. *Est. Lap. Nat. Reith. Mai. Beel. Bisp. Ag*[2]. etc.). Mirum autem est, quod haec explicatio tam clara et simplex, quam Paulus ipse sequente sua expositione aperte indicat, non omnibus placuerit et quod antiquiores plerique, ne dicam omnes, eam non adoptaverint. Graeci enim fere omnes (cfr *Chrys. Theoph. Oec. Euth.*) et *A*[ter], nonnullis iunioribus consentientibus (cfr *Cai. Tol*[1]. *Ag*[1]. etc.), verba illa per hyperbaton ad prius membrum trahunt : « Suscipite vos invicem in honorem Dei, i. e. eo fine (vel etiam : ita) vos mutuo suscipite, ut haec susceptio in Dei honorem cedat ». Alii verborum nexum genuinum retinentes, sensum eorum pervertunt; nam cum *Orig.* nonnulli explicant : « Sicut Christus vos suscepit, ut per bona vestra opera glorificaretis Deum » (cfr *Haym. Herv.* etc.), aut cum *Mopsu.* nomine *gloriae Dei* hic gloriam, quam Deus hominibus tribuit, intelligunt : « Christus suscepit vos, ut vos gloriae divinae faceret participes » (cfr *Lomb. Iust. Pic. M. Ev.* etc.). Quibus refutandis immorari operae pretium non est; variae enim istae interpretationes sanam quidem continent doctrinam, sed nostro loco nequaquam congruunt.

Iam praecedentis membri explicationem quandam et confirmationem Paulus consueta sua formula (λέγω γὰρ *dico enim* vel frequentius : λέγω δέ cfr ad *Gal.* 4,1; 3,17; 5,16; 1 *Cor.* 1,12 etc.) affert. Qua enim ratione Christus omnes romanos neophytos, qui antea partim Iudaei, partim ethnici fuerant, in suam Ecclesiam ad honorem Dei susceperit, ita exponit, ut eorum admissione Deum diverso modo glorificatum esse ostendat, quoniam aliud attributum divinum per Iudaeorum, aliud per ethnicorum vocationem magis sit illustratum : 8. *dico enim, Christum (Iesum) ministrum fuisse* (διάκονον γενέσθαι vel *exstitisse* γεγενῆσθαι cfr *VV. LL.*) *circumcisionis propter veritatem Dei* (vel : *in gratiam veritatis* i. e. veracitatis ac fidelitatis *Dei* ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ) *ad confirmandas* (εἰς τὸ βεβαιῶσαι) *promissiones patrum*, 9. *gentes autem super misericordia* (clarius ac melius, quia eadem praepositio repetitur : *propter misericordiam* ὑπὲρ ἐλέους) *honorare* (δοξάσαι) *Deum, sicut scriptum est* etc. Sententiae sensum paucis *Toletus* hoc modo proponit : « Christus suscepit Iudaeos ex quadam iustitia, quia scilicet patribus eorum id promissum erat, gentes vero ex misericordia; suscepti ergo

sunt utrique propter honorem Dei, sed in Iudaeis Dei veritas [i. e. fidelitas], in gentibus misericordia Dei manifestatur ». Quis vero huius loci cum superioribus sit nexus, ut intelligatur, consideretur oportet, iuxta hanc explicationem Iudaeos quidem et gentiles, quum utrique ad Dei honorem a Christo in suam amicitiam ac familiam suscepti sint et inter se coniuncti in unum corpus coaluerint, nunc esse obligatos, ut unanimes uno ore celebrent Deum fidelem ac misericordem (*v.* 6), Ethnicochristianis tamen, quia ex misericordia assumti sint, speciale esse officium, ut fratres suos circumcisos, qui proprio quodam iure sint recepti, honorifice tractent in suamque familiaritatem alacriter et clementer assumant[1] (*v.* 1; 14,1).

Si quis vero obiecerit, Iudaeos non minus, quam gentes, misericordiae divinae suam debere assumtionem, ac similiter in ethnicorum aeque ac in Iudaeorum vocatione divinam fidelitatem sese manifestasse, recte respondetur, Apostolum utroque in membro illud maxime efferre attributum divinum, quod in alterutrius populi assumtione splendidius elucebat. Procul dubio Iudaei misericordiae suam redemtionem debent, uti Paulus semet ipsum misericordiam consecutum esse testatur (1 *Tim.* 1,16). Misericordia quippe Deum permovit, ut patriarchis promissiones de messiana salute daret easque filiis Israel continuo per prophetas repeteret; postquam autem eas dedit, Deus pro fidelitate sua eas implere tenebatur. Iudaei ergo ob promissiones in maioribus suis acceptas ius quoddam externum ad salutem habuerunt; Deus autem in eis vocandis proxime suam fidelitatem manifestavit, quamvis simul misericordiam suam manifestaret, quoniam Iudaei vocationem suam nullo modo meruerant aut merere potuerant. Contra in gentium vocatione potissimum splendescebat misericordia divina; neque enim dumtaxat salutem non meruerant sed etiam, quum promissio nulla eis esset facta, iure illo externo Iudaeorum carebant. Nam se gentes esse salvaturum, Deus praedixerat quidem et Abrahae quoque promiserat, se in eius semine gentes esse benedicturum; attamen neque haec promissio neque illae praedictiones gentibus ipsis erant factae, sed Iudaeis eorumque patriarchae. Quare erga gentes fidelitate sua Deus non erat ligatus, verum erga Iudaeos; illi enim soli, cui promittimus, obligamur. Quem in sensum *Thom.* « aliquis, inquit, modus

1. Bene *S. Aug.* (expos. *n.* 82) nostra verba a Paulo addi monet, « ut intelligant gentes Dominum Christum ad Iudaeos esse missum, et non superbiant; Iudaeis enim repellentibus quod ad ipsos missum est, factum est, ut gentibus Evangelium praedicaretur... Quod gentes si bene considerent, intelligunt ista sua fide, qua iam credunt omnia munda mundis, non se debere insultare his, si qui forte infirmi ex circumcisione fuerint, qui propter communicationem idolorum nullas omnino audeant carnes attingere ».

veritatis [seu fidelitatis], scilicet pro impletione promissionum, consideratur in vocatione Iudaeorum, qui non consideratur in vocatione gentium, quibus promissiones non sunt factae » (cfr *Cai. Soto, Tol. Est. Reith. Beel. Ag.* etc.).

Quibus praemissis singula exponamus. Christum *ministrum circumcisionis* (διάκονον περιτομῆς) ideo vocari fere omnes Graeci statuunt, quia ipse se circumcidi passus sit suaque circumcisione se tamquam genuinum exhibuerit Abrahae semen, in quo omnes gentes essent benedicendae (cfr *Orig. Chrys. Mopsu. Theod. Dam. Phot. Theoph. Oecum*[1]. *Euth.*). Cui mirae explicationi ex Latinis solus, ut videtur, *Pel.* adstipulatus est, quum reliqui omnes inde ab *A*[tri] et *S. Aug.* aetate, consentientibus nonnullis Graecis (cf *Cyr Alex. Oecum*[2].), nomine *circumcisionis* hic, uti saepe (cfr 3,30; 4,9. 12; *Gal.* 2,7 sqq. etc.), metonymice *circumcisos* seu Iudaeos designari iure teneant; quominus enim alio sensu nomen sumatur, prohibet oppositum *gentes autem* (τὰ δὲ ἔθνη). Christum vero, qui in hunc mundum « non venit ministrari sed ministrare » (οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι *Matth.* 20,28), totius quidem generis humani ministrum (διάκονος) omnino appellare licet, quoniam omnibus hominibus Evangelium iustitiamque attulit omnibusque in assequenda salute adiutor est. Speciali tamen modo Iudaeorum minister dicendus est, quia illis solis in vita sua mortali praesentiam suam exhibuit et ipse per se immediate verbum doctrinae ministravit, quin etiam ad eos solos se missum esse diserte testatus est (*Matth.* 15,24). Qua missione sua promissiones olim patribus de Messia eiusque regno salutifero datas ac postea per prophetas clarius repetitas implevit earumque impletione fidelitatem Dei promittentis demonstravit. Haec Paulus significat, quum Christum Iudaeorum ministrum exstitisse asserit *propter veritatem Dei*, seu in gratiam fidelitatis divinae, atque hanc locutionem explicaturus addit : *ad confirmandas promissiones patrum*, i. e. ut promissiones, quas Patres acceperant, eventu ratas faceret (βεβαιῶσαι) et comprobaret; namque promissorum solutione promittentis veracitas ac fidelitas quam maxime manifestatur (cfr ad 2 *Cor.* 1,20).

Ex priore hoc asserto Apostolus, uti iam diximus, colligi vult, Iudaeochristianos prae reliquis ad fidelitatem divinam celebrandam esse obligatos. Iam eodem modo, si voluisset, alterum membrum exprimere potuisset : « dico Christum Iudaeorum ministrum fuisse propter veritatem Dei..., gentes autem vocasse *propter misericordiam Dei, ad manifestandam eius benignitatem* » (vel etiam : « ad implenda vaticinia, quae dicunt » etc.), ut Ethnicochristiani inde colligerent, sibi prae reliquis Dei attributis misericordiam esse celebrandam. At pro conciso

concitatoque suo dicendi modo, quo in priore iam membro conclusionem, utpote per se claram, silentio praeteriit, accurato membrorum parallelismo neglecto in altero nostro membro solam conclusionem ponere maluit, quia ex priore, quae praemissae sint supplendae, facile cognoscitur. Immo si accurate loqui volumus, eum ne ipsam quidem conclusionem sed eius exsecutionem posuisse dicamus oportet. Etenim quamvis eius verba : λέγω... τὰ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεόν, si nude spectantur, recte verti possint : « dico gentes propter misericordiam *debere glorificare* Deum », ita ut conclusionem enuntient[1], atque hoc sensu ab haud paucis sumantur (cfr *Thom. Cai. Tol. Est.* etc., *M Ev. Ag.* etc. — *Grot. Thol. Phil.* etc.), haec tamen explicatio nostro loco non congruit, quia verbum λέγω (*dico*), quum ad prius quoque membrum quo factum enuntiatur pertineat, hic praecipiendi notionem annexam non habet. Retinenda igitur est *Vulg.* nostrae versio : *dico gentes propter misericordiam honorare Deum*[2], quae solum factum enuntiat. Paulus nempe id quod Christus in vocandis gentibus spectavit iam videt impletum. De facto Ethnicochristiani, quotiescumque vocationis suae recordantur, Dei benignitatem iam laudibus exornant; ideo argumentatione relicta ostendere mavult, gentes praesente sua glorificatione iam vaticinia prophetarum implere.

Quatuor enim locos ex tribus Veteris Test. partibus (ex Lege et ex Prophetis et ex Hagiographis) desumtos affert, quibus id quod gentes nunc faciunt antiquitus iam praedictum esse ostendit (9-12). Primum autem cum ultimis verbis arcte connectit : dico... gentes propter misericordiam honorare Deum, *sicut scriptum est : Propterea confitebor* (ἐξομολογήσομαι) *tibi in gentibus*, (*Domine*), *et nomini tuo cantabo*. Vocativus Κύριε (*Domine*) ob testium criticorum auctoritatem (cfr *V V. LL.*) rectius omittitur, licet in loco allegato (*Ps.* 17,50; 2 *Reg.* 22,50) legatur; ex eo enim ad Psalmistae sententiam complendam non minus supervacanee quam arbitrarie multis latinis codicibus est insertus. Psalmus 17, quem auctor duorum priorum librorum Reg. in operis sui epilogum recepit (cfr 2 *Reg.* 22), epinicium quoddam est, quo David versus finem vitae suae, « postquam Deus eum eripuit de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saul » (*Ps.* 17,1 ; 2 *Reg.* 22,1), divinam benignitatem celebrat, quae non tantum in hostium incur-

1. Cfr *Beelen* Gramm. p. 354 ; *Winer* Gramm. p. 302.

2. Infinitivus aoristi δοξάσαι a nonnullis modernis (*Mai. Bisp.* etc. — *Rück. Mey. Weiss* etc.) hic sensu praeteriti sumitur : « dico gentes propter misericordiam *glorificasse* Deum », scilicet eo tempore quo assumtae sunt. Id quidem per se fieri posse non nego (cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 175), sed cur haec exceptio hic statuatur, non adest ratio; cfr *Winer* Gramm. p. 311 sq.

sibus eum servavit plenamque de eis victoriam ei dedit, sed etiam thronum eius in aeternum stabilivit, ita ut nunc inter gentes sibi subiectas Deum glorificare easque in Deo laudando sibi aggregare possit. David igitur iuxta literalem carminis sensum ipse de se verba a Paulo allegata pronuntiat; verum David, uti in tribulationibus, in quibus divinitus est servatus, ita in victoriis, quas de omnibus suis hostibus reportavit, et in dominio, quod iuxta vaticinia in gentes a mari usque ad Euphraten sibi acquisivit, typus est Christi quum patientis tum de omnibus suis adversariis triumphantis omnesque gentes a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos terrae glorioso suo dominio subiicientis. Quare interpretes vix non omnes (rationalistis exceptis) cantico nostro praeter literalem etiam typicum sensum summo cum iure attribuerunt. Quibus praeivit viamque monstravit Paulus, quum divinitus inspiratus verba, quibus David ob beneficia sibi concessa Deum laudat, Christo loquenti attribueret, cui altiore et perfectiore ratione, quam Davidi, congruunt. Itaque Christum in gentibus (i. q. inter gentes seu in ecclesia gentium), quas per Apostolos ad fidem sit vocaturus et inter quas sit habitaturus, Deum ob eius misericordiam (utique gentibus exhibitam) celebraturum esse (ἐξομολογεῖσθαι *confiteri* i. q. *celebrare* cfr ad 14,11) praedicitur, seu aliis verbis, eum Ethnicochristianos sibi esse aggregaturum, ut secum Deum ob misericordiam quam experti sint glorificent.

A vera interpretatione longissime aberrare nonnullos modernos acath., qui Psalmistae verba a Paulo non ipsi Christo loquenti sed aut ethnico cuidam (cfr *Fritzsche Oltram.* etc.) aut sibi (sc. ipsi Paulo) quasi vices Christi gerenti (cfr *Hofm.* etc.) aut alteri Apostolo inter ethnicos praedicanti (cfr *Phil.* etc.) attribuunt, facile apparet, si ad typicum totius Psalmi sensum attendimus. Sed ii quoque, qui verba Christo recte attribuunt, de eorum interpretatione inter se non consentiunt. Ad eam quam secuti sumus explicationem prope accedunt *S. Aug.* (in Ps. 17 enarr. n. 51 : « propterea tibi *per me* confitebuntur gentes », sc. quatenus in Christi nomine et per eum celebrant Deum cfr *Col.* 3,17), quem multi iuniores ac moderni sequuntur, et *Haym.* (« glorificabo te per ipsas gentes, quas mihi subiugasti per fidem »). Longius ab ea recedunt alii; *Thom.* duas proponit explicationes (« ego Christus confitebor tibi *confessione gratiarum actionis* in gentibus, i. e. *pro gentium conversione per me facta* », vel aliter : « ego faciam ut tibi gentes confiteantur *confessione fidei* et cantent tibi canticum, *quod consistit in exsultatione spiritus renovati* »), quarum neutra admitti vel ideo potest, quia sensum, quem verbum *confitendi* (ἐξομολογεῖσθαι הוֹדָה) in Psalmo habet, negligit. Ob eandem rationem improbanda est explicatio *Theoph.*, cui verbum ἐξομολογεῖσθαι est idem quod κηρύσσειν (« ego te annuntiabo in gentibus »; simili modo *A[ier]*). Sed haec specimina sufficiant; addidisse autem iuverit, nonnullos ex praeclarioribus interpretibus (ex. gr. *Orig. Chrys. Theod.* etc., *Tol. Iust.* etc.) haec verba transilisse, quasi nullam exhiberent difficultatem.

Alterum testimonium Apostolus ex Moysis cantico (*Deut.* 32,43) al-

legat et quidem pro more iuxta alexandrinam versionem, quamvis in hac sententia a massorethico textu dissentiat : 10. *et iterum dicit* [sc. Scriptura ἡ γραφή, quod nomen e superiore *scriptum est* γέγραπται facile suppletur] : *Laetamini, gentes, cum plebe eius* (εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ). Invitantur igitur gentes, ut populo Dei se adiungentes una cum eis laetitiam suam iubilo exprimant (εὐφραίνεσθαι i. q. laetitiam voce clamoribusque prodere cfr *Is.* 54,1; *Gal.* 4,27), i. e. ut unanimes uno ore glorificent Deum, cuius misericordia utrisque idem beneficium contulit (*v.* 6). Hodiernus textus hebr. habet : הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ, de cuius sententiolae versione non satis constat; alii enim iuniores cum *Vulg.* interpretantur : « laudate (iubilando celebrate), gentes, populum eius » (sc. Dei) : alii cum *Aq. Theodot.* etc. : « iubilate, gentes (quae estis) populus eius » (sc. Dei); ex modernis alii : « facite iubilare, gentes, populum eius »; alii demum : « iubilate gentes, (iubila) popule eius ». Quae ultima versio congruit quidem cum sensu ab Alexandrinis expresso, sed aegerrime hebraicis verbis adaptatur. Quare rectius dici videtur, Alexandrinos in suis codicibus aliam habuisse lectionem, quae nomini עַמּוֹ praepositionem quandam, aut את aut עם (*cum*), praemisit; revera priorem (את) unus alterve e codicibus a Kennikott collatis exhibent, alteram vero (עם) ante nomen ab iisdem literis incipiens librarii facile omittere potuerunt. Quidquid autem de genuina lectione ac versione textus hebraici est, ille solus sententiae sensus admitti potest, quem Apostolus sua allegatione approbavit.

Tertium testimonium ex Psalterio rursus est assumtum : 11. *et iterum* (supple : dicit Scriptura) : *Laudate* (αἰνεῖτε), *omnes gentes, Dominum*, *et magnificate* (ἐπαινέσατε, vel minus apte : *magnificent* ἐπαινεσάτωσαν cfr *VV. LL.*) *eum, omnes populi.* Brevissimo *Ps.* 116., qui immediate post finem exsilii babylonici probabiliter est scriptus, Israelitae cunctas ethnicas nationes (utrumque nomen גוים *gentes* et אמים *populi* de solis ethnicis usurpari solet) invitant, ut ipsae quoque misericordiam et fidelitatem Dei celebrent. Qua invitatione sacer poeta innuit, etiam gentes aliquando verum Deum agnituras esse, ita ut una cum Israelitis eius misericordiam, quae supra utrosque confirmata est, eiusque fidelitatem, quae in aeternum manet, glorificare possint.

Ultimus testis Isaias citatur : 12. *et rursus* (καὶ πάλιν) *Isaias ait : Erit radix Iesse et qui exsurget* (ὁ ἀνιστάμενος qui exsurgit) *regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Particulis *et rursus* (καὶ πάλιν), quae superioribus *et iterum* (καὶ πάλιν) respondent, non significari, unum ex praecedentibus vaticiniis iam ex Isaia esse desumtum, per se patet : « et rursus, i. e. alibi in Scriptura, Isaias dicit » (cfr *Est.* etc.). Verba ipsa

(*Is*. 11,10) iuxta alexandrinam versionem allegantur, quae sensu non discedit a textu hebraico; hic enim recte redditur : « erit in die illa radix Iesse, quae stat in signum populorum; ipsam gentes inquirent ». Per hebraismum *radix Iesse* (ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαί) significat surculum ex Iesse exortum (nam שֹׁרֶשׁ et *radix* et *surculus* ex radice progrediens) atque Messiam designat, qui per Davidem ex Iesse descendit (cfr *Is*. 11,1). Hunc autem Messiam textus hebraicus dicit futurum esse *signum* seu vexillum (נֵס) *populorum*. Sicut nimirum ad vexillum, si a duce erigitur, omnes milites accurrunt, ut illud sequantur et ab illo in proelio quasi regantur, ita ad Messiam populi omnes accurrent, ut illum sequantur et ab eo regantur. Eundem sensum, imagine seposita, Alexandrini exprimunt, si Messiam, surculum Iesse, exstiturum dicunt, ut regat gentes (ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν). Neque alterius membri sensus apud Alexandrinos differt; hebraico enim textu (« ipsum, sc. Messiam, gentes *requirent* » יִדְרֹשׁוּ vel : *deprecabuntur* cfr *Vulg*.) Messiam omnia bona gentibus allaturum esse ideoque gentes eum quaesituras vel deprecaturas esse indicatur, atque idem alexandrinus textus suo *in eum gentes sperabunt* satis clare docet (cfr de hoc testimonio *Knabenb*. Comment. in Is. I. p. 282). Apte igitur Isaiae verba a Paulo hic afferuntur; illud autem in hoc testimonio, uti in tribus praecedentibus, consideretur oportet, gentium quidem conversionem futuram praedici, sed simul insinuari, eas in regno messiano secundum, ut ita dicamus, locum obtinere. Messias non est ex eorum genere, sed ex populo electo; itaque gentes, ut messianae salutis participes fiant, se adiungere debent filiis Israel, quibus proxime promissa est et quibus primo in loco affertur. Itaque Ethnicochristianos maxime divinam misericordiam glorificare oportet, quae eos ad salutem Iudaeochristianis ex fidelitate quasi debitam admisit.

Ultimis testimonii isaiani verbis (« in eum *gentes sperabunt* ») Apostolus adducitur, ut pro huius sectionis ac totius partis paraeneticae conclusione romanis Christianis, qui longe plerique ex gentibus venerant, spei illius de qua propheta loquitur abundantiam exoptet : 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo* (ἐν τῷ πιστεύειν), *ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti* (cum *Fuld*. aliisque bonis Vulg. codd. lege : *in spe in virtute Spiritus sancti* ἐν ἐλπίδι ἐν δυνάμει Πνεύματος, quam lectionem cum omnibus codd. graecis omnes quoque verss. tuentur). Eodem modo, quo supra (*v*. 5) Deum, quia patientiam solatiumque largitur, « Deum patientiae et solatii » appellavit, eum hic utpote spei auctorem et datorem *Deum spei* appellat; quo nomine ad dictum Isaiae utique respicit, sed praeprimis donum ostendit, quod fidelibus a Deo precatur. Nam ideo eos omni

gaudio et pace in credendo repleri vult, *ut per virtutem S. Spiritus* in eis operantis *abundantiam spei recipiant*, i. e. magis magisque crescant in spe illa, quae non fallit, vitae aeternae. Atqui haec spes fructus quidam est pacis nostrae ad Deum ac simul gaudii illius spiritualis, quo fruuntur omnes qui cum Deo reconciliati terroribus aeternae poenae non amplius anxiantur; pacem autem hanc et gaudium cum ea connexum acquirimus et possidemus per fidem, qua iustificamur (cfr ad 5,1 sqq.). Quamobrem Paulus nos prius repleri vult *omni*, i. e. plena ac perfecta, *pace et hilaritate*, quae ex fide exoriuntur ac fide nituntur, ut his divinis donis repleti crescamus in spe, quae non confundit (cfr 5,5). Plerique quidem ad proximum contextum respicientes nomina *pacis et gaudii* de fidelium concordia mutua ac de gaudio cum illa connexo interpretantur (cfr 14,17). Quae explicatio minus est apta, quia Apostolus nostra in sententia, qua totam partem paraeneticam terminat, ad ea sola, quae immediate praecedunt, attendere non potuit, atque non iam χαρὰν καὶ εἰρήνην ἐν τῷ τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις (*v*. 5) sed ἐν τῷ πιστεύειν, ergo pacem et hilaritatem, cuius fundamentum est fides, fidelibus exoptat. Qui latinam lectionem *in spe et virtute Spiritus sancti* sequuntur, nomine *virtutis Spiritus S.* caritatem significari censent a Spiritu S. nobis infusam (cfr *Thom.*) vel etiam « gratiam et dona Spiritus » (cfr *Tol.*); sed graeca locutio (δύναμις Πνεύματος ἁγίου) has significationes non admittit.

EPILOGUS TOTIUS EPISTOLAE (15,14-16,27).

Quemadmodum longiore exordio (1,1-15) epistolam inchoavit, ita longiore epilogo Apostolus eam terminat epistolicum dicendi genus, quod inde a 1,15 intermiserat, iterum resumens, ita ut severum illum ordinem, quem in tractatu dogmatico atque etiam in paraenesi admiramur, in hac extrema parte quaerere non liceat. Pro more potius (cfr ad 1 *Cor.* 16,1) varia hic congessit, quae cum Romanis communicare utile iudicavit, eaque disposuit, prout se menti ac memoriae eius obtulerunt. Atque primum quidem de sua relatione ad romanos fideles nonnulla, quae in exordio (1,11-15) paucis iam indicaverat, uberius diligentiusque exponit; causam enim, cur Romanis audacius scripserit, in munere apostolico sitam esse docet, quo inter gentes fungi debeat (15,14-21) atque proximorum suorum itinerum, ierosolymitani et romani, consilio explanato neophytos hortatur, ut ardentibus orationibus a Deo felicem eorum exitum secum efflagitent (15,22-33). Deinde Phoeben diaconissam, quae hanc epistolam Romam delatura sit, eis commendat multosque fideles Romae degentes nominatim salutat (16,1-16[a]). Aliarum autem ecclesiarum salutationem adscribens adducitur, ut neophytos ab eorum, qui falsis doctrinis sparsis dissensiones excitent, consortio diligenter sibi cavere iubeat (16,16[b]-20). Ac tum demum salutationibus amicorum suorum additis (16,21-24) toti suae epistolae finem doxologia sollemni imponit (16,25-27). Haud male nonnulli observarunt, salutatione eorum Christianorum, qui etsi Romani non sint Romae degunt, verba inscriptionis *omnibus qui Romae sunt* (1,7 πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ), ac similiter doxologia, qua Deus ob aeterni sui consilii de Evangelio gentibus praedicando executionem celebratur, priorem inscriptionis partem (1,1. 2. 5) in memoriam revocari, ita ut totus epilogus toti exordio respondeat.

1. — *Quaedam de Apostoli relatione ad romanos fideles* (15,14-33).

1.) — *Causa, cur tanta cum libertate Romanis scripserit* (15,14-21).

15,14. *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.* 15. *Auda-*

15,14. Πέπεισμαι δέ, ἀδελφοί μου, καὶ αὐτὸς ἐγὼ ὑπὲρ ὑμῶν, ὅτι καὶ αὐτοὶ μεστοί ἐστε ἀγαθωσύνης, πεπληρωμένοι πάσης τῆς γνώσεως, δυνάμενοι καὶ ἀλλήλους νουθετεῖν.

cius autem scripsi vobis fratres ex parte,
tamquam in memoriam vos reducens :
propter gratiam quae data est mihi a Deo,
16. *ut sim minister Christi Iesu in gen-*
tibus : sanctificans Evangelium Dei, ut fiat
oblatio gentium accepta, et sanctificata in
Spiritu sancto. 17. *Habeo igitur gloriam*
in Christo Iesu ad Deum. 18. *Non enim*
audeo aliquid loqui eorum quae per me
non efficit Christus in obedientiam gentium,
verbo et factis : 19. *in virtute signorum*
et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti :
ita ut ab Ierusalem per circuitum usque
ad Illyricum repleverim Evangelium Chri-
sti. 20. *Sic autem praedicavi Evangelium*
hoc, non ubi nominatus est Christus, ne
super alienum fundamentum aedificarem :
sed sicut scriptum est : 21. *Quibus non*
est annuntiatum de eo, videbunt et qui
non audierunt, intelligent.

15. τολμηροτέρως δὲ ἔγραψα ὑμῖν ἀπὸ
μέρους, ὡς ἀναμιμνήσκων ὑμᾶς διὰ τὴν
χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ 16.
εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Χριστοῦ Ἰησοῦ,
ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα
γενηθῇ ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος,
ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ. 17. ἔχω οὖν
τὴν καύχησιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τὰ πρὸς τὸν
Θεόν· 18. οὐ γὰρ τολμῶ τι λαλεῖν ὧν οὐ κα-
τειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ λόγων εἰς ἀκοὴν
ἐθνῶν, λόγῳ καὶ ἔργῳ, 19. ἐν δυνάμει
σημείων καὶ τεράτων, ἐν δυνάμει πνεύματος,
ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι
τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον
τοῦ Χριστοῦ. 20. οὕτως δὲ φιλοτιμοῦμαι
εὐαγγελίζεσθαι οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστός,
ἵνα μὴ ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ,
21. ἀλλὰ καθὼς γέγραπται· Ὄψονται, οἷς
οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, καὶ οἳ οὐκ ἀκη-
κόασιν, συνήσουσιν [1].

1. *VV. LL.* — 14. ὑπὲρ ὑμῶν (*de vobis*) solus B; eodem sensu reliqui : περὶ ὑμῶν. — καὶ αὐτοί (*et ipsi*) a Graecolatinis (D E F G) immerito omittitur. — ἀγαθωσύνης (bonitatis) est communis et certa lectio codd. graec. et verss.; pro qua minus recte : ἀγάπης (*dilectionis*) soli F G cum *It. Vulg.* — πάσης τῆς γνώσεως (*tota* scientia) B ℵ P, pauci minusc.; rectius *textus rec.* : πάσης γνώσεως (*omni scientia*) cum reliquis testibus. — καὶ ἀλλήλους (*et* alterutrum) B ℵ A C P aliique testes praeter Graecolatinos (D E F G). qui cum *It. Vulg.* particulam καί (*et*) parum recte omittunt, et praeter cod. L, qui cum nonnullis minusc., forte per calami lapsum, habet : καὶ ἄλλους (et alios). — 15. τολμηροτέρως (*audacius*) soli B A; eodem sensu reliqui τολμηρότερον. — ἔγραψα ὑμῖν (*scripsi vobis*), vocativo ἀδελφοί (*fratres*) omisso, B ℵ A C, *Copt. Aeth.*; cum reliquis vocativus rectius additur. — ἀναμιμνήσκων (in memoriam reducens) solus B; cum reliquis graecis codd. et PP. lege : ἐπαναμιμνήσκων, quod eundem sensum exhibet; cfr *Comm.* — ἀπὸ τοῦ Θεοῦ (*a Deo*) B ℵ F, reliqui eodem fere sensu : ὑπὸ Θεοῦ. — 16. Post genetivum Χριστοῦ Ἰησοῦ supple εἰς τὰ ἔθνη (ad gentes; minus recte *Vulg.* : in gentibus), quae verba solus B omittit. — 17. τὴν καύχησιν (istam gloriationem) B C D E F G, pauci minusc.; *textus rec.* autem articulum omittit cum ℵ A L P et plerisque minusc.; cfr *Comm.* — τὰ πρὸς τὸν Θεόν (quod attinet ad ea quae sunt ad Deum) est communis Graecorum lectio, a qua solus D cum *It. Vulg. Syr.* etc. recedunt, qui minus recte habent : πρὸς τὸν Θεόν (*ad Deum*). — 18. τολμῶ (*audeo*) B cum paucis PP. graec. *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Arm.*; melius, ut videtur, *textus rec.* : τολμήσω (audebo, vel ausim) cum ℵ A C D E F G L P, omnibus minusc., *Copt. Syr.* (codd.). — δι' ἐμοῦ λόγων, dele λόγων, quod solus B negligenter inseruit. — εἰς ἀκοήν (ad auditum) solus B per errorem pro εἰς ὑπακοήν (*ad obedientiam*), uti reliqui omnes habent. — 19. ἐν δυνάμει πνεύματος (in virtute Spiritus) sine addito solus B; epitheton ἁγίου (*in virtute Spiritus sancti*) recte addunt A C D E F G, nonnulli minusc., *It. Vulg. Copt. Syr.* (codd.); genetivum Θεοῦ (in virtute Spiritus *Dei*) addit *textus rec.* cum ℵ L P, plerisque minusc., *Syr.* (codd.) *Aeth.*; secunda lectio retinenda est. — ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι κτλ (ab Ierusalem et circumcirca usque ad etc.) est communis lectio, quam etiam *It. Vulg.*

In suo exordio iam S. Paulus se ob apostolicum munus, quod ut omnes gentes evangelicae fidei subiiceret divinitus accepisset (1,5), omnibus gentibus, Graecis ac Barbaris, debitorem esse declaravit suaque ex parte se paratissimum esse asseruit, ut etiam Romanis, si Deo ita placeret, Evangelium praedicaret (1,14 sq.). Ad quae respiciens nunc non minore cum modestia quam dignitate eandem apostolatus sui gratiam velut causam affert, qua ad gravissimas has literas Romanis scribendas adductus sit, atque simul uberrimos fructus, quos a Christo adiutus praedicatione sua inter gentes hucusque produxerit, paucis commemorat, ut divinam muneris sui originem confirmans maiorem verbis suis auctoritatem conciliet. Romanos enim tanta bonitate ac scientia conspicuos esse, ut alieno hortatore non indigeant praefatus (*v.* 14), se nihilominus audaciore hac epistola illis ea quae iam didicerant in memoriam revocare voluisse affirmat, ut gratiae divinae responderet (*v.* 15); per illam enim se sacrum Christi ministrum et sacerdotem esse constitutum, qui legitima et religiosa Evangelii annuntiatione gentes praepararet, ut ad fidem conversae tamquam hostia sancta Deo offerri possent (*v.* 16); tam praeclaro igitur munere ornatum se de sacri sui ministerii fructibus iure in Christo gloriari (*v.* 17), quia Christus per ipsum longe lateque Evangelium inter gentes propagaverit (18. 19), ipse autem munere ita sit functus, ut ibi tantum annuntiaret Evangelium, quo nuntius de Christo nondum pervenisset (20. 21).

Quoniam Apostolus in hac epistola non tantum doctrinam de fidei evangelicae necessitate ac de iustitiae quae ex fide est fructibus tam diligenter demonstravit ac vindicavit, sed multa quoque de morum praeceptis disseruit, Romani facile suspicari potuerunt, eum de ipsorum fidei puritate et vitae sanctitate dubitare, uti revera multi postea quum ex antiquioribus cum *A*[tro] tum ex modernis « scholae criticae » asseclis de ea dubitarunt romanis fidelibus nescio quos errores et quae vitia affingentes. Ad quam suspicionem removendam Paulus ab eorum bonitate et fide laudanda exorditur ad illa, quae in epistolae principio (1,8. 12) iam dixerat, probabiliter alludens : 14. *certus sum autem* (vel : persuasum autem habeo πέπεισμαι δέ cfr ad 14,14), *fratres mei,*

exprimunt; ab ea discedunt Graecolatini (D E F G) minus apte legentes : ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ καὶ κύκλῳ (a Ierusalem usque ad Illyricum et circumcirca). — 20. οὕτως δὲ φιλοτιμοῦμαι εὐαγγελίζεσθαι (sic autem in gloria duco Evangelium praedicare) B D E F G P; reliqui : οὕτως δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, quod participium cum praecedente accus. μέ connectatur oportet; utra lectio praeferatur, ad sensum nihil refert; prior autem, quam *It. Vulg.* satis libere reddunt, recte praefertur, ne constructio negligentior remissiorque sit.

et ego ipse (rectius : *et ipse ego* καὶ αὐτὸς ἐγώ) *de vobis, quoniam et ipsi* (καὶ αὐτοί) *pleni estis dilectione* (ἀγάπης, melius : *bonitate* ἀγαθωσύνης cfr *VV. LL.*), *repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum* (ἀλλήλους melius : *et alterutrum* καὶ ἀλλήλους cfr *VV. LL.*) *monere.* Cum emphasi quadam *et ipsi sibi* de bonitate ac scientia Romanorum constare asserens superius suum assertum (1,8) haud parum auget; recte enim *Chrys.* : « Neque enim dicit : *audivi*, verum : *certus sum*, neque opus habeo ab aliis discere, sed *et ipse ego*, quamquam vos increpavi et admonui, hanc persuasionem habeo ». Minus apte alii particula καὶ (*et*) non tam vim locutionis αὐτὸς ἔγω (*ipse ego*) augeri, quam comparationem quandam indicari arbitrantur (et ipse ego, sicut alii qui de vobis audierunt); hoc enim si exprimere voluisset, procul dubio dixisset : κἀγὼ αὐτὸς (*et ego ipse*), ut vis esset in pronomine *ego*, uti revera est in nostra versione minus accurata. Neque Romanos cum aliis comparat, si eos *et ipsos* scientia et bonitate conspicuos esse affirmat (vos et ipsi, sicut alii), sed eos per se sine alterius admonitione et institutione iam tantam bonitatem ac scientiam possidere affirmat, ut etiam se invicem admonere possint neque alieno admonitore indigeant.

Porro nomen ἀγαθωσύνης multi benignitatem interpretantur, quia Apostolum illas virtutes recensere putant, quibus in admonendis fratribus utendum sit (cfr *Est. Beel. Bisp. M Ev.* etc.; similiter iam *Thom.* : « ad hoc ut aliquis recte admoneat, duo requiruntur, primum ut non ex odio sed ex dilectione moneat, secundo ut habeat scientiam veritatis »). Quae explicatio, quamvis cum *Vulg.* lectione (*pleni dilectione*) consentiat, graecae tamen non congruit; nam ἀγαθωσύνη alibi in Novo Test. non benevolentiam sed in genere bonitatem, quae malitiae opponitur, seu animi vitaeque probitatem significat (cfr *Gal.* 5,22; *Eph.* 5,9; 2 *Thess.* 1,11; saepius in N. T. non legitur) atque a *Chrys.* hic idem esse quod « omnimoda virtus » (ὁλόκληρος ἡ ἀρετή) recte dicitur. Praeclaram igitur laudem Paulus ecclesiae romanae tribuit neque maiorem ulli ex ecclesiis a se fundatis impertivit; at illam eo sensu intelligere non licet, quasi omnes ac singulos fideles romanos bonitate ac scientia perfectos praedicet (cfr ad 1 *Cor.* 1, 5-7). Neque enim singulis sed cunctis iisque in unam ecclesiam coadunatis hanc epistolam destinavit, atque universam hanc ecclesiam tanta laude dignam iudicavit, etsi forte nonnulla eius membra minus bene viverent ac minus recte sentirent. Laudem autem hanc exaggeratam immoderatamque nemo dicere potest, quin Paulum indecorae ac foedae adulationis non minus iniuste quam impie incuset. Quamobrem a vero longe aberrant, qui epistolam nostram ita interpretantur,

ut vix non ex singulis eius sententiis deducant, Romanos contraria sensisse vitiorumque omnium, quae notantur, reos fuisse.

Cur vero, non obstante hac sua persuasione de florentissimo ecclesiae romanae statu, tam graves literas ei scripserit, gentium apostolatu suo excusat, vel potius explicat: 15. *audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte* (ἀπὸ μέρους) *tamquam in memoriam vos reducens* (ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς) *propter gratiam quae data est mihi,* 16. *ut sim minister Christi Iesu in gentibus...* Comparativus *audacius* (τολμηρότερον vel τολμηροτέρως i. q. liberius fortiusque) ad praecedentem sententiam respicit, cui nostra per particulam *autem* (δέ) directe opponitur: « nihilominus liberius fortiusque, quam vestra bonitas ac scientia a me laudata permittere videbatur, scripsi vobis ». Iuxta *Chrys.* (cfr etiam *Theoph. Oec. Euth.*), quem multi iuniores sequuntur, comparativus ipse addita locutione *ex parte* (ἀπὸ μέρους) mitigatur : « *ex parte* i. e. aliquantum seu *paullo audacius* » (cfr *Cai. Tol. Est. Iust. Nat.* etc., *Beel. M Ev.* etc.). Ob locum vero, quem locutio illa in sententia tenet (post compellationem *fratres*), moderni plerique (praeeunte iam *Thom*[2].) eam cum toto praedicato (*audacius scripsi*) ita copulare malunt, ut audaciam non in tota epistola sed in nonnullis tantum eius locis durioribus inveniri significetur : « audacius scripsi vobis hic illic in mea epistola » (cfr *Reith. Mai. Bisp. L R. Weinh. Ag.* etc.). Demum *Thom*[1]. eam cum pronomine *vobis* solo connectendam esse coniicit : *vobis ex parte* i. e. « non omnibus sed aliquibus vestrum » (cfr ad 11,25; 2 *Cor.* 1,14; 2,5).

Per se quidem, si nuda verba spectantur, omnes tres explicationes admitti possunt; primam tamen, cui nequaquam obstat verborum collocatio, propter contextum omnino praeferendam ducimus. Satis enim, opinor, clarum est, tertiam parum esse aptam, quia Apostolus in tota hac parte universam ecclesiam alloquitur; at secunda quoque minus nobis probatur, quia aliquid miri habet, quod Apostolus ad paucas quasdam sententias, quia durius sonare videantur, excusandas ad suum gentium apostolatum appellare dicatur, ad quem aptissime appellat, ut totius epistolae gravitatem non tam excuset quam explicet eiusque auctoritatem commendet ac vindicet. Maioris autem momenti illud accedit, quod verba : *tamquam in memoriam vos reducens* (ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς), quae illud *ex parte* immediate sequuntur, nullo modo neque ad partem tantum fidelium referre neque ad duriores quasdam sententias restringere liceat; id autem necessario esset faciendum, si illud *ex parte* aut cum pronomine *vobis* connecteretur aut totum praedicatum ac praesertim verbum *scripsi* afficeret. Verbis enim illis Paulus indolem totius suae epistolae explanat, quippe quam

scripserit non quasi novas doctrinas legesque, quas hucusque ignorarunt, Romanis proponens, sed *tamquam eos reducens in memoriam*[1] earum doctrinarum legumque, quas iam antea didicerant. Bene *Thom.*: « non scripsit eis tamquam reputans eos ignorantes sed velut in memoriam eos reducens cognitorum ». Neque igitur tam doctorem agere voluit quam admonitorem, qui donum quoddam spirituale cum eis communicaret ad eos confirmandos et corroborandos (cfr ad 1,11).

Quamvis autem persuasum haberet, eos etiam ipsos se invicem admonere et in doctrinae acceptae memoriam reducere posse (*v.* 14), sibi tamen in hac epistola hoc munus sumsit *propter gratiam, quae ei data est a Deo,* quando constitutus est gentium Apostolus (cfr ad 1,5; 12,3; *Gal.* 2,9 etc.). Hanc enim gratiam designat, quum eandem sententiam continuans finem describat, ad quem eam acceperit : quae data est mihi a Deo, 16. *ut sim minister* (εἰς τὸ εἶναί με λειτουργόν) *Christi Iesu in gentibus* (melius : *ad gentes* εἰς τὰ ἔθνη), *sanctificans Evangelium Dei* (melius : *operans Evangelio Dei* ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ), *ut fiat oblatio gentium* (ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν) *accepta* (*et*) *sanctificata in Spiritu sancto* (εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ). Coniunctio *et* ante ultimum membrum, quam una cum omnibus codd. graecis et verss. etiam meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.) ignorant, omittatur oportet; velut appositio enim ultimum membrum praecedenti additur eiusque rationem affert : oblatio accepta est, quia per S. Spiritum est sanctificata.

Sed singulorum explicationi quaedam de tota sententia praenotasse iuverit, ut singula facilius intelligantur. Interpretes plerique monere solent, Apostolum de sua praedicatione Evangelii inter gentes hic loqui metaphorice vel allegorice, similitudine desumta a sacerdotis sacrificantis functionibus. Quae minus recte parumque accurate dicuntur neque explicant, quo cum iure Apostolus terminos de sacrificio usitatos ad praedicationem Evangelii transtulerit. Tantopere enim sacrificium et praedicatio inter se differunt, ut quodnam sit metaphorae

1. Iuxta *Chrys.* et *Theoph.* verbum ἐπαναμιμνήσκειν, quo Paulus hic iuxta meliorem lectionem utitur (cfr *VV. LL.*), significat μικρόν τι ἀναμιμνήσκειν i.e. « *leviter* seu *strictim* in memoriam revocare » vel « *sub*monefacere », ita ut hac quoque voce sententia sit mitigata, quoniam Apostolus se ne admonere quidem sed dumtaxat submonere dicat. Verum num haec significatio verbo competat, merito dubitatur; namque aliis exemplis probari nequit, praepositionem ἐπί in compositione notionem verbi simplicis minuere aut mitigare. Saepe autem ἐπί repetitioni indicandae inservit (ἐπαιτεῖν iterum rogare, mendicare; ἐπανάγειν, ἐπανορθοῦν etc.); quare ἐπαναμιμνήσκειν idem valere potest quod « iterum admonere », atque modestia quaedam in huius verbi usu adest, quo Paulus se idem facere significat, quod alii iam antea fecerunt.

fundamentum et quaenam functionum sacrificandi et praedicandi similitudo non appareat. Facile autem loquendi rationem Pauli intelligemus, si ad illa attendimus, quae alibi docet (cfr 6,3 sqq.), nos per baptismum in Christum crucifixum et in cruce morientem inseri et incorporari, ut in eo mystice concrucifigamur et commoriamur. Nam Christus in cruce moriens se ipsum tamquam mundam hostiam piacularem Patri suo offert; quare nos quoque, quotquot per baptismum ei incorporati sumus, in eo et cum eo morientes etiam in eo et per eum velut victima per S. Spiritum nobis datum sanctificata ac proin Deo accepta grataque mystice Patri offerimur. Atqui in hoc mystico sacrificio offerendo Apostoli ministrorum sacrorum seu sacerdotum inferiorum munere funguntur, quorum officium est victimam summo sacerdoti sacrificium offerenti rite praeparare ac sistere. Legitima enim sua praedicatione homines ad fidem adducunt adductosque rite disponunt, ut per baptismum in Christum inseri et cum eo commorientes per eum velut hostia vivens ac sancta Deoque placens (12,1) Patri offerantur. Itaque Apostoli, etsi hostiam ipsi non offerant, praedicatione tamen sua operam praestant sacrificio atque etiam sacrificare, si verbum latiore sensu sumitur, recte dicuntur. De mera ergo metaphora vel allegoria hoc in loco non magis quam in illis locis loqui licet, in quibus cum Christo concrucifigi, commori, corresuscitari etc. dicimur, atque mysticum sacrificium, quod Apostolus hac in sententia supponit, aeque parum est mere denominativum aut analogicum, atque mors nostra mystica, qua vetus noster homo destruitur, aut nova nostra vita, quam gratia sanctificante instructi in Christo degimus etc. (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 137 sqq.).

Evangelii igitur annuntiationem, utpote partem (utique praeparatoriam sed ex divina ordinatione necessariam) magni illius sacrificii, quo summus pontifex noster, Christus Iesus, in ara crucis moriens una secum omnia corporis sui mystici membra Patri obtulit, B. Paulus hac in sententia (uti etiam *Phil.* 2,17) velut actionem sacrificalem considerat et ideo ad eam describendam terminos de sacrificiis usitatos iure merito adhibet. Ac primum quidem gratiam apostolatus eo consilio a Deo sibi esse datam asserit, *ut esset minister* (λειτουργός) *Christi Iesu ad gentes* (εἰς τὰ ἔθνη i. e. aut *gentibus constitutus* aut melius : *relate ad gentes*, inter quas potissimum munere suo fungi erat iussus cfr *Gal.* 2,7 etc.). Nomen λειτουργοῦ enim, quo in Novo Test. semper *sacrum* ministrum publicum designari antea monuimus (ad 13,6; cfr *Comm.* in 2 Cor. et Gal. *p.* 250 sq.), hoc in loco proprie *sacerdotem* (cfr *Hebr.* 8,2; 2 *Esdr.* 10,40 καὶ οἱ ἱερεῖς οἱ λειτουργοί sa-

cerdotes ministrantes וְהַכֹּהֲנִים הַמְשָׁרְתִים; *Eccli.* 7,30 etc.) denotare omnes fere consentiunt. Rectius tamen inferioris gradus sacerdotem intelligimus, ita ut Apostolus *sacerdos Christi* vocetur, quatenus ei, tamquam summo sacerdoti sacrificium offerenti, quasi assistens hostiam ab eo offerendam praeparat et adducit.

Hunc enim sensum appositio explicationis gratia adiecta postulat, quia Paulus se sacerdotem Christi esse dicit *operantem Evangelio Dei* (ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ), i. e. praedicatione Evangelii a Deo missi velut opere sacerdotali vel potius sacrificali fungentem. Quam locutionis satis difficilis interpretationem *Rufinus* de latina eius versione disserens iam insinuavit. « Quod nos, inquit, habemus : *sanctificans Evangelium Dei*, Graeci magnificentius dicunt : ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, quod, licet non plene, a nobis posset tamen dici : *sacrificans Evangelium Dei*, per quod ostenditur sacrificale opus esse annuntiare Evangelium ». Versio utique a Ruf. proposita ac similis a *S. Aug.* adoptata (expos. n. 83 : *consecrans Evangelium*) non sunt aptae, quoniam Evangelium ipsum victimam esse significant, quae offertur vel consecratur; id quod dici non posse patet, sive Evangelii nomine hic annuntiatio evangelica sive eius argumentum designari sumatur. Genuinum tamen sensum Ruf. sua versione exprimit, quoniam annuntiationem Evangelii *sacrificale opus esse*, i. e. ad sacrificii oblationem pertinere docet. Quibus verbis satis insinuat, homines praedicatione apostolica praeparari ac disponi, ut per Christum velut hostia virtute Spiritus S. sanctificata, Deo ergo accepta grataque, offerri possint. Revera Paulus non dicit, se Christi sacerdotem esse, qui per Evangelium ipse gentes offerat, sed se Christi ministrum esse, qui Evangelio rite annuntiato efficiat, *ut fiat oblatio gentium*, i. e. ut gentes offerri possint. Postquam ergo in exordio (cfr ad 1,9) praedicationem evangelicam *cultum Deo praestitum* (λατρείαν) appellavit, hic genus illius cultus accuratius definiens illam *sacrificale opus* (ἱερουργίαν) appellat. Nam graecum ἱερουργεῖν, quod et etymologia et vulgatiore significatione sua latino *sacrificare* omnino respondet, latiore interdum sensu usurpatur, quem latinum verbum non admittit. Saepius enim idem valet quod *sacerdotem esse* et aliquoties, si cum accus. coniungitur, idem est atque « aliquid sacerdotis sacrificantis modo tractare » vel « munere velut sacerdotis (aut opere sacrificali) fungi »[1], quem in sensum

1. Cfr 4 *Mach.* 7,8 : τοιούτους δὴ δεῖ εἶναι τοὺς ἱερουργοῦντας τὸν νόμον ἰδίῳ αἵματι κτλ., « tales [scilicet qualis fuit Eleazarus, qui vitae periculo a Legis observatione non absterrebatur cfr 2 *Mach.* 6,18 sqq.] debent esse, *qui Legem ritu sacrificantis sacerdotis tractant* [i. e. observant et defendunt] proprio sanguine ». Auctor nimirum, ut ostendat, quam sancte ac praeclare agant illi, qui ad Legem observandam martyrium subire non re-

latina quoque locutio « operari alicui rei » satis apte trahi videtur. Christi sacerdotem autem Paulus sese appellat sacrificali opere fungentem, ut Romani intelligant, sibi epistolae huius audaciam graviter ferre non licere. Bene quippe *Theoph.* nostrum locum amplificat : « Ne igitur conqueramini, si vos admoneo; sacerdotium enim meum est Evangelii annuntiatio; cultellum habeo sermonem, victima estis vos; quis autem sacerdotem accusaverit, quod cultellum admoveat victimae »? Eo minus autem Romani Paulo succensere possunt, quo universalius est eius munus, uti egregie adnotat *Chrys* : « Non dixit, ut fiat oblatio *vestra*, sed *gentium*; sed *gentium* dicens significat orbem terrarum universum eorumque reprimit animos, ne illum habere dedignentur doctorem, qui ad terminos usque terrae tendit, ut omnes ad Deum adducat ».

Sacrificii notionem, quam verbo ἱερουργεῖν hic exprimi omnes Graeci (cfr *Orig. Chrys. Theod. Theoph. Euth.*) iunioresque ac moderni vix non omnes (cfr *Est. Iust. Lap. Nat. Pic.* etc., *Reith. Mai. Beel. M Ev. Bisp.* etc.) recte agnoscunt, *Vulg.* sua versione (*sanctificans Evangelium*) plane deterit. Nihilominus, quia Apostolus locutione sua Evangelium rite ac legitime esse praedicandum connotat (in sacrificiis enim omnia rite ac legitime fieri imprimis necesse est), versio illa aliqua ex parte teneri potest, si cum antiquioribus Latinis locutionem *sanctificans Evangelium* (satis quidem coacte) interpretaris « demonstrans Evangelium sanctum esse », ab eoque illud sanctum demonstrari dicis, « qui illud absque errore et mendacio praedicat, miraculis comprobat, exornat bona conversatione et haec agens non suam sed Dei laudem quaerit » (*Haym.* cfr *Pel. Prim. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Tol.*). Nam similia *Orig.* quoque genuinam interpretationem secutus iam tradidit : « Sicut ergo pontifices quum offerebant, necessario eis erat providendum, ne macula inesset hostiae, ne vituperatio, ne vitium, ut possit accepta esse Deo et grata, ita et qui Evangelium sacrificat et verbum Dei annuntiat, curare omnibus modis debet, ne qua in praedicatione macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magisterio culpa nascatur, sed ut ita dixerim, semetipsum, si fieri potest, primo immolet, se prius vitiis [i. e. relate ad vitia] iugulet, sua prius peccato [relate ad peccatum] membra mortificet, ut non solum doctrina sed et vitae exemplo discipulorum salutem oblationem suam acceptam faciat Deo ».

Quum excelsam gratiam sibi collatam, ut Christi sacerdotis minister gentes praedicatione sua redderet hostiam Deo gratam, velut causam afferat, cur Romanis audacius scripserit, Paulus satis clare iam indicat, apostolatum suum hucusque fructibus non caruisse. Quapropter

cusant, eos sacerdotibus comparat iuxta Legis praeceptum sanguinem victimarum effundentibus.

iure merito nunc concludit: 17. *habeo igitur gloriam* (vel : *gloriationem* καύχησιν, vel etiam : *istam gloriationem* τὴν καύχησιν) *in Christo Iesu ad Deum* (πρὸς τὸν Θεόν, sed lege : « relate ad ea, quae sunt ad Deum », vel : *in iis quae sunt ad Deum* τὰ πρὸς τὸν Θεόν cfr *VV. LL.* et *Hebr.* 5,1). Sunt qui nomen καύχησις (actus gloriandi, gloriatio) hic idem quod καύχημα (materia gloriandi) valere censeant (« habeo unde glorier » cfr *Tol. Iust. Ag.* etc.); cur vero a consueta nominis significatione (cfr ad 2 *Cor.* 1,12) recedamus, quae eundem fere sensum nobis exhibet (nam ἔχω καύχησιν significat *licet mihi gloriari* seu gloriari possum), nulla adest ratio. Neque multum per se refert, utram ex duabus lectionibus (καύχησιν, τὴν καύχησιν) praeferamus; iuxta priorem Paulus generatim asserit, sibi licere gloriari; iuxta alteram ad *v.* 16., quo iam gloriatus est, respiciens sibi licere *hac ratione* gloriari declarat; secundam tamen lectionem, quae sufficiente testium auctoritate fulcitur (cfr *VV. LL.*), ob arctiorem quem parit duarum sententiarum nexum praeferimus. Ceterum sententiae nostrae vis in duobus ultimis membris sita est, quibus Apostolus quasi terminos suae gloriationis definit. Gloriari enim praeprimis ei non licet, nisi *in Chriso Iesu*, i. e. in sua unione cum Christo, cuius minister et sacerdos est et qui per ipsum operatus est et operatur, ita ut tota gloriatio in Christum redundet; neque gloriari ei licet nisi *in eis* (vel relate ad ea) *quae sunt ad Deum* (τὰ πρὸς τὸν Θεόν), i. e. relate ad usum gratiae sibi a Deo collatae (*v.* 15) seu ad administrationem muneris sacerdotalis sibi commissi (*v.* 16), ita ut gloria iterum Deo tribuatur.

Recte ergo Paulus in *v.* 17 « bonum successum Evangelii significare eumque totum meritis Christi accepto referre » dicitur (cfr *Est.*); hanc enim sententiae illius summam esse ex probatione addita (*vv.* 18. 19) elucet, qua magna cum modestia se de illis tantum gloriari velle declarans, quae Christus per ipsum ad gentes convertendas perfecerit, fructus apostolatus sui paucis complectitur: 18. *non enim audeo* (τολμῶ, vel modestius : audebo seu *ausim* τολμήσω) *aliquid loqui eorum quae* (τι λαλεῖν ὧν i. q. τι λαλεῖν τούτων ἃ...) *per me non efficit* (cum *Fuld.* aliisque nonnullis *Vulg.* codd., *Thom.* etc. lege : *effecit* κατειργάσατο) *Christus in obedientiam gentium verbo et factis* (vel : opere ἔργῳ), 19. *in virtute signorum et prodigiorum* (ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων), *in virtute Spiritus sancti*, *ita ut ab Ierusalem per circuitum* (melius : *et in circuitu* vel : *et circumcirca* καὶ κύκλῳ) *usque ad Illyricum repleverim* (πεπληρωκέναι) *Evangelium Christi.* Duplici negatione, qua pro insigni sua modestia sententiam suam exprimere voluit, Apostolus eam aliquantulum obscuravit; unde factum est, ut haud pauci eum vanae fallacisque gloriationis suspicionem a se removere ac simul pseud-

apostolorum de rebus quae non gesserunt gloriantium vanitatem carpere voluisse (cfr ad 2 *Cor.* 10,12 sqq.) putarent. Verum hi ad contextum non satis attenderunt. Pseudapostolorum enim in tota epistola ne levissima quidem invenitur mentio; nexus autem cum praecedentibus parum aptus esset, si Paulus diceret : « Gloriari mihi licet in Christo de apostolatus mei administratione, quia non audeo ad pseudapostolorum exemplum gloriari de rebus, quas Christus ad gentium conversionem aut omnino non fecit aut per me non fecit ». Parum apte quoque negativae huic sententiae adnecteretur enumeratio satis longa eorum, quae Paulus a Christo adiutus revera fecit (*v.* 19).

Apertus vero aptissimusque erit nexus, si Apostolum neque ad iniquam quandam suspicionem removendam neque ad adversarios confundendos, sed ex sola modestia negativam formam elegisse dicamus, ita ut priore negatione retenta negativum sententiae obiectum in positivum sine mutatione sensus hoc fere modo convertere liceat : « Non enim ausim quidquam (gloriando) eloqui nisi ea quae effecit *Christus per me* ad obedientiam gentium » (i. e. ut faceret gentes obedire evangelicae fidei cfr ad 1,5). Pondus ergo sententiae in eo est, quod se de illis solis gloriari velle asserat, quae *Christus per ipsum* egerit; sibi enim conscius est, se non esse nisi ministrum et quasi instrumentum Christi neque tam se ipsum quam gratiam Dei, qua instructus erat, laborasse fructusque inter gentes produxisse (cfr ad 1 *Cor.* 15, 10). Quamobrem de apostolicis suis laboribus prosperoque eorum eventu gloriari ei licet; nam gloriatio eius ad Christum directe refertur, quem primum ac praecipuum auctorem omnium agnoscit, de quibus gloriatus est.

Cui asserto brevis subiungitur designatio quum adiumentorum, quae divinitus accepit, tum fructuum quos produxit. Adiumenta, quibus Christus per ipsum gentes ad fidem adduxit, sunt *verbum et opus*, verbum quidem praedicationis, opera autem, quae praedicationem comitabantur efficacioremque reddebant. Ambo duabus sequentibus appositionibus accuratius ita exponuntur, ut undenam unumquodque maiorem efficaciam ad gentes convertendas habuerit paucis ostendatur. Per chiasmum autem appositiones sunt collocatae, quum prior (*in virtute signorum et prodigiorum*) ad secundum membrum (*opere*), altera (*in virtute Spiritus sancti*) ad prius (*verbo*) pertineant. *Opere* ergo seu factis Christus per Paulum gentes obedientiae fidei subiecit, quum per eum *signa at prodigia* patraret, quorum *virtus* ad hominum attentionem excitandam animosque commovendos plurimum valet; *verbo* autem, quum ipse efficeret, ut *S. Spiritus virtute sua* praedicationem Pauli efficacem redderet, eius videlicet animum illu-

strans, ut illa dicenda eligeret, quibus auditores convincerentur, animos autem auditorum disponens, ut praedicantis verbis fidem haberent (cfr ad 1 *Cor.* 2,4).

Inter Graecos nonnulli (cfr *Ammon. Theoph. Euth.*) σημεῖα (*signa*) et τέρατα (*prodigia*) ita differre dicunt, ut σημεῖον dicatur de iis, quae secundum quidem naturam, modo tamen inusitato fiant (uti repentina febricitantis sanatio), τέρας vero de iis, quae non fiant secundum naturam (uti caeci nati sanatio). Similiter *Thom.* aliique nonnulli minora miracula (uti sanationes morborum), *signa*, maiora vero, « quae ex sua magnitudine aliquid magni portendant », *prodigia* appellare volunt. Ast haec distinctio in Scripturis non obtinet, quae ex. gr. resuscitationem Lazari signis adnumerat (*Ioan.* 11,47). Iuxta *Orig.* « *signa* appellantur, in quibus, quum sit aliquid mirabile, indicatur quoque aliquid futurum; *prodigia* vero, in quibus tantummodo mirabile aliquid ostenditur »; adnotat tamen, hanc differentiam non semper observari, sed « interdum abusive (?) prodigia pro signis et signa pro prodigiis poni ». Verum, uti alibi iam monuimus (cfr ad 2 *Cor.* 12,12), duobus nominibus non tam duas miraculorum species, quam eadem opera duabus diversis rationibus designari rectius dicemus. *Signa* (σημεῖα) enim miracula vocantur, quia divinae revelationi demonstrandae inserviunt hominibusque a Deo missis fidem auctoritatemque conciliant; prodigia (τέρατα) vero, quia praeter ordinarias naturae vires legesque fiunt vel eas superant ideoque hominum attentionem admirationemque excitant.

Graeci plerique alterum membrum (*in virtute Spiritus sancti*) priori subiungunt, ut signa et prodigia in virtute Spiritus sancti dicantur patrata; inter Latinos haud pauci secundum membrum de charismatis (dono linguarum, prophetia etc.) interpretari volunt, quae Spiritui S. attribui soleant; sed neutra explicatio nobis probatur, quia prior constructioni non satis consonat, alterius vero auctores non attendunt, charismata etiam ad signa et prodigia pertinere.

In exordio iam se aliquem fructum (τινὰ καρπὸν) inter gentes habuisse Paulus significavit (cfr 1,13); quantus autem ille sit, quem duobus illis adiumentis instructus tamquam Christi minister et instrumentum produxerit, ultimo nunc membro docet vasto illo tractu delineato, in quo Evangelium tam prospero cum successu annuntiavit, ut iam novum laborum campum sibi quaerere debeat: *ab Ierusalem enim et in circuitu* (καὶ κύκλῳ) *usque ad Illyricum replevit Evangelium Christi.* Quoniam primum Damasci immediate post suam conversionem et iterum post iter suum arabicum praedicavit (cfr *Act.* 9,20. 22), Ierusalem, ubi non nisi aliquanto post Hellenistis Evangelium promulgavit. (*Act.* 9,28 sq.), ei non est terminus, a quo apostolicos suos labores inchoavit, sed limes meridionalis terrarum, quas in itineribus suis evangelicis peragravit; ac similiter Illyricum, quam in provinciam Corintho probabiliter tempore secundi sui itineris apostolici expeditionem suscepit (cfr *Introd. spec.* in Novi Test. libr. p. 369; *Compend.* Introd. p. 531), earumdem terrarum est limes septemtrionalis. Locutionem *et in circuitu* autem moderni fere omnes cum verbis *ab Ieru-*

salem arcte connectunt, ita ut *Ierusalem et regio circumiacens* (Iudaea, Syria, Phoenicia cfr *Act.* 26,20) limes meridionalis sit. Antiquiores tamen plerique regiones inter Ierusalem et Illyricum interiacentes, quas non recta via sed magno ambitu peragraverit, designari volunt; quo sensu cum *Chrys.* aliisque *Theod.* verba Apostoli ita amplificat : « Non eas solas, quae in recta via positae sunt, gentes colui, sed etiam in orbem circumiens (κύκλῳ περιών) orientales et ponticas regiones atque Asiam et Thraciam praedicatione replevi ». Utraque explicatio apta est, secundam tamen, quae ad *Vulg.* versionem propius accedit, praeferimus.

Difficultatem quandam altera dictio πληροῦν τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ *replere* vel *implere Evangelium Christi*) creat. Simili modo, quo *Theod.*, etiam *Thom.* (« omnia illa loca replevi praedicatione evangelica ») aliique Latini eam interpretantur, quasi scriptum sit : ὥστε με ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ τὰ πάντα πεπληρωκέναι τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ, sed id scriptum non est. Cum *Chrys.*, uti videtur, *Euth.* aliique πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον idem valere volunt, quod ἀνελλιπῶς καὶ τελείως κηρύξαι (i. e. illud « plene et perfecte annuntiasse »); verum haec explicatio contextui minus congruit, quia de praedicationis maiore minoreve perfectione non tam agitur, quam de eius fructu. Melius igitur πληροῦν hic idem esse dicemus quod συντελεῖν (terminare cfr *Luc.* 7,1 ἐπλήρωσεν πάντα τὰ ῥήματα *implevit* seu *terminavit* omnia verba; *Act.* 12,25 πληρώσαντες τὴν διακονίαν ministerio *expleto* seu *terminato*; *Col.* 1,25 πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ *implevisse* seu *terminasse* verbum Dei etc.). Sese ergo toto illo terrarum tractu annuntiationem Evangelii ad finem adduxisse, ita ut in illo iam ubique doctrina christiana innotuerit, Paulus significare recte dicitur. Quae explicatio haud parum sequentibus (cfr *v.* 23) confirmatur, quum Apostolus se illis in regionibus non amplius opportunitatem Evangelii annuntiandi habere asserat.

Apte quoque et sua quasi sponte iuxta hanc interpretationem nova subiungitur sententia, qua explanat, quo sensu se Evangelii annuntiationem in toto Oriente, quamvis nondum integrae terrae quas peragravit fidem recepissent, iam ad finem perduxisse dixerit : 20. *sic autem praedicavi Evangelium hoc* (iuxta graecam lectionem, quam praeferimus cfr *VV. LL.* : οὕτως δὲ φιλοτιμούμαι εὐαγγελίζεσθαι, omnino legatur oportet : *sic autem in gloria duco Evangelium praedicare*), *non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem* (lege : *aedificem*), 21. *sed sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audierunt, intelligent.* Vulgata nostra, si huius sententiae sensus generatim tantum et summatim consideratur, satis quidem cum primigenio textu

consonat, parum accurate tamen et liberrime eum reddit. Iuxta illam enim Paulus id unum asserit, se hucusque iis solis in locis Evangelium annuntiasse, in quibus nondum erat cognitum; iuxta graecam vero lectionem legem enuntiat, quam sibi ipse tulerit quamque non solum hucusque observaverit sed etiam in tota muneris sui functione observare velit. Dubium autem non est, quin graecus textus, utpote quem aliae quoque versiones approbent, sit retinendus.

Ad singula quod attinet, coniunctio δέ (*autem*) hic, uti saepe (cfr ad 3,12; 1 *Cor.* 1,12 etc.; *Ioan.* 3,19; 6,39 etc.), epexegetica est explicationique afferendae inservit, ita ut latino *nimirum* fere respondeat. Particula οὕτως (*sic*) deinde, quae magna cum emphasi primum locum occupat, ad verbum εὐαγγελίζεσθαι (*Evangelium annuntiare*) referatur oportet; duobus autem membris, uno negativo (*non ubi nominatus est* etc.), altero affirmativo (*sed sicut scriptum est* etc.) exponitur. Demum verbum φιλοτιμεῖσθαι propria sua significatione (*honori sibi ducere* cfr 1 *Thess.* 4,11) recte sumitur, quum nulla sit ratio, cur derivata (*cupide studere*, contendere cfr 2 *Cor.* 5,9) hic praeferatur. Ex superioribus enim evidenter elucet, Paulum in Evangelii praedicatione suam propriam gloriam non quaesivisse; suam igitur propriam gloriam verbo φιλοτιμοῦμαι (*in gloria duco*) non designat, sed illam, qua apostolatus sibi commissi dignitas splendidius effulget. Persuasum enim habuit, ad suum munus id maxime pertinere, ut secundum gratiam sibi datam velut sapiens architectus fundamentum poneret, cui alii postea superaedificarent (cfr ad 1 *Cor.* 3,10); quin etiam fundationem novarum ecclesiarum quasi sigillum quoddam consideravit, quo apostolatus sui documentum confirmatum esset et consignatum (cfr ad 1 *Cor.* 9,2). Hoc ergo sensu gloriae sibi duxit, Evangelium illis tantum in locis annuntiare, in quibus Christi nomen nondum innotuit, ne super fundamentum ab alio Apostolo iam positum superaedificans non tam Apostoli proprie dicti quam evangelistae vel doctoris (cfr ad 1 *Cor.* 12,28; *Eph.* 4,11) munere fungi videretur. At hinc quoque apparet, quo cum iure se Evangelii annuntiationem ab Ierusalem et in circuitu usque ad Illyricum iam explevisse neque amplius illis in regionibus locum apostolatus sui exercendi invenire (*v.* 23) dixerit. Etenim suas ipsius partes fundamento sapienter posito ibi revera expleverat, postquam tribus suis magnis itineribus in praecipuis illarum terrarum civitatibus ecclesias fundavit, ex quibus per discipulos suos aliosque evangelistas ac doctores fidem in vicinas regiones sine magna difficultate diffundi posse vidit.

Haud inepte quidem multi interpretes monent, Paulum saepe illis quoque in ecclesiis quas non condidisset praedicasse (Damasci, Iero-

solymis, Antiochiae) atque epistolas quoque ad ecclesias a se non fundatas (romanam, colossensem, laodicenam) dedisse, eum ergo hac regula id unum declarare, quod *plerumque* faciebat. Attamen praeprimis hic de *gentium* suo apostolatu proxime loquitur, quo non fungi coepit, nisi quando satis diu post suam conversionem a S. Spiritu missus primum iter apostolicum suscepit (cfr *Act.* 13,1-4), et quo similiter ac reliqui Apostolo non tam scriptis epistolis quam evangelio viva voce annuntiato fungi debuit. Neque de praedicationibus agit, quibus per civitatem quandam transiens quasi per occasionem fidelium eius fervorem suscitavit, sed de diuturnioribus laboribus ad ecclesiam, quam alius fundavit, in fide stabiliendam confirmandamque susceptis (cfr supra p. 5). Ecclesiae porro colossensis et laodicena per eius discipulos fundatae ad eum non minus pertinebant quam ephesia, cuius erant quasi filiae; Romanis autem scripsit, ut iter suum hispanicum quodam modo praepararet, neque Romae subsistere ac praedicare sed a Romanis in Hispaniam deduci voluit (*v.* 24), ubi Evangelium nondum erat annuntiatum. Quae omnia si diligenter perpenduntur, nihil video obstare, quominus Pauli verba pro lege sumamus, quam eousque accurate ac rigide observaverat eodemque modo, quamdiu per temporum locorumque rationes licebat, observare voluit.

A dignitate ergo proprie apostolica alienum habebat, aliorum Apostolorum provincias invadere, ne ibi metens, ubi sementem non fecisset, de aliorum laboribus gloriaretur (cfr ad 2 *Cor.* 10,12-16), atque hanc ob causam honori sibi ducebat Evangelium praedicare non iis in locis, in quibus nomen Christi ab alio Apostolo allatum iam celebrabatur, sed in iis, in quibus plane erat incognitum. Affirmativum membrum textu Isaiae (52,15) enuntiat, quem argumento suo accommodare recte dicitur (cfr *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2. p. 566 sqq.; *Compend.* introd. Ed. 2. p. 135). Propheta enim generatim de gentibus loquitur, quibus nihil de Messia divinitus sit annuntiatum, quae ergo de eius adventu, humiliatione, exaltatione admiraturae sint, Paulus vero illius dictum per allusionem quandam ad eas gentes transfert, ad quas aliorum Apostolorum praedicatio nondum advenerit. Alexandrinam versionem Paulus iterum accurate sequitur atque *S. Hier.* quoque primigenium textum eodem modo reddidit, in eo solo dissentiens, quod hebraica perfecta רָאוּ et הִתְבּוֹנָנוּ, quamvis prophetica sint, perfectis latinis (viderunt, contemplati sunt) vertere maluerit. Iuniores utique ac moderni interpretes cum *Syr.* et *Chald.* communiter vertunt : « *quod* non est narratum eis, videbunt (sc. reges), et *quod* non audierunt, contemplabuntur (seu : intelligent) »; at dubium non est, quin alexandrina versio non minus, quam haec nova, cum textu he-

braico consonet. Illam ergo, utpote a S. Paulo adoptatam et approbatam, iure nostro praeferimus (cfr *Knabenbauer* Comment. in Isaiam II. p. 292 sq.).

2. — *Itineris romani, quod sibi proposuit, ratio* (15,22-33).

15,22. ***Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.*** 23. ***Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis :*** 24. ***quum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.*** 25. ***Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis.*** 26. ***Probaverunt enim Macedonia et Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Ierusalem.*** 27. ***Placuit enim eis : et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis.*** 28. ***Hoc igitur quum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam.*** 29. ***Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.*** 30. ***Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, et per caritatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,*** 31. ***ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudaea, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis,*** 32. ***ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum.*** 33. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

15,22. Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην πολλάκις τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς· 23. νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασιν τούτοις, ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ ἱκανῶν ἐτῶν, 24. ὡς ἂν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς καὶ ἀπὸ ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ. 25. νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλὴμ διακονῶν τοῖς ἁγίοις. 26. εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. 27. εὐδόκησαν γὰρ, καὶ ὀφειλέται εἰσὶν αὐτῶν· εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινώνησαν τὰ ἔθνη, ὀφείλουσιν καὶ ἐν τοῖς σαρκικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς. 28. Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον, ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς Σπανίαν. 29. οἶδα δὲ ὅτι ἐρχόμενος πρὸς ὑμᾶς ἐν πληρώματι εὐλογίας Χριστοῦ ἐλεύσομαι. 30. παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν, 31. ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ ἡ δωροφορία μου ἡ ἐν Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος τοῖς ἁγίοις γένηται, 32. ἵνα ἐν χαρᾷ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς διὰ θελήματος Κυρίου Ἰησοῦ. 33. ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν[1].

1. ***VV. LL.*** — 22. πολλάκις (saepe) B D E F G ; cum reliquis testibus omnibus rectius legitur : τὰ πολλά (multum, seu : *plurimum*). — πρὸς ὑμᾶς (*ad vos*) sine altero additamento est communis et certa lectio ; ***Vulg. Clem.*** autem parum apte addit : ***et prohibitus sum adhuc*** ; quae verba hoc in loco non tantum a graecis codd. aliisque verss., sed etiam ab ***Ital.*** (cfr *A^rr. Orig. interpr.* etc.) melioribusque ***Vulg.*** codd. (***Fuld. Amiat. Tolet. Demid. Harl.*** etc.) ignorantur et ex 1 13 huc translata sunt. — 23. ἀπὸ ἱκανῶν ἐτῶν (***a multis annis***) B C cum paucissimis minusc. ; cum reliquis potius legatur : ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν. — 24. ὡς ἂν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν (quamprimum proficiscar in Hispaniam, vel forte melius cum *Vulg.* etc. : *quum in Hispaniam proficisci coepero* , verbis

A causa, cur Romam nondum venerit, indicanda exorsus (v. 22) B. Paulus sese nunc, postquam illa sit sublata, ecclesiam romanam occasione itineris sui hispanici invisurum esse promittens (23. 24) proximorum quae sibi proposuit itinerum rationem accuratius enarrat : antea nimirum se Ierosolyma esse profecturum (v. 25), ut eleemosynas ab ecclesiis Macedoniae et Achaiae collectas pauperibus ierosolymitanis deferat (26. 27); deinde in Hispaniam se expeditionem apostolicam

ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς (veniam ad vos) non additis, B ℵ A C D E F G P, paucissimi minusc., *It. Vulg. Copt. Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.*; sed **textus rec.** verba illa tamquam apodosin addit cum L et omnibus fere minusc. et *Syr.* (codd.). — ἐλπίζω γάρ (spero enim) B ℵ A C D E L P, omnes fere minusc., *Syr.* (codd.); attamen nudum verbum ἐλπίζω (*spero*), coniunctione γάρ praetermissa, F G, *It. Vulg. Copt. Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.* — Moderni critici hanc sententiam ita legendam esse recte censent, sicut eam in textu graeco iuxta B aliosque antiquiores codd. graecos exhibuimus; anacoluthice ergo hoc in loco Paulus scripsit iustamque apodosin praetermisit. Ad sanandum porro anacoluthum iuniores librarii graeci verba ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς (veniam ad vos) inseruerunt ac deinde particulam γάρ post verbum ἐλπίζω apte retinuerunt; interpretes autem antiqui (latin., coptic., syr. etc.), quum nihil inserere vellent, particulam γάρ omiserunt, ut haec ipsa sententia a verbo ἐλπίζω incipiens (*spero quod praeteriens videam vos* etc.) pro apodosi esset. Neutra igitur lectio genuina est; utraque tamen sensum Apostoli satis accurate exprimit anacoluthumque apte removet; quare alterutram sequi nobis licet et latinam in commentario retinebimus. — 25. νυνὶ δέ (*nunc autem*) est communis lectio codd. graec. et verss. (etiam *Ital.*); nostra *Vulg.* utique habet : *nunc igitur*, sed interpres latinus aliam lectionem in suo cod. non habuit, quum alibi quoque graecum δέ metabat, latino *igitur* reddat; cfr v. 30 παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς *obsecro igitur vos.* — 29. εὐλογίας Χριστοῦ (benedictionis Christi) B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *It.* (cfr *A*[ter] *Orig. int.* etc.) *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Demid. Harl.* etc.) *Copt. Arm.*; minus accurate **textus rec.** : εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ (*benedictionis Evangelii Christi*) cum L, omnibus fere minusc., *Vulg.* (*Clem.* ex iunioribus codd.), *Syr.* — 30. ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ (in orationibus pro me) est communior lectio graec. codd. et verss., quam cum *Ital.* etiam meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Demid. Harl.* etc.) tuentur; Graecolatini (D E F G) tamen cum *Vulg.* (*Clem.* ex iunior. codd.) *Copt. Graec.* habent : ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑμῶν ὑπὲρ ἐμοῦ (*in orationibus vestris pro me*). — 31. ἡ δωροφορία μου ἡ ἐν Ἰερουσαλήμ (doni oblatio mea in Ierusalem) B D F G, *It.* (*A*[ter] : munerum meorum ministratio) *Vulg.* (*obsequii mei oblatio*); reliqui Graeci legunt : ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἰερουσαλήμ (ministerium meum relate ad Ierosolymitanos); sensu duae lectiones vix differunt. — 31. ἵνα ἐν χαρᾷ ἔλθω (ut in gaudio veniam) B D E F G L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Aeth.*; sed : ἵνα ἐν χαρᾷ ἐλθὼν... συναναπαύσωμαι ὑμῖν (ut in gaudio veniens... refrigerer vobiscum) ℵ A C, pauci minusc., *Copt. Arm.* Priorem lectionem praeferimus, monemus autem a B ultima sententiae verba : καὶ συναναπαύσωμαι ὑμῖν (*et refrigerer vobiscum*) immerito esse praetermissa. — διὰ θελήματος Κυρίου Ἰησοῦ (per voluntatem *Domini Iesu*) solus B, διὰ θελήματος Ἰησοῦ Χριστοῦ vel Χριστοῦ Ἰησοῦ (per voluntatem *Iesu Christi* vel *Christi Iesu*) ℵ D E F G et *Vulg.* cod. Fuld.; retineatur autem oportet communior lectio : διὰ θελήματος τοῦ Θεοῦ (*per voluntatem Dei*) cum A C L P, omnibus minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*; haec quippe formula Paulo sollemnis est, cfr 1 *Cor.* 1,1; 2 *Cor.* 1,1; 8,5; *Eph.* 1,1; *Col.* 1,1 etc.

esse suscepturum atque hoc in itinere Romam venturum fidelibusque gratiarum spiritualium copiam allaturum (*v.* 29). Quoniam vero timet, ne Ierosolymis periculum sibi ab infidelibus Iudaeis immineat, ignoratque, num oblatio sua fidelibus accepta sit futura, Romanorum precibus enixe se commendat, ut cum gaudio ad eos venire possit (30-32). Terminat autem hanc epilogi partem benedictione apostolica (*v.* 33).

Ultima in praecedentis sectionis sententia (*v.* 20) Apostolus se munere suo semper ita fungi declaraverat, ut illis potissimum in locis Evangelium annuntiaret, in quibus nomen Christi eousque fuisset ignotum; haec autem quam sibi statuerat praedicandi lex causa praecipua fuit, qua desiderio suo Romanos invisendi satisfacere hucusque est prohibitus : 22. *propter quod* (διό) *et impediebar plurimum* (ἐνεκοπτόμην τὰ πολλά) *venire ad vos*, (*et prohibitus sum usque adhuc*, καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο). Ultima verba, quae uncis inclusimus, ad hanc sententiam non pertinere, sed ex 1,13 huc esse translata, iam annotavimus (cfr *VV. LL.*); contextum tamen non perturbant, quia Apostolus, uti recte *Chrys.* iam monet, ad illa quasi respiciens causam afferat, qua potissimum prohibitus fuerit. Sunt qui particulam διό (*propter quod*) ad *v.* 19 referre malint, in quo de suis prioribus expeditionibus loquitur (cfr *Mai.* etc. — *God.* etc.); at nulla est ratio, cur a proximo nexu recedamus, quem utpote aptissimum omnes fere tenent. Populorum quippe, ad quos notitia Evangelii nondum pervenit, cura Paulum plerumque (τὰ πολλά) impediverat, quominus Romam se conferret, qua in urbe fundamentum iam erat positum atque fides florebat. Suo τὰ πολλά (*Vulg.* : plurimum i. q. plerumque) tamen indicat, interdum alias quoque causas, quas accuratius non definit, iter suum romanum remoratas esse.

Verum postquam a Ierusalem usque in Illyriam per totum Orientem Evangelii praedicationem ad finem perduxit, sperat fore, ut desiderium suum invisendae romanae ecclesiae mox explere sibi liceat, quum in Hispania novum laborum campum sibi quaerere velit: 23. *nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos a multis iam praecedentibus annis* (melius : *a multis annis* ἐκ πολλῶν vel ἱκανῶν ἐτῶν), 24. *quum in Hispaniam proficisci coepero* (vel : *simulac in Hispaniam proficiscar*, ὡς ἂν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν), *spero quod praeteriens* (melius : *transiens* seu *in transitu meo*, διαπορευόμενος) *videam vos, et a vobis deducar illuc* (ἐκεῖ hic i. q. ἐκεῖσε cfr *Matth.* 2,22; 17,20 etc.), *si vobis prius ex parte fruitus fuero* (vel : *si vestrae prius conversationis desiderium aliquatenus explevero*, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ). De huius sententiae ge-

nuina lectione antea diximus neque quidquam impedire monuimus, ne Vulgatae lectionem retineamus, quae anacolutho apte remoto sententiam et satis accurate et satis apte reddit (cfr *VV. LL.*). Similiter iam explicavimus (cfr ad *v.* 20), quo sensu Apostolus iis in regionibus, in quibus hucusque Evangelium praedicavit, i. e. in orientalibus romani imperii provinciis, *non ulterius locum*, i. e. opportunitatem apostolici muneris exercendi, *haberet;* in praecipuis videlicet totius illius tractus civitatibus ecclesiis fundatis fundamentum posuerat, cui eius discipuli aliique Evangelium in vicinas regiones diffundentes facile superaedificare possent.

Hanc ob causam ad extremum Occidentem oculos convertens Hispaniam velut novam provinciam, in qua nomen Christi adhuc esset ignotum, sibi elegerat in eamque expeditionem apostolicam suscepturus per Romam iter facere statuerat, ut Romae aliquamdiu subsistens desiderio romanos fideles invisendi, quod a multis annis iam fovit, simul satisfaceret. Quandonam in eo hoc desiderium sit exortum, nostra sententia non docet; id autem ex ea evidenter elucet, romanam ecclesiam iam diu ante nostram epistolam scriptam, i. e. ante a. 58. vel 59. conditam esse, atque iuremerito illos ad hunc locum appellare, qui Petrum a. 42. eius fundamentum posuisse tenent. Animadvertatur praeterea oportet, Paulum romanam ecclesiam *in transitu* tantum videre voluisse, et quidem ut ab eis in Hispaniam deduceretur, postquam eorum usu ac familiaritate antea fruitus esset. Rite enim hinc colligitur, romanam ecclesiam neque foedo illo errore de iustitia propriis viribus ac meritis acquirenda, quem antiquiores nonnulli ei affinxerunt, neque aliis gravioribus vitiis fuisse infectam. Haud leve enim fidelibus, quibus scribit, Paulus fiduciae et amoris documentum exhibet, quum non tantum omnibus ad iter hispanicum necessariis per eos instrui, sed etiam ex eis itineris comites, per quos quodammodo Hispanis commendetur, assumere velit (cfr ad 1 *Cor.* 16,6). Clarius autem quantopere eos observet ac diligat altero membro prodit, quum se iter hispanicum pergere nolle asserat, nisi postquam eis *ex parte fruitus* vel potius *satiatus* fuerit (ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ). Quae in verba bene *Chrys.* : « Dicens : *si vobis satiatus fuero*, non qualemcumque sed vehementem amorem significat; ideo etiam addit : *ex parte*, quasi innuens nullum tempus posse ipsum eorum consuetudine satiare aut fastidium familiaritatis eorum ipsius animo ingenerare. Vide, quanta sit eius dilectio, quandoquidem, etiamsi festinet, profecturum se non esse dicat, priusquam eis saltem aliquatenus satiatus sit ».

Ne vero Romani ipsum statim adventurum esse arbitrentur, cum illis

proximorum suorum itinerum consilia communicat : 25. *nunc igitur* (melius : *nunc autem* νυνὶ δέ, quum particula δέ hic non sit metabatica sed adversativa) *proficiscar* (lege : *proficiscor* πορεύομαι, i. e. in eo sum ut proficiscar) *in Ierusalem ministrare* (vel potius : *ministrans* διακονῶν) *sanctis*, sc. fidelibus ierosolymitanis. Participio praes. (διακονῶν) non tam itineris finem designat (uti aliqui volunt cfr *Mai. Beel.* etc. — *God.* etc.), quam iter ipsum partem ministerii esse ostendit; « neque enim ministerium vocat solam pecuniae collectae erogationem sed totum pecuniae colligendae, perferendae, tradendae negotium » (*Est.*). De hoc enim negotio se loqui, sequente sententia clarius docet : 26. *probaverunt enim* (εὐδόκησαν γάρ) *Macedonia et Achaia collationem aliquam* (κοινωνίαν τινά communicationem quandam) *facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem.* Promissi fidem (cfr ad *Gal.* 2,10) exsoluturus etiam in tertia sua expeditione apostolica ecclesias antea a se in Galatia, Macedonia, Achaia fundatas invitaverat, ut eleemosynis collectis paupertatem fidelium palaestinensium sublevarent (cfr ad 1 *Cor.* 16,1 sqq. ; 2 *Cor.* 8,1 sqq.) ; cui invitationi Macedones et Corinthii tanta cum liberalitate responderant, ut collatam summam pecuniae dignam iudicaret, quam ipse una cum ecclesiarum illarum legatis Ierosolyma deferret (cfr ad 1 *Cor.* 16,4). De hac collatione ac proinde de illo itinere ierosolymitano, qua tertiam suam expeditionem terminavit (cfr *Act.* 20, 3-21,17) fratribusque suis eleemosynas attulit (*Act.* 24,17), eum hic agere omnes consentiunt.

Significanter autem illam eleemosynarum collationem vocat κοινωνίαν *communicationem*, ut Macedoniae et Achaiae Ethnicochristianos fratrum suorum palaestinensium necessitates velut proprias considerasse suasque ipsorum facultates cum illis quasi communes possidere voluisse significet (cfr ad 12,13). Levi tamen correctione addita eos non tam ex mera benignitate ac liberalitate quam ex iustitia quadam ita egisse indicat : 27. *placuit enim eis* (vel melius quum per anaphoram praecedens verbum εὐδόκησαν repetatur : *probaverunt enim*) *et debitores sunt eorum*; i. e. communicationem quandam in pauperes ierosolymitanos facere probaverunt idque quia se eorum *debitores* (ὀφειλέται) esse intellexerunt. Quo nomine recte se uti declarat pergens : *nam si spiritualium eorum* (τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν) *participes facti sunt* (ἐκοινώνησαν) *gentiles, debent* (ὀφείλουσιν) *et in carnalibus ministrare illis* (λειτουργῆσαι αὐτοῖς). Nomine *spiritualium* (τὰ πνευματικά) Paulus hic Evangelium omniaque quae affert bona comprehendit, quippe quae ad altiorem nostram vitam pertineant, eisque nomine *carnalium* (τὰ σαρκικά) temporalia bona omnia opponit, quae praesenti huic vitae nostrae sustentandae inserviunt (cfr ad 1 *Cor.* 9,11). Quum autem carnalia haec

omnibus hominibus quodam modo communia sint, spiritualia illa proprie ad Iudaeochristianos pertinere innuitur, utpote qui proprium quoddam ius ad illa habeant vi divinae promissionis (cfr ad *v.* 8). « Propter ipsos enim, inquit *Chrys.*, venit Christus; ipsis omnia erant promissa; ex ipsis Christus erat, ex ipsis Apostoli, ex ipsis prophetae, ex ipsis bona omnia ». Atqui per Apostolos, qui ex sancta illa societate ierosolymitana erant et ab illa quasi missi fuisse haud inepte dicuntur, bona spiritualia cum gentibus erant communicata. Unde a maiore ad minus concludens Paulus Ethnicochristianos obligatos esse recte asserit, ut vicissim viliora sua bona carnalia cum Iudaeis christianis communicent. Pulchre autem hanc temporalium bonorum communicationem *sacrum ministerium* esse significat; eleemosynae enim ei sunt sacrificium quoddam Deo ipsi in eius ministris oblatum (de verbi λειτουργεῖν vi cfr 13,6 et ad 2 *Cor.* 9,12).

Sancto igitur ac gravi negotio Apostolus impediebatur, ne statim desiderio suo Romanos invisendi satisfaceret; quamprimum autem illud impedimentum sit remotum, nihil amplius suum romanum iter esse remoraturum sperat : 28. *hoc igitur* (scilicet eleemosynarum negotium) *quum consummavero et assignavero eis fructum hunc* (καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον), *per vos proficiscar in Hispaniam.* Ab eleemosynarum nomine, ne Iudaeochristianos ierosolymitanos pudore quodam afficiat, in toto hoc loco diligenter se abstinens collectarum summam, quam modo *communicationem* appellavit et *debiti solutionem* esse declaravit, nunc *fructum* appellat ex Ethnicochristianorum videlicet caritate fraterna gratoque animo vel potius ex eorum intima unione cum ecclesia ierosolymitana exortum. Quem per alios quidem Ierosolyma transmittere potuerat (cfr ad 1 *Cor.* 16,3), sed ipse perferre mavult, ut suo ipsius testimonio velut sigillo apposito confirmet (σφραγισάμενος), eum revera fructum esse caritatis, qua gentes conversae primitivam Iudaeorum ecclesiam amplectantur.

Haec locutionis σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον, quam antiquiores et iuniores diversimode interpretantur, explicatio uti simplicior ita verior esse videtur : « quum eis (scilicet ierosolymitanis sanctis, quibus hoc itinere ministro) hunc fructum (unionis duarum ecclesiarum cfr *Gal.* 2,10) tamquam talem obsignavero (i. e. testimonio meo confirmavero) ». Antiquiores quidem Latini (cfr *Haym. Herv. Thom. Dion. Cai. Tol.* etc.) in *assignandi*, i. e. attribuendi et conferendi, significatione consistunt, quam latinus interpres erronee expressit; σφραγίζεσθαι enim latino *sigillo munire* respondet, id quod fit aut confirmandi aut tutandi aut notandi aut etiam occultandi causa. Ex iunioribus modernisque haud pauci σφραγίζεσθαι idem valere volunt quod *obsignatum tradere*, ita ut Apostolus significet « se pecuniam a gentilibus colla-

tam Ierosolyma perferre nolle nisi *obsignatam*, ne quis suspicetur, ipsum in rem suam aliquid inde usurpasse » (*Est.* cfr *Erasm. Iust. Lap. Picon.* etc., *MEv. Ag.* etc.). Verum ut praetermittamus non intelligi, cur Paulus Romanis scribens eiusmodi suspicionem a se removendam duxerit, monuisse sufficit, verbum σφραγίζεσθαι nunquam perferendi aut tradendi notionem habere annexam. Quamobrem eorum quoque modernorum interpretatio probari nequit, quibus σφραγίζεσθαι idem est quod « *tuto* in alicuius manus tradere » (cfr *Mai. Bisp.* etc.). Inter Graecos *Mopsu.* verbo notionem *complendi* attribuit atque eleemosynarum negotium non nisi pecuniarum traditione absolvi monens indirecte ad tradendi significationem revertitur : « σφραγισάμενος (quum *obsignavero*) dicit pro πληρώσας (quum *complevero*), ut significet ἀποκομίσας καὶ δεδωκώς (quum *detulero et tradidero*); nam etiamsi dantium intentione perfectus erat fructus, re tamen et usu imperfectus erat, antequam illi, quibus erat destinatus, eum acceperant ». Quae explicatio a modernis nonnullis adoptata (cfr *Sch.* — *Weiss* etc.) praeterea longius videtur quaesita atque subtilior argutiorque quam verior. Cum *Chrys.* alii (cfr *Theoph. Oec.*) nescio quo cum iure explicant : « quum *obsignavero* hunc fructum i. e. quasi in regio thesauro velut in tuto ac securo loco deposuero ». Forsitan *Chrys.*, similiter atque *Orig. Theod.* etc., quos pauci moderni sequuntur (cfr *Nat. Reith.*), pronomen αὐτοῖς (*eis*), quod iuxta contextum ad Ierosolymitanos omnino est referendum, ad Macedones et Corinthios referre voluerit, quibus obsignatus sit fructus, quando per manus pauperum, qui eum acceperunt, in Dei dextera seu thesauro depositus sit.

Itaque Ierosolymis, quamprimum eleemosynarum negotium sit terminatum, in Hispaniam proficisci in animo habet et quidem, longiore itinere non obstante, per Romam, ut romanos fideles saltem in transitu videat eisque aliquid gratiae spiritualis impertiat (cfr 1,11). Suum enim adventum eis utilem futurum esse persuasum habet : 29. *scio autem, quoniam* (melius : *quod* ὅτι) *veniens ad vos in abundantia benedictionis* (*Evangelii*) *Christi veniam* (seu venturus sim ἐν πληρώματι εὐλογίας Χριστοῦ ἐλεύσομαι cfr *VV. LL.*). Satis mirum est, quod praeeunte *Chrys.* etiam alii Graeci nonnulli (cfr *Theoph. Oec. Euth.*) locutionem ἐν πληρώματι εὐλογίας Χριστοῦ cum pronomine ὑμᾶς connectentes sententiam interpretentur : « scio quod veniens videbo vos in omnibus probatos et in omnibus florentes ». Hanc enim constructionem graeca grammatica respuit; cum *Orig.* potius aliisque Graecis et vix non omnibus Latinis locutionem illam ad verbum ἐλεύσομαι (*veniam*) trahamus oportet (ἔρχεσθαι ἔν τινι *in* aliqua re, i. e. *cum* ea venire, eam afferre cfr 1 *Cor.* 4,21 ἐν ῥάβδῳ, ἐν ἀγάπῃ ἔρχεσθαι, 2 *Cor.* 2,1 ἔρχεσθαι ἐν λύπῃ etc.), ut sensus sit : « scio meo adventu me vobis copiam benedictionis Christi allaturum esse ». *Benedictionem Christi* autem gratias appellat, quas ipso praedicante Christus auditoribus largiturus

sit, atque se id *scire* dicit non ex revelatione quadam sed ex continua experientia, qua edoctus confidit, suam praedicationem, uti alibi semper, ita etiam Romae per Christi gratiam uberrimos fructus in animis fidelium esse producturam : « scit, inquit *Thom.*, ex fiducia gratiae divinae ». Ad contextum vero non satis attendunt, qui εὐλογίαν hic cum *A^tro* virtutem signorum aut cum *Theod.* pericula interpretantur, quae Apostolus se in itinere romano subiturum praeviderit; atque longissime a vero aberravit *Theoph.*, qui erroneam Chrys. constructionem secutus ad 2 *Cor.* 9,5 respiciens εὐλογίαν eleemosynas significare asseruit, quasi Paulus sperasset, se uberrimas eleemosynas Romae pro Ierosolymitanis collecturum esse.

Duo quidem itinera eo tempore, quo Corinthi hanc epistolam scripsit (exeunte a. 58. vel ineunte a. 59.), Apostolus sibi proposuit, ierosolymitanum ad eleemosynas deferendas ac deinde hispanicum, in quo Romam quoque videre voluit; prius autem solum ei facere licuit. Ierosolymis enim infidelium Iudaeorum machinationibus in vincula coniectus alio plane modo, quam apud se statuerat, iter romanum ingredi coactus, biennio Caesareae in captivitate peracto, multo tardius quam speraverat, verno nimirum tempore a. 62, vinctus Romam pervenit. At Corinthi iam facile potuit praevidere, ierosolymitanum suum iter periculi plenum futurum esse; antequam enim Corintho proficisceretur, propter insidias a Iudaeis ei structas consilium illius itineris mutare iam debuit (cfr *Act.* 20,3). Unde intelligitur, cur tam enixe illud Romanorum precibus commendet : 30. *obsecro ergo* (melius : *autem* δέ) *vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum et per caritatem* (*sancti*) *Spiritus, ut adiuvetis me* (συναγωνίσασθαί μοι ut mecum luctemini) *in orationibus* (*vestris*) *pro me* (ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ cfr *VV. LL.*) *ad Deum*, 31. *ut liberer* (ἵνα ῥυσθῶ) *ab infidelibus* (*qui sunt*) *in Iudaea et obsequii mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis* (vel accuratius : *et mea doni oblatio in Ierusalem accepta fiat sanctis* καὶ ἡ δωροφορία μου ἡ ἐν Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος τοῖς ἁγίοις γένηται, vel eodem sensu : *et ministerium meum in Ierusalem*, i. e. ad Ierosolymitanos, *acceptum* etc. καὶ ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος κτλ cfr *VV. LL.*), 32. *ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei et refrigerer vobiscum* (καὶ συναναπαύσωμαι ὑμῖν cfr *VV. LL.*). Ad constructionem quod attinet, contra antiquiores nonnullos (cfr *Thom.* etc.) annotamus, duas sententias finales, quae coniunctione ἵνα (*ut*) inchoantur (31. 32), inter se non esse parallelas, sed secundam (*v.* 32) a priore (*v.* 31) dependere. Finis videlicet, quem Paulus fidelium precibus obtinere vult, proximus est, ut eleemosynarum negotium Ierosolymis feliciter peragere sibi liceat, remotior

autem, ut negotio illo feliciter peracto cum gaudio ad Romanos perveniat.

Ob gravitatem ergo difficultatum, quas in itinere ierosolymitano inventurus sit, illud non simpliciter ac nude precibus Romanorum commendat. *Per Iesum Christum* potius, in quo utpote supremo omnium fidelium Domino se cum eis unum esse confidit, *et per caritatem Spiritus*, qua in suo atque eorum cordibus diffusa velut arctissimo vinculo cum eis est coniunctus et unitus, *eos obstestatur* (cfr ad 12,1), *ut in orationibus pro ipso ad Deum colluctentur*. Ardentissimis ergo precibus, quibus Deum quasi vincere studeant (cfr *Col.* 4,12), Romanos impetrare vult sibi auxilium, quo difficultatibus periculisque remotis eleemosynarum negotium ad felicem finem perducat. Iamvero quia duo potissimum felici rei eventui obstatura suspicatur, duplex quoque argumentum proximum precibus neophytorum assignat. Una enim ex parte vix non certus est, infideles Iudaeos, qui odio implacabili eum ubique persequebantur, quia contra populum, uti aiebant, et Legem et templum omnes ubique excitaret (cfr *Act.* 21,28), sibi in Iudaea quoque insidias esse structuros; altera autem ex parte haud sine ratione dubitat, annon etiam multi Iudaeochristiani ierosolymitani, qui omnes erant aemulatores Legis (*Act.* 21,20), calumniis infidelium seducti ab eo velut Legis adversario tam averso sint animo, ut ex eius manibus eleemosynas Ethnicochristianorum accipere nolint. Quapropter Romanos secum orationibus ad Deum colluctari vult, ut primum quidem infidelium insidias persecutionemque in Iudaea effugiat, ac deinde ut oblatio sua fidelibus grata acceptaque sit.

Eo magis porro Romani Apostolum precibus suis adiuvare debent, quia ideo potissimum felicem negotii illius exitum desiderat, ut ad eos non tantum venire sed etiam *in gaudio venire* et *cum eis refrigerari*, συναναπαύεσθαι i. e. mutua conversatione ipse recreari et aedificari eosque vicissim recreare et aedificare valeat (cfr 1,11. 12). Quoniam vero a solo Deo utrumque pendet, fideles ad ardentes quidem fundendas orationes exhortatur, simul autem addito *per voluntatem Dei* eos docet, totam rem divino beneplacito esse committendam, ac leviter quoque indicat (uti supra 1,10), Deum pro sua sapientia forte illud quod exposuit duplicis itineris consilium non esse approbaturum. Revera Deus, quemadmodum supra iam dixi, illud non approbavit; quamvis enim ab ecclesia ierosolymitana Paulus bene sit receptus, infidelium tamen insidias non effugit Romamque non pervenit nisi vinctus Christi Iesu.

Obtestationem demum suam (30-32), quae toti huic epilogi parti (14-29) velut conclusio practica accedit, pio voto terminat : 33. *Deus*

autem pacis sit cum omnibus vobis; amen. Propter appellationem *Deus pacis*, qua utitur, multi eum ad Romanorum dissensiones antea commemoratas (14,1-15,13) respicere et quasi redire arbitrantur; at dissensionum argumentum pio illo voto, quod *v.* 13 legitur, absolvit atque mirum esset, si hic ad illud reverteretur. Inimicitiarum potius Iudaeorum magnorumque periculorum recordatione, quae ex eorum parte sibi imminere pro certo habet, adducitur ut a Deo pacis auctore (cfr ad *v.* 5) fidelibus pacem exoptet eumque precetur, ut illos ab eiusmodi insidiis et periculis continua sua protectione defendat.

2. — *Phoebes commendatio multorumque amicorum salutatio* (16,1-16 *a*).

1). Commendatio Phoebes diaconissae.

16,1. *Commendo autem vobis Phoeben sororem nostram, quae est in ministerio ecclesiae, quae est in Cenchris: 2. ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis: et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit; etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi.*

16,1. Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν, οὖσαν καὶ διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, 2. ἵνα προσδέξησθε αὐτὴν ἐν Κυρίῳ ἀξίως τῶν ἁγίων, καὶ παραστῆτε αὐτῇ ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρῄζῃ πράγματι. καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ [1].

Epistolam nostram per Phoeben Romam esse allatam, communis iuniorum recentiorumque interpretum est sententia, quam praeter subscriptiones multorum codicum quum graecorum tum latinorum et syriacorum copticorumque (cfr *Tischend.* Nov. Test. Ed. 8. II. p. 457) inter Graecos *Oecum.* et *Theoph.*, inter Latinos *Abael.* et *Herv.* iam antiquitus pervulgatam fuisse testantur. Atque revera probabile est, Paulum Phoeben ad sua negotia Romam proficiscentem his verbis ideo potissimum commendasse, ut eam ad Romanos quasi introduceret eique epistolam deferenti fidem faceret. Duobus autem titulis eam commendat, quum eam non tantum suam illorumque *sororem*, scilicet in Christo i. e. Christianam, nominet sed etiam eam publico munere in ecclesia cenchreensi (Cenchreae portus erat Corinthiorum in mari ionio octo fere passuum millibus Corintho distans) etiamnunc fungi dicat; ecclesiae enim illius, quam Apostolus verisimiliter in altera sua expeditione apostolica ipse fundaverat (cfr *Act.* 18,18), *ministra* seu diaconissa (διάκονος) erat pauperum maxime aegrotorumque et peregrinorum servitio dicata [2]. Quo duplici titulo dignam eam esse asserit,

1. *VV. LL.* — 1. οὖσαν καὶ διάκονον (quae *etiam* est diaconissa) soli B C cum paucissimis minusc.; cum reliquis testibus coniunctione καί omissa lege: οὖσαν διάκονον (*quae est in ministerio* seu: quae est diaconissa. — 2. καὶ γὰρ αὐτή (*nam ipsa quoque*) est verior aptiorque lectio, pro qua *textus rec.*: καὶ γὰρ αὕτη (nam *haec* quoque).

2. De *diaconissarum* in primitiva ecclesia muneribus cfr *Moroni* Dizionario di erudizione stor. eccles. XIX, 267 sqq.; *Wetzer Welte* Kirchenlexicon Ed. 2. III. 1675 sqq.

quam Romani *in Domino*, i. e. propter Dominum Christum, cuius membrum sit, *recipiant digne sanctis*, i. e. eo modo, quo Christianum decet fratres suos et sorores recipere, quibus cum fide et caritate est unitus. Quapropter Romani quoque rogantur, ut diaconissae *assistant* (παριστάναι) seu opitulentur *in omni negotio*, in quo eorum auxilium forte desideratura sit, idque eo magis, quia *ipsa quoque* pro munere, quo fungatur, patrona et *adiutrix* (προστάτις) uti multorum ita ipsius etiam Apostoli iam fuerit. Qua in re autem Paulum adiuverit non minus ignoramus quam ad quae negotia peragenda Romam sit profecta.

2). Salutatio amicorum.

16,3. ***Salutate Priscam et Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu*** 4. (***qui pro anima mea suas cervices supposuerunt : quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctae ecclesiae gentium***), 5. ***et domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epaenetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiae in Christo.*** 6. ***Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis.*** 7. ***Salutate Andronicum et Iuniam, cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.*** 8. ***Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.*** 9. ***Salutate Urbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, et Stachyn dilectum meum.*** 10. ***Salutate Apellen probum in Christo.*** 11. ***Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.*** 12. ***Salutate Tryphaenam et Tryphosam, quae laborant in Domino. Salutate Persidem carissimam, quae multum laboravit in Domino.*** 13. ***Salutate Rufum electum in Domino, et matrem eius, et meam.*** 14. ***Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt fratres.*** 15. ***Salutate Philologum et Iuliam, Nereum et sororem eius, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos.*** 16. ***Salutate vos invicem in osculo sancto.***

16,3. Ἀσπάσασθε Πρίσκαν καὶ Ἀκύλαν, τοὺς συνεργούς μου ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, 4. οἵτινες ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου τὸν ἑαυτῶν τράχηλον ὑπέθηκαν, οἷς οὐκ ἐγὼ μόνος εὐχαριστῶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἐθνῶν, 5. καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. ἀσπάσασθε Ἐπαίνετον τὸν ἀγαπητόν μου, ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας εἰς Χριστόν. 6. ἀσπάσασθε Μαρίαν, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ὑμᾶς. 7. ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν τοὺς συγγενεῖς μου καὶ τοὺς συναιχμαλώτους μου, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γέγοναν ἐν Χριστῷ. 8. ἀσπάσασθε Ἀμπλιᾶτον τὸν ἀγαπητὸν ἐν Κυρίῳ. 9. ἀσπάσασθε Οὐρβανὸν τὸν συνεργὸν ἡμῶν ἐν Χριστῷ, καὶ Στάχυν τὸν ἀγαπητόν μου. 10. ἀσπάσασθε Ἀπελλῆν τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ. 11. ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. ἀσπάσασθε Ἡρωδίωνα τὸν συγγενῆ μου. ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου τοὺς ὄντας ἐν Κυρίῳ 12. ἀσπάσασθε Τρύφαιναν καὶ Τρυφῶσαν τὰς κοπιώσας ἐν Κυρίῳ. ἀσπάσασθε Περσίδα τὴν ἀγαπητήν, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν ἐν Κυρίῳ. 13. ἀσπάσασθε Ῥοῦφον τὸν ἐκλεκτὸν ἐν Κυρίῳ καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ καὶ ἐμοῦ. 14. ἀσπάσασθε Ἀσύνκριτον Φλέγοντα Ἑρμῆν Πατρόβαν Ἑρμᾶν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφούς. 15. ἀσπάσασθε Φιλόλογον καὶ Ἰουλίαν, Νηρέα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ, καὶ Ὀλυμπᾶν καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁγίους. 16. ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ[1].

1. *VV. LL.* — 3. Πρίσκαν (*Priscam*) B ℵ A C D E F G L P. multi minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.*; verum *textus recept.* : Πρισκίλλαν (Priscillam) cum multis minusc.. *Syr. Aeth.* — 5. ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας (primitiae seu *primitivus Asiae*) B ℵ A C D F G, pauci

Haud immerito iuniores interpretes, longo catalogo eorum quibus nominatim salutem Paulus adscribit considerato, insignem eius humanitatem, qua tam multus et officiosus fuerit in salutando (*Est.*), eximiamque eius caritatem nos admirari iubent, qua licet quam plurimis curis sollicitudinibusque distentus atque innumeris undique vexatus tribulationibus, tam distinctam multorum faciat mentionem eosque non tantum propriis nominibus salutet sed etiam qualitatibus peculiaribus discernat commendetque (*Tol.*). Longe aliter multi moderni acath. de hac pericope sentiunt. Cur enim Paulus, qui in epistolis ad ecclesias a se fundatas scriptis neminem nominatim salutare soleat, Romanis scribens tot amicos nominare voluerit non intelligentes sibique praeterea persuadentes eum tot membra ecclesiae a se nondum visitatae cognita habere non potuisse, alii quidem totum nostrum locum una cum reliquis huius capitis partibus et capite praecedente ei abiudicant falsarioque cuidam attribuunt, qui hoc catalogo insignium Christianorum romanorum addito ecclesiam romanam, quae Paulo inimica fuerit, quasi adulari et cum eo reconciliare voluerit (cfr *Baur, Zeller, Schwegler, Lucht* etc.), alii autem iique numero plures locum hunc ab eo scriptum utique concedunt, sed ecclesiae romanae destinatum esse negant. Inter se tamen non consentientes nonnulli integros *vv.* 1-23 (cfr *Weizsäcker*), nonnulli solos *vv.* 1-20 (cfr *D. Schulz, Reuss, Weiss* etc.) aut solos *vv.* 3-20 (cfr *Ew. Mang. Ritschl* etc.) aut solos *vv.* 1-15 (cfr *Laurent, Hitz.*) aut *vv.* 1-16 et 21-23 (*Holsten*) aut *vv.* 1-16 (*Krenkel*) aut *vv.* 3-16 (*Kuencker*) aut demum *vv.* 1-6 et 17-20 (*Lips.*) literulas separatas constituisse dicunt, quae per Phoeben aut alium quendam nuntium Corinthum vel Ephesum essent missae et nescio quo casu cum epistola ad Romanos coniunctae (cfr meam *Introduct. spec.* in singulos N. T. libr. p. 479 sq.; *H. I. Holtzmann* Lehrb. der hist. krit. Einl. in das Neue Test. Ed. 2. 1886. p. 269 sqq.).

minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; minus recte *textus rec.* : ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας (primitiae *Achaiae*) cum L P, plerisque minusc., *Syr.*; quae lectio ex 1 *Cor.* 16,15 videtur exorta. — 6. εἰς ὑμᾶς (in vos) B ℵ A C P, haud pauci minusc., *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; similiter ἐν ὑμῖν (inter vos vel *in vobis*) D E F G, *It. Vulg.*; minus recte, ut videtur, *textus rec.* : εἰς ἡμᾶς (in nos) cum L, plerisque minusc. et iunioribus PP. — 8. Ἀμπλιᾶτον (*Ampliatum*) B ℵ A F G, paucissimi minusc., *It. Vulg. Copt. Aeth.*; verum *textus rec.* formam abbreviatam Ἀμπλίαν habet cum D E L P, omnibus fere minusc., *Syr. Arm.* — 10. Ἀριστοβόλου (*Aristoboli*) B F G cum *Vulg.*; melius ut videtur *textus rec.* : Ἀριστοβούλου (Aristobuli) cum reliquis testibus. — 14. Ἑρμῆν Πατρόβαν Ἑρμᾶν (Hermen, Patrobam, Hermam) B ℵ A C D F G P, pauci minusc., *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Tolet. Harl.* etc.) *Copt. Aeth.*; sed *textus recept.* : Ἑρμᾶν Πατρόβαν Ἑρμῆν (*Hermam, Patrobam, Hermen*) cum E L, plerisque minusc., *It.* (cfr A^{ter}) *Vulg.* (*Clem.* cum *Demid.* et iunioribus) *Syr.* — 15. Ὀλυμπᾶν (Olympan) est communis lectio; soli Latini : *Olympiadem.*

Quae omnia nihil nisi hominum, qui novis confictis procusisque opinionibus sibi sagacitatis miraeque cuiusdam artis criticae famam acquirere student, coniecturas esse non minus arbitrarias quam commenticias futilesque atque omni solido fundamento prorsus destitui, sola iam sententiarum docet multitudo ac varietas. Documentis videlicet historicis, codices dico graecos, antiquas versiones, Patrum et interpretum commentarios, qui unanimi suo testimonio hanc pericopen velut genuinam epistolae ad Romanos partem tuentur, neglectis vel potius spretis ac repudiatis, pro suo quisque ingenio internas, uti aiunt, ratiunculas quasdam conquirunt, quibus unum vel alterum ex his versiculis criminentur eosque a Paulo aut omnino non scriptos aut saltem Romanis non destinatos esse non tam demonstrent quam praetendant.

Quid praecipua eorum argumenta valeant, ex singularum sententiarum interpretatione apparebit; duo tamen ad totius pericopes authentiam vindicandam praenotasse iuverit. Atque primum quidem plane immerito moderni « critici » aliquid miri in eo inveniunt, quod Paulus Romanis scribens tot Christianos Romae degentes nominatim salutaverit, quamvis in epistolis ad ecclesias a se fundatas missis ab eiusmodi salutationibus se abstineat. Namque his literis eum iter suum romanum praeparare voluisse, ne breve illud tempus, quod inter Romanos commorari statuerat, sine fructu esset, saepius iam monuimus (cfr *Prolegom.* p. 12 sqq. etc.) omnesque fere interpretes hodie consentiunt. Iamvero ad hunc finem obtinendum vix quidquam aptius facere potuit, quam ut eorum fidelium, quos in variis suis itineribus cognoverat illoque tempore Romae degere scivit, atque simul eorum, quos Romae in Evangelio propagando strenue occupari audiverat, honorificam mentionem faceret eisque salutatione adscripta continuum suum amorem aut gratum animum suum significaret; eo ipso enim se cum romana ecclesia, quamvis eam nondum visitasset, communi fidei caritatisque vinculo unitum esse demonstravit. Ceterum multos amicos, a quibus tenerrime amabatur, ei iam tum Romae fuisse, satis opinor ex eo apparet, quod vix tribus annis postea, S. Luca teste, Christiani romani multi, quum eum vinctum Romam advenire audissent, usque ad Appii forum et Tres tabernas, qui vici plus quadraginta millibus Roma distant, ei occurrerint (*Act.* 28,15).

Porro adversarii, si ex ipsis quoque nominibus allatis argumentum desumere conantur, quo catalogi huius aut authentiam aut romanam destinationem impugnent, quia nomina ista Romae non fuerint usitata, sese romanis illius aetatis rebus non satis studuisse produnt. Etenim inter viginti quatuor nomina hic allata praeter usitatissima quaedam

(Prisca, Aquila, Maria, Andronicus, Rufus etc.) saltem tredecim deguntur (Ampliatus, Urbanus, Stachys, Apelles, Aristobulus, Narcissus, Tryphaena et Tryphosa, Hermes, Patrobas, Hermas, Philologus et Iulia, Nereus), quibus circa illud tempus, quo epistola nostra conscripta est, personas quasdam ad domum Caesaris pertinentes ac Romae degentes appellatas esse, inscriptiones superstites testantur (cfr *Lightfoot* St. Paul's Epistle to the Philippians. London 1890 p. 174-177). Quamvis autem de domo Caesaris etiam Christianos fuisse ex *Phil.* 4,22 abunde constet, asserere profecto nolumus, fideles illos, quos Paulus hoc in loco salutat, eosdem esse, quorum nomina in inscriptionibus inveniuntur; attamen id saltem evidens est nomina huius pericopes ne levissimum quidem argumentum contra eius authentiam praebere, sed maiore cum iure ad eius authentiam confirmandam adhiberi posse.

Procul dubio Apostolus, quum adhibito imperativo plural. (ἀσπάσασθε *salutate*) totam ecclesiam personas a se nominatas salutare iuberet, eas simul Romanis commendare dignasque esse significare voluit, quae ab omnibus colerentur atque observarentur. Ac revera singularem honorem duabus illis debebant, quas primo in loco ponit : 3. *salutate Priscam et Aquilam, adiutores meos* (τοὺς συνεργούς μου) *in Christo Iesu,* — 4. *qui* (rectius : *utpote qui* οἵτινες) *pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus* (οἷς) *non solus ego gratias ago* (vel : *gratias debeo* εὐχαριστῶ), *sed et cunctae ecclesiae gentium,* — 5. *et domesticam ecclesiam eorum.* Duas sententias relativas (*v.* 4) *Vulg. Clem.* haud satis recte, quasi parenthesin constituerent, uncis inclusit; sua tamen interpunctione probabiliter lectores attentos reddere voluit, cum prioribus accusativis (*v.* 3. *Priscam et Aquilam*) tertium (*v.* 5. *domesticam ecclesiam eorum*) arcte esse connectendum. Una scilicet cum Prisca (vel Priscilla, uti a S. Luca appellari solet cfr *Act.* 18,2. 18. 26) et Aquila[1] etiam eam fidelium romanorum partem Paulus salutat, quae in eorum domo suos coetus sacros celebrabat (de locutionis ἡ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησία significatione cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 529). Attendatur praeterea oportet, duas sententias illas, utpote quae diversis pronominibus graecis (οἵτινες, οἷς) introducantur, inter se non esse paral-

1. Cur S. Paulus (hic et 2 *Tim.* 4,19) ac similiter S. Lucas (*Act.* 18,18. 26) Priscam ante maritum suum Aquilam nominaverint, alibi autem consuetum ordinem tenuerint (1 *Cor.* 16,19; *Act.* 18,1), non satis liquet. Antiquiores quidam id factum esse arbitrantur, quia mulier ante virum fidem acceperit et « ordo gratiae praeponendus sit ordini naturae » (cfr *Gl int. Lyr.* etc.), alii quia mulier viro suo fidelior et diligentior fuerit (cfr *Chrys.* in 2 Tim. hom. 10 n. 2) aut maiore fidei devotione eum superaverit (cfr *Thom.*) aut caritatis operibus excelluerit etc. Inter iuniores quoque et modernos nonnulli ex nominum ordine concludunt, Priscam in primitiva Ecclesia ob maiorem suum ardorem in propagando Evangelio viro suo illustriorem ac spectatiorem fuisse (cfr *Est.* etc.).

lelas; prior enim causam indicat, propter quam Prisca et Aquila salutatione hac sint digni, altera vero ex hac ratione quasi consectarium quoddam derivat. Prae ceteris nimirum a tota ecclesia nomine Pauli salutari merentur, *quia pro eius anima suas cervices supposuerunt* (οἵτινες ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου τὸν ἑαυτῶν τράχηλον ὑπέθηκαν scilicet ὑπὸ τὸν σίδηρον, supposuerunt ferro seu gladio), i. e. ad eius vitam tutandam semetipsos praesentissimo vitae periculo exposuerunt; propter tam praeclarum autem beneficium *non solus Paulus eis gratias debet, sed etiam cunctae ecclesiae gentium*, quoniam vita Pauli, quam tutati sunt, non tam ipsi soli, uti recte *Thom.* annotat, quam omnibus ecclesiis gentium necessaria fuit, quarum Apostolus et doctor erat.

Ubi et quando Aquila et Prisca Apostolo eximium hoc caritatis officium praestiterint, utrum Corinthi in persecutione a Iudaeis contra eum provocata (cfr *Act.* 18,12 sqq.), an Ephesi in gravissimo illo discrimine, quod ipse bestiarum pugnae assimilat (cfr ad 1 *Cor.* 15,32), an in seditione postea Ephesi a Demetrio argentario concitata (*Act.* 19,23 sqq.; cfr ad 2 *Cor.* 1,8), an in alio quodam ex multis vitae periculis, quae se subiisse refert (cfr 2 *Cor.* 11,26), romanis fidelibus notum esse supponit, nobis vero ignotum est. Illud autem nos quoque scimus, eos inde ab illo tempore, quo Paulus prima vice Corinthum adveniens eos ibi invenit et biennio fere integro in eorum domo commoratus est, usque ad illud tempus quo mortem sibi iamiam instare praevidens ultimam suam salutationem eis transmisit (2 *Tim.* 4,19), semper strenuos cooperatores seu *adiutores* (συνεργούς) *eius in Christo Iesu* fuisse, i. e. cum eo in Christo coniunctissimos operam in Evangelio inter gentes propagando posuisse. Corintho enim proficiscentem comitati sunt Ephesum ibique ab eo, quum iter in Syriam pergeret, relicti non tantum Apollo Alexandrinum diligentius docuerunt viam Domini idoneumque reddiderunt Evangelii ministrum (cfr *Act.* 18,18 sqq.), sed inter alios quoque bonum nuntium propagantes omnia ita disposuerunt, ut Paulus Ephesum mox reversus felicissimum laborum campum inveniret ab iisque adiutus maiore cum fructu munere suo fungeretur; toto autem triennio cum eo Ephesi manserunt atque ibi quoque, uti postea Romae, in suam domum certum fidelium numerum ad sacra celebranda congregarunt (cfr ad 1 *Cor.* 16,19).

Verum hoc potissimum loco (1 *Cor.* 16,19) nituntur acatholici illi interpretes, qui pericopen nostram non Romanis sed Ephesiis destinatam esse contendunt. Quoniam enim inter priorem epistolam Epheso ad Corinthios missam et nostram Corinthi ad Romanos scriptam dumtaxat novem vel decem menses interiacent, fieri non potuisse asserunt, ut brevi illo temporis spatio non tantum Aquila et Prisca, quos Paulus per Macedoniam Corinthum profi-

ciscens Ephesi reliquerat, Romam transmigrarint ibique sede sua fixa apostolicis laboribus vacaverint atque ecclesiam domesticam formaverint, sed etiam Apostolus haec omnia Corinthi iam resciverit. Ad quod argumentum confirmandum addunt, eos etiam aliquot annis postea, quando Paulus ultimam suam epistolam Timotheo scripsit, non Romae sed Ephesi suum domicilium habuisse (2 *Tim.* 4,19); dicendum ergo videri, eos etiam intermedio tempore Ephesum non reliquisse.

Miram sane argumentationem, quae arbitrariis futilibusque coniecturis factum historicum evertere conatur! Nemo profecto nobis dixerit, cur fieri non potuerit, ut Aquila et Prisca, qui non nisi Claudii decreto ex Italia eiecti Corinthum ac deinde cum Paulo Ephesum venerant, de repetendo romano suo domicilio cogitaverint, quamprimum Paulus Ephesi eorum auxilio non amplius indiguit et post Claudii mortem eius decretum in desuetudinem abierat. Neque magis quisquam nobis dixerit, cur novem menses ad ea quae enumerantur peragenda non suffecerint, quum una ex parte Aquila et Prisca paucissimis iam hebdomadis Epheso Romam venire illaque in urbe, in qua diu degerant, facile ex pristinis suis familiaribus nonnullos ad Christi fidem adducere et cum Pauli amicis, qui antea iam in urbem advenerant, suam in domum congregare potuerint, atque altera ex parte inter Romam et Corinthum, caput ac praecipuum emporium provinciae Achaiae, commercium eo tempore frequentissimum et paene quotidianum esset. Revera ex iis, quae Paulus de romanorum fidelium dissensionibus tradit (14,1 sqq.), haud obscure patet, brevi antea nuntios de romanae ecclesiae conditione ei esse allatos. Praeterea id quoque considerari meretur, Paulum romani itineris consilium illud, quod supra (15,23-28) exposuit, Ephesi iam cepisse, antequam in Macedoniam et Achaiam proficisceretur (cfr *Act.* 19,21); omnino igitur verisimile est, eum ipsum Aquilae eiusque uxori, quorum auxilium quam utile sibi esset ultimo quinquennio vel sexennio quum Corinthi tum Ephesi experientia didicerat, auctorem fuisse, ut mox Romam revertentes simili modo, quo antea Ephesi, suum ipsius adventum exspectarent praepararentque ipsumque interim de huius missionis eventu romanisque rebus certiorem facerent; neque improbabile est, eos non minus, quam Paulum, seditione a Demetrio excitata Ephesum subito relinquere coactos esse.

Porro nihil quoque miri in eo est, quod aliquot annis post, Neronis persecutione saeviente, Aquila et Prisca Urbem iterum reliquerint Ephesumque sint reversi, quando Apostolus quoque ex priore sua captivitate romana dimissus peregrinationes suas apostolicas resumserat. Haec omnia tam clara et aperta sunt, ut non intelligamus, quomodo adversarii illis in locis, in quibus de duobus his Pauli adiutoribus agitur (*Act.* 18,1-28; 1 *Cor.* 16,19; 2 *Tim.* 4,19) cum nostra pericope conciliandis ullam inveniant difficultatem. Neque ulla est ratio, cur aliquis de frequentibus migrationibus Aquilae et Priscae miretur. Quam frequenter enim antiquitus mercatores et opifices una ex civitate in aliam ad lucrum faciendum transmigraverint, ex *Iac.* 4,13 apparet; admirari igitur potius debemus sanctos illos opifices,

qui tot susceperunt itinera, ut Evangelio propagato quam plurimos Christo lucrarentur.

Reliqui, quos Paulus suo nomine salutari iubet, neque in aliis Epistolis neque in Actibus nominantur; quare alteram pericopes partem paucis absolvemus iis contenti, quae probabiliora afferri videntur[1]. Inanibus enim coniecturis antiquiorum (uti Ps. Dorothei, qui omnes viros hic nominatos in suo catalogo septuaginta duorum discipulorum recenset) iuniorumque, qui spuriis operibus fidem adhibebant, refutandis immorari opus non est.

Aquilae et Priscillae subiungitur Epaenetus : *salutate Epaenetum, dilectum mihi* (τὸν ἀγαπητόν μου), *qui est primitivus* (seu *primitiae* ἀπαρχή) *Asiae in Christo* (melius *in Christum* εἰς Χριστόν). A graeco *textu rec.* eum erronee vocari *Achaiae primitias* (cfr *VV. LL.*) luculenter ex 1 *Cor.* 16,15 patet, quo in loco Stephanae domus a Paulo ipso baptizata (cfr 1 *Cor.* 1,16) hoc titulo ornatur. Itaque ex romanae provinciae Asiae (non autem ex totius Asiae Minoris, uti *Est.* ad Pauli modum loquendi non attendens dicit) ethnicis Epaenetus primus fuit, qui baptismo Christo dedicaretur et in Christum insereretur (ἀπαρχὴ εἰς Χριστόν). Ad fidem autem ab Aquila et Prisca adductus haud immerito creditur, quia illi iam ante Pauli adventum in propagando Evangelio Ephesi laboraverunt (cfr *Act.* 18,24 sqq.); eum etiam cum illis Romam transmigrasse, aliqui haud improbabiliter ideo statuunt, quia hoc in loco illis quodam modo coniungatur. Quidquid autem de hac opinione est, moderni critici (*Weiss* etc.) profecto non nisi ridicule ex eo, quod Asianus fuerit, colligere volunt, eum etiam in Asia continuo habitasse pericopenque nostram Ephesiis esse destinatam, acsi Asianis Romam venire non licuisset aut Paulus singulorum quos nominat itinera indicare debuisset.

6. *Salutate Mariam, quae* (melius : *utpote quae* ἥτις) *multum laboravit* (ἐκοπίασεν) *in vobis* (ἐν ὑμῖν i. q. inter vos; vel εἰς ὑμᾶς *erga vos* seu in vestrum commodum; vel : εἰς ἡμᾶς in *nostrum* commodum cfr *VV. LL.*). Maria, si ex eius nomine coniecturam facere licet, iudaici fuit generis; aegre autem definitur, propter quos labores pristinos (attende ad aor. ἐκοπίασεν) a Paulo salutari meruerit, siquidem neque de lectione neque

1. In *Martyrologio Romano* praeter Aquilam et Priscillam (in Asia Min. 8. Iulii) ex his nominantur *Ampliatus*, *Urbanus*, *Narcissus* (a Iudaeis et gentilibus occisi 31. Octobr.), *Stachys* (a S. Andrea Apostolo episcopus Byzanti constitutus 31. Octobr.), *Aristobulus* (15. Mart.) *Herodion* (8. April.), *Tryphaena* et *Tryphosa* (Iconii 10. Novembr.), *Rufus* (21. Novembr.), *Asyncritus* et *Phlegon* (8. April.), *Hermas* (Romae 9. Mai.), *Patrobas* et *Philologus* (4. Novembr.). In Graecorum Menologiis praeterea commemorantur *Epaenetus* (30. Iul.), *Andronicus* et *Iunias* (17. Mai.), *Apelles* (22. April.), *Nereus* (10. Nov.).

de verbi κοπιᾶν significatione hoc in loco constat. Dubitari tamen vix potest, quin diaconissa fuerit, quae aut praeclaris caritatis operibus aut etiam operosa praedicatione ad regnum Christi promovendum multum contulerit, idque Romae, quum ob criticorum testium auctoritatem lectio εἰς ὑμᾶς praeferenda videatur. Cum *Tol.* etiam alii iuniores (cfr *Est. Iust.* etc.) probabile habent, hanc Mariam eandem esse ac Mariam Cassobolitam, quae ad celebrem antiochenum episcopum, S. Ignatium M., si *Pseudo-Ignatio* fides esset, literas dedisset ab eoque responsum accepisset. Epistolas illas scilicet falsario deberi, qui in sua utique Maria Cassobolitana describenda vel fingenda Mariam a Paulo salutatam ante oculos habuit, interpretes isti nondum perspexerant[1].

7. *Salutate Andronicum et Iuniam* (Ἰουνίαν), *cognatos* (συγγενεῖς) *et concaptivos meos, qui* (melius : *utpote qui* οἵτινες) *sunt nobiles in apostolis* (ἐν τοῖς ἀποστόλοις), *qui* (οἵ) *et ante me fuerunt in Christo.* Omnia fere hic incerta sunt. Praeprimis ne id quidem constat, utrum accusativo Ἰουνίαν mulier (Ἰουνία *Iunia*), quae Andronici uxor vel soror fuerit, an vir (Ἰουνίας vel Ἰουνιᾶς Iunianus) designetur; prius nonnulli cum *Chrys.* et *Theoph.*, alterum plerique cum *Orig.* tenent; equidem quid sit probabilius non video undenam definiatur. Ignoramus deinde, num Paulus nomine συγγενεῖς eos dumtaxat velut populares suos, i. e. Iudaeos (cfr 9,3), an velut suos contribules, i. e. Beniaminitas, an demum velut propiore sanguinis vinculo sibi coniunctos denotare velit; tertia tamen sententia improbabilior habetur, quia statim etiam Herodionem (*v.* 11) et mox Iasonem et Sosipatrum (*v.* 21), quorum prior probabiliter Thessalonicensis (*Act.* 17,5 sqq.), alter Beroeensis (*Act.* 20,4) fuerunt, suos συγγενεῖς vocat; atque prima quoque improbabilior videtur, quia non satis apparet, cur non etiam Aquilam, Priscam, Mariam, Rufum etc., qui omnes Iudaei erant, eodem titulo ornaverit. Porro ignoramus, ubi et quando et quamdiu socii vinculorum Pauli fuerint, qui se saepius in carceribus fuisse testatur (cfr ad 2 *Cor.* 11,23). Similiter dissentiunt interpretes, quo sensu ratio illa intelligenda sit, ob quam Paulus illos suo nomine salutari velit : οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις (*quia sunt illustres in apostolis*). Cum *Orig.* et *Chrys.* enim antiquiores et iuniores plerique (cfr *Theod. Theoph. Oec. Euth., Prim. Abael. Herv. Thom. Lyr., Cai. Est. Lap. Nat. Pic. Reith. M Er.* etc.) eos inter apostolos latiore sensu, i. e. inter evangelicos operarios praeclaris suis laboribus eminuisse et in Ecclesia illustres fuisse arbitrantur. Praeeuntibus autem *Haym.* et *Tolet.* moderni haud pauci (cfr

1. De spuriis his epistolis, quae ineunte saec. 5. confictae videntur, cfr *Fr. Xav. Funk* Opera Patrum apostolicorum II. p. X. sqq.

Mai. Beel. LR. Sch. etc.) eos apud Apostolos (stricto sensu) illustres fuisse, i. e. ab eis magni aestimatos esse tenent. Quam alteram sententiam praeferimus, non tantum quia definita locutio οἱ ἀπόστολοι non nisi de Duodecim aut saltem de Apostolis stricto sensu in Scripturis semper adhibetur, sed etiam quia iuxta hanc interpretationem ultimum membrum (*qui et ante me fuerunt in Christo* i. e. Christiani) aptius adiungitur. Eos enim ab Apostolis magni aestimatos esse significatur, quia ad Ecclesiae primitias pertineant, utpote qui ante illam persecutionem, in qua Paulus ipse inter persecutores fuit, fidem iam receperint. Ceterum bene *Est.* admirandam esse modestiam Pauli monet, « qui sic laudet alios, ut semetipsum deprimere videatur ».

8. *Salutate Ampliatum, dilectissimum mihi* (vel potius : *dilectum mihi* τὸν ἀγαπητόν μου cfr *v.* 5) *in Domino*. De Ampliato, quem multi graeci codd., uti etiam *Syr.* et *Arm.*), forma contracta Ἀμπλίαν vocant, nihil nobis est traditum; eum tamen studio Evangelii propagandi flagrasse rite ex eo colligitur, quod Paulus eum dignum haberet, cui singularis suae dilectionis in Domino testimonium daret. Romanum eum fuisse, similiter atque Urbanum, qui mox sequitur, nomina prodere videntur : 9. *salutate Urbanum, adiutorem nostrum* (τὸν συνεργὸν ἡμῶν) *in Christo* (*Iesu*), *et Stachyn, dilectum meum* (τὸν ἀγαπητόν μου). Quoniam Prisca et Aquila a Paulo « adiutores *mei* in Christo (*v.* 3 ac similiter *v.* 21 Timotheus, *Phil.* 2,25 Epaphroditus, *Philem.* 24 Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas), Urbanus autem (aeque ac Philemon *Philem.* 1) « adiutor *noster* in Christo » appellantur, recte nobis concludere videmur, Urbanum, licet unus esset ex genuinis operariis evangelicis, ex eorum numero non fuisse, qui cum Paulo vinculo quodam arctiore coniuncti eum in itineribus apostolicis comitari et ab eo ad varia negotia adhiberi solebant. Stachyn postea a S. Andrea Apostolo episcopum Byzantii esse constitutum, Martyrologium Rom., uti iam diximus, et Menologia graeca tradunt; nomen eius graecum est (στάχυς spica) sicuti etiam sequentis : 10. *salutate Apellen, probum in Christo* (τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ i. e. probatum seu spectatum Christianum). Haud male *Orig.* annotat : « Puto hunc Apellen per multas tribulationes transiisse patienter et feliciter sustentatas et ideo pronuntiari ab Apostolo *probum* iuxta ea, quae ipse supra (5,3 sqq.) dixit »; male autem dubitat, num Apelles « idem ille sit, qui in Actibus Apost. [18,24, sed etiam ab ipso Paulo 1 *Cor.* 1,12; 3,4 etc., *Tit.* 3,13] Apollo nominetur, Alexandrinus, in Scripturis peritus »; dubium enim non est, quin Appollo et Apelles diversi fuerint adiutores Pauli.

11. *Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo* (seu familia τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου vel melius Ἀριστοβούλου *Aristobuli* cfr *VV. LL.*); *salutate*

Herodionem, cognatum meum (τὸν συγγενῆ μου cfr *v.* 7); *salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo* (seu familia τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου), *qui sunt in Domino* i. e. qui sunt Christiani. Ultima verba (τοὺς ὄντας ἐν Χριστῷ) mente ad primum quoque membrum (τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου) esse supplenda clarum est, quia dictio ipsa docet, Paulum non omnia membra familiae aristobulianae, sicut non omnia narcissianae, salutare velle, sed solos Christianos. Ceterum de personis salutatis iterum nihil certi nobis est traditum, quum non constet, num Aristobulus et Narcissus, qui hic nominantur, iidem sint, qui in Martyrologio Rom. « discipuli Apostolorum » dicuntur. Ex nobilioribus tamen istius aetatis viris probabiliter fuerunt, qui magnum habuerunt servorum numerum; neque improbabiliter a modernis nonnullis coniicitur, Aristobuli nomine illum designari ex Herodis M. nepotibus, qui cum fratribus suis Agrippa et Herode Romae educatus ibi, postquam eius fratres regiam ad dignitatem sunt provecti, privatus remanebat et imperatori Claudio amicus erat (cfr *Fl. Ioseph.* Bell. iud. II. 11,6; Antiqu. XX. 1,2). Cui coniecturae consentit, quod immediate post Aristobuli familiam Herodion nominetur, cognatus i. e. contribulis Pauli; inter servos enim libertosque Aristobuli haud paucos fuisse Iudaeos atque unum ex eis iuxta auctorem generis herodiani Herodionem esse appellatum, facile conceditur. Narcissum autem, qui hic nominatur, esse potentissimum illum libertum Claudio tam gratiosum, ut ei summam rerum permitteret (cfr *Tacit.* Ann. XI. 29 sqq.), etiam antiquiores aliqui iam coniecerunt.

Ad utramque coniecturam explicandam confirmandamque pauca addemus. Praeprimis ex ipso loquendi modo Apostoli recte omnino, quidquid contra disputat *Est.*, plerique iam antiquiores, consentientibus iunioribus modernisque plurimis, collegerunt Aristobulum et Narcissum ipsos non salutari; quare coniecturae nostrae non obstat, quod eo tempore, quo epistola nostra scripta est, non tantum Narcissus, qui brevi post Claudii mortem († 54) occisus est, sed forte etiam Aristobulus iam e vita decesserant. Porro locutionibus οἱ Ἀριστοβούλου (Aristobuliani) et οἱ Ναρκίσσου (Narcissiani) non tam virorum illorum liberi cognatique, quam eorum servi libertique designari recte censentur. Iamvero alicuius familia, i. e. servi, si per hereditatem, confiscationem etc. in alterius manum transierunt, iuxta pristini domini nomen appellari solebant atque in Caesarum familia iuxta inscriptiones inveniebantur Maecenatiani, Agrippiani, Germaniciani, i. e. servi, qui antea Maecenatis, Agrippae, Germanici fuerant. Cum nonnullis ergo opinamur, Aristobulum, Claudii amicum, Caesarem heredem suae familiae fecisse, Narcissi autem, postquam per Agrippinam Neronis matrem occisus est, familiam pro illius temporis more confiscatam familiaeque Caesaris aggregatam esse, ita ut οἱ Ἀριστοβούλου et οἱ Ναρκίσσου intelligendi sint servi, qui prius quidem Aristobuli et Narcissi fuerant, eo tamen tempore, quo Paulus

scripsit, iam ad Caesarum familiam pertinebant (cfr *Lightfoot* St. Paul's Epistle to the Philippians p. 175).

12. *Salutate Tryphaenam et Tryphosam, quae laborant* (τὰς κοπιώσας) *in Domino; salutate Persidem carissimam* (vel potius : *dilectam* τὴν ἀγαπητήν cfr *v.* 5), *quae* (ἥτις) *multum laboravit* (ἐκοπίασεν) *in Domino.* Iuxta Martyrol. Rom. *Tryphaena* et *Tryphosa* sorores erant Iconii oriundae, quae una cum S. Thecla a Paulo ad fidem sint adductae. Eas diaconissas fuisse, quae caritatis operibus atque etiam forte praedicatione Romae Evangelium promovebant, ex Apostoli verbis haud improbabiliter colligitur. Parum apte autem moderni quidam acath. (*God. Oltram.*) eum verbum κοπιᾶν (intentis viribus laborare) elegisse suspicantur, ut illud illarum nominibus, quae a τρυφᾶν (delicate vivere) derivantur, quasi opponeret. Idem enim verbum supra (*v.* 6) de Maria iam adhibuit et in altero membro iterum de Perside adhibet, quam a sororibus illis singulari laude distinguit, quoniam eam non tantum appellat *dilectam* (τὴν ἀγαπητήν), sed etiam *multum* laborasse in Domino asserit. Quum de prioribus participium *praes.*, de tertia *aoristum* adhibeat, coniicere licet, hanc provectioris fuisse aetatis atque praeclarioribus difficilioribusque laboribus, similiter ac Mariam (*v.* 6), vires suas iam exhausisse, ut munere suo non amplius fungi posset. Haud inepte nonnulli attendere nos iubent, Paulum viros quidem appellasse dilectos *suos* (*vv.* 5. 8 τὸν ἀγαπητόν μου), hic autem ob verecundiam quandam pronomen illud praetermisisse.

13. *Salutate Rufum, electum* (τὸν ἐκλεκτὸν) *in Domino, et matrem eius et meam.* Non satis intelligimus, quomodo antiquiores iunioresque non pauci Rufum communi illa ratione, qua omnes fideles a Paulo saepe sancti et electi vocantur, *electum in Domino* vocari sibi persuaserint; velut vir enim inter Christianos ob pietatem et auctoritatem insignis ac vere eximius a Paulo salutatur, id quod *A[cr]* iam declarat, quum Rufum electum dicat, quoniam « a Domino ad res eius agendas promotus » sit (cfr *Herv. Lomb. Lyr.* etc.). Satis frequens quidem inter Romanos erat nomen vel cognomen Rufi; nihilominus Rufum, de quo hic agitur, non romani sed iudaici generis fuisse censemus. Cum multis enim modernis (cfr *Reith. Mai. Bisp. L R. Weinh. Sch.*; cfr etiam in *Marc.* 15,21 *Patrizi, Schegg, Fillion, Knabenb.* etc.) vero proximum habemus, Rufum hunc esse eundem, quem S. Marcus (l. c.) filium Simonis Cyrenaei fuisse tradit. Namque cur Marcus, quem Evangelium suum Romae scripsisse Romanisque proxime destinasse constat, filios Simonis, Rufum et Alexandrum, nominare voluerit, apta ratio alia excogitari nequit, nisi viros illos in ecclesia romana cognitos

fuisse, quin etiam magnum nomen habuisse. Porro quum Apostolus Rufi matrem etiam suam esse dicat, certum est, eum iam a multo tempore cum illa familia arcto amicitiae ac familiaritatis vinculo coniunctum fuisse, atque probabile saltem est, eum iam Ierosolymis, quando puer et iuvenis « secus pedes Gamalielis iuxta veritatem paternae Legis erudiebatur » (*Act.* 22,3), ab uxore Simonis materna cum caritate esse receptum in eiusque domo velut unum ex eius filiis educatum.

14. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen et qui cum eis sunt fratres* (καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφούς). De nullo ex hisce quidquam praeter nudum nomen nobis est cognitum; quod autem Paulus speciali salutatione eos dignos habuit, nobis argumento est, eos fide et pietate in ecclesia eminuisse. *Orig.* coniciit, Hermam, qui nominatur, esse auctorem Pastoris, qui olim ab aliquibus inter S. Scripturas est relatus (cfr *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2 p. 234); sed illum librum a Herma, fratre Pii I., circa medium saec. 2. esse conscriptum, ex Fragm. Murator. constat. Quoniam in fine sententiae etiam « fratres qui cum eis sunt » salutari iubentur, aliqua verisimili ratione colligitur, omnes illos quasi societatem separatam, forte ecclesiam quandam domesticam (cfr ad *v.* 5) constituisse. Atque idem valet de sequentibus, de quibus similiter praeter nuda nomina nihil nobis est compertum : **15.** *Salutate Philologum et Iuliam* (forte eius uxorem), *Nereum et sororem eius, et Olympiadem* (vel iuxta meliorem lectionem graecam : *Olympan* Ὀλυμπᾶν) *et omnes qui cum eis sunt sanctos* (καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁγίους). Ὀλυμπᾶς forma contracta est nominis Ὀλυμπιόδωρος (uti Ἀρτεμᾶς *Tit.* 3,12 nominis Ἀρτεμίδωρος); vir igitur, non femina, ultimo in loco salutatur.

Enumeratione eorum, quos nominatim per totam ecclesiam suo nomine salutari voluit, terminata B. Paulus, ut omnibus quoque ac singulis fidelibus romanis testimonium suae observantiae et dilectionis exhibeat, eos suo nomine inter se salutare iubet : **16.** *salutate invicem in osculo sancto.* De huius locutionis sensu, qua haud semel epistolas suas concludit, alibi iam diximus (cfr *Comment.* in 1 Cor. *p.* 529; 2 *Cor.* 13,12; 1 *Thess.* 5,26; similiter 1 *Petr.* 5,14). A Iudaeis videlicet, quibus mos erat, ut osculo se salutarent (cfr *Luc.* 7,45; 22,48; *Matth.* 26,48), osculum velut mutuae caritatis signum ad primos Christianos ita transiit, ut omnis carnalis naturalisque amoris significatio excluderetur[1], id quod nomina *osculum sanctum*, *osculum caritatis*,

1. *S. Cyr. Ieros.* Catech. 23. mystag. 5,3 : « Noli osculum illud eiusdem ordinis ac significationis esse atque illa, quae inter amicos in foro frequentantur : non est huiusmodi osculum illud; animos enim coniungit et commiscet (ἀνακίρνησιν) omnemque illis iniuriarum oblivionem spondet;... osculum igitur reconciliatio (vel forte melius : sponsio) (διαλλαγή) est et ideo sanctum est ».

osculum in Domino, osculum pacis etc. abunde testantur; ab iis autem non tantum in mysteriorum oblatione (cfr *S. Iust. M.* Apol. I. 65; *Constit. apost.* II. 57) sed in fine omnis orationis tamquam eius signaculum quoddam adhibebatur (cfr *Tertull.* de orat. 18).

3. — *Aliorum salutationes ad Romanos adduntur* (16,16^{b}-24).

16,16^{b}. *Salutant vos omnes ecclesiae Christi.* 17. *Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis faciunt : et declinate ab illis.* 18. *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* 19. *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.* 20. *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.*

21. *Salutat vos Timotheus adiutor meus, et Lucius, et Iason et Sosipater, cognati mei.* 22. *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.* 23. *Salutat vos Caius hospes meus, et universa ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus, frater.* 24. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.*

16,16^{b}. Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τοῦ Χριστοῦ. 17. παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχήν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιοῦντας καὶ ἐκκλίνετε ἀπ' αὐτῶν. 18. οἱ γὰρ τοιοῦτοι τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Χριστῷ οὐ δουλεύουσιν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ, καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσιν τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων. 19. ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο· ἐφ' ὑμῖν οὖν χαίρω, θέλω δὲ ὑμᾶς σοφοὺς εἶναι εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν. 20. ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ὑμῶν μεθ' ὑμῶν.

21. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Τιμόθεος ὁ συνεργός μου καὶ Λούκιος, Ἰάσων καὶ Σωσίπατρος οἱ συγγενεῖς μου. 22. ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν ἐν Κυρίῳ. 23. ἀσπάζεται ὑμᾶς Γαῖος ὁ ξένος μου καὶ ὅλης τῆς ἐκκλησίας· ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος ὁ οἰκόνομος τῆς πόλεως καὶ Κούαρτος ὁ ἀδελφός. 24. [ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν] [1].

1. *VV. LL.* — 16. ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τοῦ Χριστοῦ (*salutant vos omnes ecclesiae Christi*) B ℵ A C L P, nonnulli minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sententia haec male omittitur a Graecolatinis (D E F G), qui tamen infra (in fine *v.* 21) addunt : καὶ αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τοῦ Χριστοῦ (et omnes ecclesiae Christi); male quoque *textus rec.* cum plerisque minusc. vocabulum πᾶσαι (omnes) omittit. — 19. ἐφ' ὑμῖν οὖν χαίρω (*de vobis* igitur gaudeo) B ℵ A C L P, pauci minusc.; eodem sensu, licet ordine inverso, *textus receptus* : χαίρω οὖν τὸ ἐφ' ὑμῖν (gaudeo igitur *relate ad vos*) cum E et multis minusc.; demum omisso articulo τό, ita ut illud ἐφ ὑμῖν minus fortiter efferatur : χαίρω οὖν ἐφ' ὑμῖν (*gaudeo igitur in vobis*, vel potius : *de* vobis) D F G, *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*; prima lectio videtur praeferenda. — σοφοὺς εἶναι (*sapientes esse*) B D E F G L, paucissimi minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.*, particula μὲν inserta : σοφοὺς μὲν εἶναι (sapientes *quidem* esse) cum ℵ A C P, plerisque minusc., *Syr.* (codd.); prior lectio retinenda est. — 20. συντρίψει (*conteret*) B ℵ C D E F G P, plurimi minusc., *It.* (cfr *A*^{ter} *Orig. interpr.*), *Vulg.* (codd. *Fuld. Tolet.* etc.); sed συντρίψαι (*conterat*) A, pauci minusc., *It.* (*S. Ambr.* in Ps. 37 n. 10 etc.), *Vulg.* (*Clem.* cum *Amiat. Demid. Harl.* etc.); prior lectio est praeferenda. — Verba : ἡ χάρις τοῦ

Apostolus postquam non tantum amicos suos Romae degentes nominatim salutavit, sed etiam omnia ecclesiae romanae membra, ut suo nomine inter se osculo sancto salutarent, exhortatus est, pro more (cfr 1 *Cor.* 16,19 sq.; 2 *Cor.* 13,12; *Phil.* 4,22 etc.) aliorum quoque salutem adscribere voluit. Exorditur autem a generali reliquarum ecclesiarum salutatione : 16. *salutant vos omnes* (πᾶσαι) *ecclesiae Christi*. Uti annotavimus (cfr *VV. LL.*), plurimi iuniores codd. graeci vocabulum πᾶσαι (*omnes*) praetermittunt; cum *Orig.* enim librarii multi in eo probabiliter offenderunt, quod Paulus « in una ecclesia positus » « omnium simul ecclesiarum salutes romanae mitteret ecclesiae ». Ideo ipsi quidem praetermisso illo vocabulo sententiam restringere studuerunt; alii autem significationem vocabuli *omnes* temperare conati sunt coniicientes eum loqui de omnibus illis ecclesiis, in quibus eo tempore versabatur, i. e. de Achaiae ecclesiis (cfr *Euth.* etc.), aut quas tribus suis expeditionibus apostolicis ab Antiochia usque ad Illyricum per Asiam Min., Macedoniam, Achaiam fundaverat quarumque multas ultimis mensibus visitaverat (cfr *Iust. Mai. Beel.* etc.). Verum cur sententiam arctiore interpretemur sensu, nulla prorsus adest ratio; rectius cum *Theod.* dicemus « eum totius terrarum orbis nomine illam civitatem salutare, quae universo orbi terrarum praesidebat », vel potius cum *Nat.* « eum omnium omnino ecclesiarum Christi (i. e. in fide Christi congregatarum) nomine illam ecclesiam salutare, quae fundata erat, ut omnium esset mater et magistra ». Revera quemadmodum nos in epistolis parentes amicosque saepenumero etiam eorum nomine

Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (nomen Χριστοῦ omittitur a B ℵ solis) μεθ' ὑμῶν (*gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum*) hoc in loco exhibentur ab omnibus graecis codd. et verss.; soli Graecolatini (D E F G) cum *Sed.* ea hic omittunt et in solo *v.* 24 habent; cfr ad *v.* 24. — 21. ἀσπάζεται (*salutat*) B ℵ A C D F G P, nonnulli minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.* : ἀσπάζονται (salutant) cum E L, plurimis minusc. *Syr.* (codd.). — Ante nomen Ἰάσων solus B omittit particulam καί (*et*). — Post verba οἱ συγγενεῖς μου (*cognati mei*) Graecolatini addunt : καὶ αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τοῦ Χριστοῦ (et omnes ecclesiae Christi); cfr ad *v.* 16. — 22. ὁ ξένος μου καὶ ὅλης τῆς ἐκκλησίας vel τῆς ἐκκλησίας ὅλης (hospes meus et totius ecclesiae) B ℵ A C D E L P, omnes minusc., *It. Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Tolet.* etc.) *Syr. Arm.*; attamen nominativum : καὶ ὅλαι αἱ ἐκκλησίαι (et universae ecclesiae) legitur a F G, ac similiter nominativum : καὶ ὅλη ἡ ἐκκλησία (*et universa ecclesia*) supponunt *Copt.* et *Vulg.* (*Clem.* cum *Demid.* et iunioribus); sed prima lectio retinenda est. — 24. Integra haec sententia quae iisdem fere verbis legitur in fine *v.* 21, hoc in loco omittitur a B ℵ A C, paucis minusc., *It.* (cfr *A*ter *Orig. interpr.*) *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Harl.* etc.) *Copt. Aeth.*; attamen *textus rec.* eam retinuit cum D E F G, qui eam *v.* 21 omiserunt, et cum L, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* cfr *Demid. Tolet.* etc.) *Syr.*, qui eam in utroque loco habent; demum *A*ter cum nonnullis eam post *v.* 27 repetit. Rectius hoc in loco omitti atque in solo *v.* 20 retineri videtur.

salutamus, qui nobiscum quidem ad tempus non versantur neque speciale salutandi mandatum nobis dederunt, quos tamen, si interrogati essent, suam quoque adscribi salutem iussuros fuisse persuasum habemus, ita Paulo quoque, etsi neque omnes ecclesias visitasset neque ab omnibus Romanos salutare iussus esset, omnium salutes adscribere profecto licuit. Namque ut praetermittamus, eum multarum legatos eo tempore, quo haec scripsit, secum habuisse (cfr *Act.* 20,4) multasque alias brevi antea visitasse, in omnibus ubique terrarum fidem obedientiamque Romanorum magna in admiratione esse laudibusque celebrari certo scivit (*v.* 19; 1,8); omnium igitur ecclesiarum studium affectumque erga romanam perspectum habens, mirum profecto non est, quod omnium nomine salutes illi transmittat (cfr *Est. Lap. Picon.* etc., *Reith. M Ev. L R.* etc.).

Hac autem salutatione, qua reliquas ecclesias fide et caritate intime cum romana coniunctas unitasque esse apparet, Apostolus quasi avocatur ad monitum quoddam de unitate conservanda inserendum (17-20), antequam singulorum suorum amicorum salutes addat (21-23). Pseudapostolorum enim iudaizantium recordatus, qui ultimis annis in Apostolos Christi se transfigurantes tamquam operarii subdoli ecclesias multas ab ipso fundatas invaserant neophytorumque pacem et unitatem perversis doctrinis sparsis evertere conati erant (cfr 2 *Cor.* 10, 7 sqq.; 11,12 sqq.; *Gal.* 1,6 sqq.; 3,1 sqq.; 4,15 sqq.; 5,7 sqq. etc.), Romanos ad eos attentos reddere vult., ut sibi ab iis caveant : 17. *rogo autem vos, fratres, ut observetis* (σκοπεῖν) *eos, qui dissensiones et offendicula* (τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα) *praeter* (i. e. *contra* παρὰ cfr ad 1,26; 11,24 etc.) *doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis* (ἐκκλίνετε ἀπ' αὐτῶν i. e. ab eorum societate abstinete vos).

Cum *A*[tro] antiquiores iunioresque multi ex hoc loco collegerunt, romanam ecclesiam eo tempore, quo epistola nostra scripta est, perniciosis pseudapostolorum doctrinis in varias partes iam fuisse discissam; at parum recte. Apostolus enim, qui quaestionem multo leviorem de idolothytis accurate diligenterque tractavit (14,1-15,13), gravissimum hoc periculum, si Romanos in eo iam versari arbitratus esset, non quasi praeteriens in epilogo neque tam leviter strictimque attigisset, sed perturbatores illos simili modo, quo ad Galatas scribens, per totam epistolam impugnasset eorumque simulationes fraudesque clarius, uti in 2 ad Cor., patefecisset. De praesente igitur periculo non loquitur, sed de futuro; quo ne incauti circumveniantur, Romanos iam nunc pseudapostolos, qui alias ecclesias perturbant, *observare* (σκοπεῖν) i. e. attente inspicere et explorare iubet, ut eos, si Romam advenerint, statim cognoscant cognitorumque societatem diligenter fugiant. Bene *Chrys.*

Paulum non praecipere monet, ut cum illis disputent concertentque, sed ut illorum aditum sermonemque defugiant : illos quidem, qui errant, cum modestia et lenitate corripiendos et ad cognoscendam veritatem reducendos esse, at verbis contendendum non esse cum haereticis, quia eiusmodi disputationes ad nihil inserviant nisi ad subversionem audientium (cfr 2 *Tim.* 2,1-5. 14. 24 sq.; *Tit.* 3,9 sqq. etc.).

Recte tamen antiquiores iunioresque omnes tenuerunt, Paulum hoc in loco non de quibuscumque pseudapostolis loqui sed de iudaizantibus; quum enim articulo posito (τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα ποιοῦντας) eos velut *notarum* dissensionum et offensionum auctores designet, dubitari nequit, quin illos intelligat, qui primum quidem Antiochiae, postea in galaticis ecclesiis, demum Corinthi quoque *contra doctrinam,* quam ipse tradiderat atque Romani quoque a S. Petro aliisque suis doctoribusque acceperant, insurgentes verbum Dei cauponare meraeque Christi doctrinae aquam antiquae Legis admiscere volebant atque hac doctrinarum permixtione non tantum *dissensiones* dissidiaque in ecclesiis provocabant sed etiam *offendicula* ponebant, quibus neophyti ad multa et gravia peccata induci poterant. Corinthi praesertim, qua in civitate nostram epistolam scripsit, Paulus brevi antea expertus erat, quam grave periculum a iudaizantibus illis, qui calumniis contra ipsum sparsis magna cum astutia Legem cum Evangelio coniungendam esse praedicabant, ecclesiis gentium immineret et quanta cum difficultate dissensiones ab eis provocatae componerentur (cfr 2 *Cor.* 10-13). Mirum igitur non est, quod monito hoc inserto praecavere voluerit, ne romana quoque ecclesia ab eis invaderetur eorumque calumniis sibi ipsi iam ante suum adventum potestas cum fructu inter Romanos laborandi eriperetur.

Ceterum se de iudaizantibus istis loqui, eorum quoque descriptione docet, qua Romanos ab eis recipiendis et audiendis absterret : **18.** *huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones et benedictiones* (διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας) *seducunt corda innocentium* (τῶν ἀκάκων), i. e. eorum, quibus nihil pravitatis est quique sibi nihil mali ab aliis timentes, quia alios ex suo ingenio iudicant, seduci facile possunt. Priore igitur in loco illos describit a fine, quem in praedicando persequuntur : *non serviunt Christo sed suo ventri,* i. e. Christi gloria illis curae non est, sed id unum quaerunt, unde laute vivant suamque gulam expleant. Atque idem vitium praeter superbiam etiam in corinthiis illis doctoribus castigat et exagitat, qui in Apostolos Christi se transfigurabant, ut neophytorum opibus vi et dolo potirentur (cfr 2 *Cor.* 11,20). Similiter postea Tito scribens Cretensium seductores, maxime qui de circumcisione

sint, vehementer increpat, eo quod « universas domus subvertant, docentes quae non oportet, turpis lucri causa » (*Tit.* 1,10 sqq.). Atque in epistola ad Philippenses quoque, si quorumdam deum ventrem esse asserit (*Phil.* 3,19), potissimum iudaizantes doctores designare dicendus est, quos canes, malos operarios, concisionem appellaverat (*Phil.* 3,2). Neque minus altero in membro, quum praesidia describens, quibus pseudapostoli finem suum attingere student, eos διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας corda innocentium seducere dicit, iudaizantes doctores Corinthiorum et Galatarum ante oculos habet; duobus enim nominibus, quae unico articulo velut synonyma arcte coniungit, dolosam adulationem designat, qua illos operarios subdolos insignes fuisse non uno ex loco epp. 2. ad *Cor.* et ad *Gal.* apparet; id unum hic adnotasse sufficit, eum Corinthiorum seductores serpenti comparare, quae Evam astutia sua seduxit (2 *Cor.* 11,3).

Postquam Apostolus pseudapostolorum perverso fine dolosisque mediis expositis ostendit, quanto cum iure eorum societatem fugiendam esse monuisset, rationem quoque addit, cur hoc monitum inseruerit : 19. *vestra enim obedientia in omnem locum pervulgata est* (melius : vestra enim obedientia, i. e. fama vestrae obedientiae, *ad omnes pervenit* ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο); *gaudeo igitur in vobis* (melius : *gaudeo ergo relate ad vos,* vel : *de vobis ergo gaudeo* cfr *VV. LL.*); *sed volo vos sapientes esse in bono et simplices in malo* (melius : *sapientes relate ad bonum, simplices autem relate ad malum* σοφοὺς εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν). Quid sibi particula causalis (γάρ *enim*) hic velit, a modernis disceptatur; sed eam ad prima verba *v.* 17 (παρακαλῶ ὑμᾶς *rogo vos*) esse referendam, perspicuum est, dummodo attendatur, sententiam nostram duobus membris constare, quae inter se ita opponuntur, ut in secundo sita sit praecipua vis. Id enim Apostolus efferre vult, monitum quidem superfluum videri, si quis Romanorum conditionem solam spectet, quum eorum fides inter omnes celebretur; attamen illud esse necessarium, si adversariorum astutia et malitia consideretur, quippe quae magnam fidelium prudentiam et simplicitatem requirat.

Cum *Orig.* pauci *obedientiam* illam hic intelligunt, qua Romani superioribus doctoribusque se subiiciant et ab iis duci se sinant, ita ut Paulus propter indiscretam nimisque facilem obedientiam, qua quibuscumque pareant, monitum suum necessarium duxerit; sed quomodo de eiusmodi obedientia Paulus gaudere potuit? Cum reliquis potius obedientia illa intelligenda est, qua Romani non haesitantes sese fidei subiecerant (ὑπακοὴ πίστεως *v.* 26; 1,8; ἡ ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας 1 *Petr.* 1,22). Sicuti enim verbum ἀπειθεῖν nude positum saepe idem valet atque

« Deo revelanti obedientiam negare » seu *infidelem esse* (cfr 10,21; 15,31 etc.; 1 *Petr.* 2,7 etc.), ita obedientiae (ὑπακοῆς) quoque nudum nomen interdum de obsequentia, qua quis Evangelio annuntiato per fidem animum subiicit, usurpatur nominique fidei synonynum fere est (cfr 15,18; 1 *Petr.* 1,2. 14 etc.). Similiter ergo atque 1,8 fidem Romanorum omnibus in ecclesiis celebrari asserens Paulus non sine emphasi de iis se gaudere dicit, ut monitum suum non ex dubitatione quadam de eorum fide exoriri insinuet.

Suo tamen gaudio non omnem metum de eorum perseverantia excludi simul prodit. Quia enim adversariorum malitiam astutiamque, qua innocentium incautorumque corda circumveniant, cognitam perspectamque habet, serpentium prudentiam cum simplicitate innocentiaque columbarum coniungendam esse cum Domino (cfr *Matth.* 10,16) monet Romanosque, sicut Corinthios quoque, parvulos quidem relate ad malitiam, perfectos autem viros relate ad prudentiam verique boni aestimationem esse vult (cfr ad 1 *Cor.* 14,20). *Sapientes* videlicet sint oportet Romani *relate ad bonum,* ne ad externam solam rerum speciem attendentes pulchris blandisque iudaizantium sermonibus capiantur eisque fidem adhibentes verum bonum, quod a genuinis suis Apostolis acceperunt, cum ficto pseudapostolorum bono commutent. Attamen *simplices* (ἀκέραιοι) quoque maneant oportet idque *relate ad malum,* ut parvulis similes, quasi hebetes ad malum intelligendum aut committendum, nihil omnino in se habeant pravitatis (ἀκέραιος εἰς τὸ κακόν i. q. ἄκακος *v.* 18). Erronee cum *Erasm.* nonnulli (cfr *Est. Picon.* etc., *Reith.* etc.) adiectivum ἀκέραιος a nomine κέρας (*cornu*) derivant, quasi *innocuus* significetur, qui utpote cornibus carens malum inferre nequeat; qua adiectivi etymologia et significatione supposita iam *Orig.* hic de iis agi arbitratus est, qui « malum pro malo et nequitiam pro nequitia » non reddant. Ἀκέραιος enim a verbo κεράννυμι (*misceo*) derivatum proxime idem valet, quod *non mixtus* seu purus (οἶνος ἀκέραιος, χρυσὸς ἀκέραιος vinum, aurum *purum*), atque translate de homine usurpatur, qui utpote nihil mali admixtum habens doli fraudisque expers est. Quo sensu ad nostrum locum bene *Tol.* : « simplices in malo, i. e. ignorantes technas, dolos artesque, quibus mala perpetrantur ».

Quo cum iure *Chrys.* aliique pauci apostolico monito subindicari censeant, nonnullos Romanos a iudaizantibus iam fuisse seductos et ab accepta doctrina defecisse, equidem non video; nihil aliud enim Paulus declarat, nisi idem periculum, quo aliae ecclesiae iam premantur, Romanis imminere eosque ex illo, si advenerit, sese erepturos non esse, nisi iam nunc sapientes ad bonum et simplices ad

malum esse studeant. Ne autem tanti periculi praedictione neophyti animis cadant, consolationis gratia addit, Deum eis non defuturum sed eorum adversarios mox devicturum esse : 20. *Deus autem pacis conterat* (συντρίψαι, sed cum *Fuld. Harl.* etc. lege : *conteret* συντρίψει cfr *VV. LL.*) *satanam sub pedibus vestris velociter*. Per se quidem pium votum, quod *Vulg. Clem.* suo *conterat* exprimit, satis aptum est; aptiorem tamen procul dubio hortationis clausulam praebet promissio, quam graviorum testium lectio (*conteret*) exhibet. Deus auctor ac promotor est pacis concordiaeque quum singulorum fidelium tum ecclesiarum. Iure merito ergo persuasum est Apostolo, Deum illos satanae satellites, qui sordidi lucri studio ducti dissensiones in ecclesiis provocant, odio habere et contriturum esse; atque hac persuasione fretus periculum, quod romanae ecclesiae ab illis imminere videt, non diu esse duraturum promittit.

Singulas porro promissionis voces accurate esse perpendendas, *Chrys.* et *Thom.* suis interpretationibus iam docent. Etenim ante omnia non simplicem victoriam sed completam adversariorum destructionem promitti monent, quum Apostolus non de eorum subiectione sed contritione loquatur neque solos pseudapostolos sed ipsum eorum caput, satanam cuius sint ministri (cfr 2 *Cor.* 11,15), contritum iri praedicat. Deinde Romanos ipsos quoque ad eorum destructionem aliquid collaturos esse ex verbis promissionis colligunt; quoniam enim *sub pedibus eorum* Deus satanam contriturus esse asseratur, satis clare ostendi, eos sua sapientia illum esse devicturos (*Thom.*), « ita ut ipsi victoriam reportent et tropaeo erecto illustres fiant » (*Chrys.*). Ultimo demum inciso (ἐν τάχει *velociter*) celerem fore victoriam promittitur; ubi enim Deus una cum Romanis satanam eiusque satellites debellat, neque dubia esse victoria neque diu anceps stare potest pugna.

Promissioni seu praedictioni, qua hortationem suam terminat, Paulus aptissime addit apprecationem gratiae : *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum* (sit). Quia vero pium hoc votum iisdem aut similibus saltem verbis enuntiatum ei pro clausula epistolarum inservire solet (cfr 1 *Cor.* 16,23; 1 *Thess.* 5,25; 2 *Thess.* 3,18; — *Gal.* 6,18; *Phil.* 4,23; *Philem.* 25; — 2 *Cor.* 13,13; — *Eph.* 6,24; — *Col.* 4,18; 1 *Tim.* 6,21; *Tit.* 3,15; *Hebr.* 13,25) atque in nostra epistola praeter sollemnem doxologiam (25-27) salutationes quoque amicorum sequuntur (21-23), nonnulli librarii illud hoc in loco omiserunt et post *v.* 23 inseruerunt, alii illud hic quidem retinuerunt sed simul post *v.* 23 aut *v.* 27 repetierunt (cfr *VV. LL.*). Nihilominus codicum graecorum ac versionum testimonio extra omnem dubitationem ponitur.

illud hoc solo in loco esse genuinum. Dicendum igitur videtur, Paulum huic apprecationi gratiae immediate magnam doxologiam (*v*. 25 sqq.) adiungere voluisse, ut sollemnior esset gravissimae huius epistolae finis; cum tamen, quum se amicorum suorum salutes nondum addidisse recordaretur, illas inter gratiae apprecationem et doxologiam interserere quam omittere maluisse. Ceterum si quis testium, qui pium votum nostro in loco retinent et post *v*. 23 repetunt, auctoritatem haud spernendam putaverit, per se nihil obstat, quominus cum *Vulg. Clem.* ad eam sese conferat; nam nos quoque, si epistolae terminatae omissa quaedam addimus, salutem antea iam dictam interdum repetimus.

Itaque Apostolus, uti supra iam (*v*. 16[b].) omnium ecclesiarum, ita nunc amicorum quorumdam, qui multis ecclesiae romanae membris plus minus erant cogniti, salutes adiicit: **21.** *salutat vos Timotheus, adiutor meus, et Lucius et Iason et Sosipater, cognati mei* (οἱ συγγενεῖς μου). Primo in loco Timotheum ponit, quem utpote sibi coniunctissimum in aliarum quidem epistolarum inscriptionibus, si eum secum habuit, sibi associare solebat (cfr 2 *Cor., Phil., Col.,* 1. 2 *Thess., Philem.*), in hac autem sibi associare non potuit, quia eam tamquam gentium Apostolus conscripsit. Inter tres alios, quos cognatos i. e. contribules (cfr ad *v*. 7) suos appellat, primus (*Lucius*) quis fuerit, ignoramus. Cum *Orig.* quidem haud pauci Lucam evangelistam designari arbitrati sunt (cfr *Sed. Haym. Abael.* etc., *Est. Nat. Picon.* etc.), at parum recte. Namque etiamsi nominum differentiam (Lucas i. q. Lucanus seu Lucilius) urgere nolimus, duplex illa tamen manet difficultas, quod Lucas neque Pauli συγγενής appellari possit, quia erat gentilis ortu, neque Corinthi adfuerit, quando scripta est epistola; neque enim nisi Philippis Apostolo in Palaestinam iter facienti sese iterum adiunxit (*Act.* 20,5). Alii Lucium Cyrenensem designari volunt, qui una cum Barnaba et Saulo inter doctores et prophetas antiochenos recensetur (*Act.* 13,1); sed num Paulus hunc unquam socium itinerum suorum adhibuerit, non constat. Alter, *Iason*, a plerisque idem esse atque Iason Thessalonicensis, qui Pauli hospes fuit (*Act.* 17,5 sqq.), haud improbabiliter coniicitur, atque similiter tertius *Sosipater*, idem videtur esse atque Sopater Beroeensis, quem cum Paulo Corinthi adfuisse ex *Act.* 20,4 constat; neque enim nominis differentia obiici potest, siquidem eiusmodi contractio Graecis non fuit inusitata (cfr Σωκράτης et Σωσικράτης, Σωκλείδης et Σωσικλείδης etc.). Ad eleemosynas Ierosolyma deferendas Apostolus legatos ecclesiarum

macedonicarum secum Corinthum adduxerat (cfr 2 *Cor.* 8,18 sq.; 9,5), qua ex urbe maritimo itinere in Syriam proficisci statuerat (*Act.* 20,3); atqui ex eorum numero Iasonem Thessalonicensem et Sosipatrem Beroeensem fuisse verisimile est.

Paulum epistolas non sua manu exarare sed amanuensi dictare consuevisse, ex eo rite colligitur, quod haud semel in earum fine se salutationem aut monitum quoddam sua ipsius manu adiicere testetur (2 *Thess.* 3,17; *Gal.* 6,11; 1 *Cor.* 16,21; *Col.* 4,18; *Philem.* 19). Quem morem hac in epistola secutus amanuensem adhibuit Tertium quendam, qui nunc, Apostolo permittente vel potius iubente (nam haec quoque verba non minus, quam reliqua epistola, pro inspiratis accipienda sunt), etiam suo ipsius nomine salutem Romanis transmittit, ex quorum forte erat ecclesia : 22. *saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.* Locutio *in Domino* cum verbo *saluto* connectatur oportet, ita ut Tertius se cum Romanis in Christo unitum profiteatur (cfr 1 *Cor.* 16,19 « salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla »; *Phil.* 4,21); satis mire autem iuniores quidam eam ad verbum *scripsi* trahere volunt, acsi Tertius se epistolam « ad gloriam Christi » (*Est.*) aut « propter Dominum » (*Iust.*) aut gratis ac sine mercede (*Cai.*) scripsisse asserat. De Tertio ipso praeter ea, quae ex nostra sententia habentur, nihil nobis est traditum. Romanum eum fuisse ex eius nomine inter Romanos non infrequente (cfr *Tacit.* Hist. II. 85; IV. 39. 40; *Macrob.* Saturn. III. 11) non nisi levi cum probabilitate desumitur, id quod latina SS. Pauli, Marci etc. nomina satis produnt. Satis ridicule autem aliqui acath. olim Tertium eundem ac Silam (*Act.* 15,22 etc.) esse coniecerunt, quia nomen hebraicum שְׁלִישִׁי (Silas) latino Tertius respondeat. Nam שְׁלִישִׁי Hebraeis nunquam fuit nomen proprium, et nomen Silas ex nomine Silvano, quo Paulus semper utitur (1 *Thess.* 1,1; 2 *Thess.* 1,1; 2 *Cor.* 1,19) est contractum, uti Lucas ex Lucanus etc.

Neque tamen sociorum tantum, quos secum Corinthum adduxerat, sed Corinthiorum quoque nonnullorum, quum ex eorum urbe literas has daret, salutes Paulus adscribendas duxit : 23. *salutat vos Caius, hospes meus, et universa ecclesia* (cum *Fuld. Amiat.* etc. lege : *hospes meus et universae ecclesiae* ὁ ξένος μου καὶ ὅλης τῆς ἐκκλησίας : *salutat vos Erastus, arcarius civitatis* (ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως) *et Quartus frater* (ὁ ἀδελφός). Quatuor quidem Caii in Actibus et Epistolis nominantur. Corinthius, qui a Paulo est baptizatus (1 *Cor.* 1,14), Macedo, qui cum Aristarcho Ephesi in seditione per Demetrium excitata a multitudine captus est (*Act.* 19,29), Derbensis, qui Pauli comes fuit in ultimo itinere ierosolymitano (*Act.* 20,4), et ignotus quidam, cui 3 *Ioan.* epi-

stola inscripta est; sed primum nostro in loco intelligendum esse, omnes interpretes recte tenent. Eius hospitium Apostolus, qui prima vice Corinthum adveniens apud Aquilam et Priscillam deversatus erat (*Act.* 18,1-3), forte ideo postea praetulit, quia arctiore amicitiae vinculo cum eo erat coniunctus, id quod cum aliqua verisimilitudinis specie inde potest colligi quod ipse ei baptismum conferre voluerit. Universae autem ecclesiae hospes vocari videtur non tam quia suam in domum fideles ad sacra celebranda congregabat, quam quia Christianos aliis ex civitatibus Corinthum adventantes hospitaliter excipiebat. Propter quam insignem eius hospitalitatem nonnulli ad eundem etiam tertiam Ioannis epistolam scriptam esse suspicantur, in qua similiter Caii, cui inscribitur, hospitalitas celebratur (cfr *Herv. Thom. Est.* etc.). Quidquid hac de re est, Caius procul dubio unus fuit ex nobilioribus et ditioribus Corinthi civibus, quorum paucos tantum evangelicam vocationem secutos esse, ex Apostoli verbis (cfr 1 *Cor.* 1,26) legitime concludimus.

Eorum autem numero etiam *Erastus* accensendus videtur, quoniam ditissimae civitatis quaestor erat seu arcarius, ad quem tributorum pecuniaeque publicae administratio pertinebat. Tali autem munere fungens a civitate diu abesse profecto non potuit, ita ut hunc Erastum arcarium recte distinguamus ab altero Erasto, quem Paulus comitem habuit in itineribus et ad varias missiones ablegavit (cfr *Act.* 19,22; 2 *Tim.* 4,20). Quia enim Erasti nomen frequentissimum erat, nulla est ratio, cur cum *Pel.* aliisque nonnullis dicamus, Erastum arcarium munere suo se abdicasse, ut Paulo se adiungeret, cumque hic arcarium vocari, quia illo munere antea functus sit.

Demum adduntur salutes *Quarti*, qui communi nomine *frater*, scilicet in Christo, appellatur, quum altero specialiore, quo distingueretur, titulo careret, uti illi quoque, quos Apostolus ultimo in loco salutari iussit (*vv.* 14. 15). Quodsi Paulus Quartum dicere voluisset fratrem Erasti, id quod nonnulli censent, scribere debuisset: ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ (frater *eius*). Plane arbitrarie *Est.* Quartum opinatur dici fratrem Tertii; coniecturam enim, quae ex nomine desumitur, nemo ad hanc opinionem probabilem reddendam quidquam valere concedet, nisi qui Quartum etiam fratrem Secundi, qui *Act.* 20,4 nominatur, aut alicuius Quinti vel Sexti dici sibi persuaserit: numeralia nomina Romanis frequenter pro praenominibus inserviebant.

In *Vulg.* nostra et in graeco *textu rec.* salutationes has sequitur pium votum, de quo ad *v.* 20. iam diximus: 24. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis: amen.*

4. — *Sollemnis doxologia* (16,25-27).

16,25. *Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta evangelium meum, et praedicationem Iesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti,* 26. (*quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum praeceptum aeterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti,* 27. *soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

16,25. Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου καὶ τὸ κήρυγμα Χριστοῦ Ἰησοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, 26. φανερωθέντος δὲ νῦν διά τε γραφῶν προφητικῶν κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ εἰς ὑπακοὴν πίστεως εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος, 27. μόνῳ σοφῷ Θεῷ, διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν[1].

Desiderium, quod in epistolae exordio declaravit, Romam veniendi, ut in Romanis non minus quam in ceteris gentibus, quum omnibus pariter esset debitor, fructum aliquem haberet eosque gratia spirituali collata corroboraret et confirmaret (1,11 sqq.), Paulus his literis Romam missis ex parte iam explesse recte dicitur. Integrae enim eo tendunt, ut et dogmatis de iustitia toti humano generi per Christum acquisita omnibusque credentibus, Iudaeis ac Graecis, gratis conferenda pleniore accuratioreque demonstratione et christianarum virtutum ac praesertim mutuae caritatis concordiaeque commendatione Romanos in doctrina, quam a S. Petro aliisque suis doctoribus acceperant, firmiores reddant et constantiores. At nihil pollere humana verba, nisi Deus ipse eis virtutem efficaciamque tribuat, B. Apostolo persuasissimum est; quapropter nuda gratiae apprecatione, qua reliquas epistolas terminare solet, non contentus hanc, utpote argumento gravissimam et ecclesiae a se non fundatae destinatam, magnifica concludere vult glorificatione Dei, qui pro sua omnipotentia solus neophytos confirmare valeat. Etenim glorificatio haec simul ei est precatio, qua Deum enixe rogat, ut pro sua bonitate ac misericordia etiam velit Romanos in doctrina tradita confirmare.

Origene teste « caput hoc (sc. doxologiam) Marcion, a quo Scriptu-

1. *VV. LL.* — 25. Pro Χριστοῦ Ἰησοῦ ac similiter v. 27. pro διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ, quas lectiones solus B exhibet, cum reliquis testibus legatur oportet Ἰησοῦ Χριστοῦ et διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ (*Iesu Christi*, et *per Iesum Christum*). — 26. διά τε γραφῶν προφητικῶν (*et* per Scripturas propheticas) est communis lectio graecorum codd. et PP., ad quam *Syr. Aeth.* prope accedunt, quum particulam τε quidem omittant, sed post vocem προφητικῶν copulam καί suppleant; omnem autem copulam praetermittunt D E. *It. Vulg. Copt. Arm.*; prima lectio a iunioribus modernisque iure praefertur. — 27. διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ ἡ δόξα (per Iesum Christum gloria) B. paucissimi minusc., *It.* (cfr *Orig. interpr.*) *Syr.* (codd.); sed διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ αὐτῷ ἡ δόξα (per Iesum Christum *ipsi* gloria) P, paucissimi minusc., *Copt.*; demum διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ᾧ ἡ δόξα (*per Iesum Christum cui*

rae evangelicae atque apostolicae interpolatae sunt, de hac epistola penitus abstulit », atque eodem teste edocemur « in aliis exemplaribus, id est in his quae non sunt a Marcione temerata, hoc ipsum caput diverse positum inveniri », nimirum « in nonnullis » post 14,23, in reliquis « in fine epistolae, ubi nunc est positum ». Suo tempore *S. Hier.* (in Ephes. 3,4. 5) quoque aliquos videtur cognovisse codices, quibus doxologia defuit, siquidem eam dumtaxat « in plerisque codicibus inveniri » asserit. Ac profecto inter graecos codices hodie superstites duo graecolatini (saec. 9) illam praetermittunt, ita tamen ut prior (F) in fine epistolae, alter (G) post 14,23 spatium vacuum relinquant illi recipiendae idoneum. Reliqui omnes eam exhibent; at iuniores plerique (L et fere omnes minusc. una cum Lectionariis), uti iam Origenis aetate « nonnulli », cum iunioribus PP. graecis (cfr *Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph. Euth.*) et aliquibus codd. *Syr.* eam post 14,23 inserunt; pauci alii (A P, unus alterve min.) cum nonnullis codd. *Arm.* eam bis habent, et post 14,23 et in fine epistolae. Hinc nostra aetate haud pauci acath. interpretes ansam arripuerunt ad pericopen nostram spuriam declarandam; quin etiam nonnulli eam saec. 2. ab homine inepto, qui clausulam epistolae *Iudae* (24. 25) imitari voluisset, e paulinis locutionibus absurde esse consarcinatam dicere non dubitarunt (cfr *Reiche, Baur, Lucht, Pfleiderer, Hilgenfeld, Mangold, Holtzmann, Lipsius* etc.). Internas quoque rationes nonnullas conquisiverunt, quibus criticorum suorum testimoniorum vim auctoritatemque augerent; Paulum scilicet epistolas suas doxologia terminare non consuevisse monent, doxologiae ipsius constructionem esse perplexam eiusque sermonem verbosum a simplicitate Pauli abhorrere, neque demum apparere, quid hoc in loco sibi velit.

Quae omnia tam levia sunt, ut merito mireris, quod tot viros ceteroquin haud indoctos ad negandam authentiam loci permoverint, quem vix non omnium testium criticorum auctoritas extra dubitationem ponit. Ac primum quidem testimonia critica, quae obiiciuntur, nullius omnino sunt ponderis aut valoris. Marcion enim, « cuius proprium et principale opus erat separatio Legis et Evangelii » (*Tert.* c. Marc. I. 19) quique ideo non tantum totius Veteris Test. divinam originem negavit sed etiam ex Novo omnes illos locos abscidit, qui veteri revelationi favere videbantur (cfr *S. Iren.* c. haer. I. 27,2; III. 12,12; *S. Epiph.*

gloria) reliquorum testium, quorum auctoritas praevalet, communis est lectio; cfr *Comment.*). — εἰς τοὺς αἰῶνας (in saecula) B C L, plerique minusc., *Syr.* (codd.); sed : εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων (*in saecula saeculorum*) ℵ A D E P, pauci tantum minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; utraque lectio apta est, secundam tamen ob versionum praesertim auctoritatem praeferimus.

haer. 42 n. 5. 9; *Tert.* c. Marc. IV. V. passim), ad testimonium de nostra doxologia, quae Veteris Novique Test. consonantiam aperte profitetur (*v.* 26), dicendum nullo modo potest admitti. Duo autem graecolatini, qui soli hodie doxologia carent, idonei non sunt testes, quia et iunioris sunt originis eorumque auctores spatio vacuo quod reliquerunt satis clare indicarunt, se non tam de authentia pericopes dubitasse, quam de loco, in quo esset ponenda. Soli igitur adversariis remanent codices illi, quos *S. Hier.* doxologiam non habuisse refert; sed quisnam prudens iudex haec documenta, de quorum origine aut conditione aut numero nihil prorsus compertum habemus, et quae S. Hieronymus ipse tam parvi fecit, ut nulla eorum ratione habita doxologiam velut genuinam sine ulla haesitatione in sua Novi Test. recensione retineret, omnibus superstitibus codicibus graecis, omnibus versionibus, omnibus Patrum testimoniis praeferre audebit? Graeci utique codd. et PP. de loco, in quo doxologia sit ponenda, inter se non consentiunt; verum hic eorum dissensus authentiam ipsam pericopes dubiam reddere nequit. Neque enim probabiles desunt rationes, quibus explicatur, cur nonnulli illam e loco suo, quem iuxta graviorum codd. (B ℵ C D E) omniumque verss. testimonium Paulus illi in fine epistolae assignaverat, removendam censuerint (cfr infra p. 802).

Critice igitur dubia doxologia nequaquam est; neque interna argumenta ab adversariis studiose conquisita eam dubiam facere possent, etiamsi gravissima essent (nam de facto historico agitur, quod si certis testimoniis historicis nititur coniecturis quibusvis non labefactatur); at levissima quoque sunt. Apostolum enim epistolas suas doxologiis terminare *non consuevisse* libenter concedimus; sed quo cum iure inde concludatur, eum huic quoque, quae argumento suo et sua destinatione prorsus singularem locum inter omnes paulinas tenet, eiusmodi clausulam non apposuisse, non intelligimus. Falsarium igitur sibi fingere adversarii debent tam ineptum, ut aut illum Apostoli morem ignoraret aut contra illum morem agens fraudem suam omnibus manifestam faceret. Quodsi deinde doxologiae constructionem perplexam sermonemque impeditum dicunt, sententiam esse anacoluthicam (saltem si probatiorem lectionem sequimur, cfr *infra*) incisisque satis onustam iterum concedimus; at Paulum multo minus quam ullum alium e sacris scriptoribus ab anacoluthis (cfr 2, 17 sqq.; 3,8; 5,12 sqq. etc.) et ab incisis, quibus sermo impeditur (cfr 1,1-6; 2,14-16; 3,24-26 etc.) abhorrere, quis ignorat? Falsarium igitur peritum quoque adversarii sibi fingere debent, qui scribendi modum Pauli apprime calluerit eumque ad fraudem occultandam scite imitatus sit. « In toto enim Paulo non alium locum magis paulinum inveniri »,

acute contra adversarios ipse *Fritzsche* (Comm. in ep. ad Rom. I. p. XXXVIII) monuit, qui in aliis opiniones eorum facile sequitur. Ineptissime porro verbosam tumidamque proclamant sententiam, cuius maiestatem et magnificentiam una cum Patribus omnes antiquiores modernique, atque ipsi quoque acath. longe plurimi, admirati sunt et admirantur. Demum quid hoc in loco doxologia sibi velit, ex antea dictis satis iam elucet et ex interpretatione clarius elucebit. Bene iam *A*[ter] : « Deo, ex quo sunt omnia, dat gloriam, ut coeptum Romanorum, quia potens est, dignetur implere confirmando in fide animos eorum ad profectum Evangelii ».

Ad interpretationem autem transituri duo alia praemoneamus oportet. Imprimis hodierna nostra Vulgata, quum ex tribus participiis (σεσιγημένου, φανερωθέντος, γνωρισθέντος), quae inter se parallela eodem modo ad genetivum μυστηρίου pertinent, solum secundum per sententiam relativam (*quod patefactum est*) redderet, duobus aliis retentis (*taciti, cogniti*), atque insuper relativam sententiam,' quasi parenthesin constitueret, uncis includeret, doxologiam nostram haud parum obscuravit. Antiquam igitur eius recensionem interpretari malumus, quam *S. Aug.* (c. Maxim. II. 13,2) secutus est nobisque conservavit, in eo solo ab eo discedentes, quod maioris claritatis gratia cum graecis codd. (cfr *VV. LL.*) inter secundum et tertium participium particulam copulativam (*et*) inserimus. Doxologia ergo haec est iuxta Italam : *Ei autem, qui potens est vos confirmare secundum* (κατά) *Evangelium meum et praeconium* (τὸ κήρυγμα) *Iesu Christi, secundum revelationem mysterii* (κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου) *temporibus aeternis taciti* (σεσιγημένου), *manifestati* (φανερωθέντος) *autem nunc*, [adde : *et*] *per Scripturam prophetarum* (seu : *et per Scripturas propheticas* διά τε γραφῶν προφητικῶν) *secundum praeceptum aeterni Dei in obeditionem fidei in omnes gentes cogniti* (melius : *divulgati* vel *notificati* γνωρισθέντος), *soli sapienti Deo, per Iesum Christum cui gloria* (ᾧ ἡ δόξα) *in saecula saeculorum; amen*. Deinde animadvertatur oportet, iuxta Italae et Vulgatae nostrae lectionem, quam plerique et graviores testes critici tuentur (cfr *VV. LL.*), sententiam nostram esse anacoluthicam; nam tota prior pars (*ei autem qui potens est... soli sapienti Deo*) non habet, unde dativi grammatice regantur. Apostolus videlicet, qui scribere voluit : « ei autem, qui potens est vos confirmare, soli sapienti Deo per Iesum Christum gloria in saecula saeculorum », multis interiectis membris periodique amplitudine quasi in oblivionem antea dictorum esse adductus videtur. Quamobrem sese sententiam de Deo per se plenam, quae tamen Deum nondum glorificaret, scripsisse ra-

tus anacoluthice per sententiolam relativam, quae ad locutionem *soli sapienti Deo* proxime pertinet, glorificationem supplere voluit[1].

Non desunt quidem codices, qui aut relativum ᾧ (*cui*) omittentes aut ei demonstrativum αὐτῷ (*ipsi*), quod Apostolus in simili doxologia longiore (*Eph.* 3,20.21) adhibuit, substituentes anacoluthiam auferant (cfr *VV. LL.*); quamvis autem genuinum sensum clarius exprimant, eos sequi non licet, quia lectionis arbitrarie mutatae suspecti merito habentur. Interpretes haud pauci non tam anacoluthum quam ellipsin admittentes in priore sententiae parte aliquid, a quo dativi pendeant, supplendum statuunt (*Thom.*, quem multi iuniores ac moderni sequuntur : « ei qui potens est, soli Deo sapienti, *sit honor et gloria* per Iesum Christum, cui *est* [vel : cui *etiam sit*] honor et gloria »; *Erasm.* cum paucis : « *gratias ago* ei qui potens est..., per Iesum Christum, cui sit gloria »; cum *Sed.* aliqui acath. *Olsh. God.* etc. : *commendo vos* ei, qui potens est » etc. cfr *Act.* 20,32; alii aliter); sed eiusmodi supplementa esse arbitraria, eorum varietas iam ostendit. *Chrys.* et *Theod.* pronominis relativi, quamvis illud in textu legant, in sua interpretatione rationem non habent; unde *Theoph.* et *Oec.* illud abundare asseruerunt; ad quam sententiam cum *S. Aug.* (l. c.) etiam iuniores quidam accedunt (cfr *Haym. Herv. Lomb.* etc., *Est. Iust. Lap.* etc.). Sunt quoque qui per hebraismum quendam relativum aut abundare aut pro demonstrativo poni sibi erronee persuadeant.

Itaque Paulus gloriam dicit Deo trino et uni, uti cum *S. Aug.* (l. c.) etiam *Thom.* recte interpretatur, non soli Patri, uti *Chrys.* cum aliis putat, *qui potens sit Romanos confirmare* (τῷ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι). Quodsi locutionis huius usum significationemque aliis in locis (11,23 « potens est Deus iterum inserere illos »; 14,5. « potens est Deus statuere illum »; 2 *Cor.* 9,8 etc.) comparamus, nihil videtur esse dubii, quin Apostolus Dei potentiam celebrans simul fiduciam suam declaret, eum pro sua bonitate illos etiam confirmaturum esse (cfr *v.* 20[a]); eo ipso igitur indirecte eum etiam rogat, ut illos confirmet neque decipi illos

1. Simile anacoluthum habemus *Act.* 24,5. 6, ubi S. Lucas scribere voluit : « invenientes hunc hominem pestiferum..., qui etiam templum violare conatus est, *apprehendimus eum* » etc.; sed membris interiectis adductus est, ut antea dictorum quasi oblitus inchoatam constructionem negligeret atque per relativam sententiam declararet, quod principali enuntiari debuit: scribit enim : εὑρόντες τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμόν..., ὃς καὶ ἱερὸν ἐπείρασεν βεβηλῶσαι, ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν (invenientes hunc hominem pestiferum..., qui et templum violare conatus est, *quem etiam apprehendimus*). Eiusmodi autem constructiones Graecis difficultatem non creasse ex eo colligitur, quod auctor *Martyrii S. Polycarpi* (cp. 20) doxologiam nostram imitari non dubitaverit, quum scribat : Τῷ δὲ δυναμένῳ πάντας ἡμᾶς εἰσαγαγεῖν ἐν τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ δωρεᾷ εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ βασιλείαν διὰ παιδὸς αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα, τιμή, κράτος, μεγαλωσύνη εἰς τοὺς αἰῶνας (ei qui potest omnes introducere per gratiam suam donumque suum gratuitum in aeternum suum regnum per Filium suum unigenitum, *cui* (scilicet Patri) *sit gloria*, honor, imperium, maiestas in saecula).

permittat a iudaizantibus magistris, quorum societatem diligenter fugere brevi antea (*v.* 17 sqq.) iussi sint. Arcte igitur doxologia cum praecedentibus connectitur ex iisque quasi sua sponte emanat; sed simili quoque ratione, atque reliquae epilogi partes, uti supraiam monuimus, ad epistolae exordium respicit, in quo se praeprimis Romanorum confirmationem desiderare Paulus asseruit (1,9 sqq.); cui desiderio nostram precationem respondere manifestum est.

Sunt qui verbum στηρίξαι (*confirmare*) hic (uti 1,11) absolute esse positum arbitrentur; rectius autem sequentibus verbis : κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ (*secundum Evangelium meum et praeconium Iesu Christi*) indicari cum plerisque dicemus, qua in re Romani confirmandi sint. Nam praepositio κατά haud raro (cfr 7,22; 11,28 etc.) idem valet quod latinum *relate ad;* atqui *relate ad Evangelium confirmare* idem est quod *in Evangelio confirmare,* sicuti *Syr.* nostram sententiam iam vertit et iuniores plerique interpretantur (cfr *Thom. Tol. Est. Iust.* etc.; *Reith. Mai. Beel. Bisp.* etc.). Confirmari ergo eos desiderat *in Evangelio suo,* quo nomine illam praedicationis evangelicae formam intelligit quam ipse semper secutus est, quando et verbis et literis inter gentes aperte docebat et contra iudaizantes strenue defendebat, Christum Iesum Dei Filium, utpote totius generis humani redemtorem non solis Iudaeis sed gentibus quoque omnibus advenisse salutemque attulisse; omnes quippe homines, quia in primo suo parente peccato essent infecti, sub peccato degere ac vera iustitia, quae ad salutem requiratur, carere; neque quemquam eam obtinere posse nisi per vivam fidem in Iesum Christum, qui eam morte sua omnibus acquisivisset omnibusque credentibus sine distinctione, Iudaeis et Graecis, absque ullis eorum praeviis meritis gratis esset collaturus (cfr ad 2,16; 2 *Tim.* 2,8). In illa igitur doctrina, quam tanta cum diligentia in nostra epistola exposuit, potissimum Romanos a Deo confirmari desiderat.

Ne quis vero locutione *Evangelium meum* in errorem inductus hanc doctrinam ei propriam et a reliquorum Apostolorum praedicatione diversam esse suspicetur, explicationis gratia (per καί *et* epexegeticum) addit : *et* secundum *praeconium Christi* (καὶ [κατὰ] τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ), ut suum Evangelium idem esse significet atque doctrinam de Christo mortuo pro peccatis nostris et sepulto et resuscitato, quam similiter reliqui Apostoli praedicent (cfr 1 *Cor.* 15,3. 11). Namque genetivum *Iesu Christi* obiectivum esse (*praeconium Iesu Christi* i. q. praeconium de Iesu Christo) cum multis tenemus (cfr *Orig. Theod., Tol. Est. Lap.* etc., *Reith. Bisp. Dr.* etc.). Neque tamen minus aptus erit sensus, si genetivum pro subiectivo sumentes *praeconium Christi* doctrinam interpre-

tamur, quam Christus aut ipse in sua mortali vita praedicavit (cfr *Chrys. Oec. Theoph. Euth., Thom. Cai. Pic.* etc., *M Ev. Ag. Sch.* etc.), aut nunc per Apostolos velut legatos suos (2 *Cor.* 5,20) praedicat (cfr *Mai. Beel.* etc.), ita ut altera haec locutio ad veritatem Evangelii, quod Paulum suum dicit, manifestandam et confirmandam inserviat.

Alterum nunc additur membrum, quod iterum a praepos. κατὰ inchoatur (κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου *secundum revelationem mysterii*), quod autem quomodo cum praecedentibus connectendum sit, in controversia est. Ex descriptione addita satis elucet, nomine *mysterii* hic divinum consilium salutis hominibus per Christum acquirendae ita designari, ut ad redemtionis universalitatem et gentium vocationem, de qua in hac epistola egit, potissimum attendatur. Alibi enim etiam docet, hoc dogma esse mysterium, « quod aliis generationibus (i. e. superioribus saeculis) non erat cognitum filiis hominum, sicut nunc est revelatum sanctis Apostolis et Prophetis in spiritu, gentes (nimirum) esse coheredes et concorporales et comparticipes promissionis in Christo per Evangelium, cuius ipse factus sit minister » (*Eph.* 3,5. 6).

Iamvero nonnulli membrum hoc, velutsi argumentum Evangelii paulini et praeconii Christi indicet, priori tamquam appositionem addunt aut ei coordinant, ut Romani confirmandi dicantur « relate ad Evangelium Pauli et praeconium Christi, (*id est*) relate ad revelationem mysterii » (cfr *Iust. Mai. Beel.* etc. — *Mey.* etc.). Verumtamen si hunc nexum et sensum Paulus intendisset, una ex parte nexum coniunctione quadam inserta accuratius indicare, et altera ex parte, quoniam de definito Evangelio et praeconio agitur, inserto articulo omnino dicere debuit κατὰ τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ μυστηρίου. Alii deinde hoc membrum priori ita subiungunt, ut ex nomine κήρυγμα (*praedicatio*) participium κηρυσσόμενον suppleant, a quo dependeat : « relate ad Evangelium meum et praeconium Christi, (*quod praedicatur*) *secundum revelationem mysterii* »; significari enim volunt, evangelicam praedicationem, in qua confirmandi sint Romani, non esse humanae inventionis, sed divinae originis, quia fiat iuxta revelationem mysterii humano intellectui impervii (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Herv. Thom*[1]. etc., *Tol. Est.* [?] *Lap.* etc., *Bisp. M Ev.* etc. — *Goeb. God.* etc.). Quae interpretatio satis quidem apta est; quia tamen insolentiorem constructionem supponit, cum *Thom*[2]. probabilius censemus, membrum hoc cum immediate praecedente non connectendum, sed ad verba : *qui potens est confirmare vos* trahendum esse, ut sensus sit : « Deus potest vos confirmare in Evangelio meo et praeconio Christi, et id quidem secundum revelationem mysterii », i. e. revelando vobis mysterium salutis omnibus per Christum acquisitae. Quo accuratius enim fideles

divina gratia illustrati hoc mysterium cognoscunt et intelligunt, eo magis in doctrina evangelica confirmantur (cfr *Eph.* 3,14 sqq.).

Porro mysterii illius rationes descripturus Apostolus primo in loco illud *aeternis temporibus tacitum* (μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου) vocat. *Tempora aeterna* autem (vel *aeternalia* cfr 2 *Tim.* 1,9; *Tit.* 1,2) ei non sola sunt saecula illa multa, quae a creationis initio effluxerunt, sed iuxta vulgarem nostrum concipiendi et loquendi modum ipsam quoque aeternitatem comprehendunt. Nam « sicut simplex Dei essentia, inquit *Thom.*, per quandam similitudinem dimensionibus corporalibus describitur (cfr *Iob.* 11,9), ita etiam simplex eius aeternitas per *tempora aeterna* designatur, in quantum omnia tempora continet ». Itaque ab aeterno (πρὸ αἰώνων *ante saecula*) Deus pro sua misericordia consilium salvandi universum genus humanum per Filium suum vocandique gentes quoque ad salutem excogitavit et in gloriam nostram praedestinavit (cfr 1 *Cor.* 2,7); illud tamen in se reservavit occultumque esse voluit, usque dum ipso Christi adventu exsecutioni mandaretur et per Apostolos in toto mundo annuntiaretur.

Terminum enim, usque ad quem mysterium tacitum manebat, Paulus altero participio indicat: « mysterii temporibus aeternis taciti, *manifestati autem nunc* (γνωρισθέντος δὲ νῦν). Adverbio *nunc* enim tempus, inde a quo Christus apparuit et Evangelium annuntiari coeptum est, praeteritis temporibus opponit; idque alibi clarius docet, quum idem mysterium dicit *nunc manifestatum per apparitionem* (διὰ τῆς ἐπιφανείας minus recte *Vulg.*: per illuminationem) *Salvatoris nostri Iesu Christi* » (2 *Tim.* 1,10; cfr etiam *Eph.* 3,5. 8 sqq.; *Col.* 1,26). Nam quamquam de Christo eiusque opere redemtionis ac de gentium quoque vocatione prophetae iam haud pauca *adumbraverant* (cfr *Theod.*), manifestatum tamen et lucide patefactum non est, uti *Thom.* recte ait, mysterium nisi « per operis expletionem ». Obscuriora scilicet erant vaticinia, quam quae ante impletionem *clare* intelligerentur; immo vero eorum sensum, etiam postquam iam impleta erant, Christus post resurrectionem suam ipsis suis Apostolis aperire debuit (cfr *Luc.* 24,25 sqq. 44 sqq.).

Nequaquam ergo cum *Chrys.* eiusque discipulis (cfr *Dam. Phot. Oec. Theoph. Euth.*) locutionem διὰ γραφῶν προφητικῶν, quam paene omnes graeci codd. inserta coniunctione (διά τε γραφῶν προφητικῶν per*que* Scripturas propheticas) a participio immediate praecedente (φανερωθέντος) separandam esse docent, ad illud trahere licet, ac si mysterium per Scripturas propheticas patefactum dicatur. Neque approbari possunt *Syr.* et *Aeth.*, qui coniunctionem copulativam post genetivum προφητικῶν ponentes (cfr *VV. LL.*) eandem erroneam interpretationem

postulant[1]. Retinenda potius est graeca lectio, iuxta quam locutio haec ad tertium participium γνωρισθέντος (*notificati* seu *divulgati*, pro quo *Vulg.* minus recte : *cogniti*) pertinet. Postquam enim Apostolus mysterium ab aeterno tacitum fuisse, nunc autem manifestatum esse dixit, ostendere iam vult., qua ratione illud innotuerit. Quamobrem secundum participium (φανερωθέντος) quodam modo exponens imprimis docet, quibus praesidiis (*per Scripturas propheticas*), deinde cur (*secundum praeceptum aeterni Dei*), tum quem in finem (*ad obeditionem fidei*), demum quibus (*in omnes gentes*) sit notificatum.

In exordio iam dixerat, Deum per prophetas suos in Scripturis Evangelium promisisse (1,2); ideo simili modo, quo Dominus ipse ad divinam suam missionem Iudaeis demonstrandam ad Scripturas provocaverat (*Ioan.* 5,39 etc.), etiam Apostoli *adhibitis Scripturis propheticis,* quae mysterium redemtionis nostrae per Christum vocationisque gentium iam ante multa saecula adumbraverant, illud promulgarunt, ut praedicationis suae argumentum iam olim generi humano divinitus promissum esse ostendentes verbis suis maiorem auctoritatem fidemque conciliarent. Eandem autem docendi rationem Paulus etiam in hac epistola tenuit, quum non tantum totam suam doctrinam de iustitia fidei « testificatum a Lege et Prophetis esse » (3,21) ostenderet, sed multis quoque prophetarum locis vocationem gentium praedici demonstraret (9,25) sqq.; 10,13 sqq.; 15,9 sqq.); quid ergo sua locutione *per Scripturae propheticas* hic velit sua sponte patet.

Deinde non temere sed *secundum praeceptum* (κατ' ἐπιταγήν i. q. *ex praecepto*) *aeterni Dei* promulgationem mysterii fieri asserens proxime quidem ad Christi verba Apostolos suos in mundum universum exire omnesque gentes docere iubentis (*Matth.* 28, 18 sqq.; *Marc.* 14,15) respicit, at simul speciale quoque mandatum sibi ipsi divinitus im-

1. Multo minus recte *Vulg. Clem.* uncis positis non solum primum membrum (*per Scripturas prophetarum*) sed etiam duo sequentia (*secundum praeceptum aeterni Dei, ad obeditionem fidei*) ad secundum participium φανερωθέντος trahit, quod parum recte, uti supra (p. 793) iam monuimus, per sententiam relativam reddit (*quod patefactum est*). Qua versione non idonea antiquiores interpretes, qui Vulgatam sequebantur, adducti sunt, ut quartum quoque membrum (*in cunctis gentibus*) ad eandem sententiam relativam pertinere arbitrarentur, ita ut nudum tertium participium *cogniti* retinerent. Quod quid sibi vellet, quum intelligere non iam possent, alii genetivum *cogniti* in dativum *cognito* mutarunt (ita iam *Fuld. Amiat.* etc.) illumque ad sequens membrum *soli sapienti Deo* ita adiunxerunt, ut « solus sapiens Deus dicatur cognitus et manifestatus per Iesum Christum » (cfr *Haym. Abael.* etc.), alii autem genetivum retinentes eidem membro eum ita addiderunt, ut « mysterium, licet tacitum fuerit apud homines, tamen cognitum soli sapienti Deo fuisse » diceretur (cfr *Herv. Thom. Dion.* etc.). Neutram interpretationem aptam esse patet; si versionem Vulg. retinere voluerimus, uncis semotis post verba *quod nunc patefactum est* comma ponere debemus, ut quatuor membra (*per Scripturas... in cunctis gentibus*) ad participium *cogniti* pertinere appareat.

positum ante oculos habere iure censetur, quo omnibus debitor factus ad Evangelium propagandum obligabatur (cfr 1,5. 14 etc.). *Praeceptum Dei* autem commemorat, ut mysterii annuntiationem cum auctoritate fieri significet (cfr ad 10,14. 15); atque *aeterni Dei* hoc esse mandatum pulcherrime dicit, ut eundem « Deum aeternum, qui absconditorum est cognitor » (*Dan.* 13,42), nunc mysterii illius, quod aeternis temporibus tacuit, divulgationem adduxisse doceat. Finis porro propter quem Deus eam nunc adduxit (*ad obeditionem fidei efficiendam*, εἰς ὑπακοὴν πίστεως) alius non est, quam propter quem Paulus sese apostolatum suum divinitus accepisse testatur (cfr ad 1,5). Demum *in omnes gentes* (εἰς πάντα τὰ ἔθνη) mysterii notitiam iam divulgatam esse, cum hyperbole quadam (similiter atque in exordio, cfr 1,18; *Thess.* 1,8) asserit, commoto animo multas illas nationes contemplans, inter quas ipse aliique Apostoli eo iam tempore Evangelium annuntiaverant.

Divinam potentiam Apostolus celebrare coepit, verum admirabilis oeconomiae, qua Deus redemtionis nostrae gentiumque vocationis consilium a saeculis in ipso absconditum (cfr *Eph.* 3,9) nunc Christo misso patefecit et per Apostolos in toto mundo divulgavit, commemoratione impellitur, ut una cum potentia etiam sapientiam eius celebret. Itaque priori membro *ei qui potens est* etc. alterum velut appositionem addit: *soli sapienti Deo* (μόνῳ σοφῷ Θεῷ). Solum sapientem autem Deum vocat, uti alibi solum principem, solum immortalem (ὁ μόνος δυνάστης, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν 1 *Tim.* 6,15. 16), quia ei soli haec attributa per essentiam, aliis non nisi per participationem quandam competunt. Egregie iam *Orig.*: « Sapientem Deum non ita accipias, quasi quem sapientia fecerit sapientem, uti inter homines habetur; sapiens enim inter homines dicitur unusquisque ex participatione sapientiae. Deus vero non quasi qui ex sapientia sapiens factus sit, sed quasi qui ipse auctor sit et genitor sapientiae, sapiens appellatur; non enim, uti diximus, ex sapientia sapiens Deus, sed ex sapiente Deo sapientia procedit ».

Cui membro aliqui moderni acath. sequentem locutionem *per Iesum Christum* annectendum censent, non eo quidem sensu, ut Deus (Pater) per Filium suum *solus sapiens esse* dicatur (quam interpretationem *Thom.* iam velut absurdam reprobavit), sed ita, ut Deus per Iesum Christum, i. e. per eius opera et doctrinam, sapientiam suam revelasse seque *solum sapientem demonstrasse* declaretur (cfr *Fritzsche, de W. Mey. Goeb. Weiss.* etc.); sed quo cum iure μόνος σοφὸς Θεὸς idem valere dicatur atque *Deus se solum sapientem demonstrans*, non explicant. Parum recte quoque *Chrys.* cum nonnullis verba *per Iesum*

Christum ad initium sententiae trahens legendum esse censet : « ei qui potens est *confirmare vos per Iesum Christum* » ; neque rectius illa *Thom.* ad secundum participium (« nunc *patefactum est per Iesum Christum* ») aut *Phot.* ad tertium participium (« mysterii... *divulgati per Iesum Christum* ») trahunt; omnibus enim istis nexibus membrum insertum (*soli sapienti Deo*) evidenter obstat. Cum sequentibus igitur illa ita connectamus oportet, ut Apostolus Deo potenti ac sapienti gloriam tribuat per Iesum Christum. Sicut enim per Christum mediatorem omnia bona a Deo nobis tribuuntur, ita etiam per Christum mediatorem Deo gratias ac laudem retribuamus necesse est. Quam obviam ac simplicem interpretationem omnes sine ulla haesitatione haud dubie admisissent, si Paulus, evitato anacolutho, scripsisset : διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων (*per Iesum Christum* [*honor et*] *gloria in saecula saeculorum*). At pronomen relativum (ῷ *cui*), quod post genetivum Ἰησοῦ Χριστοῦ anacoluthice inseruit (cfr supra p. 794) huic interpretationi nequaquam obstat. Haud admodum raro enim Graeci ex sententia relativa locutionem quandam desumunt, ut eam maiore cum vi pronomini relativo praemittant[1]. Unde recte iam *S. Aug.* (c. Maximin. II. 13,2) : « Hoc est *per Iesum Christum cui gloria*, quod est *cui per Iesum Christum gloria;* sed horum alter inusitatus [scilicet Latinis], alter usitatus est ordo verborum ».

Ex interpretatione nostra elucere censemus, doxologiam non tantum epistolae huic, cuius praecipuum argumentum in memoriam revocat, omnino esse accommodatam, sed illius quoque aptissimam constituere clausulam, quum sollemniori inscriptioni plane respondeat. Quapropter satis mirum videtur, quod longe maior numerus iuniorum codd. graecorum una cum iunioribus Patribus graecis eam post 14,23 inseruerint, quamvis ei locus iste non conveniat. Cum *Chrys.* quidem iuniores alii Graeci (cfr *Theod. Phot. Oec. Theoph. Euth.*) Paulum hic infirmis in fide, qui ciborum distinctionem observabant, firmitatem a Deo implorare arbitrantur : « Post adhortationem solet semper votum et precationem addere; quod et hic facit pro imperfectioribus deprecans neque sermone tantum eos erudiens, sed auxilium quoque eis impetrans » (*Theoph.*). Verum haec non recte dicuntur; neque enim Evangelium et praeconium Christi, in quibus lectores suos Paulus confirmari vult, ad solam ciborum indifferentiam contrahere licet, atque

1. Similes constructiones habemus *Ioan.* 4,18; *Act.* 1,2; 5,35 etc., uti etiam 12,3; 1 *Cor.* 3,5; 2 *Cor.* 2,4; *Gal.* 2,10 etc. De his traiectionibus cfr *Buttm.* Gramm. p. 333; *Winer* Gramm. p. 517 sq.

multo minus de secundario hoc doctrinae christianae capite magnum illud mysterium aeternis temporibus tacitum, nunc autem patefactum et adhibitis propheticis testimoniis ad fidem efficiendam in omnes gentes divulgatum intelligi potest. Praeterea Pauli disputatio de firmis infirmisque capite 14. non absolvitur, sed usque ad 15,13 continuatur; parum apte igitur doxologiam, quae clausulae formam aperte prae se fert, mediam in hanc disputationem inseruisset. Demum inde a 14,15 usque ad 14,23 atque iterum 15,1 sqq. Apostolus firmos alloquitur eosque hortatur, ut a pusillorum scandalo sibi caventes infirmis se accommodent; quid autem media in hac exhortatione sibi vult precatio pro infirmis?

Dubium igitur non est, quin iste locus inserendae doxologiae non sit idoneus; restat igitur, ut explicemus, quomodo fieri potuerit, ut doxologia nostra ex aptissimo loco, quem Paulus ei assignavit, in locum parum aptum sit translata. Inter varias huius quaestionis solutiones probabilior nobis semper visa est illa, quam ex librorum sacr. publica lectione primus desumsit *Hug* (Einl. II. p. 397 n.; cfr etiam *Reith. Valroger, Mai. Bisp. Kaulen* Einl. p. 486, *Sch.* etc.). Ultimum videlicet epistolae caput, quod totum fere salutationibus constat, antiquissimis temporibus lectioni liturgicae probabiliter non inservivit, ideoque in exemplaribus publico ecclesiarum usui destinatis omittebatur. Sollemni tamen doxologia, qua caput terminatur, Christiani carere noluerunt, et quum brevior esset, quam ut sola integram lectionem constitueret, alteri pericopae eam annectere maluerunt. Verumtamen cap. 15. suam iam habuit clausulam aptam (15,33) atque similiter exhortatio de firmis et infirmis pio voto (15,13) apte clauditur. Ideo eam post 14,23 posuerunt, quem locum procul dubio, similiter ac Graeci iuniores, idoneum iudicarunt, quia ibi de infirmo confirmationis, ne « per offendiculum manducans pereat, indigente agitur » (cfr *Introd. spec.* in Nov. Test. p. 480; *Compend.* Introd. Ed. 2. p. 557). Quidquid autem de hac quaestionis solutione statuitur, dubitare non licet, quin Paulus magnificam nostram epistolam magnifica hac doxologia (forte sua ipsius manu) terminare voluerit, ut Deo potenti ac sapienti per Iesum Christum gloriam dicens Romanis accuratiorem ac profundiorem cognitionem doctrinae de redemtionis universalitate et de gentium vocatione impetraret.

O. A. M. D. G.

INDEX